JOANNIS CASSIANI

ABBATIS MASSILIENSIS

COLLATIONUM XXIV

COLLECTIO

IN TRES PARTES DIVISA.

PARS PRIMA,

COMPLECTENS

DECEM PRIMAS COLLATIONES PATRUM IN SCYTHICA EREMO COMMORANTIUM.

Praefatio,

AD LEONTIUM EPISCOPUM, ET HELLADIUM

Debitum quod beatissimo papæ Castori in eorum voluminum præfatione promissum est, quæ de Institutis cœnobiorum, et de octo principalium vitiorum remediis, duodecim libellis, Domino adjuvante, digesta sunt, in quo tenuitas nostri suffecit ingenii, utcumque sarcitum est. Viderint sane quid super hoc vel illius vel nostri fuerit examinis æquitate perpensum, utrum in rebus tam profundis, tamque sublimibus, et quæ in usum styli, ut arbitror, antea non venerunt, dignum aliquid cognitioni vestræ, omniumque sanctorum fratrum desiderio prompserimus. Nunc autem quia derelinquens nos pontifex supradictus, migravit ad Christum, has interim decem [a] collationes summorum Patrum, id est,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Collationes a conferendo dictas nemo nescit. Hinc Smaragdus abbas (*In cap. 40 Regulæ D. Bened.*) : *Collatio*, inquit, *est confessio, collocutio et confabulatio, ubi de Scripturis divinis, aliis conferentibus interrogationes, conferunt alii congruas responsiones; et sic quæ diu latuerant occulta, conferentibus fiunt perspicua.* Isidorus lib. III de Summo Bono (*Cap.* 15) : *Cum sit*, inquit, *utilis ad instruendum lectio, adhibita tamen collatione majorem intelligentiam, præbet. Melius est enim conferre, quam legere. Collatio autem docibilitatem facit. Nam propositis interrogationibus cunctatio rerum excluditur, et sæpe objectionibus latens veritas approbatur. Quod enim obscurum, aut dubium est, conferendo cito perspicitur.* Sic ille. Collationes itaque Patrum Auctori visum est inscribere familiares congressus et colloquia, quibus ipse ejusque collega Germanus de rebus spiritualibus, et ad vitæ monasticæ perfectionem præcipue spectantibus cum Patribus, sive anachoretis illustrioribus, diversis in locis contulerunt, eorumque doctrinam, monitiones, institutiones ac regulas diligentissime exquisierunt et exceperunt; quas deinde Cassianum, cum apud Massiliam ageret, multorum episcoporum et religiosorum virorum hortatu scriptis mandasse, tum ipsius Cassiani, tum aliorum locupletissimis testimoniis et elogiis in operis ingressu propositis, certissime constat. Unde et Collatorem D. Prosper nominavit. Sunt autem hæ collationes numero viginti quatuor : sed generali serie, ac distributione tripartitæ, et ut locis, temporibus et personis, ita propriis præfationibus ac procœmiis distinctæ. Nam decem primæ in Scythica vel Scetica eremo habitæ, et Leontio ac Helladio episcopis dicatæ; septem aliæ sequentes in Thebaidis solitudine peractæ, Honorato et Eucherio, seu episcopis, seu abbatibus (nam id ambiguum) destinatæ; septem reliquæ in ulterioribus Ægypti partibus habitæ, Joviniano, Minervio, Leontio et Theodoro monachis, sive abbatibus, nuncupatæ, et ad fratres in insulis Stoechadibus degentes transmissæ (*In præfat. collat.* 11). Porro hujusmodi collationum spiritualium usum fuisse apud veteres monachos, tum cœnobitas, tum anachoretas, frequentissimum, non solum ex his Cassiani insignibus collationibus constat, quæ ex ipsius facundia mentes legentium mirifice delectant et movent, et omnem spiritualis vitæ doctrinam continent; sed et sanctorum Patrum testimoniis comprobatur (*Vide, infra, collat.* 2 *cap.* 2). Id enim Athanasius in Vita S. Antonii memoriæ prodidit, ubi ejusdem sanctissimi Patris exhortationem ad fratres simul congregatos habitam commemorat. Idem D. Hieronymus (*Epist.* 22, *ad Eusto.*) de monachis Ægyptiis, ubi hæc inter alia : *Post horam nonam in commune concurritur; Psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more; et completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare; quo loquente tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat exscreare; dicentis laus in fletu est audientium; tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, et ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi et de futura beatitudine cœperit annuntiare ventura; videas cunctos moderato suspirio, et oculis ad cælum levatis, intra se dicere : Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LXV) ! *Post hæc concilium solvitur*, etc. Multa alia sunt in Vitis Patrum, in Historia sanctorum Theodoreti, in Dorothei Doctrinis, et Palladii Lausiacis, ex quibus hunc usum collationum spiritualium apud veteres religiosos solemnem ac perpetuum fuisse cognoscitur. De quo meminit itidem Cassianus lib. V Instit. c. 20 et 21

anachoretarum, qui in eremo Scythica morabantur (quas ille, incomparabili flagrans studio sanctitatis, simili sibi jusserat sermone conscribi, non perpendens præ multitudine charitatis quanto infirmas cervices pondere prægravaret), vobis potissimum, o [a] beatissime papa Leonti et sancte frater Helladi, credidi consecrandas. Alter siquidem vestrum memorato viro, et germanitatis affectu, et sacerdotii dignitate, et, quod his majus, sancti studii fervore conjunctus, hæreditario fraternum debitum jure deposcit; alter anachoretarum instituta sublimia, non, ut quidam, propria aggressus est præsumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem sancto Spiritu suggerente, pene antequam disceret, apprehendens, non tam suis adinventionibus quam illorum traditionibus maluit erudiri. In quibus mihi nunc in portu silentii constituto immensum pelagus aperitur, ut scilicet de instituto atque doctrina tantorum virorum quædam tradere audeam memoriæ litterarum. Tanto enim profundioris navigationis periculis fragilis ingenii cymba jactanda est, quantum [*Leg.* quanto] a cœnobiis anachoresis, et ab actuali vita, quæ in congregationibus exercetur, contemplatio Dei, cui illi inæstimabiles viri semper intenti sunt, major atque sublimior est. Vestrum igitur est conatus nostros piis orationibus adjuvare, ne aut tam sancta materia imperito quidem, sed fideli sermone promenda, periclitetur in nobis, aut rursus ejusdem materiæ abyssis obruatur nostra rusticitas. Proinde ab exteriori ac visibili monachorum cultu, quem prioribus digessimus libris, ad invisibilem interioris hominis habitum transeamus, et de canonicarum orationum modo ad illius quam Apostolus præcipit (*I Thess.* v) orationis perpetuæ jugitatem ascendat eloquium; ut quisquis jam superioris operis lectione [b] Jacob illius intelligibilis nomen carnalium vitiorum supplantatione promeruit, nunc etiam non tam mea quam Patrum instituta suscipiens, divinæ jam puritatis intuitu ad meritum et (ut ita dixerim) dignitatem transiens Israelis, quid in hoc quoque perfectionis culmine debeat observare, similiter instruatur. Obtineant itaque orationes vestræ ab eo qui dignos nos, vel visu eorum, vel discipulatu, vel consortio judicavit, ut nobis earumdem traditionum memoriam plenam et sermonem ad dicendum facilem conferre dignetur, quo tam sancte eas, tamque integre, quam ab ipsis accepimus, explicantes, ipsos quodammodo suis Institutis incorporatos, et, quod est majus, [c] Latino disputantes eloquio, vobis exhibere possimus. Hoc

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Nec prætereundum, quod de illo scribit Basilius in Regulis Fusiorib. cap. 54 : *Operæ pretium est,* inquit, *si statis interdum quibusdam temporibus certisque locis consessus celebretur eorum qui fratrum conventibus præsunt, in quibus videlicet cum de rebus iis quæ sibi præter rationem acciderint, tum de difficilibus ad tractandum naturis ac moribus, et quomodo in singulis moderandis se gesserint, vicissim inter se communicent et conferant; quo videlicet si aliquid aliquando minus recte ab aliquo factum fuerit, id adhibita locuplete multorum sententia, majore cum auctoritate quod in medium adductum est judicetur; contraque si quod recte gestum, multorum similiter testimonio comprobetur.* Hæc Basilius. Vide Regulam S. Pachomii art. 7 et scholiis ibidem (*Vide Lauren. Justini de Disciplina et Perfectione monast.* c. 15).

[a] De hac papæ nomenclatura diximus in prologo Institutionum, pro qua Dionysius : *O beatissime præsul Leonti.* Fuit autem hic Leontius Castoris episcopi, cui superiores libri nuncupati, frater germanus, idemque sacerdos, ut ex sequentibus patet (*Vide collat.* 9 c. 1); immo etiam episcopus, ut opinari licet ex ipsa nomenclatura, et honorario illo titulo olim episcopis, non inferioribus clericis tribui solito, et fortassis ejusdem Castoris, sui germani, successor in Ecclesia Aptensi; quamvis Photius (*Vide in elogio Photii, initio operis*) abbatem eum fuisse designet, dum illius nimirum cœnobii moderatorem dicit, cujus gratia priores Institutionum libri fuerint ab Auctore conscripti. Verum hæc facile conciliantur; non enim repugnat eumdem episcopum et abbatem, id est, cœnobii moderatorem fuisse, cum multi sancti episcopi etiam monachorum aut clericorum regularium Patres et cœnobiarchæ exstiterint, ut de S. Augustino et S. Martino Turonensi episcopo notum est. Porro de hoc eodem Leontio, pariter et Helladio hic nominato, plura serius animadversa notabimus ad collat. nonæ cap. 1, ubi lector requirat. An vero hic idem sit Leontius cum illo cui inter alios postremæ collationes dicatæ, fateor me haud multum disquisiisse.

[b] Allusio est ad historiam Jacob patriarchæ, qui duo nomina habuisse legitur : prius enim vocatus est Jacob, qui interpretatur supplantator; quo alludens Esau paterna benedictione frustratus dixit : *Jure vocatum est nomen ejus Jacob; supplantavit enim me in altera vice.* Postquam vero cum angelo colluctatus benedictionem ab eo accepit, ex Jacob Israel appellatus est, id est, vir videns Deum, vel mens videns Deum, secundum veterum expositionem, de qua videndus D. Hieronymus in Quæst. Hebr. Ad hunc igitur modum monachus vere pius, qui ex præcedentium librorum lectione didicerit carnalia vitia supplantare ac superare, et per hoc intelligibilis, id est, spiritualis Jacob, id est, supplantatoris nomen promeruerit; deinceps ex lectione sequentium collationum spiritualium, ad sublimiorem quamdam contemplationem ac theoriam provehetur, ut et Israelis, id est, videntis Deum, appellatione dignus efficiatur.

[c] Hoc ipsius Auctoris testimonio perspicue intelligitur, ipsum Latino idiomate, non Græco, ut quidam opinati sunt, has collationes scripsisse, quemadmodum et de libris Institutionum idem suo loco probavimus (*Vide inter elogia*). Viderit Trithemius unde acceperit Joannem Cassianum Institutionum libros et collationes Patrum Græca lingua edidisse, quos Dionysius Carthusianus in Latinum transtulerit eadem eloquii venustate, ut ejus verba præ se ferunt. Nam Dionysius certe non ex Græco, sed ex obscuriore stylo (Latino tamen) ad clariorem et faciliorem transtulisse se tam Institutiones quam collationes disertis verbis profitetur (*In utraque præfat.*), ut non tam interpres quam paraphrastes Cassiani dicendus sit. Est enim paraphrasis Quintiliano auctore (*Lib.* I c. 5), ejusdem sententiæ per alium sermonem, ejusdem licet idiomatis, clarior explicatio et liberior interpretatio, cum quædam addentes aut mutantes copiosius ac dilucidius explicamus quod ab aliis dictum est : cujusmodi est Themistii in Aristotelem paraphrastica expositio (*Vide Sixtum Senensem lib.* III *Biblioth. cap. de Paraphrasi*). Quam ob causam hactenus illis voculis, *transtulit, vertit,* cum de Dionysio ageretur, studiosius quam hactenus et ex industria abstinui, ne Trithemio subscribere viderer. Cæterum constat nihilominus Cassiani libros, etsi Latine primum ab ipso editos, ab aliis postea in

sane volumus ante omnia, tam harum collationum quam superiorum voluminum præmonitum esse lectorem, ut si qua forte in his pro status sui et propositi qualitate, sive pro usu et conversatione communi, vel impossibilia putaverit esse, vel dura, non ea secundum suæ facultatis modulum, [a] sed secundum dignitatem et perfectionem loquentium metiatur, quorum prius studium atque propositum mente concipiat, quo vere mortui huic conversationi mundanæ nullis affectibus parentum carnalium, nullis actuum sæcularium nexibus obligantur. Deinde locorum quoque in quibus commorantur, considerent qualitatem qua [*Al.* quia] in solitudine vastissima constituti, atque ab universorum mortalium consortio separati, et per hoc illuminationem sensuum possidentes, contemplantur vel proloquuntur ea quæ inexpertis atque ineruditis pro conditione et mediocritate consuetudinis suæ impossibilia forsitan videbuntur. De quibus tamen si quis voluerit veram proferre sententiam, et utrum impleri queant, desiderat experiri, festinet prius eorum propositum simili studio et conversatione suscipere, et tunc demum quæ supra facultatem hominis videbantur, non solum possibilia, verum etiam suavissima deprehendet. Sed nunc jam ad collationes eorum et instituta properemus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Græcam linguam fuisse conversos. Nam et in Vaticana bibliotheca collationes aliquot et octo posteriores Institutionum libros in Græcum conversos exstare scribit Ciaconius (*In sua præfat.*), sed eo potius in compendium redactos quam integre redditos : cujusmodi legisse videtur Photius, qui non plures quam duas aut tres collationes commemorat (*Photius c. 177 Biblioth.*).

[a] Huic loco aptissime consonat D. Augustinus *lib.* I de Moribus Ecclesiæ cap. 31, ubi anachoretas illos miris laudibus extollens : *Nihil*, inquit, *de iis dicam qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo et aqua contenti, desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, et ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest.* Et infra : *Hoc tam excellens fastigium sanctitatis, cui non sua sponte mirandum et honorandum videtur, oratione nostra videri qui potest?*

COLLATIO PRIMA,

Quæ est prima abbatis Moysis.

DE MONACHI INTENTIONE AC FINE.

CAPUT PRIMUM.

De habitatione Scythi, et proposito abbatis Moysis.

Cum [a] in eremo Scythi, ubi monachorum probatissimi patres, et [b] omnium sanctorum morabatur perfectio, abbatem [c] Moysen, qui suavius inter illos egregios flores [d] non solum actuali, verum etiam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita manuscripti plerique. At D. Antonius et editio Basileensis, et alii : *In eremo Scythiæ*. Fuit hæc eremus, ut alibi dictum est, in Ægypto juxta Maream lacum, magna SS. Patrum frequentia nobilitata, eademque varie nuncupata. Nam et Scetis. Scetica, Scetina, Scetiaca, et Scythica, Scythiaca, Scythiotica inscribitur (*Socrat. lib.* IV *Hist.* c. 8).

[b] Ciaconius et alii legunt : *Omnis commorabatur perfectio.*

[c] Alias Mosen. Cum autem tres hujus nominis anachoretæ sanctitate celebres memorentur, ut alias monuimus (*Lib.* X *Inst. c. ult.*), Libycus ille qui solus Cassiano coætaneus fuit, omnino videtur hic designatus : cujus etiam Moysis et geminæ collationis cum eodem habitæ meminit Photius in Cassiano his verbis (*Ex versione P. Andreæ Scotti*) : *Tertium his adjunctum libellum legimus, quem a Castoris episcopi morte inscripsit illius cœnobii moderatori, cujus cœnobii causa et Regulæ illæ prius missæ fuerunt. Qui quidem libellus iis, quos jam enumeravimus, assimilis est. Docet enim in primis quid discretio sit; deinde que majorem eam esse cæteris virtutibus, tum unde gignatur, ac quomodo hæc eadem cælitus plerumque donetur; tandem Scripturæ testimoniis probat, suum cuique animum sentiri esse indicandum. Addit præterea quis scopus ac finis eorum esse debeat qui religiosorum exercitationibus probantur. Ad hæc Mosen quemdam virtutibus admirandis virum ita docentem inducit, ut ipsis quoque operibus ob oculos propemodum statutis dogmata sua confirmet* (*Quinque ista capita exstant collat.* 2). Hæc Photius de hoc Moyse abbate ejusque collationibus, concise quidem, et confuse; sed pro ratione ac dispositione librorum quos tunc nactus sit Græce translatos et in compendium redactos, ut superius indicatum est, vel prout memoriæ lecta inhæserunt.

[d] Scite in hunc locum Ciaconius hæc annotavit : *Theoretica vita ea dicitur quæ in contemplatione consistit, ut actualis in actione. Cæterum in omnibus excusis codicibus vitiose ante legebatur : Theorica virtute flagrabat : in Vaticano vero emendate legitur : Theoretica vita fragrabant. De floribus enim sermo præcesserat. Vitæ autem practicæ et theoreticæ frequens est apud philosophos mentio* (*Arist. lib.* I *Ethic. c.* 5, *et lib.* IX *c.* 4). *Cicero ad Atticum lib.* II : *Quoniam, inquit, tanta controversia est Dicæarcho familiari tuo cum Theophrasto amico meo, tu ille tuus* τὸν πρακτικὸν βίον, *id est, practicam vitam longe omnibus anteponat; hic autem* τὸν θεωρητικόν, *id est, contemplativam. Apud Christianos vero in Martha et Maria practicam et theoreticam vitam designari notissimum est. Has voces Cassianus Græce scripsit, et latius explicavit collat.* 14 *cap.* 1. Hæc quidem Ciaconius. Sed bona ejus venia non est cur theorica, ut vitiose scripta pro theoretica reprehendatur. Sumitur enim theorica etiam adjective, non solum apud Cassianum pluribus in locis. ut collat. 19 cap. 5, ubi theoricam vocat sublimitatem, et cap. 9 ejusdem, ubi theoricam puritatem, et rursus collat. 23 cap. 4, ubi theoricam nominat claritatem; sed et apud D. Hieronymum in cap. III Lamentat. Hierem. ubi de theorica puritate agit iisdem pene verbis, quibus Cassianus loco jam dicto. Quid igitur obstat quo minus theorica vita dici possit, ut theorica puritas, etc.? Sumitur tamen theorica, vel

theorica virtute flagrabat, institutione ejus fundari cupiens expetissem, una cum sancto [a] abbate Germano (cum quo mihi ab ipso tyrocinio, ac rudimentis militiæ spiritalis ita individuum deinceps contubernium tam in cœnobio, quam in eremo fuit, ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi nostri parilitatem pronuntiarent, unam mentem atque animam duobus inesse corporibus), pariterque ab eodem abbate ædificationis sermonem fusis lacrymis posceremus (quippe cujus hunc animi rigorem manifestissime noveramus, ut nisi fideliter desiderantibus, et cum omni cordis contritione quærentibus, nequaquam acquiesceret januam perfectionis aperire, ne scilicet, si passim vel nolentibus eam, vel tepide sitientibus exhiberet, res necessarias, et quæ solis perfectionem cupientibus debent esse compertæ, indignis et fastidiose suscipientibus pandens, aut jactantiæ vitium, aut proditionis crimen videretur incurrere), tandem fatigatus precibus nostris, ita exorsus est.

CAPUT II.

De interrogatione abbatis Moysis quærentis qui monacho scopos, vel quis sit finis.

Omnes, inquit, artes ac disciplinæ [b] scopon quemdam, id est, destinationem et telos, hoc est, finem proprium habent : ad quem respiciens uniuscujusque artis iudustrius appetitor, cunctos labores et pericula dispendiaque universa æquanimiter libenterque sustentat. Nam et agricola nunc torridos solis radios, nunc pruinas et glaciem non declinans, terram infatigabiliter scindit, et indomitas agri glebas frequenti vomere subigit, dum scopon servat, ut cam cunctis sentibus expurgatam, universisque graminibus absolutam in modum solubilis arenæ exercendo comminuat : finem, id est, perceptionem copiosarum frugum et exuberantium segetum, non alias adepturum se esse operis ac sudoris sui ratione confidens, quo vel ipse deinceps vitam securus exigere, vel suam possit amplificare substantiam. Referta etiam frugibus horrea libenter exhaurit, easque putribus sulcis instanti labore commendat, præsentem diminutionem futurarum messium contemplatione [*Lips. in marg.* compensatione) non sentiens. Illi etiam qui negotiationum solent exercere commercia, non incertos pelagi timent casus, non ulla discrimina perhorrescunt, dum ad finem quæstus spe pretii provocantur. Nec non etiam hi qui militiæ mundialis ambitione inflammantur, dum prospiciunt honorum ac potentiæ finem, peregrinationum exitia [*Lips. in marg.* exsilia] ac pericula non sentiunt, nec præsentibus ærumnis bellisque franguntur, dum propositum sibi dignitatis finem cupiunt obtinere. Habet ergo et nostra professio scopon proprium ac finem suum, pro quo labores cunctos non solum infatigabiliter, verum etiam gratanter impendimus, ob quem nos jejuniorum inedia non fatigat, vigiliarum lassitudo delectat, lectio ac meditatio Scripturarum continuata non satiat, labor etiam incessabilis, nuditasque et omnium rerum privatio, horror quoque hujus vastissimæ solitudinis non deterret. Ob quem vos ipsi procul dubio parentum sprevistis affectum et patrium solum ac delicias mundi tot pertransitis regionibus despexistis, ut ad nos homines rusticos et [c] idiotas, atque in hoc eremi

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

theorice etiam susbtantive apud eumdem Hieronymum eodem loco, ubi ait : *Una ergo, et sola est theorica, id est, contemplatio Dei,* etc. Nic. Perottus in Cornucop. : *Ars,* inquit, *nullum exigens actum, sed ipso rei cujus studium habet intellectu contenta, quæ theorice vocatur, hoc est, speculativa.* Sic ille. Theoretica etiam nunc adjectivum est, nunc substantivum, ut collat. 14 cap. 2, ubi theoretice appellatur.

[a] Ita fere monachos seu anachoretas appellabant, præsertim senecta aut sanctitate reverendos, latiore quadam usurpatione : quod frequens in Vitis Patrum et apud Palladium in Lausiacis. In quibusdam tamen codicibus tantum legitur : *Cum sancto Germano*, ut observavit Cuychius. Porro hic ille est Germanus Cassiani socius et collega, idemque tum legationis pro Chrysostomo Romam habitæ, tum peregrinationis ad Ægypti solitudines susceptæ comes assiduus : quem idem alias presbyterum nominat, eumque in his collationibus cum illis Patribus et anachoretis colloquentem, et interrogantem inducit : qua de re infra plenius ad cap. 9.

[b] Alii Latine, alii Græce has voces legunt, ut ex Vaticano Ciaconius. Distinguit autem hic abbas inter σκοπὸν, sive scopum, et τέλος, id est, finem cujusque artis et disciplinæ. Nam scopum vocat ipsam destinationem, id est, electionem, directionem et dispositionem mediorum idoneorum ad finem consequendum : quam distinctionem elucidat et confirmat triplici exemplo, agricolæ, mercatoris et militis, quorum similitudine ostendit etiam religiosæ professioni suum esse scopum et suum finem proprium. Quod si proprietatem vocum attendas, scopus [illegible] signum est sagittariorum, seu meta ad quam sagittæ diriguntur. Unde Hieronymus lib. 1 adversus Pelagian. cap. 5 : *Apostolus dicit se necdum comprehendisse et nequaquam esse perfectum, sed instar sagittarii ad propositum et ad signum jacula dirigere; quod significantius Græci* σκοπὸν *nominant, ne sagitta ad partem declinans imperitum ostendat sagittarium.* Finis autem proprie dicitur terminus, sive extremitas cujusque rei, Græce τέλος. Verum hæc distinctio finis et scopi plerumque confunditur. Nam et scopus per metaphorum sumitur pro fine, quo mentem et propositum nostrum dirigimus. Unde proverbiales locutiones, attingere scopum, aberrare a scopo, et similes. Finis etiam intentionis, id est, intentio operantis objective scopus dicitur : quomodo dicimus, finis et scopus medici est curare, oratoris persuadere.

[c] Idiotes, sive idiota proprie idem est ac privatus, nullo publico munere fungens. Unde ἰδιοτεύειν Græci dicunt, pro eo quod est privatam vitam agere : apud Latinos vero accipitur pro illitterato, imperito, ignaro, ut hoc loco. Cujus rationem explicans Festus : Ἴδιος, inquit, *proprius dicitur; a quo idiotes dicitur indoctus, et inutilis, quasi sibi tantummodo et non pluribus utilis.* Ita Cicero VII in Verrem : *Quæ non modo istum hominem ingeniosum, atque intelligentem, verum etiam quemvis vestrum, quos iste idiotas appellat, delectare posset.* Eodem modo accipit Apostolus I Cor. XIV : *Is qui supplet locum idiotæ.* Et Lucas Act. IV : *Homines sine litteris et idiotæ.* Familiare autem est viris sanctis, licet sapientissimis et perspicacissimis qualis hic anachoreta Moses, ignaros tamen et idiotas sese ex intima humilitate, et vera sui cognitione profiteri; et quidem exemplo beati apostoli Pauli, qui non judicabat *se aliquid scire, nisi solum Jesum,*

squalore degentes pervenire possetis. Propter quod respondete, inquit, mihi quæ sit destinatio vestra, vel finis, qui ad hæc omnia libentissime sustinenda vos provocat.

CAPUT III.

De responsione nostra.

Et cum persisteret nostram elicere super hac interrogatione sententiam, respondimus : Regni cœlorum causa hæc cuncta tolerari.

CAPUT IV.

Interrogatio Moysis super propositione prædicta.

Ad quod ille : Bene, inquit, et argute de fine dixistis : [a] qui [*Lips. in marg.* quis] vero debeat scopos noster esse, id est, destinatio, cui jugiter inhærentes finem valeamus attingere, præ omnibus nosse debetis. Et cum ignorationem confessi simpliciter fuissemus, adjecit : In omni, ut dixi, arte ac disciplina præcedit quidam scopos, id est, animæ destinatio, sive incessabilis mentis intentio, quam nisi quis omni studio perseverantiaque servaverit, nec ad finem desiderati fructus poterit pervenire. Nam, ut dixi, agricola finem habens secure copioseque vivendi in proventu segetum fecundarum, scopon, id est, destinationem gerit, agrum suum sentibus cunctis expurgare, eumque universis infructuosis vacuare graminibus, nec aliter se quieti finis opulentiam adepturum esse confidit, nisi id quod usu obtinere desiderat, quadam prius operis ac spei suæ ratione possideat. Negotiator quoque comparandarum mercium desiderium non deponit, per quod possit quæstuosius divitias congregare : qui frustra concupisceret lucrum, nisi viam qua ad id tenderet, elegisset ; et qui certis quibusque dignitatibus mundi hujus cupiunt honorari, cui se officio vel ordini debeant mancipare, ante proponunt, ut per legitimum spei tramitem finem quoque valeant desideratæ dignitatis attingere. Itaque et viæ nostræ finis quidem est regnum Dei : qui [*Lips. in marg.* quid] vero sit scopos, debet diligenter inquiri ; qui si nobis similiter compertus non fuerit, frustra nitendo fatigabimur, quia sine via tendentibus labor est itineris, non profectus. Ad quod obstupescentibus nobis senex intulit : Finis quidem nostræ professionis, ut diximus, regnum Dei, seu regnum cœlorum est : destinatio vero nostra, id est, scopos, puritas est cordis, sine qua ad illum finem impossibile est quempiam pervenire. In hac ergo destinatione defigentes nostræ directionis obtutus, velut ad certam lineam, cursum rectissimum dirigimus [*Lips. in marg.* dirigamus]. Ac si paululum quid ab hac cogitatio nostra deflexerit, ad contemplationem ejus illico recurrentes, rursus eam velut ad quamdam normam rectissime corrigamus ; quæ semper omnes conatus nostros ad unum hoc revocans signum, arguet [*Lips. in marg.* arguit] statim si a proposita directione mens nostra vel paululum deviaverit.

CAPUT V.

Quod ad scopum aliquem collimare oporteat, alio probat exemplo.


Quemadmodum hi quibus usus est bellica tela tractandi, cum ante regem mundi hujus artis suæ cupiunt peritiam demonstrare, in parvissima quadam scutula, quæ depicta in se continet præmia, jacula vel sagittas intorquere contendunt, certi quod non alias nisi destinationis suæ linea ad finem possint desiderati præmii pervenire ; quo tum demum utique potientur, cum propositum scopon valuerint obtinere ; qui si forte ab eorum fuerit subtractus intuitu, quantumlibet a recto tramite cassa imperitorum deerret intentio, excidisse se tamen a disciplinatæ lineæ directione non sentient, quia nullum habent certum signum quod vel peritiam directionis probet, vel arguat pravitatem : et ideo cum inutiles in aera vacuum jactus effuderint, in quo peccaverint, quove decepti sint, dijudicare non possunt, quippe quos nullum accusat indicium, quantum a directione discesserint, nec quo deinceps corrigere vel revocare debeant, lineam disciplinæ docere potest [b] passivus obtutus. Ita igitur et nostri propositi finis qui-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

et hunc crucifixum (1 *Cor.* II) : non quod alia nesciret, sed quia sic se gerebat, sic se omnibus exhibebat, ac si nihil aliud sciret, nisi crucem Christi, ait S. Thomas (*Comment.*). Quomodo vero istud absque mendacio et fictione fieri possit, ex iis quæ superiore libro (*Lib.* XII *c.* 15) de vera humilitate dicta sunt, intelligi potest.

[a] Pergit abbas ostendere alium esse finem, alium scopum religionis, seu religiosi status : et finem quidem admittit esse vitam æternam, seu regnum cœlorum, ut illi professi fuerant : scopum vero docet esse cordis puritatem. Verum ille finis ultimus generalis est et communis omnibus tam monachis quam aliis. At proprius ac peculiaris religionis et religiosorum finis, idemque primarius est charitatis perfectio, ut docet idem abbas cap. 7, et D. Thomas 2-2, q. 186, a. 1 et 2. Unde et definitur religio status hominum ad perfectionem Christianam per vota paupertatis, continentiæ et obedientiæ tendentium. Quæ quidem perfectio in eo consistit, ut quis a se remotis omnibus divini amoris impedimentis, Dei obsequio consecratus, ei per amorem et charitatem inhæreat. Unde B. Dionysius Areop. Eccles. Hierar. cap. 6 dicit, *eos qui nominantur Dei famuli, ex Dei puro servitio et famulatu uniri ad amabilem perfectionem.* Porro finis secundarius est puritas et rectitudo mentis, quæ consistit in acquisitione et exercitio cæterarum virtutum. Unde Apostolus primæ Tim. primo : *Finis*, inquit, *præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (S. *Thom. ubi supra. Turrecrem. tract.* 5 *in Reg. D. Bened.*).

[b] Id est, vagus, incertus, inconstans. Vox est Tertulliano familiaris (*Advers. Marc. lib.* I), ut notat Ciaconius ; immo Afris fere peculiaris. Nam et passivum nomen Dei dicit ille, et passivum convictum pro communi et promiscuo. Idem libro contra Valentin. ait *Valentiniano, de passivitate vitæ generositatem suam vindicare* (*Lib. de Carne Christi cap.* 24). Eodemque libro passivos eos discipulos vocat, hoc est, inconstantes, atque passim vagos, nec uni magistro addictos. Concilium Carthaginense primum can. 2 : *Martyrum dignitatem nemo profanus infamet ; nec passiva corpora martyrum nomine appellet.* Ubi passiva corpora vocat quælibet mortuorum, vel occisorum cadavera. Et ejusdem concil. cap. 8 legitur *communio passiva*, id est, indifferens, cuivis nullo discrimine



CAPUT VII.

De appetenda tranquillitate cordis.

Omnia igitur hujus gratia gerenda appetendaque sunt nobis; pro hac solitudo sectanda est, pro hac jejunia, vigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, cæterasque virtutes debere nos suscipere noverimus : ut scilicet per illas ab universis passionibus noxiis illæsum parare cor nostrum et conservare possimus, et ad perfectionem charitatis istis gradibus innitendo conscendere, et non propter has observantias, si forte honesta ac necessaria occupatione præventi, [a] solemnitatem nostræ districtionis non potuerimus implere, incidamus in tristitiam, vel iram, sive indignationem, ob quæ expugnanda illud quod prætermissum est, fueramus acturi. Non enim tantum est, lucrum jejunii, quantum iræ dispendium : nec tantus lectione capitur fructus, quantum contemptu fratris incurritur detrimentum. Ea igitur quæ sequentia sunt, id est, jejunia, vigiliæ, anachoresis, meditatio Scripturarum, propter principalem scopon, id est, puritatem cordis, quod est charitas, nos convenit exercere, et non propter illa principalem hanc perturbare virtutem ; qua in nobis integra, illæsaque durante, nihil oberit, si aliquid eorum quæ sequentia sunt, pro necessitate fuerit prætermissum. Siquidem nec proderit universa fecisse, dempta [*Al.* non adepta, *ubi* adempta] hac quam diximus principali causa, cujus obtentu sunt omnia peragenda. Ob hoc enim quis ferramenta cujuslibet artis instituere sibimet ac præparare festinat, non ut ea possideat otiosa, nec ut emolumenti illius fructum qui speratur ex ipsis, in nuda instrumentorum possessione constituat; sed ut eorum ministerio peritiam finemque illius disciplinæ, cujus hæc adjumenta sunt efficaciter apprehendat. [b] Igitur jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac privatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa pervenitur ad finem. Incassum igitur hæc exercitia molietur, quisquis his velut summo bono contentus, intentionem sui cordis huc usque defixerit, et non ad capiendum finem, propter quem hæc appetenda sunt, omne studium virtutis extenderit : habens quidem disciplinæ illius instrumenta; finem vero, in quo omnis fructus consistit, ignorans. Quidquid igitur potest istam mentis nostræ puritatem tranquillitatemque turbare, quamvis utile ac necessarium videatur, ut noxium devitandum est. Hac enim norma et errorum pervagationum que omnium dispositiones [*Al.* terrenarum pervagationum omnium dispersiones] poterimus evadere, et desideratum finem linea certæ directionis attingere.

CAPUT VIII.

De principali conatu erga divinarum rerum contemplationem, et similitudine Mariæ et Marthæ.

Hic ergo nobis principalis debet esse conatus, hæc immobilis destinatio cordis jugiter affectanda, [c] ut divinis rebus ac Deo mens semper inhæreat,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, solitam austeritatem, et observantiam regularem. Opportune hic succurrit ad hunc locum illustrandum sententia D. Bernardi in lib. de Præcepto, et Dispensat. ubi de SS. Patrum institutis, et regularibus observantiis et austeritatibus subinde vel necessitate urgente, vel charitate invitante relaxandis, aut intermittendis agens : *Hæc*, inquit, *inventa atque instituta fuerunt, non quia aliter vivere non liceret, sed quod ita magis expediret : nec plane ad aliud quam ad lucrum, et custodiam charitatis. Quamdiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, mutarique omnino ne ab ipsis quidem præpositis sine offensa possunt. At si e contrario contraria forte aliquando charitati visa fuerint; his dumtaxat, quibus videre datum, et providere creditum est : nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud forte commodius demutentur? sicut e regione iniquum proculdubio foret, si statuta pro sola charitate, contra charitatem tenerentur*. Hæc D. Bernardus.

[b] Præclara sententia, et niveo, ut dicitur, signanda lapillo; quæ summam hujus capit, complectitur, quæque D. Thomæ theologorum principi ac magistro ita placuit, ut eam pluribus in locis suæ Summæ ad suas conclusiones astruendas adhibuerit, eamque vicissim suis conclusionibus illustrarit (2-2, *q.* 184 *et q.* 189, *a.* 7 *et* 8). Continet autem duo capita, sive membra. Primum est, perfectionem Christianam et monasticam in charitate consistere. Nam, ut ait D. Thomas, unumquodque dicitur perfectum, in quantum attingit proprium finem, quæ est ultima rei perfectio (2-2. *q.* 84, *a*, 1. *Vide etiam Bellarm. lib.* II *de Monach. c.* 2). Charitas autem est, quæ unit nos Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis : quia, *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*; ut dicitur 1 Joan. IV. Et ideo secundum charitatem specialiter [*Lips. in marg.* substantialiter] attenditur perfectio Christianæ vitæ. Unde et Apostolus ad Coloss. I : *Super omnia*, inquit, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*, quia scilicet omnes alias virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectionis. Hæc D. Thomas. Alterum membrum est, jejunia, vigilias, lectionem et meditationem Scripturarum, nuditatem, id est paupertatem, aliasque religionis austeritates et exercitia non esse ipsam perfectionem, nec hominem continuo reddere perfectum; sed esse perfectionis instrumenta : quia, inquit, non in ipsis consistit hujus disciplinæ (monasticæ) finis : sed per illam pervenitur ad finem: quod aliis verbis superius dixit: quod ad perfectionem charitatis istis gradibus ascendere nitamur : dicuntur enim hæc instrumenta perfectionis, præsertim vero tria illa Evangelica consilia, paupertas, continentia et obedientia, quæ ad substantiam religiosi status pertinent, quia sunt aptissima et utilissima media ad consequendam perfectionem charitatis, quatenus removent omnia impedimenta divini amoris ab apostolo Joanne recensita illis verbis : *Quidquid est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ* (I *Joan.* III). Per continentiam enim removetur et refrenatur concupiscentia carnis; per paupertatem avaritia, seu concupiscentia oculorum; per obedientiam superbia. Et hoc est quod theologi docent perfectionem essentialiter et primario consistere in charitate et observatione mandatorum Dei; secundario autem, et quasi dispositive seu instrumentaliter, in illis consiliis Evangelicis, et aliis virtutibus.

[c] Si non actu, saltem virtute, seu virtuali intentione. Nam ut mens nostra de Deo rebusque divinis semper cogitet, et sine intermissione in eum per affectum aut contemplationem feratur eique inhæreat, non patitur hujus mortalis vitæ infirmitas, ut notum

quidquid ab hac diversum est, quamvis magnum, secundum tamen, aut etiam infimum, seu certe noxium judicandum est. [a] Hujus mentis vel actus figura etiam in Evangelio per Martham et Mariam pulcherrime designatur. Cum enim Martha sancto utique ministerio deserviret, utpote quæ ipsi Domino, ejusque discipulis ministrabat; et Maria spiritali tantummodo intenta doctrinæ, Jesu pedibus inhæreret, quos osculans bonæ confessionis liniebat unguento, præfertur tamen a Domino, quod et meliorem elegerit partem, et eam quæ ab ea non possit auferri (*Lucæ* x). Nam cum laboraret Martha pia sollicitudine ac dispensatione distenta, solam se videns ad tantum ministerium non posse sufficere, adjutorium sororis a Domino postulabat, dicens : [b] *Non est tibi curæ, quia soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet.* Utique non ad vile opus, sed ad laudabile eam ministerium provocabat. Et tamen quid audit a Domino? *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima.* [c] *Paucis vero opus est, aut etiam uno*; [b] *Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Videtis ergo principale bonum[c] in theoria sola, id est, in contemplatione divina Dominum posuisse. Unde cæteras virtutes licet necessarias et utiles pronuntiemus, secundo tamen gradu censendas esse decernimus, quia universæ hujus unius parantur obtentu. Dicens enim Dominus, sollicita es, et turbaris circa plurima, paucis vero opus est, aut etiam uno, summum bonum non in actuali, quamvis laudabili opere, et multis fructibus abundanti, sed in sua [*Lips. in marg.* sui] contemplatione, quæ vere simplex et una est, collocavit : paucis opus esse pronuntians ad perfectam beatitudinem, id est, illam theoriam, quæ prius in paucorum servatur consideratione sanctorum : a quorum contemplatione conscendens is qui adhuc in profectu [*Lips. in marg.* provectu] positus est, ad illud quoque quod dicitur unum, id est, Dei solius intuitum, ipso adjuvante perveniet : ut scilicet etiam sanctorum actus ac ministeria mirifica supergressus, solius Dei jam pulchritudine scientiaque pascatur. Maria ergo bonam partem elegit, quæ non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

est; et plenius declaratur infra (*Cap.* 12 *et* 13). Porro Dionysius, ut hunc scrupulum vitaret, voculam *semper* studiose omisit, quæ tamen in omnibus exemplaribus habetur.

[a] Phrasis est obscurior, Cassiano tamen familiaris; ut patet collat. 7 cap. 5. In eam Dionysius nonnihil lucis affert his verbis : *Hujus principalis actionis figura*, etc. Intelligitur autem ille, de quo paulo ante dixit, principalis conatus et immobilis destinatio, seu intentio jugiter inhærendi Deo, rebusque divinis : qui quidem principalis et primarius est charitatis actus. Cujus actus, seu intentionis figura, id est, typus per Martham et Mariam sorores Lazari pulcherrime designatur, quia et Mariæ exemplo commendatur, et Marthæ obsequio præfertur. Hinc solent Patres ex collatione duarum sororum Liæ et Rachelis in veteri Testamento, et Mariæ ac Marthæ in novo, duo vitæ genera, seu duplicem vitam in Ecclesia Dei distinguere, alteram contemplativam, quæ Mariæ et Racheli, alteram activam, quæ Marthæ et Liæ respondeat (S. *Thom.* 2-2, *q.* 1, *a.* 1). D. Gregorius VI Moralium cap. 28 : *Quid*, inquit, *per Mariam, quæ verbum Domini residens audiebat, nisi contemplativa vita exprimitur? quid per Martham exterioribus obsequiis occupatam, nisi activa vita signatur? Sed Marthæ cura non reprehenditur : Mariæ vero, etiam laudatur; quia magna sunt activæ vitæ merita : sed contemplativæ potiora.* Similia habet de Lia et Rachele hom. 14 in Ezechielem. Eadem de re videre est S. Basilium in Constitut. monasticis caput. 2, D. Hieronymum in cap. III Hieremiæ, Augustinum serm. 27 de verbis Domini secundum Lucam, Theophylactum et Bedam in cap. x Lucæ, et Bernardum sermone 3 in Assumptione B. Mariæ.

[b] Ciaconius ex Vaticano, et alii legunt : *Num tibi placet, quod soror mea*, etc. Alii : *Num tibi sedet*, etc.

[c] Ita etiam citat collat. 23 cap. 3 : *Porro paucis opus est, aut etiam uno. Quibus Græca magis respondent* : ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, unius est necessitas. At vulgatus interpres vertit : *Porro unum est necessarium.* Quod sit illud unum quod Christus necessarium esse dicit, varie exponitur. Quidam unum ac simplicem cibum interpretantur, quasi reprehendatur Martha, quod multis ferculis parandis occupata esset, cum non nisi uno, eoque parabili opus esset. Sic Basilius [redacted] constitut. monast. capite secundo. D. autem Au[redacted]tinus sermone vigesimo septimo de Verbis Domi- um necessarium interpretatur Deum ipsum, qui solus nobis est necessarius et sufficiens, cætera quæ multa sunt, non sunt necessaria. Unde illa B. Francisci vulgata sententia : *Deus meus, et omnia.* Alii, ut abbas Moyses hoc loco, unum necessarium intelligunt attentionem doctrinæ cœlestis, et studium rerum divinarum; theoriam vocat infra, id est, Dei cognitionem et contemplationem; non nudam et simplicem, sed cum pio amore et affectu conjunctam, quo anima dicitur Deo inhærere et Deo uniri, *quia qui adhæret Deo, unus spiritus efficitur cum eo* (II Corin. VI). Et Psalmista ait : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psalm.* LXXII). Maria hoc unum curabat, ut Christi verbum audiret, ejus doctrina pasceretur, in ejus amore acquiesceret; secundum illud Cantic. tertio : *Inveni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam.*

[d] Adverte, lector, partem Mariæ, modo bonam, modo meliorem, modo optimam a Patribus dici, nec incongrue, cum satis notum sit in gradibus comparationis, inferiorem in superiore contineri. Nam Græci legunt τὴν ἀγαθὴν μερίδα bonam partem, quemadmodum Auctor hic expressit; qui tamen paulo superius dixerat, meliorem, ut et D. Ambrosius : *Nec Martha*, inquiens, *in bono ministerio reprehenditur; sed Maria, quod meliorem partem sibi elegerit, antefertur.* Et Augustinus sermon. 27 de verbis Domini : *Maria*, inquit, *meliorem partem elegit. Non tu malam, sed illa meliorem.* At vulgata versio est : *Maria optimam partem elegit.* Quam et Cassianus secutus est collat. 23 cap. 3. Et merito quidem hæc lectio præferenda. Cum enim constet fieri hic comparationem inter Mariam et Martham, et inter utriusque studium et occupationem, ut totus contextus docet; non potuit illa comparatio, quæ in verbis latebat, melius quam per superlativum exprimi, ut Latinus interpres expressit. Habet enim hanc emphasim, ac si diceret : Maria non tantum bonam partem elegit, nec tantummodo meliorem, quam Martha, sed absolute optimam, et præ omnibus eligendam, et omnibus præferendam.

[e] Theoria contemplatio est, sive ut Lactantius exponit, spectatio. Sic enim scribit lib. VII Institut. cap. 9 : *Cum status sit hominis rectus, originem suam quærit, et quasi contempta humilitate terrena ad altum nititur, quia sentit summum bonum in summo esse quærendum, memorque conditionis suæ quæ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat : quam spectationem Trismegistus* θεωρίαν *rectissime nominavit, quæ in mutis animalibus nulla est.* Ita ille.

auferetur ab ea. Et hoc diligentius intuendum est : Nam cum dixit, Maria bonam partem elegit, licet taceat de Martha, et nequaquam eam vituperare videatur; illam tamen laudans, [a] hanc inferiorem esse pronuntiat. Rursum cum dicit, quæ non auferetur ab ea, ostendit quod ab hac sua portio possit auferri : nec enim ministerium corporale cum homine poterit jugiter permanere illius vero studium nullo fine prorsus edocet posse finiri.

CAPUT IX.

Interrogatio, quomodo virtutum functiones cum hominibus non perseverent.

[b] Germanus : Ad quod non valde permoti, quid ergo, diximus, labor jejuniorum, lectionis instantia, opera misericordiæ, justitiæ, pietatis, et humanitatis auferentur a nobis, et non permanebunt cum auctoribus suis? Præsertim cum ipse Dominus retributionem regni cœlorum his operibus repromittat, dicens : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum a constitutione mundi : Esurivi enim et dedistis mihi manducare : Sitivi, et dedistis mihi bibere,* etc. (*Matth.* XXV). Quomodo ergo auferentur hæc quæ introducunt factores suos in regnum cœlorum?

CAPUT X.

Responsio, quod non sit carum merces, sed actio cessatura.

Moyses : Nec ego dixi mercedem boni operis auferendam, dicente eodem Domino, *Qui potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X). [c] Sed actionem dico, quam vel necessitas corporalis, vel impugnatio carnis, seu mundi hujus inæqualitas administrari exigit, auferendam. Nam lectionis instantia vel jejuniorum afflictio, ad emundationem cordis et castigationem carnis, in præsenti tantummodo utiliter exercentur, donec *caro concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* V); quæ nonnumquam ab his qui labore nimio, seu ægritudine corporis, seniove defessi sunt, etiam in præsenti videmus auferri, nec ab homine posse jugiter exerceri. Quanto magis ergo hæc in futuro cessabunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, corpusque istud quod nunc animale est, surrexerit spiritale, et cœperit caro non èsse jam talis ut adversus spiritum concupiscat! De quibus etiam beatus Apostolus manifeste pronuntiat. [d] *Corporalis,* inquiens, *exercitatio*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Gregorius VI Moral. cap. 28 : *Marthæ,* inquit, *cura non reprehenditur; Mariæ vero laudatur : quia magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ potiora; nec auferri umquam Mariæ pars dicitur, quia activæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplativæ autem gaudia melius ex fine convalescunt.* Porro de hac comparatione vitæ activæ et contemplativæ, vide conclusiones D. Thomæ 2-2, q. 182.

[b] Observatione dignum videtur; quod Cassianus in his collationibus non nisi uno aut altero loco legitur per se locutus (*Collat.* 17, *cap.* 3); alias semper per suum socium Germanum, qui suo et Cassiani nomine cum Patribus illis colloquebatur, eosque interrogabat, et responsa accipiebat. Qua in re religiosæ modestiæ specimen et silentii exemplum præbuit Cassianus, ut qui seniori ac presbytero, junior ipse et diaconus dumtaxat, quamvis fortasse doctior ac peritior, loquendi officium et honorem detulerit, et illo loquente silentium interea tenuerit (*Vide Collat.* 7, 8, 9, 10, 11 *et* 12); memor haud dubie illius apostolicæ sententiæ : *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam : sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jacob.* I). Memor et salutaris doctrinæ quam a viro sanctissimo, eodemque sancti Joannis Chrysostomi discipulo et suo condiscipulo (*Baron. in Martyrol.* 4 *Februar.*), acceperat. Exstat enim Isidori Pelusiotæ (*Lib.* 1, *epist.* 309) viri sanctitate et doctrina conspicui ad Cassianum epistola, cum aggressus esset vitam monasticam profiteri; qua eum serio admonuit linguam esse coercendam, monacho præsertim adhuc juveni et novitio (*Vide præfat. nostram ad Lection.*). Nam loqui et docere magistrum condecet : tacere et audire discipulo convenit, ait D. Benedictus cap. I suæ Regulæ.

[c] Triplex genus actionum seu operum vitæ activæ quæ in futura vita cessabunt. In primo genere sunt quæ spectant ad corporis necessitatem, ut edere, bibere, dormire, etc. In secundo quæ spectant vel ad carnis macerationem, ut jejunia, vigiliæ, etc., vel ad concupiscentiæ remedium, ut matrimonium. In tertio, quæ ad proximi subventionem, ut opera misericordiæ. Hæc omnia proculdubio in futuro sæculo et beatorum vita cessabunt, quia nulla ibi necessitas corporalis, nulla carnis infirmitas aut impugnatio, nulla proximorum indigentia. Porro hujus loci accuratior et vere theologica explicatio a D. Thoma petenda est, 2-2, q. 181, a. 4, ubi quærit *utrum vita activa maneat post hanc vitam,* et respondet vitam activam habere finem in exterioribus actibus, « qui, si referantur ad quietem contemplationis, jam pertinent ad vitam contemplativam. In futura autem vita beatorum cessabit occupatio exteriorum actuum : et si qui actus exteriores sint, referentur ad finem contemplationis. Ut enim Augustinus dicit in fine de Civit. Dei (*Lib.* XXII *cap. ult.*) : *Ibi vacabimus, et videbimus, et amabimus : amabimus et laudabimus.* Et in eodem libro præmittit quod *ibi Deus sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus, erit in omnibus.* » Hæc ibi S. Thomas. Alibi vero (1-2, *q.* 67, *a.* 1) docet virtutes morales in futura vita non manere quantum ad id quod est materiale in eis. « Non enim, inquit, in futura vita locum habebunt concupiscentiæ et delectationes ciborum et venereorum, neque etiam timores et audaciæ circa pericula mortis, neque, etiam distributiones et communicationes [*Lips. in marg.* aut commutationes] rerum quæ veniunt in usum præsentis vitæ. Sed quantum ad id quod est formale, remanebunt in beatis perfectissime post hanc vitam, in quantum ratio uniuscujusque rectissima erit circa ea quæ ad ipsum pertinent secundum statum illum; et vis appetitiva omnino movebitur secundum ordinem rationis in his quæ ad statum illum pertinent. Unde Augustinus dicit (*Lib.* XIV *de Trinit., c.* 9) quod *Prudentia ibi erit sine ullo periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum : ut prudentiæ sit nullum bonum Deo præponere vel æquare; fortitudinis, ei firmissime inhærere; temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. De justitia vero manifestius erit, quem actum ibi habebit, scilicet esse subditum Deo; quia etiam in hac vita ad justitiam pertinet esse subditum superiori.* » Hactenus D. Thomas.

[d] Corporalem exercitationem interpretatur hic Auctor jejunium aliasque austeritates et exercitia quibus corpus castigatur et maceratur. Verum hic commentarius non placet Chrysostomo, cujus hæc sunt verba : Quidam hæc Apostolum de jejunio dixisse

ad modicum utilis est; pietas autem, quæ sine dubio charitas intelligitur, *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ* (I *Timot.* IV). Quæ ergo dicitur ad modicum esse utilis, manifeste pronuntiatur nec per omne tempus exerceri, nec summam perfectionem per se solam laboranti posse conferre. Modicum quippe ad utrumque referri potest, id est, vel ad brevitatem temporis, quod scilicet homini tam in præsenti quam in futuro exercitatio corporalis coæterna esse non possit, vel certe ad parvitatem utilitatis quæ de carnali exercitatione conquiritur, eo quod afflictio corporalis initia quædam profectus, non ipsam perfectionem charitatis pariat, quæ promissionem habet vitæ præsentis et futuræ. Et idcirco exercitia operum prædictorum necessaria esse censemus, quia sine ipsis ad charitas fastigia non possit ascendi. Hæc etiam quæ dicitis [a] opera pietatis ac misericordiæ necessaria sunt in hoc tempore, dum adhuc inæqualis diversitas dominatur, quorum ne hic quidem exspectaretur operatio, nisi inopum, indigentium infirmorumque pars maxima redundaret : [b] quæ iniquitate hominum facta est, eorum scilicet qui ea quæ omnibus a communi creatore concessa sunt, in suos tantum occupant usus, nec tamen utenda tenuerunt. Donec ergo in hoc mundo inæqualitas ista grassatur, erit hæc actio necessaria et utilis exercenti : restituens quidem bono affectui et piæ voluntati retributionem hæreditatis æternæ, ipsa vero in futuro sæculo parilitate regnante cessabit : cum jam non fuerit inæqualitas propter quam debeant hæc exerceri, sed cuncti ab hac multiplici, id est, actuali operatione ad charitatem Dei et divinarum rerum contemplationem perpetua cordis puritate transibunt; cui se hi quibus cura est vel scientiæ vel mentis emundationi insistere, jam in hoc sæculo constituti, elegerunt omni conatu ac viribus mancipare; illi scilicet semetipsos officio adhuc in carne corruptionis positi deputantes, in quo erunt corruptione deposita, permansuri, pervenientes ad illam promissionem Domini Salvatoris, qua dicitur : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V).

CAPUT XI.

De charitas perpetuitate.

Et quid miramini, si illa officia superius comprehensa transibunt, cum sanctus Apostolus etiam sublimiora Spiritus sancti charismata transitura describat, solam vero charitatem designet sine fine mansuram? *Sive*, inquiens, [c] *prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (I *Cor.* XIII). De hac autem : *Charitas numquam* [d] *excidet* (ibid.). Omnia namque dona pro usu ac necessitate tribuuntur [*Lips. in marg.* distribuuntur] ad tempus consummata dispensatione mox proculdubio transitura. Charitas vero nullo intercipietur tempore : non solum enim in præsenti mundo utiliter operatur in nobis, sed etiam in futuro sarcina corporeæ necessitatis abjecta, efficacior multo atque excellen-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ferunt, sed profecto errant : neque enim est corporalis exercitatio jejunium, sed spiritualis. Nam si corporalis esset, corpus utique nutriret; nunc vero illud macerat et extenuat. Hæc Chrysostomus. Intelligit vero ipse de exercitatione athletarum, quæ fit cursu, lucta, pugnis, vel alio modo, ad quam frequenter solet Apostolus alludere, et ab ea comparationes sumere, ut patet I Cor. IX, Philip. III, II Tim. II. Hæc enim *ad modicum*, id est, parum utilis est, quia tantum utilis ad corporis sanitatem et robur.

[a] Ad eumdem modum D. Augustinus serm. 27, de Verbis Domini : *Attendamus*, inquit, *occupationes nostras circa multa. Necessarium est ministerium corpora refecturis : quare hoc? quia esuritur. Misericordia miseris necessaria est. Frangis panem esurienti, quia invenisti esurientem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinationem, cui exhibes hospitalitatem? Tolle nuditatem, cui præparas vestem? Non sit ægritudo, quem visitas? Non sit captivitas, quem redimis? Non sit rixa, quem concordas? Non sit mors, quem sepelis? In illo futuro sæculo non erunt ista mala, ergo nec ista ministeria.* In eamdem sententiam scribunt D. Hieronymus in cap. III Lament. Hieremiæ, et Gregorius VI Moral. cap. 28.

[b] Non ita accipiendum quasi dominiorum et rerum divisio, et hominum inter se inæqualitas illicita sit et iniqua, sed quia frequenter ex vi et injuria potentum ac divitum sequitur miseria et egestas inopum et pauperum, quamquam etiam absque peccato, ut notum est, ex infortunio vel casu fortuito sæpe contingat, vel quia ex peccato ortum, seu occasionem habuit hæc rerum divisio (*S. Thom.* 2-2, *q.* 66, *a.* 1 *et* 2). Unde in cap. *Dilectissimis*, apud Gratianum XII, q. 1, dicit Clemens primus : *Communis usus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, et alius istud : et sic inter mortales facta est divisio,* quia nimirum per iniquitatem sive cupiditatem hominum data est occasio cur recta ratio judicarit faciendam esse divisionem, cum ante peccatum omnia essent communia.

[c] Prophetiæ evacuabuntur in patria, quia prophetica cognitio obscura est et ænigmatica. Unde et comparatur *lucernæ lucenti in caliginoso loco. Linguæ cessabunt*, non linguæ corporeæ beatorum, quæ non *cessabunt assidue laudare nomen sanctum Domini*; sed donum linguarum, quo scilicet aliqui in primitiva Ecclesia variis linguis loquebantur. Actor. II. In futura enim vita quilibet et quamlibet linguam intelliget : unde non erit necessarium variis linguis loqui. *Scientia destruetur*, non quo ad habitum aut res cognitas, sed quo ad actum et modum cognoscendi hujus vitæ, qui est per species a phantasmatibus abstractas : qui modus non congruit vitæ futuræ. Atque ita exponitur illa divi Hieronymi vulgata sententia in epistola ad Paulinum, quæ Bibliis præfigitur : *Discamus in terris quorum scientia nobiscum perseveret in cœlis.* Scientia enim rerum cognitarum remanebit in beatis, sed erit alterius generis et modi a scientia hujus vitæ (*S. Thom.* 1-2, *q.* 89, *a.* 5 *ad* 1; *Magis. sentent. lib.* III, *dist.* 31).

[d] Ἐκπίπτει, *excidit*, ut habent plerique codices. Dicitur autem charitas numquam excidere, non quod semel amitti nequeat, ut hæretici interpretantur, sed quia permanet in beatis : cum fides, et spes multaque alia Spiritus sancti charismata ab Apostolo recensita evacuentur. Unde sensus Apostoli est, ait S. Thomas : *Charitas numquam excidit*, quia sicuti est in statu vitæ, ita permanebit in statu patriæ, et cum augmento, secundum illud Esaiæ XXXI : *Dixit Dominus, cujus ignis est in Sion*, id est, in Ecclesia militante, *et caminus ejus in Hierusalem*, id est, in pace cœlestis patriæ.

tior permanebit, nullo umquam corrumpenda defectu, sed per incorruptionem perpetuam flagrantius Deo, atque intentius adhæsura:

CAPUT XII.

Interrogatio de perseverantia spiritalis theoriæ.

Germanus : Quis ergo potest, fragili carne circumdatus, ita esse huic theoriæ semper affixus, ut numquam cogitet de fratris adventu, de visitatione infirmi, de opere manuum, vel certe de humanitate, vel peregrinis, vel advenientibus exhibenda? Postremo quis non interpelletur corporis ipsius provisione vel cura? aut quemadmodum mens, vel in quo illi invisibili et incomprehensibili Deo valeat inseparabiliter cohærere, cupimus edoceri.

CAPUT XIII.

Responsio de directione cordis in Deum, et de regno Dei et diaboli.

Moyses : Inhærere quidem Deo jugiter et contemplationi ejus, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini ista carnis fragilitate circumdato. Verum oportet nos scire ubi mentis nostræ intentionem debeamus habere defixam, et ad quam destinationem semper animæ nostræ revocemus intuitum; quam cum potuerit obtinere mens, gaudeat, et a qua distractam se doleat atque suspiret; totiesque se a summo bono sentiat recidisse, quoties se ab illo intuitu deprehenderit separatam : fornicationem judicans vel momentaneum a Christi contemplatione discessum. A quo cum deviaverit paululum noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes, velut rectissima linea mentis aciem revocemus. Totum namque in animæ consistit recessu. Unde expulso diabolo, ac nequaquam in ea jam regnantibus vitiis, consequenter regnum Dei fundatur in nobis, dicente Evangelista : *Regnum Dei non veniet cum observatione, neque dicent : Ecce hic aut ecce illic est. Amen enim dico vobis quia* [a] *regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII). Intra nos vero nihil aliud esse potest quam scientia aut ignoratio veritatis, et vel vitiorum amicitia, vel virtutum : per quæ aut diabolo aut Christo regnum paramus in corde. Cujus etiam regni qualitatem describit Apostolus dicens : *Non enim regnum Dei est esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Itaque si regnum Dei intra nos est, et ipsum regnum Dei justitia, et pax, et gaudium est; ergo qui in istis commoratur, sine dubio in regno Dei est; et e contrario illi qui in injustitia, et discordia, et tristitia mortem operante, versantur, in regno diaboli et in inferno ac morte sunt constituti. His enim indiciis vel Dei vel diaboli regnum discernitur. Et revera si sublimi mentis intuitu consideremus statum illum in quo degunt cœlestes supernæque virtutes, quæ vere in regno Dei sunt, quis status alius esse credendus est quam perpetua jugisque lætitia? Quid enim tam proprium veræ beatitudini, tamque conveniens, quam tranquillitas jugis et gaudium sempiternum? Et ut hoc ipsum quod dicimus, ita esse, non mea conjectura, sed ipsius Domini auctoritate certius instruaris, audi eum qualitatem et statum regni illius apertissime describentem : *Ecce*, inquit, *ego creo cælos novos, terram novam, et non erunt in memoria priora, neque ascendent super cor; sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum in his quæ ego creo* (*Isa.* LXV). Et rursum : *Gaudium et lætitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis, et erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato* (*Isa.* LI). Et iterum : *Gaudium et lætitiam obtinebunt, fugiet dolor et gemitus* (*Ibidem*). Et si adhuc clarius de illa conversatione et civitate sanctorum vultis agnoscere, attendite quæ ad ipsam Jerusalem voce Domini dirigantur : *Et ponam*, inquit, *visitationem tuam pacem, et præpositos tuos justitiam; non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis, et occupabit salus muros tuos, et portas tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam : non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur; sed erit Dominus in lucem sempiternam, et complebuntur dies luctus tui* (*Isa.* LX). Et idcirco beatus Apostolus non generaliter, neque simpliciter omne gaudium regnum Dei pronuntiat, sed signanter ac specialiter illud solum quod in Spiritu sancto est (*Rom.* XIV). Novit enim esse aliud quoque vituperabile gaudium, de quo dicitur, *Mundus iste gaudebit* (*Joan.* XVI). Et, *Væ vobis qui ridetis, quia plorabitis* (*Luc.* VI). [b] Regnum sane cœlorum tripliciter accipiendum est. Aut quo regnaturi sunt cœli, id est, sancti in aliis subditis, secundum illud : *Esto tu super quinque civitates, et tu super decem* (*Luc.* XIX). Illud quoque quod dicitur ad discipulos, *Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Aut ipsi cœli incipiant a Christo regnari, [c] cum scilicet omnibus ei subjectis cœperit esse omnia in omnibus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Varia et multiplex est hujus sententiæ interpretatio. Nam hic abbas regnum Dei intra nos esse dicit, dum ejus habemus cognitionem. Alii intra nos esse idem esse putant, quod in nostra potestate esse; quemadmodum Deuteron. XXX dicitur; *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te, nec procul positum est; sed juxta est sermo valde in ore tuo, ut facias*, etc. Alii regnum Dei intra nos exponunt Christum per fidem in cordibus nostris habitantem. Alii regnum Dei intra nos esse dicunt, quia Dei imaginem ad quam facti sumus, intra nos habemus. Alii denique intra nos esse regnum Dei per prælibationem, seu participationem, et gustum quemdam illius, quem animo percipimus : et quia, ut ait Apostolus, *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod filii Dei sumus* (*Rom.* VIII). Ita Gregorius Nazianz. apud S. Thomam (*In Catena Aurea*). Quæ interpretatio videtur etiam huic abbati placuisse, ut patet ex sequentibus.

[b] Nota triplicem regni cœlorum acceptionem, activam, passivam, et localem.

[c] De hac sententia diximus alio loco (*Lib.* V *Institut. c.* 4); de qua et D. Hieron. epist. ad Amand. (*Epist.* 47).

Deus (I *Cor.* XV). Vel certe quod in cœlis sint cum Domino regnaturi.

CAPUT XIV.

De animæ perpetuitate.

Quamobrem in hoc corpore constitutus jam noverit unusquisque illi se religioni vel ministerio deputandum, cujus in hac vita semetipsum participem cultoremque præbuerit; illiusque se etiam in illo perenni sæculo consortem futurum esse non ambigat, cui nunc ministrum se sociumque maluerit exhibere, secundum sententiam Domini ita dicentis: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, et ubi sum ego, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII). Nam quemadmodum [a] Zabuli regnum per convenientiam [*Lips. in marg.* conniventiam] suscipitur vitiorum, ita regnum Dei per exercitationem virtutum, puritate cordis ac spiritali scientia possidetur. Ubi autem regnum Dei est, ibi proculdubio et vita habetur æterna; et ubi Regnum Zabuli est, ibi mortem atque infernum esse non dubium est: in quo qui fuerit, nec laudare Dominum potest, secundum Prophetæ sententiam dicentis: *Non mortui laudabunt te, neque omnes qui descendunt in infernum* (sine dubio, peccati); *sed nos*, inquit, *qui vivimus* (non vitiis scilicet, nec mundo huic, sed Deo), *benedicimus Dominum ex hoc, nunc, et usque in sæculum* (*Psal.* CXIII). *Non* A enim *est in morte qui memor sit Dei; in inferno autem* (peccati) *quis confitebitur* Domino (*Psal.* VI)? Id est, nemo. Nullus enim, etiam si millies semetipsum vel Christianum esse profiteatur, vel monachum, cum peccat, confitetur Domino. Nullus admittens ea quæ Dominus exsecratur, reminiscitur Dei; nec servum se veraciter profitetur illius, cujus præcepta contumaci temeritate contemnit. In qua morte illam viduam, quæ est in deliciis, beatus Apostolus esse pronuntiat, *Vidua*, inquiens, *quæ in deliciis est, vivens mortua est* (I *Tim.* V). Sunt ergo multi qui viventes in hoc corpore mortui sunt, et in inferno jacentes Deum laudare non possunt; et e contrario sunt qui cum mortui sint corpore, Deum spiritu benedicunt atque collaudant, secundum illud: *Benedicite, spi-* B *ritus et animæ justorum, Dominum* (*Daniel.* III), et, *Omnis spiritus laudet Dominum* (*Psal.* CL). Et in Apocalypsi, animæ occisorum non solum laudare Deum, sed etiam interpellare dicuntur (*Apoc.* VI). In Evangelio quoque evidentius Dominus ad Sadducæos: *Non legistis*, inquit, *quod dictum est a Deo dicente vobis, Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? non est Deus mortuorum, sed viventium* (*Matth.* XXII). Omnes enim ei vivunt. De quibus et Apostolus, *Propter quod*, inquit, *non confunditur Deus vocari Deus eorum; paravit enim illis civitatem* (*Heb.* XI). Nam quia [b] nec otiosæ sint post separatio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Zabuli, id est, diaboli: de quo vide notata inferius (*Ad cap.* 21 *hujus coll.*). Quibus addo hoc D. Cypriani de patientia Job disserentis: *Quanta adversus eum jacula Zabuli emissa. Et armat Zabulus uxorem* (*Cyprian. de Bono patien.*).

[b] Alii omittunt vocabulum *animæ* et pro *otiosæ* legunt *otiosi*, nempe mortui, vel spiritus mortuorum. At hic textus patentior visus est. Porro notantur hic tres errores, seu hæreses, de animabus hominum a corpore separatis. Primus error, animas post separationem hujus corporis, id est, post obitum manere otiosas, insensibiles, immo etiam intelligentiæ et omnis affectus expertes. Secundus animas hominum non esse immortales; sed vel cum corporibus interire, vel in nihilum resolvi. Tertius, animas etiam justorum non statim post transitum hujus vitæ ad beatitudinem transferri, sed exspectare extremum judicium et resurrectionem corporum. De his tribus erroribus aliquid singillatim dicendum. Quod ad primum attinet, ambigue admodum in hoc capite loquitur Cassianus, tum quoad sensus quos animæ separatæ tribuit, tum quoad statum ejus vitæ. Nam quoad illud, videtur animæ rationali tribuere sensus, et affectus hujus vitæ, dum semel atque iterum inculcat animas defunctorum *suis sensibus non privari, immo ne istis quidem affectibus, id est, spe atque tristitia, gaudio ac metu carere*. Postea tamen velut se explicans concludit, *mentem exutam hac carnis pinguedine*, id est, corpore, *suas intellectuales virtutes in melius reparare, et puriores eas ac subtiliores recipere potius quam amittere*. Quibus verbis non obscure indicat animæ separatæ sensus et affectus non corporeos et animales, sed spirituales et intellectuales tantummodo remanere. Verum ad ampliorem hujus doctrinæ elucidationem, notanda imprimis verba D. Augustini lib. XII de Genesi ad litteram (*Cap.* 33): *Profiteri animam habere similitudinem corporis, et corporalium omnino memorum quisquis negat, potest negare animam esse quæ* C *in somnis videt vel ambulare se, vel sedere, vel huc, atque illuc gressu, vel etiam volatu ferri: hoc sine quadam similitudine corporis non fit*. Quibus verbis videtur Augustinus innuere animam humanam habere quamdam similitudinem sui corporis, ac proinde habere etiam sensus quosdam similes sensibus corporeis; sed valde ambiguum est quam similitudinem intelligat: idemque repetit lib. IV de Anima et ejus origine cap. 17, ubi etiam videtur sensus in animabus mortuorum ponere (*Tomo* VII). Citatur etiam sub nomine Augustini ex lib. de Spiritu et Anima, quod *anima recedens a corpore, secum trahit sensum, imaginationem, intellectum, concupiscibilitatem et irascibilitatem* (*Tomo* I *Oper. Aug. c.* 16). Item ex lib. de Eccles. Dogmatibus: *Solum hominem credimus habere animam substantivam* (id est, per se subsistentem), *quæ exuta corpore vivit, et sensus suos atque organa vivaciter tenet*. Eodem modo loquitur Cassiodorus libro de Anima, dicens (*Cap.* 8): *Anima separata a corpore adhuc videt, audit, imaginatur, recordatur*. Denique Petrus Lombardus (*In* 4, *dist.* 44) ad hunc locum Cassiani spectans: *In Cassiani*, inquit, *voluminibus legitur, quod non sint otiosæ, neque nihil sentiant, cum dives ille in inferno se flamma cruciari clamet; unde probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio, ac metu carere; et ex his quæ sibi in illo generali examine reservantur, eas quædam jam incipere prægustare*. Sic ipse Cassiani verba recitans. His auctoritatibus, ut opinor, motus D. Thomas quæstionem hanc pluribus in locis agitat: *Utrum omnes potentiæ animæ remaneant in anima a corpore separata?* eamque in Summa ita resolvit: *Dicendum quod omnes potentiæ animæ comparantur ad animam solam, sicut ad principium. Sed quædam potentiæ comparantur ad animam solam, sicut ad subjectum, ut intellectus et voluntas, et hujusmodi potentiæ necesse est quod maneant in anima corpore destructo. Quædam vero*

nem hujus corporis animæ, neque nihil sentiant, etiam Evangelii parabola, quæ de illo paupere Lazaro, et divite purpurto proferatur, ostendit (*Lucæ* XVI); quorum unus beatissimam sedem, id est, sinus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

potentiæ sunt in conjuncto (*id est, composito, scilicet homine*) *sicut in subjecto, sicut omnes potentiæ sensitivæ partis, et nutritivæ: Destructo autem subjecto non potest accidens remanere. Unde corrupto conjuncto* (id est, composito) *non manent hujusmodi potentiæ actu, sed virtute tantum manent in anima, sicut in principio, vel radice. Et sic falsum est quod quidam dicunt, hujusmodi potentias in anima remanere etiam corrupto corpore. Et multo falsius quod dicunt etiam actus harum potentiarum remanere in anima separata, quia talium potentiarum nulla est actio, nisi per organum corporeum.* Ita S. Thomas (1 *part.*, 4, 77, *art.* 8; *in* 4, *dist.* 44, *q.* 3, *a.* 3, *q.* 1; *et quodlib.* 7, 14, *a.* 8). Ad auctoritatem ex libro de Spiritu et anima, respondet *Librum illum non habere auctoritatem*, non enim est Augustini; de quo vide Bellarminum (*Lib. de Scriptor. Eccl. in Augustino*). *Potest tamen dici*, inquit, *quod anima secum trahit hujusmodi potentias non actu, sed virtute.* Quod intellige de sensibus corporeis, et imaginatione, et appetitu concupiscibili et irascibili; nam intellectum et voluntatem certum est manere actu in anima separata : memoria autem intellectualis reipsa idem est cum intellectu, et tantum ratione differt, de qua etiam epuloni sepulto in inferno dictum est : *Recordare, fili, quia recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI), etc. Similiter et liber de Ecclesiasticis Dogmatibus non est D. Augustini, sed Gennadii Massiliensis non magnæ auctoritatis inter ecclesiasticos scriptores : qui tamen etiam seipsum recte explicat, dum ait (*Cap.* 19) : *Duabus substantiis tantum constat homo, anima et corpore : anima cum ratione sua, et corpore cum sensibus suis. Quos tamen sensus absque animæ societate non movet corpus. Anima vero et sine corpore rationale suum tenet.* Unde infert S. Thomas (*Quodlib.* 7 *art.* 8) : *Ergo defuncta carne potentiæ sensitivæ non manent.* Ad Cassiodorum respondet, *quod sicut operationes voluntatis propter quamdam similitudinem nominibus passionum, quæ sunt in appetitu sensitivo; ita etiam intellectus operationes nominantur ab operationibus sensuum propter similitudinem; et sic loquitur Cassiodorus.* Atque eodem modo exponi potest Cassianus, dum ait animam separatam non carere istis affectibus, nempe gaudio et tristitia, spe et metu. Nam sicut beatorum animæ gaudenl de præmiis, ita certum est damnatorum animas tristari de pœnis et suppliciis, et eadem metuere, ut patet de epulone. At hujusmodi passiones non sunt appetitus sensitivi, sed intellectivi et rationalis. Spes autem eum nec beatis nec damnatis conveniat, solis animabus in purgatorio existentibus tribui potest, sicut et fides. Sperant enim et credunt vitam æternam et beatam, quam nondum obtinent.

Quoad secundum, contra immortalitatem animæ rationalis duo exstiterunt errores. Primus Sadducæorum, qui animæ immortalitatem negabant, et ideo etiam resurrectionem, Matth. XXII. (*S. Thom.* 1 *part.*, *quæst.* 75, *art.* 6.) Alter quorumdam Arabum, qui, ut ait Eusebius Cæsariensis (*Lib.* VI *Hist. cap.* 30, *asserebant hominum animos una cum corporibus, uno eodemque temporis articulo morte occumbere, et penitus exstingui; at demum tempore resurrectionis universæ carnis, cum eisdem vitam denuo recuperaturos.* (*Vide Augustin. lib. de Hæres. num.* 23.) Contra utrumque errorem, animæ humanæ immortalitatem certa fide tenendam manifeste docent Scripturæ, Symbolum Fidei, et Ecclesiæ definitio, præter rationes tam philosophicas quam theologicas. (*Vide Pererium lib.* IV *in Genes quæst.* 2.) Loca Scripturæ nonnulla hic profert Cassianus, quibus addi poterant hæc : *Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illas tormentum mortis.* Sap. III. *Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* In Symbolo tam Apostolico quam Nicæno et Constantinop. profitemur *Resurrectionem carnis*, sive *mortuorum, et vitam æternam*, quæ animam nostram supponit esse immortalem. Hinc divus Hieronymus ad locum illum Matth. XXII, quem hic citat etiam Auctor : *Ad æternitatem*, inquit, *animarum probandam, de Mose* (id est, de libris Mosis) *ponit exemplum : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III). *Statimque infert : Non est mortuorum Deus, sed viventium : ut cum probaverit animas permanere post mortem* (*neque enim poterat fieri ut eorum esset Deus qui nequaquam subsisterent*), *consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quæ cum animabus bona malave gesserunt.* His demum accessit expressa Ecclesiæ definitio in concilio Lateranensi ultimo, sess. 8, ubi etiam damnatur iste modus loquendi : *Anima est immortalis secundum fidem; sed mortalis secundum rationem, vel philosophiam.* Quo utebantur nonnulli philosophiæ nimium addicti. Circa tertium, animas sanctorum a corporibus separatas non videre Deum, nec frui beatitudine cœlesti, sed ad usque extremi judicii diem servari in quibusdam abditis receptaculis, ubi nec Deum videant, nec beatæ dici possint, nisi in spe, docuit in primis Tertullianus pluribus in locis. Deinde Vigilantius, quem suggillans D. Hieronymus (*Lib. contra Vigilant.*) : *Ais*, inquit, *vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel subter aram Dei animas apostolorum et martyrum consedisse, nec posse suis tumulis et ubi volucrint esse præsentes : senatoriæ videlicet dignitatis sunt, ut non inter homicidas teterrimo carcere, sed in libera honestaque custodia, in fortunatorum insulis, et in campis Elysiis recludantur.* Hos secuti sunt Græci, ut patet ex concilio Florent. sess. 1, ac demum nostri temporis sectarii, Lutherus, Calvinus, et alii, ut videre est apud Bellarminum (*Lib.* I *de Beatis, cap.* 1 et *seq.*), qui hanc controversiam fuse et accurate pertractavit, et multis Scripturarum testimoniis, nec non sanctorum Patrum auctoritatibus, partem affirmantem ut catholicam veritatem astruit; nihil ut amplius addi aut requiri posse videatur : quem proinde lectori adeundum et consulendum relinquens, duo tantum vel tria hujus doctrinæ stabilimenta proponam; quorum primum est Ecclesiæ testimonium; cum de S. Gregorio, et aliis sanctis confessoribus dicit : *Deus, qui animæ famuli tui Gregorii*, vel N., *æternæ beatitudinis præmia contulisti*, etc.; secundum duorum conciliorum œcumenicorum. Florentini et Tridentini, auctoritas et definitio. Siquidem hoc ipsum definitum est in concilio Florentino, sess. ult., ubi Græci tandem ad Ecclesiæ unitatem reducti, simul cum Latinis, ex decreto Eugenii papæ (*In decret. unionis*) profitentur *illorum animas qui post baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus* (*prout superius dictum est*) *sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum, et unum, sicuti est : meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius; illorum autem animas qui in actuali, mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* In concilio autem Tridentino (*Sess.* 25 *de invocat. sanctor.*) damnantur qui negant *sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos esse.* Vide cætera apud Bellarminum et Scotum in 4, dist. 45, q. 1 art. 3, ubi etiam pleraque Scripturæ loca a Cassiano hic citata exponit et explicat.

Abrahæ requiem promeretur, alius intolerabili ardore æterni ignis exuritur. Si autem et illud quod dicitur ad latronem : *Hodie eris mecum in paradiso* (*Lucæ* XXIII), voluerimus intendere, quid aliud manifeste designat, quam perdurare in animabus non solum pristinos intellectus; sed etiam vicissitudine eas congrua pro meritorum actuumque suorum perfrui qualitate? Hoc enim illi nequaquam Deus promisisset, si ejus animam nosset post separationem carnis, vel privandam sensu, vel in nihilum resolvendam; non enim caro ejus in paradisum, sed anima erat ingressura cum Christo. Cavenda sane, immo toto horrore est detestanda pravissima hæreticorum illa distinctio, qui dum non credunt Christum potuisse eodem die quo in inferna descendit, etiam in paradiso reperiri, ita distinguunt : [a] *Amen dico tibi hodie,* et interposita distinctione inferunt, *mecum eris in paradiso* : ut scilicet hæc promissio non statim post transitum vitæ hujus impleta, sed post resurrectionis ejus adventum intelligatur implenda. Non intelligentes illud, quod ante resurrectionis suæ diem protulit ad Judæos, qui eum, ut semetipsos, credebant angustiis humanis et carnali infirmitate concludi : *Nemo,* inquit, *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III). Quibus manifeste probatur animas defunctorum [b] non solum suis sensibus non privari, sed ne istis quidem affectibus, id est, spe atque tristitia, gaudio ac metu carere, et ex eis quæ sibi in illo generali examine reservantur, quiddam eas jam incipere prægustare; nec secundum opinionem quorumdam infidelium, in nihilum eas resolvi post hujus commorationis excessum, sed vivacius subsistere, Deique laudibus intentius inhærere. Et revera ut sequestratis paulisper testimoniis Scripturarum de ipsius animæ natura secundum mediocritatem sensus nostri paucis aliqua disputemus, nonne ultra omnis ineptiæ non dicam fatuitatem, sed insaniam est vel leviter suspicari illam pretiosiorem hominis portionem, [c] in qua imago Dei, secundum beatum Apostolum (I *Cor.* XI, *Coloss.* III), ac similitudo consistit, deposita hac qua reconditur in præsenti sarcina corporali, insensibilem fieri, quæ omnem rationis vim in se continens etiam mutam atque insensibilem materiam carnis participatione sui facit esse sensibilem? cum utique consequens sit, et hoc rationis ipsius ordo contineat, ut exuta mens ista carnali, qua nunc hebetatur pinguedine, intellectuale virtutes suas in melius reparet, et puriores eas ac subtiliores recipiat potius quam amittat. In tantum autem hoc quod dicimus, beatus Apostolus verum esse cognoscit, ut etiam optet ab hac carne discedere, ut separatione ejus enixius valeat Domino copulari, dicens : [d] *Desiderium habeo dissolvi, et cum Christo esse, multo* enim *melius* (*Philip.* I), *quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino* : et idcirco *audemus et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. Propter quod etiam contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi* (II *Cor.* V); commorationem scilicet animæ, quæ in hac carne est, peregrinationem a Domino, atque absentiam a Christo esse pronuntians; ejusque ab hac carne separationem atque discessum, præsentiam esse ad Christum tota credulitate confidens. Et evidentius iterum super hoc ipso vivacissimo animarum statu idem apostolus, *Sed accessistis,* inquit, *ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, et ad multorum millium angelorum frequentiam,* [e] *et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis,* [f] *et spiritus justorum per-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hanc erroneam interpretationem et pravam distinctionem refert etiam Theophylactus in Commentario : quam merito hic abbas detestandam dicit, tum quod doctrinæ catholicæ repugnet, tum quod enervem plane et insipidam reddat Christi sententiam, si sic dixisset : Amen dico tibi hodie. Quorsum enim illud *hodie* et quam emphasim habuisset? Nonne videbat latro Dominum loqui illa die? (*Vide Bellarm. lib.* I *de Sanct. Beat. c.* 3.)

[b] Sensus intellige non corporeos, sed spirituales, quos infra vocat intellectuales virtutes. Cum enim anima a corpore per mortem separatur, omnes ejus potentiæ sensitivæ cum corpore intereunt, sola inteligentia et facultate rationali ipsi remanente, ut dictum est.

[c] Respicit illud Apostoli I Corinth. XI : *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago et gloria Dei est.* Verum expressior est sententia Genesis II, ubi dicitur *Deus creasse hominem ad imaginem et similitudinem suam.* De hac porro imagine et similitudine Dei in anima hominis, vide Magist. in 2 Sentent. dist. 16; S. Thomam I parte, q. 93; et Pererium lib. IV Comment. in Genesim.

[d] Immortalitatis seu æternitatis desiderium animæ rationali insitum, quod his verbis Apostoli insinuatur, magnum est immortalitatis ejus argumentum; ex quo etiam ethnici philosophi animam hominis immortalem agnoverunt et comprobarunt. Plato in Phædone. Aristoteles lib. II de Anima.

[e] Id est, ad societatem, seu consortium sanctorum, seu electorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, qui et primitivi sive primogeniti dicuntur, Græce πρωτότοκοι. Nam, ut exponit Theophylactus, *omnes quidem homines creatione filii Dei sunt; sed adoptione primogeniti sunt filii electi, quorum nomina scripta sunt in cœlis.* Alii primogenitos dici volunt, qui prioribus sæculis Deo per fidem placuerunt, ut sancti patriarchæ et prophetæ. Alii denique sanctos apostolos qui primitus et abundantius dona gratiæ perceperunt; per quos derivata sunt in posteros, secundum illud Rom. VIII : *Nos ipsi primitias spiritus habentes.* Ita S. Thomas.

[f] Intermisit Auctor hæc verba, quæ his sequentibus ab Apostolo præmittuntur : *Et judicem omnium Deum.* Deinde subditur : *Et spiritus justorum,* etc, Ubi triplex invenitur lectio. Quidam legunt : *Et spiritum justorum perfectorum,* id est, accessistis ad Spiritum sanctum qui facit perfectos in justitia. Omnis enim justitia et perfectio est a Spiritu sancto. Ita S. Thomas, qui hanc lectionem magis probare videtur (*S. Thom. in Comment.*). Alia lectio : *Et spirituum justorum perfectorum,* quomodo in antiquis editionibus etiam Latinis legebatur. Unde putat Gagneius nostrum interpretem legisse in Græco πνευμάτων, id est, spirituum, et referri ad *Judicem*; ut sit sensus quod Christus judex est omnium, etiam justorum et perfectorum spirituum, id est, animarum. At vulgata et correcta versio Latina nunc ha-

fectorum (*Hebr.* XII). De quibus spiritibus in alio loco : *Deinde patres,* inquit, *carnis nostræ habuimus eruditiores, et reverebamur eos; non multo magis subjiciemur patri spirituum, et vivemus* (*Ibidem*)?

CAPUT XV.

De contemplatione Dei.

Contemplatio [a] vero Dei multifarie concipitur. Nam Deus non sola incomprehensibilis illius substantiæ suæ admiratione cognoscitur, quod tamen adhuc in spe promissionis absconditum est;, sed etiam creaturarum suarum magnitudine, vel æquitatis suæ consideratione, vel quotidianæ dispensationis auxilio, pervidetur; quando, scilicet, quæ cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima perlustramus, cum potentiam ipsius qua universa gubernat, moderatur ac regit, cum immensitatem scientiæ ejus, et oculum quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde miramur; cum arenam maris, undarumque numerum dimensum ei cognitumque pavidi cogitamus; cum pluviarum guttas, cum sæculorum horas ac dies, cum præterita, futurave universa obstupescentes scientiæ ejus assistere contemplamur : cum ineffabilem clementiam ejus consideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub ipsius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat; cum intuemur vocationem qua nos nullis præcedentibus meritis gratia suæ miserationis ascivit : cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis [*Lips. in marg.* adoptata] cum quodam admirationis intuemur excessu; quod ita nos nasci præcepit, ut ab ipsis cunabulis gratia nobis legisque suæ notitia traderetur, quod ipse adversarium vincens in nobis pro solo bonæ voluntatis assensu, æterna beatitudine ac perpetuis nos præmiis munerat; cum postremo dispensationem suæ Incarnationis pro nostra salute suscepit, ac mirabilia mysteriorum suorum in cunctis gentibus dilatavit. Sunt autem aliæ quoque hujusmodi contemplationes innumeræ, quæ pro qualitate vitæ ac puritate cordis in nostris sensibus oriuntur, quibus Deus vel videtur mundis obtutibus, vel tenetur. Quas profecto nullus perpetuo retentabit, in quo adhuc aliquid carnalium vivit affectuum; quia *non poteris,* ait Dominus, *videre faciem meam;* [b] *non enim videbit me homo, et vivet* (*Exod.* XXXIII), scilicet mundo huic affectibusque terrenis.

CAPUT XVI.

Interrogatio de cogitationum mobilitate.

Germanus : Quid ergo est quod etiam nolentibus, immo vero etiam nescientibus nobis ita superfluæ cogitationes subtiliter ac latenter inhærent, ut non solum eas expellere, verum etiam intelligere ac deprehendere difficultatis immodicæ sit? Potest ergo mens aliquando ab istis vacua reperiri, et numquam hujuscemodi illusionibus incursari?

CAPUT XVII.

Responsio quid possit mens super cogitationum statu, quidve non possit.

Moyses : [c] Mentem quidem non interpellari, cogitationibus impossibile est; suscipere vero eas, sive respuere omni studenti possibile est [*Lips. in marg.* studenti per gratiam Dei possibile est]. (*Vide tertiam Cuychii annotationem post finem hujus operis.*) Quemadmodum igitur ortus earum non omnino pendet a nobis,; [d] ita probatio vel electio consistit in

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

bet : *Et spiritus justorum perfectorum,* etc., ut hic etiam habetur; ut sensus sit quod Christiani accesserunt (per fidem scilicet et charitatem) ad spiritus, id est, animas justorum et perfectorum, id est, cum sanctis animabus felicitatis æternæ consortes facti sunt; vel, ut habet S. Thomas, ut habeamus societatem cum spiritibus sanctorum, qui sunt justi et perfecti. Pertinet autem hæc sententia, sicuti hic ab auctore producitur, non solum ad probandam immortalitatem animarum, de qua præcipue hic agitur; verum etiam ad confirmationem illius doctrinæ catholicæ, qua credimus animas justorum plene purgatas mox in cœlum recipi, et Dei beatifica visione perfrui, contra errorem contrarium superius memoratum.

[a] Varii de Deo conceptus et meditandi modi. De quibus vide D. Gregorium hom. 17 et 18 in Ezechielem.

[b] Moralis expositio illius sententiæ, quam etiam habet D. Gregorius XVIII Moral. c. 38, ubi tractans illa verba Job (*Cap.* XXVIII) : *Abscondita est ab oculis omnium viventium. Quisquis,* inquit, *Sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest Deum amplecti simul et sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab hujus vitæ delectationibus separatur. Unde adhuc ad eumdem Moysen dicitur : Non enim videbit me homo, et vivet; ac si aperte diceretur : Nullus umquam Deum spiritualiter videt, et mundo carnaliter vivit. Unde Paulus quoque Apostolus, qui adhuc Dei invisibilia, sicut ipse testatur, ex parte cognoverat, jam huic mundo totum se mortuum perhibebat, dicens : Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI). Ita Gregorius moraliter illa verba Exodi cum nostro Collatore exponens. Porro germanus ac litteralis sensus ejus sententiæ est nemnem in hac vita videre aut vidisse Deum, id est clare et intuitive conspexisse divinam essentiam, sicuti beati in cœlo conspiciunt (*Vide S. Thom.* 2-2, *q.* 180, *a.* 5). Nam, ut ibidem ait B. Gregorius : *Quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines Deus potest, sed per ipsam naturæ suæ speciem non potest.* At hæc non ad hunc locum.

[c] De multiplici varietate cogitationum, quibus mens nostra interpellatur, præclare disserit D. Bernardus in lib. de Conscientia cap. 5, ubi hæc inter alia : *Cogitationum multiplex varietas esse cognoscitur. Aliæ namque cor inflant, aliæ elevant, aliæ perturbant, aliæ dissipant, aliæ confundunt, aliæ distendunt, aliæ ligant, aliæ inquinant, aliæ contrahunt, aliæ corrumpunt. Inflant ut superbæ, elevant ut vanæ, perturbant ut invidæ, dissipant ut iracundæ, confundunt ut acediosæ, distendunt ut ambitiosæ, ligant ut gulosæ, inquinant ut luxuriosæ, contrahunt ut timidæ, corrumpunt ut malitiosæ. His igitur exclusis mens purgatur, si sanctis cogitationibus jugiter exerceatur, sicut scriptum est : Cogitatio sancta custodiet te.*

[d] Melius alii : *Ita reprobatio, vel electio,* etc. Cum paulo ante dixerit : *suscipere, vel respuere,* quod est eligere aut reprobare.

nobis. Nec tamen ex eo quod diximus impossibile esse mentem cogitationibus non adiri, totum vel incursui, vel illis spiritibus tribuendum est qui eas nobis nituntur ingerere; alioquin nec liberum in homine maneret arbitrium, nec in nobis staret nostræ correptionis industria [*Lips. in marg.* correctionis]. Sed est, inquam, nostrum magna ex parte, ut cogitationum qualitas emendetur, et vel sanctæ ac spiritales in cordibus nostris, vel terrenæ carnalesque concrescant. Ideo nonnumquam frequens lectio et jugis adhibetur meditatio Scripturarum, ut exinde nobis spiritalis memoriæ præbeatur occasio. Idcirco decantatio crebra Psalmorum, ut assidua nobis exinde subministretur compunctio. Idcirco vigiliarum ac jejuniorum orationumque sedulitas adhibetur, ut extenuata mens non terrena sapiat, sed cœlestia contempletur. Quibus rursum negligentia irrepente cessantibus, [a] necesse est ut mens vitiorum squalore concreta in carnalem partem mox inclinetur et corruat.

A tentationum torrentibus, circumacta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit; quales vero vel admittere, vel parare sibi debeat, studii ac diligentiæ suæ providebit industria. Si enim, ut diximus, ad sanctarum Scripturarum meditationem jugiter recurramus, ac memoriam nostram ad recordationem spiritalium rerum et desiderium perfectionis, spemque futuræ beatitudinis erigamus, necesse est ut ortæ cogitationes exinde spiritales, in his quæ meditati sumus mentem faciant immorari. Sin vero desidia seu negligentia superati, vitiis et otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis et superfluis sollicitudinibus implicemur, consequenter exinde, velut [d] quædam zizaniorum species generata, operationem quoque nostro cordi noxiam B ministrabit; et secundum sententiam Domini Salvatoris, ubi fuerit thesaurus operum nostrorum seu intentionis nostræ, ibi et cor nostrum necessario permanebit (*Matth.* VI).

CAPUT XVIII.

Comparatio aquariæ molæ et animæ.

[b] Quod exercitium cordis non incongrue molarum similitudini comparatur quas meatus aquarum præceps impetu rotante provolvit. Quæ nullatenus quidem cessare possunt ab opere suo aquarum impulsibus circumactæ; in ejus vero qui præest situm est potestate, utrumnam triticum molat, an hordeum loliumve comminuat. Illud namque est proculdubio commolendum, quod ingestum ab illo fuerit cui operis illius cura commissa est. Ita igitur etiam mens per vitæ præsentis incursus, undique ingruentibus

CAPUT XIX.

De tribus cogitationum nostrarum principiis.

Illud sane præ omnibus nosse debemus, [e] tria cogitationum nostrarum esse principia, id est, ex Deo, ex diabolo et ex nobis. Ex Deo quidem sunt, cum Spiritus sancti illustratione nos visitare dignatur, erigens nos ad sublimiorem profectum, et in quibus vel minus acquisivimus, vel desidiose agentes superati sumus, saluberrima compunctione castigat; vel cum reserat nobis cœlestia sacramenta, et proposi- C tum nostrum ad meliores actus voluntatemque convertit, ut ibi, cum [f] rex Assuerus castigatus a Do-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Divus Gregorius I Reg. cap. 14 : *Vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet. Quia enim semper cogitamus, exquirenda nobis sunt bona, ne mala cogitemus.*

[b] Eamdem similitudinem et comparationem cordis humani, sive animæ rationalis, et molæ aquariæ egregie explicat D. Bernardus in suis Meditationibus devotissimis cap. 9. *Sicut,* inquit, *molendinum velociter volvitur, et nihil respuit; sed quidquid imponitur, molit; si autem nihil apponitur, seipsum consumit : sic cor meum semper est in motu, et numquam requiescit; sed sive dormiam, sive vigilem, somniat et cogitat quidquid ei occurrit. Et sicut molendinum, arena si imponatur, exterminat, pix inquinat, palea occupat; sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat et fatigat. Ita cor meum, dum futurum non curat gaudium, nec divinum quærit auxilium, ab amore cælestium elongatur, et in amore terrestrium occupatur. Cumque elabitur ab illis, et involvitur in istis, vanitas illud recipit, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, luxuria polluit, torquet invidia, turbat iracundia, cruciat tristitia; sicque miseris casibus submergitur omnibus vitiis, quoniam unum Deum, qui ei sufficere poterat, dimisit.* Hæc Bernardus, et quæ sequuntur.

[c] Cooperante Dei gratia; qua de re alias latius.

[d] Zizania, vel zizanium, quæ Græcis æra, vel ἄϊρα Suidæ dicitur, vitium tritici hordeique nimia terræ humiditate corrupti, jugibusque pluviis diluti; quod Latino vocabulo lolium appellatur. Isidorus Etymol. lib. XVII cap. 10 (*Hom.* 50) : *Zizania,* inquit, *quod poetæ semper infelix lolium dicunt, quod sit inutile et* ~~*cundum*~~. At D Basilius in Hexaemero hæc nonnihil distinguere videtur, cum ait : *Nam id quod lolium appellatur, cæteraque adulterina semina, quæ sese cum esculentis miscere solent, quæque Scriptura sacra* (*Matth.* XIII) *nuncupare zizania consuevit : non tritico mutato, sed ex origine sua principioque nascuntur, propriumque suum obtinent genus.* Porro zizania in sacris Litteris metaphorice dicuntur vel doctrinæ, vel morum, vel cogitationum (ut hic) prava semina. Unde divus Hieronymus epist. 22 ad Eustochium : *Nolo sinas cogitationem crescere : dum parvus est hostis, interfice; nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.*

[e] Quæri potest cur tria tantum posuerit cogitationum nostrarum principia, cum et boni angeli sæpe immittant nobis bonas ac salutares cogitationes, ut notum est. Paucis respondet D. Thomas (I *part. q.* 111, *art.* 2), quod bonæ cogitationes attribuantur altiori principio, scilicet Deo, licet angelorum ministerio procurentur.

D [f] De rege Assuero quisnam fuerit, habes varias sententias apud Bellarminum lib. I de Verbo Dei cap. 7, et Serarium in Commentariis libri Esther. Quomodo autem is a Domino castigatus intelligatur, partim ex Scriptura (*Esther* VI), partim ex Josephi veluti Commentario colligere licet (*Joseph. Antiquit. lib.* XI *cap.* 6). Textus Scripturæ sic habet : *Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri Historias et Annales priorum temporum : quæ cum illo præsente legerentur, ventum est ad illum locum, ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan et Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. Quod cum audisset rex, ait : Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus con-*

mino, libros annales instigatur inquirere, quibus Mardochæi beneficia recordatus, summi eum gradu honoris exaltat, ac protinus crudelissimam super nece gentis Judææ sententiam revocat (*Esther* VI). Vel cum Propheta commemorat, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Alius quoque, *Et dixit, inquit, angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* I). Vel cum Filius Dei venturum se una cum Patre, et mansionem apud nos facturum esse promittit (*Joan.* XIV. Et, *Non estis vos,* inquit, qui *loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X). Et vas electionis, *Experimentum ejus quæritis qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII)? [a] Ex diabolo vero cogitationum nascitur series, cum subvertere nos tam vitiorum oblectatione, quam etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate malo pro bonis fraudulenter ostentans, et transfigurans se nobis in angelum lucis (II *Cor.* XI). Vel cum evangelista refert: *Et cœna facta,* [b] *cum diabolus jam misisset in cor Judæ Simonis Scarioth, ut traderet Dominum* (*Joan.* XIII). Et iterum : *Post buccellam,* inquit, *introivit in illum Satanas* (*Ibidem*). Petrus quoque ad Ananiam, *Quare,* ait, *tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto* (*Actor.* V? Et illud quod in Evangelio, et multo ante per Ecclesiastem prædictum legimus : *Si Spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimittas* (*Eccles.* X). Illud quoque quod dicitur ad Deum contra Achab in tertio Regum libro ex persona spiritus immundi : *Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus* (III *Reg.* XXII). [c] Ex nobis autem oriuntur, cum naturaliter ea quæ gerimus, vel gessimus, vel audivimus, recordamur (*Vide annotationem quartam Cuychii post finem operis*). De quibus beatus David, *Cogitavi,* inquit, *dies antiquos, et annos æternos in mente habui, et meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI). Et iterum, *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt* (*Psal.* XCIII). In Evangelio quoque Dominus ad Pharisæos, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX)?

CAPUT XX.

Docet ex similitudine probati trapezitæ quomodo cogitationes nostræ discernendæ sint.

Hanc igitur oportet tripartitam rationem nos jugiter observare, et universas cogitationes quæ emergunt in corde nostro, sagaci discretione discutere, origines earum et causas auctoresque primitus indagantes, ut quales nos eis præbere debeamus, ex illorum merito qui eas suggerunt, considerare possimus,[d] ut efficiamur secundum præceptum Domini

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

secutus est? Dixerunt ei servi ejus ac ministri : Nihil omnino mercedis accepit, etc. Josephi vero Commentarius : *Deus,* inquit, *spem malignam Aman deridebat, et, accidentia prævidens, de futuris delectabatur. Nam regi somnum per illam noctem abstulit,* et quæ sequuntur. Castigatum ergo a Domino Assuerum hic insinuat Auctor, cum immissa divinitus illa insomnia, lectisque coram eo Annalium et historiarum monumentis, Madochæi fidem et officium in detegendis insidiis olim præstitum ad memoriam revocans, de ipso ut par erat, digne remunerando, Deo inspirante, serio cogitare cœpit : unde consecuta deinde crudelissimæ sententiæ in Judæos ab Aman procuratæ revocatio et abrogatio. Porro quid inter historias et annales discriminis sit, tradit Gelius lib. V cap. 18, et Isidorus Etymol. lib. I cap. ult. Ex quibus Baronius ita retulit (*In* 1 *præfat. Annal.*) : *Eo discrimine veteres ab historia annales distinxerunt, quod illa proprie res suorum temporum gestas, quas auctor vel vidit, vel potuit videre, pertractet, neque tantum quid gestum sit, sed et qua ratione, quove consilio, indicet. Annalibus contra scriptor res antiquas, ut plurimum, quas sua non novit ætas, easdemque per annos singulos litterarum monimentis commendet.* Sic ipse.

[a] Damascenus lib. II de Fide cap. 4, de dæmonibus agens : *Omnis,* inquit, *pravitas ab ipsis procuratur, et impuræ perturbationes. Et suggerere quidem homini permissi sunt, cogere autem non possunt. In nostra enim potestate est admittere aut non admittere eorum suggestionem.* Ita Damascenus. D. Thomas ubi supra : *Dæmones,* ait, *non possunt immittere cogitationes, interius eas causando, cum usus cogitativæ virtutis subjaceat voluntati. Dicitur tamen diabolus incensor cogitationum, in quantum incitat ad cogitandum, vel ad appetendum cogitata, per modum persuadentis, vel passionem concitantis. Potest enim hujusmodi passiones concitare in sensualitate, atque ita voluntatem movere; non tamen ex necessitate, quia voluntas semper remanet libera ad consentiendum vel resistendum passioni.* Duobus ergo modis immittit nobis diabolus cogitationes, aut immutando phantasiam, seu imaginationem, et varia ei objecta suasoria proponendo; aut passionem excitando in sensualitate, per quam voluntas allicitur. Utrumque enim potest diabolus, si Deus permittet; voluntatem tamen cogere aut efficaciter movere non potest, nisi ipsa sponte consentiat.

[b] D. Augustinus tract. 55 in Joannem : *Missio ista spiritualis suggestio est; et non fit per aurem, sed per cogitationem. Diabolicæ enim cogitationes immittuntur, et humanis cogitationibus immiscentur.*

[c] Quomodo cogitationes oriantur ex nobis, cum Apostolus dicat : *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis* (II *Cor.* III). Vide in notatione dom. Cuychii ad calcem operis.

[d] De hac voce ac sententia nihil fere est quod ad notationes Cuychii et Ciaconii, adjici possit, quas proinde utrasque visum est hic ascribere; ac primum Cuychii notatio sic habet : Trapezitæ Græcis dicuntur, quos Latine nummularios, mensarios, sive monetarios appellare possumus; sic dictos a moneta, sive argento : non quod argentea vasa cælent, vel inaurent, hoc enim fabrorum est : sed quod apud illos examinarentur pecuniæ, et deponerentur, interdum fenerato, interdum gratuito, horum tabernæ argentariæ vocabantur. Græcis autem τραπεζίται a mensa nomen habent; nam τράπεζα mensam significat. Apud Judæos quoque fuisse trapezitas, sive nummularios, qui in templo Hierosolymitano, decreto sacerdotum constituti, mutuam sub cautione pecuniam dabant, ex Evangelio manifestum est. Quoniam autem propter continuum pecuniæ usum, adulterinos et exoticos nummos a bona et probata moneta optime discernebant, hinc trapezitarum appellatio generatim ad omnes illos extenditur, qui judicandi peritia valent, et inter aurum et aurichalcum, inter triticum et zizania, inter verum et falsum, inter bonum et malum, recte prudenterque discernunt. Et in hac significatione hoc vocabulo usus est Joannes Cassianus. Hæc Cuychius. Ciaconius vero hæc addidit : Trapezita Latine nummularius dicitur : mensarius ad verbum reddi potest. Nam τράπεζ

probabiles trapezitæ. [a] Quorum summa peritia est, ac disciplina, probare quodnam sit aurum purissimum, et, ut vulgo dicitur, [b] obrizum, quodve sit minus purgatione ignis excoctum; æreo quoque vilique denario, si pretiosum numisma sub colore auri fulgentis imitetur, prudentissima discretione non falli, et non solum numismata tyrannorum vultus exprimentia sapienter agnoscere; sed etiam illa quæ sunt veri quidem regis imagine, sed non legitime figurata, peritia sagaciore discernere. Deinde ne quid illis a legitimo pondere diminutum sit, censura trutinæ diligenter inquirere [c]. Quæ omnia nos quoque de-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

mensa est, et nummularii mensa posita munus suum exercebant: unde Dominus noster templum ingressus nummulariorum mensas evertit (*Joan.* II). Horum quæstus etiam apud Gentiles parum probatus fuit, quod fenore plerumque constaret. Cæterum erant alii trapezitæ, quorum ars erat monetam veram a falsa distinguere. Hi grati populo fuere. Nam de iis ita scribit Plinius libro trigesimo tertio, capite nono. Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque, in hac artium sola vitia discuntur et falsi denarii spectatur exemplar, pluribusque veris denariis adulterinus emitur. Hos etiam a Domino commendatos, et Cassianus hoc loco, et omnes fere sacri doctores referunt. S. Hieronymus in epistola ad Numerium et Alexandrum (*Epist.* 152): *Sciat*, inquit, *me illud Apostoli libenter audire : Omnia probate; quod melius est tenete* (I *Thess.* V). *Et Salvatoris verba dicentis, Estote probabiles nummularii : ut si quis nummus adulter est, et figuram Cæsaris non habet, nec signatus est moneta publica, reprobetur : qui autem Christi faciem claro præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.* Origenes tomo XIX in Joannem: *Servantibus*, inquit, *illud Jesu mandatum, Estote probi trapeziæ. Et Pauli doctrinam dicentis, Omnia probantes, quod melius est tenete.* Clemens etiam Alexandrinus Stromat. I, non longe a fine, sic scribit : Εἰκότως ἱερὰ γραφὴ τοιούτους τινὰς ὑμᾶς διαλεκτικοὺς ὄντως θέλουσα γένεσθαι παραινεῖ, Γίνεσθε δὲ δόκιμοι τραπεζῖται, πάντα μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες : hoc est, *Merito Scriptura tales nos volens esse dialecticos, sic hortatur : Estote probi trapezitæ, omnia quidem probantes; quod autem bonum est tenentes.* Ad id alludens S. Hieronymus in Epist. ad Ephesios cap. IV : *Omni studio*, inquit, *legendæ nobis Scripturæ sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte, ut probati trapezitæ sciamus quis nummus probus sit, quis adulter.* Alludit ad id etiam S. Ambrosius lib. I in Lucam cap. 1 et lib. IX cap. 10, et Basilius in Isai. cap. I; Clemens in Constitut. Apost. lib. II cap. 21. Verum, ut id obiter dixerim, ea sententia in toto Testamento novo non legitur : quare in eam opinionem discessi, ut existimem eam fuisse descriptam ex Evangelio secundum Hebræos, ex quo antiquissimi auctores, Ignatius, Clemens, Origenes, et alii, quædam suis scriptis inseruerunt, ut testatur aliquoties S. Hieronymus in catalogo Script. Eccles. (*Initio cap.* 20 *tom.* I), et ipse Hieronymus in Isai. caput. XL. Hactenus Ciaconius : cujus conjecturam libentius amplector, quam illam Cuychii superius annotatam. Porro Evangelium illud secundum Hebræos notat Baronius (*An. Christi* 99) esse Evangelium D. Joan. Hebraice translatum, cujus meminit Eusebius lib. III Histor. in fine (in quo fortasse verba illa continebantur quæ in Græco et Latino non habentur); vel potius Evangelium Matthæi Hebraicum, quo Nazaræi utebantur. Nam illud Evangelium secundum Hebræos appellat D. Epiphanius hæres. 30, et D. Hieronymus, qui illud Latinum fecit, in quo tamen verba illa exciderunt. Cæterum non repugnat sententiam illam de qua agitur Salvatoris esse verbum, sive mandatum, ut Origenes et Hieronymus affirmant, etiamsi in nullo Evangelio reperiatur expressa; nam, ut ait Innocentius III Pontifex, *multa tam de verbis quam de factis Dominicis inveniuntur ab evangelistis omissa, quæ apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur* (*Lib.* II *Decretal. de Celebrat. Missarum cap. Cum Marthæ*). Paulus enim in Actibus Apostol. sic ait : *Meminisse vos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit : Beatius est dare quam accipere. Hæc nullus quatuor Evangelistarum descripsit.* Ita Innocentius. (*Vide Melchior. Canum de Locis Theolog. lib.* III *cap.* 3 *et sequent.*) Potuit igitur illa sententia ex apostolica traditione esse accepta, licet ab evangelistis fuerit prætermissa.

[a] Notat hic quatuor defectus, seu vitia nummorum, sive monetæ cujuslibet, legibus etiam imperatoriis expressa, et a nummulariis examinanda, quorum industriam ac peritiam in hujusmodi vitiis discutiendis ac discernendis, docet nobis spiritaliter imitandam et observandam in nostrorum discussione conceptuum et cogitationum, seu etiam quorumvis consiliorum, dogmatum, suggestionum, quæ nobis sive exterius sive interius ingeruntur. Primum officium boni trapezitæ sive nummularii est probare an nummus sit probæ monetæ, puta verum aurum, an aurichalcum; aut verum argentum, an stannum præfulgens, qua de re constitutio exstat Gratiani et Theodosii Augustorum lib. III cap. de Veter. Numisma (*Vide Cassiodorum lib.* VII *Varia. epist.* 32). Secundum, an sit purum putum, id est, nulla alterius metalli permixtione vitiatum; qua de re cautum est lege Julia peculatus, ne quis in aurum, argentum, æs publicum, quid indat neve immisceat (*L.* 1 *ff. ad leg. ult. pecula.*). Et expressius lege Cornelia, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos conflaverit, falsi crimine teneatur (*L.* 9 *ff. ad legem. Cor. de fals.*). Inde ærosa pecunia dicitur, quæ multum æris admixtum habet (*Covarruv. tomo* I, *cap. ult.*). Tertio, an veram præferat legitimi principis imaginem; an vero tyranni alicujus notam, aut figuram; cujusmodi nummi proprie dicuntur paracharagmata, vel paratypa, et adulteratores hujusmodi παραχαραχται, de quibus in dicta lege Gratiani et Theodosii. Ulpianus reprobos nummos vocat, a quibus vultus imperatoris abest. Quarto denique, an sit justi et debiti ponderis, non arrosi et decurtati; de quo Valentinianus, et Valens de Veter. Numis. Hæc in gratiam lectoris curiosi annotare libuit; quæ tamen etiam ad spiritualem intelligentiam et doctrinam juvare possunt, ut infra patebit.

[b] Obrizum, vel obryzum, χρυσὸν ὄβρυσον, dicitur aurum sæpe excoctum et expurgatum, quod et purum putum dicitur. Isidorus, lib. XVI Etymol. cap. 17, dictum putat obrizum, quia obradiet splendore suo, eo quod sit coloris optimi, quod Hebræi Ophaz, Græci καθαρόν vocant. Plinius autem lib. XXXIII cap. 3 : Aurum, inquit, quo magis arsit, eo magis proficit ad bonitatem, aurique experimentum ignis est, ut simili colore rubeat ut ignis, atque ob hoc obrizum vocant. Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ obrizum esse dictum ait ab Ophir; quasi ophirizum. Erat autem Ophir locus auri optimi feracissimus quod advehi solitum ad Salomonem, III Reg. IX (*D. Hieron. epist.* 133 *et* 140; *Theodor. in cap.* X *Danielis. Vide Perer. comment. in Genesim, lib.* III).

[c] Pulcherrime hanc eamdem comparationem tractat D. Gregorius lib. XXXIII Moral. cap. 37, ubi licet de hæreticis proprie agat, tamen huic loco aptissime consonat et concordat. Ita enim scribit : *Electorum mens quanto magis internæ luci inhæret, tanto subtilius quomodo virtutes a vitiis discernere debeat, videt. Quid autem mirum est hoc nos spiritaliter agere, quod quotidie corporaliter cernimus nummularios implere? Qui*

bere spiritaliter observare evangelicus sermo sub hujus nominis demonstrat exemplo. Primum, ut quidquid cordibus nostris irrepserit, vel si quod nobis dogma fuerit intromissum, utrumnam sit divino illo et cœlesti Spiritus sancti igne purgatum, an ad Judaicam superstitionem pertinens, seu de sæcularis philosophiæ tumore descendens, in superficie tantum præferat pietatem, diligentissime perscrutemur. Quod ita poterimus implere, si illud Apostolicum fecerimus, [a] *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint* (I *Joan.* IV). Quo genere sunt

A illi quoque decepti, qui post professionem monachi, nitore sermonis, et quibusdam sunt philosophorum dogmatibus illecti, quæ prima fronte piis quibusdam sensibus ac religioni consonis audientes, velut auri fulgore fallentia, quos semel superficie illexerant, velut numismatibus æreis falsisque deceptos, perpetuo nudos ac miseros reddiderunt, vel ad sæculi eos strepitum revocantes, vel [b] ad hæreticos errores ac præsumptiones tumidas pertrahentes. Quod etiam [c] Achan in libro Jesu Nave [d] legimus fuisse perpessum, qui de castris Allophylorum [e] regulam auream

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

• *cum numisma percipiunt, prius qualitatem illius, post figuram, ad extremum vero pondus examinant; ne aut sub auri specie æs lateat, aut hoc quod veraciter aurum est, monetæ reprobæ figura dehonestet: aut quod et aurum et rectæ figuræ est, hoc non integrum pondus leviget. Cum igitur mira ignotorum hominum facta conspicimus, residere ad mentis nostræ trutinam, quasi solertes nummularii, debemus, ut prius discretio aurum examinet; ne sub virtute se vitium occultet, et quod prava intentione agitur, recti visione pallietur. Cujus si intentionis qualitas approbetur, impressæ mox formulæ figura quærenda est, si approbatis monetariis, id est, ab antiquis Patribus ducitur, et ab eorum vitæ similitudine nullo errore vitiatur. Cum vero et per intentionem qualitas, et recta per exemplum figura cognoscitur, restat ut integrum ejus pondus exquiratur. Bonum quippe quod per signa et miracula coruscat, si perfectionis summam non habet, pensari sollicite per cautelam circumspectionis debet, ne dum imperfecta res quasi pro perfecta accipitur, in accipientis damnum vertatur. Prædicatores itaque Antichristi quomodo veram numismatis qualitatem tenent, qui in his quæ agunt intentionis rectæ vim nesciunt, quia per hæc, non cœlestem patriam, sed culmen gloriæ temporalis exquirunt? Quomodo a monetæ figura non discrepant qui ab omni pietate justorum justos persequendo discordant? Quomodo in se integritatis pondus ostendunt, qui non solum humilitatis perfectionem nequaquam assecuti sunt, sed neque ipsam primam januam contigerunt? hinc ergo, hinc electi cognoscant quomodo hæreticorum signa despiciant, quorum profecto actio omne quod a piis Patribus gestum memoratur impugnat.* Hæc D. Gregorius de hæreticorum moribus et actibus discutiendis. Ex quibus generalis doctrina de cæteris hominum actibus et cogitationibus, de quibus hic agitur, diligenter examinandis sumi potest.

[a] Circa hanc sententiam occurrunt aliqua notanda. Primo eam locum habere in his quæ sunt dubia utrum ex Deo sint, necne, ut docet S. Thomas (2-2, *q.* 189, *a.* 10, *ad* 1) : sicut dubium potest esse his qui sunt in religione, utrum ille qui religioni se offert Spiritu Dei ducatur, aut simulate accedat, et ideo debent accedentem probare utrum divino Spiritu moveatur. D Sed illi qui ad religionem accedit, non potest esse dubium an propositum de ingressu religionis in corde ejus exortum sit a Spiritu Dei, cujus est ducere hominem in terram rectam. Secundo per spiritum intelligi quamcumque doctrinam hominis privati, seu quamcumque suggestionem, inspirationem, revelationem, aut quemvis animi et voluntatis impulsum ad aliquid agendum aut fugiendum. De his enim omnibus, an ex Deo sint, exemplo nummulariorum diligenter probandis, discutiendis, examinandis, generatim hic agitur. Dixi *hominis privati;* non enim vel Scripturæ sacræ, vel Ecclesiæ catholicæ, aut Romani pontificis, vel conciliorum generalium, vel sanctorum Patrum et doctorum in unum consentientium spiritus sunt a nobis probandi, si ex Deo sint, hoc est, examinandi an veri sint, necne, cum omnimodam et indubitatam veritatem contineant; sed cum omni ve-

neratione amplectendi. Tertio sciendum, non omnium esse hoc munus dijudicandi spiritus et probandi, sed eorum qui præsunt, vel eorum qui, ut ait Apostolus, B *pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali* (*Heb.* V), quique præditi sunt dono discretionis spirituum, de quo infra; quod donum non omnibus datur; ut docet idem Apostolus I Cor. XII : Datur tamen, quantum expedit, petentibus et ad Deum confugientibus. Proinde qui illud non habet, seu *qui indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et nemini improperat,* ait Apostolus Jacobus (*Jacob.* IV). Quarto, sicut aurum igne probatur et examinatur, vel Lydio lapide, qui χρυσίτης vocatur aut aliis opportunis experimentis : ita hæc regula certa in probandis spiritibus servanda est, ut illam doctrinam, suggestionem, inspirationem, etc., pro vera, catholica et salutari amplectamur, quæ consona est Scripturæ sacræ, conciliis generalibus, definitionibus pontificum et Patrum sententiis, quæ etiam Ecclesiæ pietati et praxi consentanea invenitur. Cætera vero omnia, quæ ab his aut in toto aut in parte dissident, velut spuria, adulterina, noxia, repudianda.

C [b] Tales olim monachi permulti, qui vel simplicitate et ignorantia ducti, vel hæreticorum aut philosophorum fallaciis seducti, et a rectæ disciplinæ tramite deviantes, in graves errores inciderunt, et alios induxerunt, magnosque in Ecclesia tumultus et tragœdias excitarunt. Ex quibus etiam prodiere complures hæresiarchæ; unde denominati hæretici Euchaitæ, Origenistæ, Eustathiani, Massaliani, Anthropomorphitæ, Joviniani, Eutychiani, Severiani, atque alii quamplurimi, usque ad nostra fere tempora, quibus nullum umquam fuit sæculum fecundius hujusmodi desertoribus regularis ac monasticæ disciplinæ, qui et in hæresiarchas e diaboli conflatoria officina sunt transfusi.

[c] In quibusdam codicibus legitur Achar; in aliis, cum Dionysio, Achor, ut notavit Cuychius. Sed sciendum eumdem dici Achar I Paral. II, ut et apud Josephum lib. V Antiq. cap. 1, qui Josue VII dicitur Achan : Achor vero locus est in quo Acham ille sacrilegus ob anathematis furtum lapidibus obrutus et cum suis concrematus est.

[d] Quem Hebræi *Josue Ben Nun,* id est, Josue filium *Nun* vocant; qui primus post Moysen dux populi Israelitici, dictus idem Ause, vel Osee, teste divo Hieronymo (*D. Hieron. in prol. et lib.* I *contra Helvid.*)

[e] Allophyli Latine dicuntur alienigenæ. Ambros. lib. I Officio. c. 28 : *Adversarios suos allophylos, id est, alienigenas Latino appellant vocabulo.* Proprie tamen allophyli dicti sunt Palæstini, qui et Philistæi. Unde divus Hieronymus (*In cap.* II *Isaiæ*) : *Pro Philisthiim,* inquit, *semper Septuaginta alienigenas interpretati sunt, id est,* τοὺς ἀλλοφύλους, *nomen commune pro proprio, quæ est hodie gens Palæstinorum, quasi P litteram sermo Hebraicus non habet, sed pro ea* φ *Græco utuntur.*

concupiscens atque furatus, [a] anathemate percuti, atque æterna meruit morte damnari (*Josuæ* VII). Secundo sollicite nos explorare convenit, ne auro purissimo Scripturarum prava interpretatio coaptata metalli pretiositate nos fallat. In quo etiam Domino Salvatori callidissimus diabolus : velut homini simplici, tentavit imponere, dum ea quæ generaliter sunt super omnium justorum personis intelligenda, malivola interpretatione corrumpens, specialiter huic qui angelorum custodia non egebat, conatur aptare, dicens : *Quia* [b] *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum* (*Psalm.* XC, *Matth.* IV) : pretiosa scilicet eloquia Scripturarum callida assumptione convertens, et ad contrarium noxiumque sensum detorquens, ut imaginem tyranA nici vultus sub colore nobis auri fallentis objiciat, sive cum [c] paracharagmis nos conatur illudere, quoddam scilicet pietatis opus admonens affectandum, quod non de legitima seniorum procedens moneta, sub prætextu virtutum ducit ad vitia, vel immoderatis incompetentibusque jejuniis seu vigiliis nimiis, vel orationibus inordinatis, vel incongrua lectione decipiens, ad noxium pertrahit finem. Vel cum intercessiones ac visitationes pias persuadet impendere, quibus nos a spiritalibus monasterii claustris et secreto amicæ quietis excutiat, sollicitudines etiam curasque suscipere religiosarum ac destitutarum suggerit feminarum, ut hujusmodi laqueis monachum inextricabiliter irretitum perniciosarum sollicitudinum occupatione distendat. Vel certe cum desiderare sanctum clericatus officium sub prætextu ædificatio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Alludere videtur ad illud, quod in cap. septimo libri Josue legitur : *Anathema in medio tui est, Israel.* Porro anathema varie accipitur in sacris litteris. Nam et ipsam anathematis, id est, sacrilegii culpam, et ejus sceleris pœnam, et res Deo devotas et proinde a nullo homine utendas, aut denique legem de anathemate latam subinde significat. At hic nihil aliud significare videtur, quam ipsam exsecrationem, maledictum et interitum, quem miser ille patrato scelere ex divina ordinatione incurrit. *Quod enim anathema interdum occisionem significet, multis veteris Instrumenti testimoniis probari potest,* ait D. Hieronymus in epistola ad Algasiam quæst. 9. Quod autem sequitur : *Et æterna meruit morte damnari,* satis dura est, et parum authentica hujus anachoretæ sententia, cum et textus historiæ et consensus interpretum potius suadeant Acham illum vere et ex animo doluisse, et peccatum suum ingenue agnovisse, sicque publica ac humili confessione dedisse gloriam Deo; ac proinde non æterna, sed temporali dumtaxat morte fuisse damnatum. D. quidem Augustinus quæstione 9 super Josue ita dubitanter et ambigue hac de re loquitur, ut valde obscurum sit, utram in partem magis propendeat. At Dionysius Carthusianus et alii interpretes multo probabilius censent Acham vere pœnituisse, et morte corporali expiatum mortem æternam evasisse. Unde perperam additum hic ab aliquo sciolo, ut sententiam anachoretæ tueretur, in ipso Dionysii codice, *non vere pœnituit,* quod nec præcedentibus cohæret, neque ex Cassiano habetur, et ipsius Dionysii sententiæ ex diametro repugnat.

[b] Etsi hanc Scripturam maligna interpretatione corruperit diabolus, dum quod de viro justo (puro scilicet homine) proprie dictum est, Christo Deo et homini adaptare studuit, ut hic dicitur; tamen ex hoc majorem vim ejus argumentum habere videbatur. Sic enim sibi visus est non minus speciose quam nervose argumentari a minori ad majus : De quolibet viro justo scriptum est : *Quia angelis suis Deus mandavit de te,* etc.; ergo multo magis de Christo, qui non modo vir justus, immo etiam Dei Filius est. Verum sub hac subdola et fallaci argumentatione, multiplex adversum se et irrefragabile argumentum male cautus sophista procudit, et suo se gladio multipliciter jugulavit. Si enim Filius Dei erat, immo quia Filius Dei erat, idcirco angelorum custodia non indigebat; et quia justus erat, Deum tentare non poterat, sic enim justus non esset (*Vide Vincen. Lirin.* c. 37 *et* 38). Quod si ab homine justo alienum est tentare Deum; quanto magis a Dei Filio! Hinc D. Chrysostom. vel quisquis auctor operis imperfecti in Matthæum : *Vere,* inquit, *Filius Dei angelorum manibus non portatur, sed ipse magis angelos portat;* B *et si portatur manibus angelorum, non ut non offendat ad lapidem pedem suum, quasi infirmus, sed propter honorem, quasi dominus. O diabole, quoniam Filius Dei manibus portatur legisti, et quia super aspidem et basiliscum calcat non legisti? sed illud profers ut superbus, hoc autem taces ut astutus* (*Hom.* 5).

[c] *Paracharaxismis* omnia exemplaria tam excusa quam mss., cum tamen omnino legendum videatur, *paracharagmis,* ut Ciaconius annotavit, vel *paracharagmatis,* id est, numismatibus adulterinis, seu falso charactere notatis, ut supra dictum est (*Vide Molanum de Pictur. cap.* 13.) In quam itidem vocem tam Cuychii quam ejusdem Ciaconii serias et utiles annotationes hic subjiciam, ne vel eorum laudi, vel publicæ videar utilitati invidisse. (*Did. Covarruv., ubi supra.*) Sic igitur Cuychius : Paracharaxima, sive paracharagmata sunt adulterina et falsa signa, sive numismata; et qui hujusmodi monetam cudunt, paracharactæ vocantur. Nam παραχαράσσειν est adulterare et falso signare. Sic versutissimus dæmon et hæretici illius C administri multa edunt opera quæ externam quidem pietatis speciem præ se ferunt, sed ad fraudem et illusionem destinantur. De cujusmodi operibus multa videre est apud Cassianum in duabus primis collationibus. Ciaconius vero hæc habet : Paracharaxismum, sive (ut legendum existimo) paracharagmum est falsa moneta, Græce παραχάραγμα dicta : hinc paracharactæ, qui falsos nummos cudunt, ut lib. IX Cod. Theodosiani tit. De falsa moneta, l. 8 : *Falsæ monetæ rei, quos vulgo paracharactas vocant, majestatis crimine tenentur obnoxii.* Sic et Cassianus collat. secunda, cap. 9, paracharagmum vulgare verbum fuisse tradit : nec dubito quin id ex Origene acceperit, cujus hæc sunt, ex homilia tertia in Levit. : *Solus est Dominus noster Jesus Christus, qui te hujusmodi artem possit docere, per quam possis discernere quæ sit pecunia, quæ veri regis imaginem tenet; quæ vero sit adulterina et, ut vulgo dicitur, extra monetam formata, quæ nomen quidem habet regis, veritatem autem* D *regiæ figuræ non teneat.* Ubi quod Latinus interpres vertit *extra monetam formata,* id Græce fuisse existimo παραχάραγμα. Nam eas homilias mihi Græce videre non contigit. Idem homilia tertia in psal. XXXVI : *Omnium hæreticorum sermo non est probata pecunia, nec Dominicam integre in se habet figuram, sed adulteram, quæ, ut ita dicam, extra monetam ita figurata est, quia extra Ecclesiam composita est.* Porro charagma imaginem nummo impressam significare ostendit Auctor, quem vocant imperfecti, homil. 38 in Matth., cum ita scribit : *Nummus qui non habet charagma Cæsaris, reprobus est.* Ergo si recte auguror, Cassianus Latina terminatione, ut alia etiam Græca nomina, paracharagmum declinavit. Hæc Ciaconius.

nis multorum, et amore lucri spiritalis instigat, per quod nos ab humilitate propositi hujus ac districtione divellat. Quæ omnia cum sint nostræ saluti professionique contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac religionis obtecta, facile imperitos incautosque decipiunt. Imitantur enim numismata veri regis, quia videntur ad præsens plena pietatis, sed non sunt a legitimis monetariis, id est, probatis et catholicis Patribus figurata; nec de cardinali ac publica collationis eorum prodeunt officina, sed furtim fraude dæmonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque et ignorantibus ingeruntur. Quæ quamvis utilia ac necessaria videantur ad præsens, tamen si soliditatibus professionis nostræ incipiant post hoc esse contraria, et totum quodammodo corpus nostri labefactare propositi, tamquam necessarium quidem, sed scandalizans membrum, et quod dextræ manus vel pedis agere videatur officium, projici a nobis atque abscindi salubre est. Satius enim est absque unius præcepti membro, id est, operatione vel fructu, in cæteris sanum firmumque durare, et tamquam debilem introire in regnum Dei, quam cum soliditate mandati incidere in aliquod scandalum, quod perniciosa consuetudine separatos nos a districtionis regula, atque arrepti propositi disciplina, inducat in tale dispendium, quod nequaquam futura detrimenta compensans, omnes præteritos fructus totumque operationis nostræ corpus gehennæ faciat ignibus concremari (*Matth.* XVIII). De generibus istiusmodi illusionum etiam in Proverbiis eleganter exprimitur : [a] *Sunt viæ quæ videntur rectæ esse viro : novissima autem earum venient in profundum inferni* (*Proverb.* XIV). Et iterum : [b] *Malignus nocet cum se miscuerit justo* (*Prov.* XVI), id est, diabolus decipit cum fuerit colore sanctitatis obtectus. Odit autem sonum tutelæ, id est, discretionis vim, quæ de seniorum verbis ac monitione procedit.

CAPUT XXI.

De illusione abbatis Joannis.

In quo etiam [c] abbatem nuper Joannem, qui Lyci commoratur, cognovimus fuisse illusum. Nam cum, exhausto corpore atque defecto, perceptionem cibi biduano jejunio distulisset, accedenti ei ad refectionem die postero, [d] veniens Zabulus in figura Æthiopis tetri, atque ad ejus genua provolutus, Indulge, inquit, mihi, quia ego tibi hunc laborem indixi. Itaque ille vir tantus et in discretionis ratione perfectus, sub colore continentiæ incongruenter exercitatæ intellexit se ob hoc calliditate diaboli circumventum, talique distentum jejunio, ut lassitudinem non necessariam, immo etiam spiritui nocituram, fatigato corpori superponeret : [e] paracharagmo scilicet illusus numismate, dum in illo veri regis imaginem veneratus, parum discutit an esset legitime figuratum. [f] Ultima vero observatio hujus probabilis trapezitæ, quam de inquisitione ponderis esse prædiximus, taliter a nobis implebitur, si quidquid gerendum cogitatio nostra suggesserit, [g] omni scripulo [*Lips. in marg.* scrupulo] retractantes, atque in nostri pectoris trutina collocantes, æquilibratione justissima perpendamus, an plenum sit honestate communi, an timore Dei sit grave, si integrum sensu, si humana osten-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata editio : *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem* (*Proverb.* XIV *et* XVI). Duo Proverbiorum loca conjunxit Cassianus: alterum ex cap. XIV, quem D. Hieronymus lib. I adversus Pelagianos ita citat : *Est via quæ videtur recta esse apud homines, et novissima ejus veniunt in profundum inferni*; alterum ex cap. XVI, quem idem Hieronymus in Isa. cap. II et lib. II adversus Pelagianos cap. I citat in hunc modum : *Sunt viæ quæ videntur viro justæ, novissima autem earum respiciunt in profundum inferii.*

[b] Ita LXX interpretes :πονηρὸς κακοποιεῖ ὅταν συμμίξῃ δικαίῳ, μισεῖ δὲ ἦχον ἀσφαλείας; cui in Vulgata versione respondet hæc e regione sententia, multum tamen diversa : *Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo; qui autem laqueos, securus erit* (*Proverb.* XI).

[c] De hoc Joanne, et Lyco oppido, seu vico, dictum est lib. IV Instit. cap. 23.

[d] Plerique cum Dionysio legunt : *Veniens diabolus.* Sed noster etiam Manuscript. Plantinianæ lectioni favet, et est satis familiare Patribus diabolum Zabuli vocabulo designare. D. Cyprianus ad Demetrianum : *Quid in ruinam diaboli per ipsum et cum ipso cadis?* ubi alii legunt, teste Pamelio : *Quid in ruinam Zabuli,* etc.; cujus rationem hanc assignat ibidem Morelius : Varietas, inquit, inde orta, quod Dorica lingua quæ Latinæ quam proxima est, ζα ponitur pro δια, lingua Attica, ut exempli gratia Ζαβάλλω pro διαβάλλω, ζάκορος pro διάκορος. Sic ille, significans Zabulum dictum pro diabolo, Dorica imitatione. D. item Hilarius in Matthæum (*Cap.* IV) : *Contusam,* inquit, *in tentatione primam omnem Zabuli indicat potestatem.* D. Ambrosius lib. de Fide cap. 8 : *Quid mirum,* inquit, *si Arius suum imitatur auctorem, ut usurpet illicita; licet quod pater suus Zabulus per semetipsum non fecit, intolerabiliore iste sacrilegio præsumat. Zabulus verum Dei Filium fatebatur; Arius negat.* Cassianum etiam superius (*Cap.* 20) dixisse monui regnum Zabuli pro regno diaboli, ut ibi videre est. (*Vide Cœlium Rhodig. Antiq. Lect. l.* II c. 10.) Denique in hymn. de S. Michaele canit Ecclesia : *Michaelem virtute conterentem Zabulum.* Porro Zabulon in sacris litteris (*Genes.* XXX) filius Jacob patriarchæ decimus ex Lia : unde tribus Zabulon; sed nihil hæc ad Zabulum.

[e] Id est, falso, adulterino. Alibi utitur eodem vocabulo, licet forte corrupto, Petrus Damiani quodam loco, ubi ait : *Si ipsius monetæ oblitterata vel detrita sit regula, postquam metallis imprimitur, non nummus, sed paracharaxmus invenitur* (*Lib.* II *epist.* 1 *ad episc. Card.*). Ita ipse.

[f] Quartum munus seu officium boni trapezitæ sive nummularii in examinando pondere numismatis, de quo supra : quod et in spiritali discussione observandum egregie docet tum hoc capite, tum sequenti.

[g] Scripulum ex Vaticano legit Ciaconius. Est enim, inquit, scripulum parvum pondus, nempe vigesima quarta pars unciæ. Dicitur etiam scriptulum, sive scribulum, a verbo scribo ubique derivato vocabulo, Græcorum imitatione, qui hujusmodi pondus γράμμα, vel γραμμὴν, id est, litteram vocant, propterea quod ut littera apud eos vigesima quarta pars est alphabeti; ita gramma sive scripulum vigesima quarta pars unciæ sit. Sic ille. Dicitur tamen etiam scrupulus et scrupulum eadem significatione et metaphorice pro cura et sollicitudine : quo modo hic etiam sumi potest.

tatione aut aliqua novitatis præsumptione sit leve; si meriti ejus pondus inanis cenodoxiæ non imminuerit, vel arroserit gloria. Et sic ea protinus ad publicum appendentes examen, id est, ad prophetarum et apostolorum actus, ac testimonia conferentes, vel tamquam integra atque perfecta, illisque compensantia suscipiamus; vel tamquam imperfecta atque damnosa, nec illorum ponderi consonantia, omni cautione refutemus.

CAPUT XXII.

De quadripartita discretionis ratione.

Erit [a] ergo hoc quadripartito, quo diximus, modo necessaria nobis ista discretio, id est, primum, ut materia nos auri veri seu fucati fallentisque non lateat; secundo, ut has easdem cogitationes quæ mentiuntur opera pietatis, tamquam adulterina numismata et paracharagmata reprobemus, utpote quæ falsam imaginem regis non legitime signata contineant; vel illa quæ in auro pretiosissimo Scripturarum, vitioso et hæretico sensu, non veri regis, sed tyranni præferunt vultum, similiter discernentes refutare possimus; sive illa quorum pondus ac pretium ærugo vanitatis arrodens exagio seniorum [b] adæquari non sinit, ut numismata levia atque damnosa, minusque pensantia recusemus : ne in illud incidentes quod observare tota virtute præcepto Domini commonemur, cunctis laborum nostrorum stipendiis meritisque fraudemur. *Nolite*, inquit, *thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur* (*Matth.* VI). Quidquid enim contemplatione humanæ gloriæ fecerimus, in terra nos thesaurizare secundum Domini sententiam noverimus, et consequenter illud velut humi reconditum terræque defossum, vel diversis dæmoniis depopulandum, vel edaci cenodoxiæ ærugine consumendum, seu superbiæ tineis devorandum, ut ad nullam recondentis utilitatem emolumentumque proficiat. Ompes igitur cordis nostri recessus jugiter perscrutandi sunt, et ascendentium in eos vestigia indagatione sagacissima retractanda, ne qua forte intellectualis ibidem bestia, vel leo vel draco pertransiens, perniciosa vestigia latenter impresserit, quibus accessus etiam cæteris in abdita pectoris nostri per cogitationum negligentiam præbeatur. Et ita per singulas horas atque momenta terram cordis nostri Evangelico aratro, hoc est, jugi Dominicæ crucis recordatione sulcantes, vel noxiarum ex nobis ferarum cubilia, vel virulentorum serpentium exterminare latibula, atque extrudere poterimus.

CAPUT XXIII.

De sermone doctoris secundum audientium meritum.

Ad hæc obstupefactos nos intuens senex, et ad verba narrationis suæ inexplebili ardore succensos, pro admiratione desiderii nostri paulisper sermone suspenso, rursus addidit : Quoniam nos, o filii, ad disputationem tam longam vestra sedulitas provocavit, et ignis quidam collationi nostræ ferventiores sensus pro vestro desiderio subministrat, ut ex hoc etiam ipso manifeste contempler in veritate vos perfectionis sitire doctrinam : volo vobis adhuc super discretionis eximietate vel gratia, [c] quæ inter cunctas virtutes arcem ac primatum tenet, pauca disserere, excellentiamque ejus et utilitatem non solum quotidianis exemplis, sed etiam antiquis Patrum collationibus ac sententiis approbare. Frequenter namque memini nonnullis hujusmodi sermonem cum gemitu lacrymisque poscentibus, me quoque aliquid eis doctrinæ conferre cupientem nullatenus potuisse, et ita in me non solum sensus, verum etiam ipsum eloquium defecisse, ut non invenirem quemadmodum eos, vel cum levi consolatione dimitterem. Quibus indiciis evidenter agnoscitur, Domini gratiam pro merito ac desiderio audientium disputantibus aspirare sermonem. Quem quia brevissimum istud, quod superest, noctis spatium non occurrit explere, indulgentes illud potius quieti corporeæ, cui necesse est totum persolvi, si

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Anacephalæosis præcedentium.

[b] Alias *congruere* : ubi Cuychius : Exagio, inquit, seniorum congruunt ea, quæ illorum judicio examinata probantur. Videtur enim exagii vocabulum a Græco ἐξαγέομαι deductum esse, quod, præter alia, etiam significat narrare, exponere, examinare et commentari. Ab hac sententia non longe recedit D. Dionysii paraphrasis, quæ habet : *seniorum actibus adæquari*. Ita Cuychius. At aliter Ciaconius. Exagium, ait, quid esset, nesciremus, nisi nos docuisset marmorea tabula, quæ est Romæ in palatio Columnensium, in qua sic est scriptum : *Ex auctoritate Turci Aproniani V. C. præfecti Urbis, ratio docuit, utilitate suadente consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus, ut appenso pecore, capite, pedibus et sævo lactaneo, et subjugulari lanio cedentibus, reliqua caro cum pelle et interaneis proficiat venditori, sub conspectu publico fide ponderis comprobata; ut quantum caro occisi pecoris appendat, et emptor norit, et venditor,* etc. Ergo exagio aliquid adæquatur, cum ad fidem ponderis publici exigitur et examinatur.

[c] Qua ratione prudentia, quam hic discretionem vocat, inter virtutes, nempe cardinales, primatum teneat, declaratur collat. sequenti (*Cap.* 2) ex sententia magni Antonii, qui prudentiam docuit omnibus aliis virtutibus præferendam, tamquam directricem cæterarum, quæ non sinat eas a recto tramite ad dextram, vel ad sinistram deflectere (*Vide S. Thom.* 1-2, *q.* 66, *a.* 3). Cæteras enim virtutes, si discretio absit, necessario impingere, vel nimio fervore, vel torpore, et remissione : hanc solam efficere, ut medium teneatur, et regia via incedatur. Denique hanc esse, quæ in Evangelio vocatur *oculus et lucerna corporis nostri* : a qua totum veluti corpus virtutum sit illustrandum. D. Ambrosius lib. I de Offic. cap. 27 dicit prudentiam esse primum officii id est, boni operis fontem. Idem docet D. Augustinus lib. I de Moribus Ecclesiæ c. 24. Divus item Benedictus discretionem matrem virtutum dicit cap. 64 Regulæ. D. Bernardus serm. 49 in Cantica : *Discretio*, ait, *omni virtuti ordinem ponit; ordo modum tribuit, et decorem et perpetuitatem,* etc. *Est ergo discretio non tam virtus quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrixque affectuum, et morum ductrix; tolle hanc, et virtus vitium erit.*

id quod modicum est fuerit denegatum, plenum narrationis ordinem integro futuri diei seu noctis examini reservemus. Decet namque discretionis optimos consultores, in hoc primum patefacere suæ mentis industriam, et utrum sint vel queant ejus capaces esse hoc indicio ac patientia comprobare, ut de illa, quæ moderationis generatrix est, virtute tractantes, nequaquam vitium, quod ipsi contrarium est, nimietatis incurrant; vim rationis ac naturæ ejus quam verbis excolunt, effectu atque opere violantes. In hoc ergo nobis discretionis bonum, de qua quantum Dominus dederit, adhuc indagare disponimus, primitus prosit, ut nos de ipsius excellentia et moderatione quæ prima eidem virtus inesse cognoscitur, A disserentes, disputationis quoque vel temporis modum non permittat excedere. His itaque beatus Moyses collationi nostræ dans finem, adhuc nos avidos ac de suo ore pendentes degustare somnum paulisper hortatus est, [a] iisdem ipsis quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare, [b] embrimiis pariter capiti nostro cervicalium vice suppositis, grossioribus papyris in longos gracilesque fasciculos coaptatis. Quæ pedali intervallo pariter colligata nunc quidem humillimum sedile ad scabelli vicem, fratribus in Synaxi considentibus præstant, nunc vero subjecta cervicibus dormientium præbent capiti non nimie durum, sed tractabile aptumque [c] fulcimentum. Ad quos monachorum usus hæc idcirco

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Depsiathiis diximus nonnulla libro quarto Institutionum cap. 13, quorum duplicem usum fuisse apud illos anachoretas, tum hic, tum alibi (*Collat.* 17 *cap.* 3 *et Collat.* 18 *cap.* 11) innuitur, sedendi videlicet et incubandi vice lecti ad capiendum somnum : ita tamen ut sedentibus magis quam jacentibus similes, in eis dormitarent. Cujus occasione succurit hic notandum, viros olim religiosos, 1° aut humi cubare solitos, 2° aut in stratis junceis, sive stramineis, 3° aut ciliciis. De chameunia, id est, humi dormitione D. Hieronymus exemplum profert sui ipsius epist. 22, ubi suam in eremo vivendi rationem, et austeritatem commemorans. *Horrebunt*, inquit, *sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat; quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; et si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam.* Idem in Hilarione : *Super nudam humum stratumque junceum usque ad mortem cubitavit.* Meminit etiam de chameuniis in cap. XLI Isaiæ, easque cum jejuniis et victus continentia conjungit. D. Gregorius Nazianzenus orat. 11 hæc inter alia de sorore sua Gorgonia : *O tenera membra humi prostrata ac præter naturam sese exsuperantia.* D. Athanasius in vita S. Antonii : *Quieti membra concedens junco contexto* (pro quo Græce habetur ψιαθίῳ *atque cilicio utebatur : nonnumquam etiam super nudam humum jacebat.* Sidonius Apollin. carm. 16 laudat Faustum episcopum :

Succinctos gelido carpentem cespite somnos.

Paulinus lib. IV de sancto Martino :

At si quando brevi cessissent lumina somno,
Nuda humus ad tenuem sat erat subjecta soporem.

De stratu, seu strato junceo, aut stramineo jam modo ex Athanasio et Hieronymo audivimus : quod, quia terræ sternebatur, ideo stratura dicitur Novella quinta Justiniani; ubi interpres culcitram humi stratam vertit. Quæ Cassiano dicitur psiathium, Sidonio epistola 24 libro IV lectus nihil habens plumæ; D Gregorio Turonensi libro de Vita Patrum, matta. Hinc Petrus Cluniacensis libro III epistola 20 : *Mattas*, inquit, *antiquum monachorum opus compone : super quas aut semper aut sæpe dormias.* Idem epistola 50 libro II : *Ipse ei in matta monachica, quæ sedi illi contigua erat, assedit.* Divus Benedictus cap. 55 Regulæ : *Stramenta autem lectorum sufficiant matta et sagum*, etc. Eodem spectat illud in Regula S. Pachomii art. 50 : *Non dormiat quis præter*, id est, extra *reclinem sellulam.* Vetus Regula monacharum (*Cap.* 32) apud D. Hieronymum : *Quapropter, charissimæ, volo vos singulis noctibus brevi et duro stratu vacare in cellulis vestris; non in plumis aut mollibus, sed aut in paleis, aut straminibus, immo in ligneis potius capsis quam lectulis, ut et membra strata potius lectum horreant quam affectent*, etc.

B De stratu seu cubitu cilicino plura sunt exempla, quæ utinam imitemur, e quibus pauca dumtaxat antiquiora et illustriora suggeram : primum illud D. Antonii, de quo supra; D. Martini, qui, ut refert Sulpitius, *nobili illo stratu suo* (nempe cinere et cilicio) *recubans spiritum Deo reddidit*; Eugenii Carthaginensis episcopi, de quo Victor Uticensis (*Lib.* III *de Persec. Vandal.*) : *Eugenius sanctus, dum nostræ persecutionis defleret incommoda, et asperitate cilicii senile attereret corpus, nudamque super humum cubitans stratum sacci sui rigaret imbribus lacrymarum*, etc. Denique in sexu etiam femineo : Paulæ nobilissimæ matronæ Rom., de qua D. Hieronymus in ejus epitaphio (*Epist.* 27) : *Mollia etiam in gravissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat : si tamen quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat.* Porro etiam in cilicio et cinere mori monachis consuetum, præter exempla superius allata, docent itidem hæc Sulpicii verba (*Epist.* 3 *de* C *obitu S. Martini*) de S. Martino jam morti proximo : *Pernox in orationibus et vigiliis, fatiscentes artus servire spiritui cogebat, nobili illi stratosuo, in cinere et cilicio recubans. Et cum a discipulis rogaretur ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi : Non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquam, ipse peccavi.* Et Petrus Venerab. idem disertis verbis astruit, de obitu Gilberti monachi agens : *Contigit*, inquit, *non multo tempore elapso, eum ex infirmitate, quam incurrerat, ad extrema venire. Cumque, sicut mos Christianorum est, et maxime monachorum, in substrato cilicio, et cinere, a fratribus compositus jaceret, atque horam vocationis suæ exspectaret, fratres monasterii, ut ejus exitum orationibus commendarent, venerunt et eum undique psallendo circumsteterunt*, etc. (*Pet. Ven. lib.* 1 *de Mirac. cap.* 4). Et cap. 19 ejusdem libri : *Habetur*, inquit, *in domo media locus, unius corporis capax, ad hoc aptatus, ut fratres itidem in* D *cinere et cilicio compositi, extremum Deo inde spiritum reddant.* Et lib. II cap. 22, ubi de exsequiis et tumulatione Matthæi episcopi Albanensis in monasterio Cluniacensi defuncti : *Hoc*, inquit, *ultimo verbo, postquam cunctis sermonibus suis finem dedit, in lectum reclinatus, indeque post modicum, ad cilicium cinere conspersum a fratribus translatus est. Sæpe autem eosdem fratres ante rogaverat, ne se casu aliquo, nisi in cinere et cilicio, Christiano more mori permitterent*, etc.

[b] Vocabulum barbarum, ut alia multa apud illos usurpata. Quid vero significaret, satis hic explicatur. Legisse se apud metaphrastem scribit Ciaconius in Vita Euthymii abbatis, et cum y Græco *embrymium*, Cuychii conjectura minus probabilis.

[c] Usitatius quam fulmentum, ut habet Ciaconius · licet etiam probatis auctoribus usitatum.

vel maxime opportuna habentur et congrua, quod non solum sint aliquatenus mollia, parvoque et opere præparentur et pretio, utpote passim papyro emergente per [a] Nili fluminis ripas, quam cuique volenti in usum assumere nemo prohibeat desecare, sed etiam quod ad removendum, seu cum necesse A fuerit ad movendum habilis materiæ levisque naturæ sint. Atque ita præcepto senis tandem sumus ad degustationem somni onerosa compositi quiete, tam digestæ collationis inflammati gaudio, quam repromissæ disputationis exspectatione suspensi.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nilus Ægypti fluvius (*Plinius l.* v *cap.* 9; *Strabo l.* XVII; *Gen.* II). et unus e majoribus totius orbis fluviis, a quibusdam Gihon dictus, septem habens ostia quibus se exonerat in mare Ægyptium, et partem Ægypti inferiorem dextra lævaque divisus amplexu suo ita determinat ut Triquetram terræ figuram efficiat. Unde et Deltam a Δ Græcæ litteræ similitudine vocaverunt. Porro papyrus, Plinio teste (*Lib.* XIII *cap.* 11), arbuscula est præcipue in Ægypti palustribus nascens, aut quiescentibus Nili aquis ubi evagatæ stagnant, et gurgitum altitudo duo brachia non excedit. Radicibus incolæ pro ligno utuntur; ex ipso trunco navigia texunt, ex libro seu cortice tela, tegetes, vestes, stragula, funes, aliaque hujusmodi. Ex hoc item frutice parabantur chartæ acu divisæ in prætenues et latissimas phylliras quæ eo meliores erant quo mediæ papyro propinquiores, quæ ab hujus fruticis appellatione etiam papyri nomen acceperunt, quibus veteres ad scribendum usi sunt. Postea vero id genus chartæ inventum est quo nunc passim mortales utuntur; fitque ex linteolis contritis, et nihilominus pristinum papyri nomen retinet.

COLLATIO SECUNDA

Quæ est secunda abbatis Moysis.

DE DISCRETIONE.

CAPUT PRIMUM.

Degustato itaque matutino sopore, cum ortum lucis tandem nobis claruisse gaudentes, repromissam narrationem reposcere cœpissemus, [a] beatus Moyses ita exorsus est: Cum videam vos tanti desiderii ardore flammatos, ut ne ipsum quidem parvissimum quietis momentum, quod spiritali collationi subtrahens, refectioni carnis malueram deputare, ad requiem credam vestri corporis profecisse, mihi quoque hunc vestrum consideranti fervorem sollicitudo major incumbit. Necesse est enim etiam me in persolvendo debito, tanto majorem devotionis curam gerere, quanto vos attentius video illud expetere, secundum illam sententiam: [b] *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi, et immitte manum tuam, sciens quia talia oportet te præparare* (*Prov.* XXIII *sec.* LXX). Quamobrem de bono discretionis ejusque virtute dicturi, in quam sermo nocturnæ collationis ingressus, finem nostræ disputationi dedit, congruum credimus ejus excellentiam Patrum primo consignare sententiis, ut cum patuerit quid de illa senserint vel pronuntiaverint majores nostri, tum prolatis tam antiquis multorum quam recentibus ruinis et casibus qui, pro eo quod minus eam fuerant assecuti, pernicioso dejecti sunt lapsu, in quantum possumus, utilitates ejus et commoda retractemus: quibus discussis quemadmodum excolere eam atque expetere debeamus, considerantes meriti ejus et gratiæ pondus, efficacius instruamur. Est enim non mediocris quædam virtus, nec quæ humana passim valeat industria comprehendi, nisi divino fuerit munere gratiaque collata. Siquidem inter nobilissima Spiritus sancti dona, hanc quoque ita legimus ab Apostolo numerari: *Alii datur per spiritum sermo sapientiæ! alii fides in eodem spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu* (I *Cor.* XII). Et post pauca: [c] *Alii discretio spirituum*

B C

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hæc secunda collatio abbatis Moysis: cujus itidem summam Photius paucis verbis complexus est (*Photius Bibliot. G.* 197).

[b] Ita secundum versionem LXX Interp. Vulgatus vero sic: *Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, et statue cultrum in gutture tuo*, etc. Cujus sententiæ varia expositio tum litteralis et germana, tum mystica et spiritualis a Patribus proponitur (*Vide Delrium in Adagial. p.* 2). Mysticus inter alios est hic sensus quem sequitur Auctor, quo docet magistrum tanto majori sollicitudine discipulis satisfacere, quanto majorem illorum fervorem et attentionem esse animadverterit. Sic etiam ferme D. Ambrosius lib. 1 Offic. cap. 22 hinc probat referendam gratiam, si quis ab aliquo beneficium acceperit, et imitandam nobis naturam terrarum, quæ susceptum semen multiplicatiori solet numero reddere quam acceperit.

D

[c] Dona Spiritus sancti, seu gratias quas vocant gratis datas, ab Apostolo et ex Apostolo hic recensitas egregie explicat D. Thomas tam in commentario, quam in Summa Theologica (1-2 *q.* 112 *a.* 4), per discretionem spirituum intelligens cognitionem cordis humani et secretorum ejus. Sicut enim, inquit, prophetia datur ad cognoscenda et manifestanda futura contingentia quæ solius Dei est cognoscere, ita discretio spirituum ad manifestanda occulta cordium quæ solus Deus scrutatur: ut scilicet homo discernere possit quo spiritu aliquis moveatur ad loquendum et operandum, puta utrum spiritu charitatis, vel invidia, juxta illud I Joan. IV: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Paulo latius sumere videtur D. Ambrosius dum ait: *Discretio spirituum, ut intelligat et judicet, quod dicitur, an Spiritus sancti sit an mundani.* Latissime vero hic accipit abbas pro judicio discretionis quam Apostolus (*Hebr.* V) vocat discretionem boni et

(I *Cor.* XII). Deinde completo omni catalogo spiritualium charismatum, infert : *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*Ibid.*). Videtis ergo non terrenum nec parvum esse discretionis munus, sed divinæ gratiæ maximum præmium : quam nisi monachus omni intentione fuerit assecutus, et ascendentium in sese spirituum discretionem certa ratione possederit, necesse est eum velut in nocte cæca tetrisque tenebris oberrantem, [a] non solum perniciosis foveis præruptisque incidere', sed etiam in planis ac directis frequenter offendere.

CAPUT II.

Discretionis utilitas ex disputatione abbatis Antonii demonstratur.

Memini igitur quondam in annis adhuc pueritiæ constitutus in partibus [b] Thebaidis, ubi beatus Antonius morabatur, [c] seniores ad eum perfectionis inquirendæ gratia convenisse. Cumque a vespertinis horis usque ad lucem fuisset protracta collatio, quæstionem hanc maximum noctis spatium consumpsisse. Nam diutissime quærebatur quænam virtus vel observantia monachum possit a diaboli laqueis ac deceptionibus custodire semper illæsum, vel certe recto tramite firmoque gressu ad perfectionis culmen perducere. Cumque pro captu mentis suæ unusquisque sententiam suam proferret, et alii quidem hoc in jejuniorum vigiliarumque studio collocarent, quod his videlicet extenuata mens ac puritatem cordis et corporis assecuta, Deo facilius uniretur : alii in nuditate et contemptu universarum rerum quibus mens si penitus exueretur, tamquam nullis deinceps retinentibus laqueis ad Deum expeditior perveniret; alii ἀναχώρησιν necessariam, id est, remotionem et eremi secreta censerent, in qua commanens quis familiarius interpellare Deum eique possit peculiarius inhærere : nonnulli sectanda charitatis, id est, humanitatis officia definirent, quod his regna cœlorum daturum se Dominus in Evangelio velut specialius repromittat, mali, seu facultate discernendi inter verum et falsum, bonum et malum, appetendum et fugiendum, quæ nihil aliud est quam vera et Christiana prudentia quam divus Augustinus lib. I de libero Arbitrio cap. 13 definit esse rerum appetendarum et fugiendarum scientiam ; et lib. LXXXIII QQ. q. 30, esse rerum bonarum et malarum, et neutrarum scientiam.

[a] In editione Lugdunensi legitur ; *Non solum in perniciosis foveis præruptisque concidere.*

[b] De Thebaide dictum est alibi (*Lib.* IV *Instit. c.* 3), cujus etiam crebra mentio in vita beati Antonii ab Athanasio descripta.

[c] Hæc formula collationis inter illos Patres et anachoretas agitari solitæ; cui non solum magnus Antonius sæpius affuit; verum et magnopere eam commendavit. Nam Athanasius, quamdam ejus exhortationem ad fratres in hujusmodi conventu seu collatione habitam commemorans, ab his verbis eum exorsum ait : *Ad omnem quidem mandatorum disciplinam Scripturas posse sufficere : sed et hoc optimum fore, si mutuis se invicem fratres sermonibus consolarentur. Et vos ergo,* inquit, *ut patri, referte quæ nostis : et ego, quæ per longam ætatem consecutus sum, quasi filiis indicabo.* Habes aliud simile collationis exemplum infra capite 11.

dicens : *Venite, benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi : esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere,* etc. (*Matth.* XXV). Cumque in hunc modum diversis virtutibus aditum certiorem ad Deum parari posse decernerent, essetque noctis maximum tempus hac inquisitione consumptum; intulit demum beatus Antonius; [d] Omnia quidem hæc quæ dixistis necessaria sunt et utilia sitientibus Deum atque ad eum cupientibus pervenire; sed his principalem tribuere gratiam nequaquam nos innumeri multorum casus et experimenta permittunt. Nam quosdam sæpenumero acerrime jejuniis seu vigiliis incubantes, ac mirifice in solitudine secedentes, privationem quoque omnium facultatum ita sectantes, ut ex ipsis ne unius quidem diei victum sibimet unumque denarium superesse paterentur, humanitatis etiam studia tota devotione complentes, ita vidimus repente deceptos, ut arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare, summumque fervorem et conversationem laudabilem detestabili fine clauserint. Quamobrem quid principaliter ducat ad Deum manifeste poterimus agnoscere, si ruinæ ac deceptionis illorum causa diligentius a nobis fuerit indagata. Illis namque cum exuberarent prædictarum opera virtutum, discretio sola deficiens usque ad finem ea durare non sivit. Nec enim alia lapsus eorum causa deprehenditur, nisi quod minus a senioribus instituti, nequaquam potuerunt rationem discretionis adipisci, quæ prætermittens utramque nimietatem, via regia docet monachum semper incedere, et nec dextera virtutum permittit extolli, id est, fervoris excessu continentiæ justæ modum inepta præsumptione transcendere, nec oblectatum remissione deflectere ad vitia sinistra concedit, hoc est, sub prætextu gubernandi corporis contrario spiritus tepore lentescere. Hæc namque est discretio, quæ oculus, et lucerna corporis in Evangelio nuncupatur, secundum illam sententiam Salvatoris : [e] *Lucerna corporis tui est oculus tuus : quod si*

[b] Præclara sententia B. Antonii de prudentia seu discretione. Cui succinit B. Basilius Constitut. Monast. cap. 95 his verbis : *In omni quæ suscipitur actione intercedere prudentia debet. Nam prudentia remota nihil cujusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio vero et prudentia ubi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est quantum ex earum usu, tum in dantes, tum in accipientes fructus redundet* (*Vide D. Thom.* 1-2 *q.* 61 *a.* 1 *et* 3, *et* 2-2 *q.* 188 *a.* 7).

[d] Quod enim est oculus corpori, hoc intellectus est animæ, ait Chrysostomus. D. Gregorius lib. XXVIII Moral. cap. 13 : *Quid per oculum,* inquit, *exprimitur nisi opus suum præveniens cordis intentio ? quæ prius quam se in actione exerceat, hoc jam quod appetit contemplatur. Et quid appellatione corporis designatur, nisi unaquæque actio quæ intentionem suam, quasi intuentem oculum sequitur ? Lucerna itaque corporis est oculus, quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionis. Et si oculus tuus fuerit sim-*

oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit (*Matth.* VI) : eo quod ipsa, cogitationes hominis universas actusque discernens, cuncta quæ gerenda sunt pervideat atque perlustret. Quæ si in homine nequam fuerit, id est, non vero judicio et scientia communita seu quolibet errore ac præsumptione decepta, totum corpus nostrum faciet tenebrosum, hoc est, omnem aciem mentis actusque nostros reddet obscuros, cæcitate scilicet vitiorum et perturbationum tenebris involutos. Si *enim*, inquit, *lumen quod in te est tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quantæ erunt!* Nulli namque dubium est, errante judicio cordis nostris et ignorationis nocte possesso, cogitationes quoque et opera nostra quæ ex discretionis deliberatione descendunt, majoribus peccatorum tenebris implicari.

CAPUT III.

De errore Saulis et Achab, quo per discretionis imperitiam sunt decepti.

Denique [a] ille qui primus judicio Dei regnum populi Israelis emeruit, quia hunc discretionis oculum nequaquam habuit, velut toto corpore tenebrosus effectus, etiam ipse dejectus est regno; dum, lucernæ hujus tenebris atque errore deceptus, acceptabiliora Deo sacrificia sua quam, erga præceptum Samuelis obedientiam, credidit judicanda, atque ex illa magis parte causam offensionis incurrit, ex qua repropitiandam sibi divinam speraverat majestatem. Hujus, inquam, discretionis ignoratio [b] Achab regem Israel post illum sublimissimæ victoriæ triumphum, qui ei fuerat Dei favore concessus, credere compulit meliorem esse misericordiam suam, quam divini exsecutionem severissimam præcepti et, quamadmodum ipsi videbatur, crudelis imperii. Qua consideratione mollitus, dum mavult cruentam victoriam clementia temperare, ob indiscretam misericordiam velut toto corpore redditus tenebrosus irrevocabili morte damnatur.

CAPUT IV.

Quæ de bono discretionis in Scripturis sanctis referantur.

Hæc est discretio, quæ non solum lucerna corporis, sed etiam [c] sol ab Apostolo nuncupatur, secundum illud, *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Hæc vitæ nostræ gubernatio dicitur secundum illud, *Quibus non est gubernatio, cadunt ut folia*. Hæc consilium rectissime nominatur, sine quo nihil agere omnino, Scripturæ auctoritate, permittimur : ut ne ipsum quidem spiritale vinum, quod lætificat cor hominis (*Psal.* CIII), sine ipsius sinamur moderatione percipere, secundum illud : *Cum consilio omnia fac, cum consilio vinum bibe*. Et iterum : [d] *Sicut civitas muris diruta et non circumdata, sic est vir qui non cum consilio aliquid agit* (*Proverb.* XXV, *sec.* LXX). Cujus privatio quam perniciosa sit monacho, testimonii hujus exemplum ac figura declarat, dirutæ eum ac sine muris comparans civitati. In hac sapientia, in hac intellectus sensusque consistit, sine quibus nec interior nostra ædificari domus, nec spiritales poterunt divitiæ congregari, secundum illud : [e] *Cum sapientia ædificatur domus, et cum intellectu iterum erigitur; cum sensu implentur cellaria omnibus divitiis pretiosis et bonis* (*Proverb.* XXIV, *sec.* LXX). Hæc, inquam, est solidus cibus, qui nisi a perfectis tantum ac robustis sumi non poterit, secundum illud : *Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali* (*Heb.* V). Quæ in tantum utilis nobis ac necessaria comprobatur, ut etiam verbo Dei ejusque virtutibus coaptetur, secundum illud : *Vivus est enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Heb.* IV). Quibus manifestissime declaratur, nullam sine discretionis gratia perfecte posse vel perfici, vel stare virtutem. Et ita tam beati Antonii quam universorum sententia definitum est, discretionem esse quæ fixogradu intrepidum monachum perducat ad Deum, prædictasque virtutes jugiter conservet illæsas, cum qua ad consummationis excelsa fastigia minore possit fatigatione conscendi, et sine qua multi etiam propensius laborantes, perfectionis nequiverint culmen attingere. Omnium namque virtutum generatrix, custos moderatrixque discretio est.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

plex, totum corpus tuum lucidum erit, quia, si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiamsi minus bonum esse videatur. Et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit, quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur. Hæc Gregorius.

[a] Saul primus a Deo electus et inunctus in regem Israelitici populi. Vide historiam, lector, unde discas quanti apud Deum sit obedientia, ut quæ sacrificiis et holocaustis omnibus præferatur. Ubi divus Gregorius ad illam Saulis excusationem commentans : *Hoc quidem*, inquit, *sæpe in monasteriis accidit, cum quisque minus religiosus subditus spiritualium prælatorum imperiis adjicere præsumit, cum regularem et communem vitam despicit, et propriæ sequitur arbitrium voluntatis; dum enim meliorare vitam eligendo, quam obediendo nititur, quid aliud quam apertam in-obedientiam intentione virtutis colorare monstratur?*

[b] Historiam habes III Reg. XX, ubi Achab dum contra Dei præceptum communi hosti regi Syriæ inconsulta et inordinata clementia pepercit, sententiam mortis pro eo accepit, propheta denuntiante, *Erit anima tua pro anima illius.*

[c] Sic iste abbas solem pro discretionis, seu rationis lumine interpretatur in illis verbis Apostoli : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV). Quemadmodum et Cassianus lib. VIII Institut. cap. 9. Quam interpretationem placuisse etiam divo Hieronymo ibidem ostendimus.

[d] Vulgata editio : *Sicut urbs potens, et absque murorum ambitu; ita vir qui non potest loquendo cohibere spiritum suum* (*Proverb.* XXV).

[e] Textus vulg. : *Sapientia ædificabitur domus, et prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria : universa substantia pretiosa et pulcherrima* (*Proverb.* XXIV).

CAPUT V.

De morte Heronis senis.

Et ut hanc eamdem definitionem antiquitus a S. Antonio et cæteris Patribus promulgatam, recens quoque, sicut promisimus, confirmet exemplum, recolite id quod nuper gestum oculorum vestrorum vidistis obtutibus, [a] senem videlicet Heronem ante paucos admodum dies illusione diabolica a summis ad ima dejectum, quem quinquaginta annis in hac eremo commoratum, singulari districtione rigorem continentiæ tenuisse meminimus, et solitudinis secreta ultra omnes hic commorantes miro fervore sectatum. Hic igitur, quo pacto, quave ratione post tantos labores ab insidiatore delusus, gravissimo corruens lapsu, cunctos in hac eremo constitutos, luctuoso dolore perculit? Nonne quia minus discretionis virtute possessa, suis definitionibus regi, quam consiliis vel collationibus fratrum, atque institutis majorum, maluit obedire? Siquidem tanto rigore immutabilem jejunii continentiam semper exercuit, et solitudinis cellæque ita jugiter secreta sectatus est, ut ab eo participationem ineundi cum fraternitate convivii, nec veneratio quidem diei pascalis aliquando potuerit obtinere. In qua fratribus cunctis pro anniversaria solemnitate in Ecclesia retentatis, solus non potuit aggregari, ne quantulumcumque perceptione leguminis parvi, a suo videretur proposito relaxasse. Qua præsumptione deceptus, angelum Satanæ velut angelum lucis cum summa veneratione suscipiens, ejusque præceptis prono obediens famulatu, semetipsum in puteum, cujus profunditatem oculorum non attingit intuitus, præcipitem dedit, de angeli videlicet sui sponsione non dubitans, qui eum pro merito virtutum ac laborum suorum nequaquam posse firmaverat ulli jam discrimini subjacere. Cujus rei fidem, ut experimento suæ sospitatis evidentissime comprobaret, supradicto se puteo nocte intempesta illusus injecit, magnum scilicet virtutis suæ meritum probaturus, cum inde exisset illæsus. Dequo, ingenti fratrum labore cum pene jam exsanguis fuisset extractus, vitam die tertia finiturus, quod his deterius est, ita in deceptionis suæ obstinatione permansit, ut ei ne experimento quidem mortis suæ potuerit persuaderi, quod fuisset dæmonum calliditate delusus. Quamobrem pro meritis laborum tantorum et annorum numerositate, qua in eremo perduravit, hac miseratione et humilitate summa, ab his qui ejus compatiebantur exitio, vix a presbytero abbate [b] Paphnutio potuit obtineri, ut non inter [c] biothanatos reputatus, etiam [d] memoria

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Memorat Palladius (*Lausia.* 32) Heronem quemdam monachum sibi notum, qui post magnos labores et præclaros sudores, ut ipse loquitur ab arrogantia arreptus et elatione, præcipitavit. Verum an ille idem sit cum hoc Herone, de quo hic agitur, non satis expedio. Nam ille quidem ingenio et moribus, et vitæ etiam austeritate huic non dissimilis fuisse videtur; at fine non item. Non enim in puteum se dejecisse, sed ex gravi infirmitate convaluisse, ac postmodum post peccatorum confessionem obdormiisse perhibetur.

[b] De eodem Cassianus lib. v Inst. cap. 40, et rursus collat. 3, quæ et ipsi adscribitur, et collat. 18 cap. 15, ubi ejus patientiam mirabilem refert. Palladius in Lausiacis (*Sec.* 37, 38, 78), Nicephorus lib. IX cap. 14, et alii. Presbyter autem et abbas passim nominatur, ne quis putet hunc esse Paphnutium illum superioris Thebaidis episcopum in Historia Ecclesiastica celeberrimum, qui Cassiani tempora diu antecessit, ut alias notavimus.

[c] Biothanati, ut alias monuimus (*Lib.* VII *Inst. cap.* XIV), olim a gentilibus per contumeliam dicti sunt martyres, quia violenta morte necati, vel necandi. At inter Christianos biothanati proprie reputati sunt, qui sibi mortem ultro conscivissent, aut violentas manus intulissent, quorum memoriam in sacris agi, aut oblationes pro eis fieri, veterum Patrum instituto, et ecclesiastica disciplina, vetitum fuisse, vel ex hoc loco discimus. Qua de re etiam exstant canones ecclesiastici, quibus illi memoria et oblatione pro defunctis fieri solita judicantur indigni. Sic enim in concilio Bracharensi I cap. 24 (*Apud Gratian.* 23, *q.* 5, *c. Placuit*). *Placuit ut qui sibi ipsis voluntarie aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.* Et concilio Aurelianen. II cap. 14: *Oblationem defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti, recipi debere censemus; si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.*

[d] Duo tanguntur hic antiqui ritus, et officia jam inde a primis Ecclesiæ temporibus pro defunctis exhiberi solita, nempe oblatio, sive sacrificium pro eis oblatum, et memoria, sive commemoratio eorum in sacrificio. De utroque ad hunc locum illustrandum juverit hic nonnulla antiquitatis testimonia annotare. Ac de sacrificio quidem in primis observandum illud, certis ac statis diebus potissimum offerri solere. Primum in die obitus, aut sepulturæ, de quo etiam præcipue hic agitur; quod ex apostolica traditione manavit. Nam D. Clemens epist. 1 testatur apostolum Petrum præcepisse ut celebrentur exsequiæ mortuorum hymnis, precibus et lectionibus. Idemque confirmat B. Dionysius Areopagita Eccles. Hierarch. cap. 7. Hinc D. Cyprianus epist. 60 refert in concilio Carthaginensi statutum fuisse, *ut si quis frater* (id est Christianus) *clericum tutorem nominasset, nec offerretur pro eo, nec sacrificium pro ejus dormitione celebraretur.* D. Augustinus lib. IX Confess. cap. 11 de funere matris suæ S. Monicæ agens ait: *In eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, jam juxta sepulcrum posito cadavere*, etc. Secundo offerri solet sacrificium, et preces pro defunctis fundi in die anniversaria; unde anniversariorum usus in Ecclesia receptus, Tertullianus lib. de Corona Militis (*Cap.* 3): *Oblationes*, inquit, *pro defunctis annua die facimus.* Et lib. de Monogamia: *Pro anima ejus oret, offerat annuis diebus dormitionis ejus.* D. Gregorius Nazianzenus Oratione in Cæsarium fratrem: *Anniversarios honores et commemoratione offerentes.* S. denique Isidorus Hispalensis ante annos nongentos hunc ritum anniversariorum pro defunctis in suis monasteriis observandum instituit his verbis (*Cap. ultim. Regulæ*): *Pro spiritibus defunctorum altera die post Pentecosten sacrificium offeratur, ut beatæ vitæ participes facti purgatiores, corpora sua in die resurrectionis accipiant.* Ubi notandum ætate S. Isidori, hoc est, quadringentis circiter annis ante S. Odilonem, qui generalem omnium fidelium defunctorum memoriam primus instituit, non quarto nonas Novembris, sed proxima post Pentecosten die anniversariam fratrum defunctorum celebritatem fieri con-

et oblatione [a] pausantium judicaretur indignus.

CAPUT VI.

De ruina duorum fratrum ob discretionis imperitiam.

Quid dicam de illis duobus fratribus, qui habitantes ultra illam eremum Thebaidos ubi quondam fuerat beatus Antonius commoratus, minus cauta discretione permoti, euntes per extentam solitudinis vastitatem, [b] nullam escam penitus sumere decreve-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

suevisse. Porro hoc tempore in quibusdam monasteriis transfertur hoc anniversarium in feriam secundam post festum S. Trinitatis, quam puto ab Isidoro vocari alteram diem post Pentecosten, et totam octavam Pentecostes pro una die ab ipso computari. Tertio, non solum in die anniversaria, sed etiam die tertia, septima, trigesima et quadragesima solemnior agebatur defunctorum memoria (*Onufr. in lib. de Ritu sepeliendi*). Nam in Ecclesiis Occidentalibus celebris ob defuncti memoriam fuit dies quadragesimus. Unde D. Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosii imper., *Ejus,* inquit, *principis et proxime conclamavimus obitum, et nunc quadragesimum celebramus, assistente sacris altaribus Honorio principe, quia sicut sanctus Joseph patri suo Jacob quadraginta diebus humationis officia detulit, ita et hic Theodosio patri justa persolvit.* Mox de hujus ritus varietate ita subdit : *Alii tertium diem et trigesimum, alii septimum et quadragesimum observare consueverunt,* etc. Item in oratione de fide resurrect., *Nunc,* inquit, *die septima sepulcrum adrodimus, qui dies symbolum futuræ quietis est.* Agit etiam Alcuinus de tertia, septima et trigesima die pro defunctis, lib. de Divinis Officiis cap. penult. et ultimo, hujusque institutionis rationem exponit. Ubi tamen in hoc aberrat, quod tricenarium a trigesima die non distinguat. Nam tricenarium quidem a B. Gregorio fertur institutum : unde et Missæ Gregorianæ appellantur. Ipse enim lib. IV Dialog. cap. 55 refert se præcepisse pro quodam fratre defuncto diebus triginta continuis sacrificium offerri, ut nulla prætermitteretur dies qua pro absolutione illius Hostia salutaris non offerretur. Id autem illud erat a celebritate trigesimæ diei. Hæc enim non triginta dies continenter, sed solummodo trigesima ab obitu die celebrabatur ; estque Gregorio longe antiquior, cum et a Palladio in historia Lausiaca (*Sec.* 23,) et a D. Ambrosio, ut modo audivimus, et ab aliis priscis scriptoribus memoretur. Atque hæc de oblatione, sive sacrificio pro defunctis oblatio ita dicta sint, non quod non omni die eis prosit sacrificium, et non eorum quotidie memoria in sacrificio habenda sit, sed quod illis præcipue diebus solemnior haberetur. Quod autem ad memoriam, seu commemorationem eorumdem attinet, de qua etiam hic agitur, sciendum ex veteris Ecclesiæ consuetudine, tum eorum pro quibus offerebatur, tum episcoporum orthodoxorum, tam vivorum quam defunctorum nomina e sacris tabulis, quæ δίπτυχα καὶ πτυχὰ dicebantur, recitari solere in Missæ sacrificio. Erant autem tabulæ duæ, quarum uni vivorum, alteri defunctorum nomina inscribebantur. Hinc D. Cyprianus epist. 10 offerri dixit nomina eorum, pro *recitari,* in oblatione divini sacrificii. Huc pertinet illud Dionysii Areopagitæ Eccles. Hisrarch. cap. 3 ; *Et cum se mutuo omnes salutaverint mystica tabularum recitatio fit.* Ubi Græce habetur ἱερῶν πτυχῶν. Eodem spectant quæ de beati Joannis Chrysostomi nomine oblitterato et rursus in sacra δίπτυχα relato scribunt Theodoretus (*Lib.* V, *c.* 34), Nicephorus (*Lib.* XIV, c. 29) et alii, quodque Damascenus lib. III de Imaginibus sub finem ex Isidoro monacho narrat, Theophilum patriarcham Alexandrinum ob illud peccatum (quod videlicet Chrysostomi nomen vetuisset publice in ecclesia recitari) non potuisse animam agere, nisi oblata Chrysostomi imagine, eam venerabundus adorasset. His addes Augustinum, qui lib. IX Confess. cap. 12 scribit matrem suam S. Monicam, imminente die resolutionis suæ, nihil aliud mandasse aut curasse, quam sui memoriam ad altare Dei fieri, cui nullius die prætermissione servierat. Exstat epistola quædam episcoporum Ægyptiorum ad Anatolium Constantinop. episcopum, in qua quid essent sacra diptycha declaratur his verbis : *Etiam in venerabili diptycho in quo piæ memoriæ transitum ad cœlos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas relegunter, posuit Dioscori nomen,* etc. Denique Innocentius papa, 1 epist. ad Decentium offerentium nomina inter sacra mysteria recitari mandat ; in ipso nempe canone, non ante : quod etiam in liturgia Chrysostomi factum est, ubi non sub principium dumtaxat, ut apud Dionysium Areopagitam, et in Missa S. Jacobi, sed circa consecrationem quoque repetitur dicta nominum recitatio. (*In Epist. vir. illustr. pro concil. Chalcedon.*) Permansit autem hujus rei vestigium in canone nostro, ubi legitur juxta vetustos codices : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum nomina* ; et rursus pro defunctis : *Memento etiam eorum nomina,* etc. Quod olim observavit Alcuinus ejusdem libri cap. 32, ubi sacrum canonem exponens : *Post illa,* inquit, *verba quibus dicitur : In somno pacis, usus fuit antiquorum, sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitaremur ex diptychis, id est, tabulis, nomina defunctorum, atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia : Ipsis videlicet quorum nomina memorantur, et cæteris omnibus in Christo quiescentibus indulgeas locum refrigerii,* etc. Idem docet Micrologus de Eccles. Observ. cap. 23. (*Vide Durantum de Ritibus Ecclesiæ l.* II, *c.* 43.)

[a] Pausantes, ait Cuychius, vocantur qui ab hoc sæculo ad aliam vitam commigrarunt, ibique a laboribus vitæ hujus quiescentes redemptionem sui corporis exspectant ; deductum a verbo Græco παύομαι quod est cesso. seu quiesco : unde παῦσις, Latine pausa, sive quies. Sumpta autem appellatio pausantium ex illis verbis Apocalypsis : *Beati qui in Domino moriuntur : amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (*Apoc.* XIV). Æquum enim est ut qui se bonis operibus toto vitæ tenore exercuerunt et fatigarunt, tandem pausa, id est, fine vivendi facta in Domino requiescant. Hæc ille. Utuntur eadem voce D. Bernardus serm. 18 in Cantica, et Petrus Blesensis serm. 29, et ante hos concilium Aurelianense cap. 6, ubi dicitur : *Quando recitantur pausantium nomina.* Eadem porro ratione etiam dormire dicuntur, et dormientes vocantur mortui. Jean. XI *Lazarus amicus noster dormit.* Et I Thessal. IV : *Nolumus vos ignorare de dormientibus.* Ita passim loquitur Scriptura de hominibus defunctis, sive bonis, sive malis, at de brutis animalibus nusquam : significans nimirum homines morte non penitus ut bestias exstingui ; sed, ut in dormientibus, animas interim vivere, corpore vero a somno mortis olim excitanda. Unde et a primis Ecclesiæ temporibus cœmeteria dicta sunt loca sepulturæ deputata, quæ Latine sonant dormitoria. Hinc D. Hieronymus epist. 29 : *Adversus mortis duritiam et crudelissimam necessitatem hoc solatio erigimur, quod brevi visuri sumus eos quos dolemus absentes. Neque enim mors, sed dormitio* (κοιμάω, *id est, dormio*), *et somnus appellatur : Unde et beatus Apostolus vetat de dormientibus contristari, ut quos dormire novimus, suscitari posse credamus, et post digestum soporem vigilare cum sanctis,* etc.

[b] Tentatio Dei manifesta, contra illud Deut. VI et Matt. III : *Non tentabis Dominum Deum tuum.* De qua tentatione agens D. Thomas (1-2, *q.* 97, *a.* 1) :

runt, nisi quam per semetipsum Dominus illis præstitisset. Cumque errantes eos per deserta et deficientes jam fame conspexissent a longe [a] Mazices [*Lips. in marg.* Marzites vel Marzitos] quidam (quæ gens cunctis pene nationibus feris immanior atque crudelior est; non enim eos ad effusionem sanguinis, ut nonnullas gentes, desiderium prædæ, sed sola ferocitas mentis instigat), eisque contra naturam feritatis suæ cum panibus occurrissent, unus ex eis, subveniente discretione velut a Domino sibi porrectos, cum gaudio et gratiarum actione suscepit, reputans escam sibi divinitus ministrari, nec sine Deo factum, ut hi qui semper hominum cruore gauderent, deficientibus jam ac tabescentibus vitæ substantiam largirentur; alius vero recusans cibum, velut ab homine sibi oblatum, inediæ defectione consumptus est. Quorum licet initia ex reprehensibili persuasione descenderint, unus tamen, subveniente discretione, id quod temere incauteque conceperat, emendasse agnoscitur; alius autem in stulta præsumptione perdurans, ac penitus discretionis ignarus, mortem quam Dominus avertere voluit, sibi ipsi conscivit, nequaquam credens divino instinctu factum, quod immites barbari, propriæ feritatis obliti, panes eis pro gladiis obtulissent.

CAPUT VII.

De alterius illusione quam per imperitiam discretionis incurrit.

Quid etiam de illo commemorem (cujus nominis, quia adhuc superest, nolumus facere mentionem) qui dum longo tempore [b] dæmonem in angeli suscepit claritate, revelationibus ejus innumeris sæpe deceptus, credidit internuntium esse justitiæ? Nam exceptis his, etiam per omnes noctes in cella ejus lumen absque illius lucernæ præbebat officio. Ad extremum jubetur ab ipso, ut Deo filium suum, qui cum eo pariter in monasterio commanebat, offerret: ut [c] hoc scilicet sacrificio Abrahæ patriarchæ meritis in nullo inveniretur inferior. Cujus in tantum est persuasione seductus, ut hoc confestim [d] parricidium opere perfecisset, nisi eum videns puer cultrum extra consuetudinem acuendo præparare, et

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Quando, inquit, *propter aliquam necessitatem seu utilitatem committit se aliquis divino auxilio in suis petitionibus vel factis, hoc non est Deum tentare. Dicitur enim in secundo Paralip.* XX: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Quando vero hoc agitur absque ulla necessitate et utilitate, hoc est interpretative tentare Deum. Unde super illud Deuter.* VI; *Non tentabis Dominum Deum tuum, dicit Glossa: Deum tentat, qui habens quod faciat, sine ratione committit se periculo, experiens utrum posset liberari a Deo.* Verum hic objici posset simile exemplum duorum adolescentium monachorum, quod narrat Cassianus lib. V Institut. cap. 40, qui dum fructus sibi a suo abbate traditos deferrent ad quemdam senem in solitudine laborantem, nec ejus cellam invenirent, maluerunt in itinere fame perire quam fructus contingere. At magna diversitas est in utroque exemplo; nam illi quidem jussi fuerant, et stricte admoniti, ut fructus integros, quia raros et exquisitos in ea regione, ad senem illum deportarent: et quamvis possent illud præceptum per ἐπείκειαν commode interpretari, ac reputare se in tanta necessitate illo non obligari; tamen ad hoc non tenebantur, præsertim cum haberent justam causam aliter opinandi, ætate juvenili, aut certe postponendi vitam suam merito obedientiæ et fidei depositi, sive commissi, ut ibi dicitur. At hi nullo præcepto, nulla idonea ratione movebantur, ne cibum sumerent, nisi divinitus missum; nisi vel ad explorandam Dei benevolentiam, aut potestatem, quod est tentare Deum; vel ad ostentandam aliis suæ sanctitatis excellentiam, quod est magnæ præsumptionis et arrogantiæ.

[a] Mazices, sive μάζικας Ptolomæus in ea Ægypti sive Africæ parte locat, in qua Cassianus. Eorumdem ut barbarorum et immanium hominum meminit Palladius in Arsacio (*Lausia.* 7), quos tamen Mazicos vocat. Et Nestorius apud Evagrium lib. I Histor. Eccl. cap. 7, et Nicephorus lib. XIV cap. 13. In Vitis Patrum (*Lib.* IV, *c.* 15) gens Mazicorum dicitur.

[b] Cum in variis formis dæmon apparere soleat, non raro etiam in forma, sive specie boni angeli apparuisse legitur, et hoc modo multos decepit, aut decipere tentavit: ut merito dixerit Apostolus, quia *Et ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis* (1 *Corinth.* II). In Vitis Patrum ita apparuit Abraham anachoretæ de nocte oranti, ejusque cellam mira claritate complevit. Item Simeoni Stylitæ, cui ut currum igneum: ut alter Elias, conscenderet, persuadere conatus est. *Alteri cuidam monacho apparuit diabolus transformatus in angelum lucis, et dixit ad eum: Ego sum Gabriel angelus, et missus sum ad te. Ille vero dixit ei: Vide ne ad alium missus sis, ego enim non sum dignus ut angelus mittatur ad me. Diabolus autem statim non comparuit.* Hæc ibi (*Vit. Patr. lib.* V *libel.* 15). Sub angeli etiam specie se exhibuit S. Elphego episcopo Cantuariensi, quemadmodum in Vita ejus scribit Osbertus ejusdem Ecclesiæ episcopus. S. item Oswaldo Vigorniensi episcopo apud Surium (*tomo* II *et* V). Plura alia exempla refert Cæsarius Cisterciensis lib. III cap. 14, et lib. V cap. 47. D. Petrus Damiani lib. VI, epist. 21.

[c] At hoc sacrificium non elegit Dominus, et longe dispar utriusque ratio. Nam ut D. Augustinus ait lib. I de Civit. Dei cap. 26: *Cum Deus jubet, seque jubere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet, quis obsequium pietatis accuset? sed non ideo sine scelere facit, quisquis Deo immolare filium decreverit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam et miles cum obediens potestati sub qua legitime constitutus est, hominem occidit, nulla civitatis suæ lege reus est homicidii; immo nisi fecerit, reus est imperii deserti atque contempti. Quod si sua sponte atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur si fecerit injussus, inde punitur nisi fecerit jussus. Quod si ita est, jubente imperatore, quanto magis jubente Creatore!* Hæc Augustinus.

[d] Parricida, vel paricida, dicebatur non solum qui parentem, sed qui parem, id est, quemcumque hominem occidisset (*Festus*): itaque parricidium non solum patris aut parentis, sed paris cædes; vel, ut aliis placet, patratio cædis. Id indicat lex Numæ Pompilii regis antiquissima his concepta verbis: *Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, parricida esto* (*Isid. Etymo. l.* X *lit.* P.). Et lege Pompeia de parricidiis cavetur, ut parricidii teneatur, non solum qui patrem aut matrem interfecerit, sed et qui fratrem, sororem, patruelem, matruelem, filium, filiam, nepotem, nurum, aliosve propinquos occiderit. Sic D. Cyprianus lib. de Zelo et Livore: *Hinc parricidia*, inquit, *nefanda contigerunt, dum Abel justum zelat Cain injustus.*

vincula quibus eum velut oblaturus ad immolandum constringere disponebat, inquirere, præsagio sceleris futuri perterritus, aufugisset.

CAPUT VIII.

De lapsu et deceptione monachi Mesopotameni.

Longum est [a] deceptionem illius quoque monachi Mesopotameni narrando percurrere, qui in illa provincia perpaucis imitabilem exhibens continentiam, quam per annos multos singulariter in cella retrusus exegerat, ita est ad extremum diabolicis revelationibus somniisque delusus, ut post tantos labores atque virtutes, quibus omnes monachos ibidem residentes excesserat, [b] ad Judaismum et concisionem [*Lips. in marg.* circumcisionem] carnis lapsu miserabili fuerit devolutus. Num cum volens eum consuetudine visionum ad credulitatem futuræ deceptionis illicere, verissima quæque multo tempore diabolus velut veritatis nuntius revelasset, ad extremum ostendit Christianum populum una cum principibus religionis ac fidei nostræ, Apostolis scilicet atque martyribus, tenebrosum ac tetrum, omnique macie tabidum atque deformem, et contra Judæorum populum una cum Moyse, patriarchis atque prophetis, summa tripudiantem lætitia, et splendidissimo lumine coruscantem, suadens si mallet meriti ac beatitudinis illorum particeps fieri, circumcisionem quoque suscipere festinaret. Horum itaque profecto tam lugubriter nemo fuisset illusus, si rationem discretionis hujus assequi laborasset. Quamobrem in quantum perniciosum sit discretionis gratiam non habere, multorum casus et experimenta declarant.

CAPUT IX.

Interrogatio de acquirenda vera discretione.

Ad hæc Germanus : Et novellis exemplis et definitionibus antiquorum satis abunde perpatuit discretionem fontem quodammodo atque radicem cunctarum esse virtutum. Quomodo ergo acquiri debeat, cupimus nobis exponi, aut quemadmodum, utrum vera et ex Deo, an falsa et diabolica sit, possit agnosci : ut secundum illam evangelicam, [c] quam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hoc idem exemplum, aut aliud certe simillimum refert Antiochus monachus Palæstinus vitæ sanctitate et doctrina celebris, cujus exstant homiliæ 129 in Biblioth. SS. Patrum. *Fuit*, inquit (*Bibliot. SS. Patr. t.* II, *hom.* 84), *in monte Sina monachus quidam, qui celebre adeo edidit suæ continentiæ specimen, ut in cellula multos vixerit annos inclusus; postremo multifariis revelationibus diaboli et insomniis illusus ad Judaismum delapsus est, et carnis circumcisionem. Cum igitur diabolus huic identidem vera quædam insomnia demonstrasset, et veluti objecta illecebra inescasset illius obscuratam mentem, novissime oculis illius objicit copiosam turbam apostolorum, martyrum, aliorumque omnis generis Christianorum densissimis tenebris et omni dedecore oppletam; parte opposita Mosen, prophetas, populum quoque Judæorum* (Deo alioqui invisum) *offert splendida admodum luce conspicuos, inque gaudio et hilaritate vitam traducentes. Hæc cum spectasset miser, e vestigio surrexit, derelictoque sancto illo monte, in Palæstinam usque pervenit, rectaque contendit in Mara et Libyadem, asyla Judæorum. Cum istis denarrasset quæ sibi visæ fuissent, diabolicas apparitiones, circumcisus est, ac professus Judaismum, accepit uxorem, inque omnium prospectu, adversus Christianos edidit dogmata, propugnator factus Judaicæ superstionis. Hunc ego vidi, ac plerique monachorum; neque enim quatuor anni sunt a morte illius, qua misere perruptus est : catarrhi enim profluvium aliquandiu passus, et vermium arrosione contabescens exspiravit. Hunc cum vidissemus, ego et alii aliquot monachi, correpti timore ingenti, cum luctu lamentati sumus. Erat id sane quam miserabile spectaculum. Vir hic totus incanuerat in monastica exercitatione, consenueratque laboribus attritus; et is tandem cum mulieribus jocabatur; immundarum carnium, nempe Judaicarum gustu se defædabat et inquinabat; verba loquebatur obscœna et impudica; blasphemabat Christum; Spiritum sanctum non tolerandis afficiebat contumeliis. Et hunc talem illi sine lege Judæi secundum vocabant Abraham.* Hucusque de monacho illo a dæmone illuso et ad Judaismum prolapso Antiochus. An vero idem ille, an alius exstiterit monachus, cum hoc Mesopotameno, cujus deceptio, et lapsus hoc cap. refertur, merito dubitari potest. Nam et stylus et totius narrationis contextus eamdem præ se ferre videntur historiam, nisi quod ejusdem monachi miserandus interitus et horrenda punitio divinitus illata plenius et expressius ab Antiocho describitur. At e diverso repugnant tum locorum, tum temporum circumstantiæ, quæ alterum ab altero diversum esse, non eumdem, perspicue demonstrant. Nam hic monachus (*Gal.* IV) Sinaita (*est autem Sina mons in Arabia*) teste Apostolo, ille Mesopotamenus astruitur : ille Cassiano aut anterior, aut æqualis, et synchronus ; hic fere ducentis annis posterior. Vixit enim Antiochus ille, qui rem describit, et monachum illum apostatam se vidisse testatur, tempore Heraclii imper. circa annum Domini sexcentesimum vigesimum (unde et Baronius t. VIII, hoc exemplum ponit sub anno Christi 614, Heraclii quinto) : Cassianus vero Theodosio et Valentiniano regnantibus, sub quibus etiam vitæ finem accepit, anno quadringentesimo trigentesimo quinto, ut auctor est Trithemius. Quomodo ergo narrare potuisset Cassianus, quod annis paulo minus ducentis post ipsius obitum ex Antiochi narratione contigisse cognoscitur ? Restat igitur, ut alius a Cassiano, alius ab Antiocho monachus designetur : simili tamen lapsu et illusione diabolica ad Judaismum et circumcisionem perductus.

[b] Id est, seipsum Judaico more circumciderit. Cui merito objici potuit illud Apostoli ad Galatas simili errore deceptos, et ad Judaismum et circumcisionem devolutos : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne* (id est, carnali cæremonia) *consummemini. Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa* (*Gal.* III)? Et rursum illud cap. V : *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ : nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputiam ; sed fides, quæ per charitatem operatur.* Tales etiam Ebionitæ hæretici, teste divo Hieronymo (*In c.* V *ad Gal.*) asserentes una cum baptismo circumcisionem et legem cum Evangelio servandam. (*Epiphan. in Panar., hæres.* 30.) Non male autem ponitur carnis concisio pro circumcisione. Nam et Apostolus ad Philippenses III, non circumcisionem, sed concisionem vocat, velut per contemptum, dicens : *Videte concisionem* : non dignatus circumcisionem appellare, ut notavit D. Hieronymus.

[c] Quam alias dixit præceptum Domini, ut videlicet simus probi, seu probabiles trapezitæ, sive nummularii : de qua sententia præter alios auctores ibi citatos, hæc habet D. Clemens lib. II Constit. cap. 34 : *Estote tamquam argentarii periti. Ut enim hi*

superiore tractatu disseruisti (*Collat.* 1 *cap.* 20), parabolam, qua jubemur fieri probabiles trapezitæ, numismati impressam veri regis imaginem pervidentes, deprehendere valeamus, quod non sit in moneta legitima figuratum, atque illud, sicut vulgari usus verbo hesterna collatione dixisti, tamquam paracharagmum reprobemus, illa instructi peritia, quam satis copiose et integre prosecutus, habere spiritalem, atque Evangelicum trapezitam debere signasti. Quid enim proderit virtutis ejus et gratiæ merita cognovisse, si quemadmodum debeamus expetere eam vel acquirere nesciamus?

CAPUT X.

Responsio, quemadmodum possideatur vera discretio.

Tum Moyses : Vera, inquit, discretio non nisi vera humilitate acquiritur. [a] Cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiescat, et quid bonum vel malum debeat judicare, eorum traditione cognoscat. [b] Quæ institutio non solum per veram discretionis viam juvenem recto tramite docebit incedere, verum etiam cunctis fraudibus et insidiis inimici servabit illæsum. Nullatenus enim decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivit exemplo; nec valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere, sed eos maturo examine seniorum vel reprobat vel admittit. Illico namque, ut patefacta fuerit, cogitatio maligna marcescit; et antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut e tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem, et traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones ejus noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde. Et ut virtutem sententiæ hujus efficacius colligatis, referam vobis abbatis [c] Serapionis factum, quod ille junioribus instructionis gratia frequenter proponebat.

CAPUT XI.

Verba abbatis Serapionis, et de marcore patefactarum cogitationum, et de periculo propriæ confidentiæ.

Cum adhuc essem puerulus, inquit, et cum abbate [d] Theone commanerem, hæc mihi fuerat ini-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nummos adulterinos segregant, probos autem sibi adjungunt : sic oportet episcopum quæ vitiis quidem carent retinere; vitiosa vero, vel curare, vel, si est ægritudo insanabilis, expellere et celeriter amputare, neque quibusvis credere. Et Damascen. lib. IV de Fide Orthod. c. 18 : *Si autem ab iis qui foris sunt decerpere quippiam utile voluerimus, haud aspernabile est. Efficiamur probati trapezitæ, legitimum et purum aurum acervantes, adulterinum autem refutantes; sumamus sermones optimos, deos autem ridiculos et fabulas alienas canibus projiciamus.*

[a] Inter gradus humilitatis quinto loco ponit D. Benedictus (*Cap.* 7), *si monachus omnes cogitationes malas cordi suo advenientes abbati non celaverit suo.* Et inter instrumenta bonorum operum (*Cap.* 4) : *Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spiritali patefacere.* Qua de re alibi egimus.

[b] Hujus institutionis veterum Patrum meminit etiam Photius in Cassiano, qui certe multus ac frequens est in ea doctrina institutione commendanda et inculcanda. Sic enim alibi refert Tabennenses Patres existimasse id plurimum conducere ad spiritualis vitæ fundamenta firme jacienda, ut juniores tentationes suas atque adeo cogitationes superiori aut seniori quam citissime et sua sponte detegant : *Instituuntur*, inquit (*Lib.* IV *Inst. cap.* 9), *nullas penitus cogitationes prurientes in corde perniciosa confusione celare; sed confestim ut exortæ fuerint, eas suo patefacere seniori, nec super earum judicio quidquam suæ discretioni committere; sed illud credere malum esse, vel bonum, quod discusserit aut pronuntiaverit senioris examen. Itaque fit ut in nullo circumvenire juvenem callidus inimicus, velut inexpertum ignarumque prævaleat, nec ulla fraude decipere quem prævidet non sua, sed senioris discretione muniri, et suggestiones suas, vel ignita jacula quæcumque in cor ejus interjecerit, ut seniorem celet, non posse suaderi.* Sic elegantèr Cassianus, vel apud Cassianum vetusti Patres de cogitationum cita manifestatione disputarunt; quæ huic loco plane consonant. Eodem etiam spectat illa D. Antonii admonitio apud Athanasium (*In vita S. Antonii*) : *Magnam esse ad virtutem viam, si singuli vel observarent quod gererent, vel universas mentium cogitationes fratribus referrent : non enim posse aliquem peccare, cum relaturus esset alteri quæcumque peccasset, et subire pudorem in publicum turpia proferendi, etc.*

[c] Tres ejusdem nominis anachoretæ sanctitatis laude claruerunt. Primus ille magnus Serapion ex anachoreta episcopus Thmuèos ab Athanasio ordinatus, ut ipse testatur in epist. ad Dracontium. Exstat epistola ejusdem Athanasii ad eumdem Serapionem adversus eos qui mussitare incipiebant Spiritum sanctum esse creaturam : itemque Commentarius de blasphemia in Spiritum sanctum et alia epistola de morte Arii. Agit de eodem S. Hieronymus lib. de Script. Eccles. et in epistola ad Magnum (*Epist.* 84), Socrates lib. IV Histor. cap. 18, Histor. Tripart. lib. I cap. 1, Niceph. lib. IX, cap. 14, et lib. XI cap. 43. Alter Serapion Sindonius, sive Sindonites dictus (quod præter sindonem nihil indueret), de quo mira refert Palladius Lausia. 83. Tertius denique Serapion Arsenoites, decem millium monachorum abbas, idemque presbyter, de quo idem Palladius Lausia. 76, et Petrus in Catalogo lib. III cap. 217. De quo hic agi omnino existimo, et cum eo habitam collectionem quintam ejus nomine inscriptam, quæ est de octo principalibus vitiis. Nam primus ille Cassiani ætatem multo tempore antecessit. Secundus nec abbas nominatur, nec monachis præfuisse legitur.

[d] Hujus nomine inscribuntur, ut cum eo habitæ, tres collationes : vigesima prima, quæ est de remissione Quinquagesimæ; vigesima secunda, de nocturnis illusionibus; et vigesima tertia, de eo quod Apostolus ait : *Non enim quod volo bonum, hoc facio*, etc. Dictus autem Theon, et Theona, vel Theonas : de quo idem Cassianus collatione 21 cap. 9, et Palladius Lausia. 50 : *Vidimus*, inquit, *alium non procul a civitate, in solitudine, nomine Theonam, virum sanctum, in domuncula seorsum inclusum, qui tempore triginta annorum silentium exercuerat*, etc. De eodem Sozomenus lib. VI cap. 28, Nicephor. lib. XI cap. 34, et Histor. Triparti. lib. I cap. 8. Meminit et Sophronius in Prato Spirit. cap. 27. Fuit alter Theonas (ne quis forte eumdem existimet), episcopus Alexandriæ, de quo Eusebius in Chronico et Histor. lib. VII cap. ultimo, Nicephorus Callisti lib. VI cap. 34, et Nicephor. episcopus in Chronico.

mici impugnatione consuetudo ingesta, ut postquam refecissem hora nona cum sene, unum [a] paxamacium quotidie in sinu meo latenter absconderem, quod sero illo ignorante occulte edebam. Quod furtum, licet convenientia [*Al.* conniventia] voluptatis et inoliti semel desiderii incontinentia sine cessatione committerem, expleta tamen concupiscentia fraudulenta, ad memetipsum revertens super admisso furti crimine, gravius cruciabar, quam super esu ejus fueram jucundatus. Cumque illud molestissimum opus velut ab exactoribus Pharaonis (*Exod.* v) indictum mihi vice laterum singulis diebus explere non sine dolore cordis mei compellerer, nec tamen eruere me possem ab hac eorum sævissima tyrannide, et clandestinum furtum seni manifestare confunderer, contigit Dei nutu de hoc me captivitatis jugo volentis eripere, ut quidam fratres cellam senis obtentu ædificationis expeterent. Cumque refectione transacta, collatio spiritalis cœpisset agitari, respondensque senex propositis interrogationibus eorum, de gastrimargiæ vitio et occultarum cogitationum dominatione dissereret, earumque naturam et atrocissimam vim quam haberent, donec celarentur, exponeret, compunctus ego collationis hujus virtute, et conscientia redarguente perterritus, velut qui crederem ob hoc ea fuisse prolata, quod seni Dominus secreta mei pectoris revelasset, in occultos primum gemitus excitatus, deinde cordis mei compunctione crescente, in apertos singultus lacrymasque prorumpens, paxamacium, [b] quod consuetudine vitiosa clancule subtraxeram comedendum, de sinu furti mei conscio ac susceptore produxi, ipsumque in medium proferens, quemadmodum quotidie latenter ederem, prostratus in terram, cum veniæ postulatione confessus sum, et ubertim profusis lacrymis, ut absolutionem durissimæ captivitatis a Domino deposcerent, imploravi. Tunc senex : Confide, ait, o puer, [c] absolvit te ab hac captivitate, etiam me tacente, confessio tua. Victorem namque adversarium tuum hodie triumphasti, validius eum tua confessione elidens, quam ipse fueras ab eo tua taciturnitate dejectus : quem utique nequaquam vel tua, vel alterius responsione [*Lips. in marg.* reprehensione] confutans, in te nunc usque permiseras dominari, secundum illam Salomonis sententiam (*Eccles.* VIII) = [d] *Quia non fit contradictio his qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis ut faciant mala.* Et idcirco jam te post hanc publicationem tuam nequissimus spiritus iste inquietare non poterit, nec in te latibulum sibi teterrimus serpens deinceps usurpabit, de tenebris tui cordis confessione salutari protractus ad lucem. Nec dum senex hæc verba compleverat, et ecce lampas accensa de meo sinu procedens ita cellam replevit odore sulfureo, ut vehementia fetoris ipsius vix in ea residere nos permitteret. Resumensque senex admonitionem, Ecce, inquit, Dominus tibi veritatem sermonum meorum visibiliter approbavit, ut passionis incentorem de corde tuo confessione salubri fugatum, oculis pervideres, patefactumque hostem nequaquam locum in te ulterius habiturum, aperta ejus expulsione, cognosceres. Itaque secundum sententiam senis, Ita est, inquit, in me confessionis hujus virtute dominatio diabolicæ illius tyrannidis exstincta atque in perpetuum consopita, ut numquam mihi ne memoriam quidem concupiscentiæ hujus ulterius tentaverit inimicus ingerere, nec me post hæc aliquando pulsatum furtivi illius desiderii instigatione persenserim. Quem sensum in Ecclesiaste quoque pulcherrime legimus figuratum : [e] *Si momorderit,* inquit, *serpens non in sibilo, non est abundantia incan-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Alias paximacium, de quo alibi diximus, et infra dicturi sumus (*Lib.* IV *Instit. cap.* 14. *coll.* 2). Legitur et paxamidium in Vita Pauli Simplicis, et apud Palladium Lausia. 28, et paximas et paxamadium in Vitis Patrum, quod Cuychius (*cap.* 19 ; *et collat.* 12, *cap.* 15) panem bis coctum significare dicit ; auctore, credo, Suida, apud quem παξαμᾶς δὶπυρος ἄρτος, id est, panis bis coctus dicitur.

[b] Haud multum dissimile, sed exitu ac fine lugubri horrendum exemplum cujusdam monachi, qui se cum fratribus jejunare simulans occulte comedebat, legitur apud D. Gregorium lib. IV Dialog. cap. 38, in hæc verba : *Est etiam nunc apud nos Athanasius ex Isauria presbyter, qui in diebus suis Iconii rem terribilem narrat evenisse. Ibi namque, ut ait, quoddam Monasterium Thongolaton dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus ; sed, sicut ex fine res patuit, longe aliter quam apparebat fuit. Nam cum jejunare se cum fratribus demonstraret, occulte manducare consueverat, quod ejus vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superveniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cum esset in fine, fratres ad se omnes qui monasterio inerant, congregari fecit. At illi tali, ut putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderunt. Quibus in se, afflictus et tremens, compulsus est prodere cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit : Quando me vobiscum credebatis jejunare, occulte comedebam : et ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesque colligavit ; caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque ut pœnitendo se liberare potuisset, a dracone, quem viderat, exspectatus non est. Quo nimirum constat quia ad solam utilitatem audientium viderit, qui eum hostem, cui traditus fuerat, et innotuit, et non evasit.* Ita D. Gregorius.

[c] Confessionis virtus et efficacia : de qua aliud simile et memorabile exemplum habes apud Joan. Climac. gradu 4, qui est de obedientia.

[d] Ita D. Hieronymus eamdem sententiam vertit ex Hebræo. At vetus translatio habet : *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.*

[e] Græca translatio hoc loco nonnihil differt a nostra Vulgata, quæ sic habet : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.* Græca vero Latine ita sonat, ut hic fere exprimitur : *Si mordeat serpens non in strepitu, vel sibilo, nihil est amplius incantanti.* Quamobrem hujus sententiæ duplex sensus redditur a divo Hieronymo juxta duplicem ejus versionem. Prior est : *Serpens et detractor æquales sunt. Quomodo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, et nihil habet a serpente am-*

tatori (*Eccles.* x), taciti serpentis morsum perniciosum esse designans, id est, si per confessionem suggestio seu cogitatio diabolica incantatori cuiquam, spiritali scilicet viro, qui carminibus Scripturarum mederi protinus vulneri, et extrahere de corde consuevit noxia venena serpentis, patefacta non fuerint, succurrere periclitanti periturove non poterit. Hoc igitur modo ad scientiam discretionis veræ pervenire facillime poterimus, ut seniorum vestigia subsequentes, neque agere quidquam novi, neque discernere nostro judicio præsumamus; sed quemadmodum nos vel traditio illorum vel vitæ probitas informarit, in omnibus gradiamur. Qua institutione firmatus, non modo ad perfectam discretionis rationem quisque perveniet, verum etiam a cunctis insidiis inimici tutissimus permanebit. Nullo namque alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis seniorum, in suo judicio persuaserit ac definitione doctrinave confidere. Etenim cum omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ,. et quæ nihil amplius quam vitæ hujus temporariæ commodis prosunt, licet manu palpari queant et oculis pervideri, recte tamen a quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; [a] quam ineptum est credere hanc solam non egere doctore, quæ et invisibilis et occulta est, et quæ non nisi corde purissimo pervidetur, cujus error non temporale damnum, nec quod facile reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemque perpetuam! Habet enim non adversus visibiles, sed invisibiles atque immites hostes diurnum nocturnumque conflictum, nec contra unum seu duos, sed contra innumerabiles catervas spiritale certamen, cujus casus tanto perniciosior cunctis, quanto et infestior inimicus, et congressus occultior. Et ideo semper seniorum summa diligentia sunt sectanda vestigia, atque ad eos cuncta quæ in nostris cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine, deferenda.

CAPUT XII.

Confessio verecundiæ, ob quam confunderemur cogitationes nostras senioribus revelare.

Germanus : Occasionem nobis perniciosæ verecundiæ, qua cogitationes malas studeamus obtegere, ac salutari eas patefacere confessione vereamur, illa præcipue creat causa, qua novimus quemdam in Syriæ partibus, ut credebatur, præcipuum, seniorum cuidam fratri cogitationes suas simplici confessione prodenti, postmodum quadam indignatione commotum easdem graviter exprobrasse. Unde ut, ut dum eas in nobis premimus, ac senioribus erubescimus publicare, curationum remedia consequi nequeamus.

CAPUT XIII.

Responsio de confusione calcanda et periculo non condolentis.

Moyses : Sicut non sunt omnes juvenes pari modo vel ferventes spiritu, vel disciplinis ac moribus optimis instituti, ita ne senes quidem cuncti uno modo vel perfecti possunt, vel probatissimi, reperiri: [b] Divitiæ enim senum non sunt canitie capitis,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

plius. Alter sensus : *Si quem serpens diabolus momorderit, et nullo conscio eum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, et non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri et magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri; quod ignorat, medicina non curat.* Ita divus Hieronymus. Atque hunc posteriorem sensum illi versioni et suo instituto congruentem hic abbas secutus est, cui et Græci Patres astipulantur. Sic enim Olympiodorus hunc locum explanat : *Si peccati serpens mordeat in silentio, hoc est, ita ut peccator admissum scelus nolit confiteri, nullam salutem ei poterit præstare is qui sancta incantatione eum susceperit, donec sua peccata confiteri noluerit.* Cui consonat in sua Metaphrasi divus Gregorius Neocæsariensis : *Occultum*, inquiens, *serpentis morsum incantatores non medicabuntur. Occultus enim morsus serpentis est peccatum a peccatore celatum : qui morsus ab incantatoribus, quantumvis prudentibus, id est viris spiritualibus et sacerdotibus, non poterit curari, donec per confessionem in palam veniat.*

[a] Ita divus Hieronymus suum Rusticum monachum serio admonet his verbis : *Mihi quidem placet ut habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, et absque doctore ingrediaris viam quam numquam ingressus es, statimque tibi in partem alteram declinandum sit, et errori pateas, plusque aut minus ambules quam necesse est; ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias.* Idem in celebri illa ad Paulinum epistola graviter perstringit quosdam absque præceptoribus jactitare divinarum Scripturarum notitiam : *Agricolæ* (*Epist.* 103), inquit, *cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque, et fullones, et cæteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt quod cupiunt; quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri; sola scripturarum ars est quam sibi passim omnes vindicant,* etc. Rursus in epistola ad Pammachium de errоribus Origenis hæc inter alia (*Epist.* 65) : *Dum essem juvenis, miro discendi ferebar ardore, nec juxta quorumdam præsumptionem ipse me docui*; et subdit postmodum : idem se adhuc fecisse, *dum canis spargeretur caput, et putarent hominis ipsum finem fecisse discendi.* Similiter divus Augustinus sermone centesimo duodecimo de tempore : *Sicut cæcus,* inquit, *sine ductore, sic homo sine doctore viam rectam vix graditur.*

[b] Divus Hieronymus : *Non enim in homine ætas, sed virtus spectanda est.* Et Cicero in Catone : *Non cani,* inquit, *non rugæ repente auctoritatem afferunt; sed recte acta ætas auctoritatis fructus præbet extremos.* Viderint hæc seniores illi, qui solo senectutis titulo in religione gloriantur, quasi religiosiores, quia seniores : quos hic certe abbas Moses graviter perstringit. Nam quod ait D. Hieronymus (*Epist.* 13) : *Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis recte vixisse laudandum est.* Idem de religione et religiosis dici potest. Est senectus quidem, in religione maxime, venerabilis et honorabilis : sed, ut ait Sapiens mox citatus : *Non quia diuturna, aut annorum numero computata,* sed quia *cani sunt sensus hominis* (*Sap.* IV), id est, maturi, providi et exercitati ad discretionem boni et mali, ut ait Apostolus (hæc enim vera canities, quæ mentem ornat) : *et ætas senectutis vita immaculata* (*Hebr.* V). *Canities,* ait Chrysostomus (*Homil.* 7 *in Epist. ad Hebr.*), *tunc est venerabilis, quando ea gerit quæ canitiem decent; cum vero juveniliter senex conversatur, plus juvenibus ridiculus erit.* Hinc Apostolus senes serio admonet, *ut sobrii sint, pudici,*

sed industria juventutis ac præteritorum laborum stipendiis metiendæ.[a] *Quæ enim non congregasti,* inquit, *in juventute, quomodo invenies in senectute tua* (*Eccl.* XXV)? *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sapient.* IV). Et idcirco non omnium seniorum, quorum capita canities tegit, quosque vitæ longævitas sola commendat, nobis sunt imitanda vestigia vel sectanda, seu traditiones ac monita suscipienda,[b] sed eorum quos laudabiliter vitam suam ac probatissime comperimus in juventute signasse, nec præsumptionibus propriis, sed majorum traditionibus institutos. Sunt enim nonnulli, quorum etiam, quod est lugubrius, major est multitudo, qui in tepore suo quem ab adolescentia sua conceperunt, atque ignavia senescentes, auctoritatem sibi non maturitate morum, sed annorum numerositate conquirunt (*Vide collat.* 24, *c.* 1). De quibus exprobratio illa Domini proprie satis dirigitur per Prophetam, *Et comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit* (*Ose.* VII). Hos, inquam in exemplum junioribus, non vitæ probitas, nec ulla propositi hujus laudabilis atque imitanda districtio, sed annositas sola provexit. Quorum canitiem callidissimus inimicus, ad deceptionem juniorum in[c] præjudicata auctoritate proponens, etiam illos qui ad vitam perfectionis, vel suis vel aliorum potuerunt monitis incitari, subvertere ac decipere exemplis eorum fraudulenta subtilitate festinat; vel in teporem eos, scilicet noxium, vel in lethalem desperationem eorum doctrinis institutisque perducens, Cujus rei volens proferre vobis exempla, auctoris nomine prætermisso (ne nos quoque illius qui patefacta sibi fratris vitia publicavit, simile aliquid admittamus), rem tantum gestam, quæ instructionem necessariam vobis conferre possit, paucis exponam.[d] Cum igitur ad senem quemdam nobis optime cognitum quidam non ignavissimorum juvenum profectus sui et curationis gratia perrexisset, et[e] carnalibus incentivis ac fornicationis spiritu semetipsum inquietati simpliciter prodidisset, consolationem credens laboribus suis oratione senis et remedia inflictis vulneribus reperturum, ille amarissimis eum verbis increpans, miserabilem et indignum, nec monachi nomine censendum esse pronuntians, qui potuerit hujusmodi vitio et concupiscentia titillari, ita suis econtrario correptionibus vulneravit, ut eum summa desperatione dejectum mœstumque admodum ac lethali tristitia consternatum e sua dimitteret cella. Cumque ei in tali mœrore depresso, nec jam de remedio passionis, sed de expletione conceptæ concupiscentiæ profunda cogitatione tractanti,[f] **Abbas**

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia (*Tit.* II). Et acute dixit Seneca (*Epist.* 4), vix appellari posse senes illos, in quibus exacta jam pueritia remanet, quod gravius est, puerilitas.

[a] Egregius est locus Ecclesiastici, plures sententias eodem spectantes, et concatenatas complectens: proinde totus hic referendus: *Tres,* inquit, *species odivit anima mea, et aggravor valde animæ illorum* (pro quo 70: *Et gravis fui valde vitæ illorum*): *Pauperem superbum, divitem mendacem, senem fatuum et insensatum. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies? Quam speciosum canitiei judicium, et presbyteris cognoscere consilium! Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus, et consilium! Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei.*

[b] Tales illi senes vere religiosi, et non tam canitie quam virtute venerandi, immo admirandi, de quibus Joannes Climacus gradu 4: *Plurimi,* inquit, *apud sanctos illos viros deprehensi sunt actu, et speculatione, districtioneque et humilitate mirabiles. Videres in eis terribile quoddam, angelicumque spectaculum, senes canitie verendos, augustiore facie infantium in morem ad obediendum semper paratos huc illucque discurrere, gloriamque sibi maximam per humilitatem comparare. Vidi illic viros quinquaginta fere annos in obedientiæ certamine egisse, a quibus cum addiscere orarem, quam ex labore isto consolationem, quem profectum invenissent; alii quidem in abyssum humilitatis jam se pervenisse dicebant, per quam bellum omne semper excluderent ac superarent; alii sensum omnem laboris et doloris in maledictis et contumeliis se perfecte exuisse dicebant. Vidi alios ex illis æterne memorandis viris, angelico aspectu, venerandaque canitie ad profundissimam innocentiam, simplicitatemque sapientiæ plenissimam, summa alacritate propositi Deique adjutorio quæsitam, non irrationabilem quamdam, et insipidam, ut in sæculi senibus contingit* (*quales deliros vocare solent*), *pervenisse, extrinsecus quidem mites totos, blandos, placidos, lætos, nihil fictum, nihil negligens, nihil adulterinum, in suis verbis aut moribus habentes, rem quidem quæ in paucis invenitur; interius vero in anima Deum ipsum ac prælatum infantium in morem ambientes, mentisque aciem adversus dæmones et vitia audacem firmissimamque intendentes.* Sic ille senes vere religiosos imitandos et audiendos describit. De honore et veneratione senioribus exhibenda ex præscripto Regulæ D. Benedicti, vide Turrecrematum tract. 50 in eamdem.

[c] D. Hieronymus in cap. I epist. ad Galat.: *Neque vero more Pythagorico quidquid responderam rectum putabat, nec sine ratione præjudicata apud eam valebat auctoritas.* Ita Hieronym. *Præjudicata* itaque *auctoritate,* id est, male præsumpta ob solam senectutem, sicut enim causa præjudicata dicitur quæ præsumpta opinione damnata est, ante sententiam latam; sic auctoritas præjudicata hic dicitur quam insulsi et irreligiosi senes sola senectutis obtentu sibi vindicant; quo etiam diabolus subinde abutitur ad deceptionem juniorum, ut hic dicitur.

[d] Habes hoc exemplum et alia hujusmodi lectu digna in Vitis Patrum lib. V novæ edit., libel. V, qui est de fornicatione. Vide simile apud Palladium in Vita Mosis.

[e] Infra *Incentivorum stimulis.* Ita Sidonius lib. VI epistol. 1 carnalium vitiorum incentiva dixit. Ambrosius lib. VI Hexaemeron, odiorum incentiva; et in psalmum CXVIII, delictorum incentiva. Hieronymus ad Nepotianum et ad Rusticum, pubertatis incentiva, carnalia incentiva, incentivorum stimulos. Porro incentor, incentio et incentivum, non ab incendo, ut vult Isidorus (*Lib.* X *Etymol. lit.* I); sed ab incino, incinere, derivantur, quod est cum aliqua modulatione canere, vel alicui, velut in aurem canere ad demulcendum vel incitandum, ut solent milites incentione tubarum ad bellum incitari, unde frequentativum incanto, incantator. Itaque incentivum idem quod incitamentum, vel irritamentum, et incentor, id est, incitator, instigator, non incensor, nisi metaphorice (*Gell. Noct. Attic. l.* IV *cap.* 13).

[f] Clarus hic et celebris inter antiquiores et illu-

Apollo seniorum probatissimus occurrisset, laboremque et oppugnationis vehementiam, quæ in corde ejus tacite volvebatur, de contemplatione vultus et dejectione conjectans, causam tantæ perturbationis inquireret, atque ille molliter se compellanti seni ne responsum quidem ullum posset referre, magis ac magis eum sentiens senex non inaniter causam tantæ tristitiæ silentio velle contegere, quam ne vultu quidem dissimulare quivisset, intentius ab eo causas occulti doloris cœpit inquirere. Quibus ille constrictus, pergere se ad vicum confitetur, ut quia secundum sententiam illius senis monachus esse non posset, nec refrenare stimulos carnis et impugnationis remedia consequi jam valeret, uxorem duceret, ac relicto monasterio reverteretur ad sæculum. Quem senex Apollo blanda consolatione demulcens, seseque asserens iisdem quotidie incentivorum stimulis atque æstibus agitari, et idirco non debere eum prorsus desperatione concidere, nec mirari super impugnationis ardore, qui non tam laboris studio quam misericordia Domini et gratia vinceretur : unius tantum diei ab eodem poposcit inducias, et ut reverteretur ad suam cellulam deprecatus, ad monasterium prædicti senis tota festinatione perrexit. Cumque eidem proximasset, expansis manibus, orationem cum lacrymis fundens : Converte, ait, Domine, qui occultarum virium et infirmitatis humanæ solus arbiter pius ac secretus es medicus impugnationem illius juvenis in senem istum, ut condescendere infirmitatibus laborantium et compati fragilitati juniorum vel in senectute doceatur. Cumque ille hanc precem cum gemitu conclusisset, cernit [a] Æthiopem tetrum contra illius cellulam stantem, atque adversus eum ignita jacula dirigentem. Quibus cum fuisset ille protinus sauciatus, et progressus e cella, huc illucque velut amens et ebrius cursitaret, atque egrediens et ingrediens, jam continere se in ea non posset, eadem via concitus pergere cœpit, qua A juvenis ille discesserat. Quem abbas Apollo velut amentem factum quibusdam furiis agitari conspiciens, intellexit ignitum diaboli telum, quod viderat ab illo directum, in ejus corde fuisse defixum, illamque in eo confusionem mentis ac perturbationem sensuum intolerandis æstibus operari; accedensque ad eum, Quo, inquit, properas, aut quænam te causæ senilis illius gravitatis oblitum ita pueriliter inquietant ac mobiliter cursitare compellunt? Cumque ille pro conscientiæ suæ reatu ac turpi exagitatione confusus, crederet ardorem sui pectoris deprehensum, ac retectis seni sui cordis arcanis, nullam responsionem percunctanti reddere prorsus auderet : Revertere, inquit, ad cellam, tandemque te intellige vel ignoratum hactenus a diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidie confligere et colluctari profectibus eorum ac studiis instigatur, qui unum ejus in te directum jaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione trivisti, non dicam respuere, sed ne suffere quidem vel uno die quivisti; quo te sauciari Dominus idcirco passus est, ut saltem in senecta disceres compati infirmitatibus alienis, et fragilitati condescendere juniorum tuis exemplis atque experientia docereris, qui suscipiens juvenem infestatione diabolica laborantem, non modo nulla consolatione fovisti, sed etiam perniciosa desperatione dejectum, inimici manibus tradidisti, quantum in te est, ab eodem lugubriter devorandum, quem sine dubio nequaquam tam vehementi conflictu fuisset aggressus, quo te nunc usque est appetere dedignatus, nisi futuro profectui ejus invidens inimicus illam virtutem quam animo ejus inesse cernebat, anticipare ac pervertere suis ignitis jaculis festinasset; proculdubio intelligens fortiorem, cui tanta vehementia confligere operæ pretium judicavit. Disce itaque tuis exemplis laborantibus compati, et periclitantes nequaquam perniciosa desperatione terrere,

ÁLARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

striores anachoretas. Vixit enim tempore Juliani Apostatæ, quingentorum monachorum Pater; miraculorum gloria illustris. Ejus vitam et res præclare gestas Palladius satis ample describit Lausia. 52. Meminit ejusdem Sozomenus lib. VI cap. 20, et ex eo Nicephorus lib. XI cap. 34, et Cassiodorus in Historia Tripart. lib. VIII cap. 1. Dictus est Apollos, vel Apollo, voce indeclinabili : quomodo etiam Apostolus (I *Cor.* III, 4) quemdam Ecclesiæ ministrum nominat Apollo, non Apollinem; ad supprimendam, ut opinor, profani illius et famosi Apollinis Pythii sive Delphici memoriam. Meminit etiam cœnobii abbatis Apollo Sophronius in Prato Spirituol. cap. 184. Fuit et Apollonius anachoreta non obscurus, de quo Palladius Lausia. 66, et Nicephorus lib. XI cap. 35, quem nonnulli cum hoc Apollo male confundunt, perperam illi attribuentes quæ ne hoc prodita sunt. (*Vincen. Spec. Histor. lib.* XV; *Anton. in* II *par. tit.* 16, *cap.* 10; *Pet. in Catalog. lib.* IV.).

[a] Diabolum in forma Æthiopis, seu hominis nigri apparere solitum multis exemplis compertum est. Vide supra collat. 1 cap. 24, Athanasium in Vita S. Antonii. Vitas Patrum in Macario, Victorem Uticens. lib. I Persecutionum Vandal., Gregorium magnum libro secundo Dialog. cap. 4 et lib. IV cap. 18, Petrum Cluniacensem in lib. I de Mirac. cap. 8. Sed lepidum est, et memoria dignum, quod in Vita abbatis Apollo, de quo supra, refert Palladius his verbis; Is, inquit, cum quindecim annos natus a mundo secessisset, et quadraginta annos in solitudine transegisset, et in ea omnem virtutem exercuisset, visus est postea audire Dei vocem dicentis ei : Apollo, per te sapientiam sapientum in Ægypto, et prudentiam gentium abolebo. Generabis enim mihi populum peculiarem, æmulatorem bonorum operum. Is autem respondens dixit : Aufer a me, Domine, arrogantiam, ne forte elatus supra fraternitatem, mulcter omni bono opere. Ei autem rursus dixit vox divina : Mitte manum tuam super collum tuum, et deinde pones eam, et infodies arenæ. Is autem cum statim manum misisset super collum, apprehendit parvum Æthiopem, et eum infodit in arena clamantem, et dicentem : Ego sum dæmon superbiæ. Hæc ibi. Et revera congruit hæc figura dæmoni, sive ex ipsius conditione, aut etiam electione; sive ex Dei ordinatione et voluntate, quam ipsa signat nominis analogia. Nam Æthiops, *cusi* Hebræis, id est *niger*, et Αἰθιώψ Græcis *incendens* vel *incensus* interpretatur; quæ quam ipsi conveniant, ipse viderit.

nec durissimis sermonibus asperare, sed potius leni blandaque consolatione reficere, et secundum præceptum sapientissimi Salomonis *eruere eos qui ducuntur ad mortem, et redimere eos qui interficiuntur ne parcas* (*Prover.* XXIV); nostrique Salvatoris exemplo arundinem quassatam non conterere, et linum fumigans non exstinguere (*Isaiæ* XLII; *Matt.* XII), illamque a Domino gratiam postulare, qua ipse quoque fiducialiter valeas opere ac veritate cantare: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo* (*Isaiæ* L). Nullus enim posset insidias inimici sufferre, seu carnales æstus naturali quodammodo igne flagrantes vel exstinguere, vel reprimere, nisi gratia Dei vel juvaret fragilitatem nostram, vel protegeret ac muniret. Et idcirco salutaris hujus dispensationis ratione finita, qua vel illum juvenem perniciosis æstibus Dominus liberare, vel de impugnationis vehementia, et compatiendi affectu te voluit erudire, communibus eum precibus imploremus, quo flagellum istud quod utilitatis gratia tibi Dominus inferre dignatus est, jubeat amoveri (*ipse enim dolere facit et rursum medetur, percutit et manus ejus sanant* [*Job.* V]; *ipse humiliat et exaltat, ipse occidit et vivificat, deducit ad infernum et reducit* [I *Reg.* II], et ignita diaboli jacula quæ me arbitro tibi permisit infligi, donante Spiritus sui rore, restinguat. Quam tentationem, licet eadem celeritate qua inferri eam Dominus passus est, ad unam senis orationem rursus abstulerit; evidenti tamen experimento docuit, non modo non exprobrari patefacta cujusque vitia debere, sed ne leviter quidem laborantis dolorem debere contemni. Et idcirco nequaquam nos [*Lips. in marg.* vos] unius sive paucorum vel imperitia vel levitas ab illa salutari, quam prædiximus, via et traditione majorum deterreat et excludat, quorum canitie ad deceptionem juniorum callidissimus abutitur inimicus: sed absque ullo confusionis operimento omnia debent senioribus revelari, atque ab eis vel remedia vulnerum, vel exempla conversationis ac vitæ fiducialiter sumi; in quibus parem opem et similem experiemur effectum, si nihil penitus affectare nostro judicio ac præsumptione tentemus.

CAPUT XIV.

De vocatione Samuelis.

Denique in tantum placita Deo hæc sententia comprobatur, ut etiam in Scripturis sanctis hanc eamdem institutionem non otiose reperiamus insertam, ita ut puerum [a] Samuelem judicio prælatum suo [*Lips. in marg.* præelectum judicio suo] nollet per semetipsum divini colloquii disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel et iterum pateretur ad senem; eumque quem ad suum vocabat alloquium, etiam illius qui offenderat Deum, dummodo senioris, doctrina vellet institui; et quem sua vocatione dignissimum judicarat, senioris mallet institutione formari, ut scilicet et illius qui ad divinum ministerium vocabatur probaretur humilitas, et junioribus forma subjectionis hujus proponeretur exemplo (I Reg. III).

CAPUT XV.

De vocatione Pauli apostoli.

Paulum quoque per semetipsum vocans et alloquens Christus, cum posset ei perfectionis viam reserare confestim, dirigere ad Ananiam mavult, et ab eo jubet viam veritatis agnoscere, dicens: *Surge et ingredere civitatem, et ibi tibi dicetur quid te oporteat facere* (*Actor.* V). [b] Mittit itaque et hunc ad seniorem, eumque illius potius doctrina quam sua censet institui; ne scilicet quod recte gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet simili modo se quoque debere Dei solius magisterio atque doctrina potius quam seniorum institutione formari. Quam præsumptionem omnimodis detestandam etiam ipse Apostolus, non solum litteris, sed etiam opere atque exemplo docet, ob hoc solummodo se asserens Jerosolymam conscendisse, ut evangelium, quod, comitante gratia Spiritus sancti, cum potestate signorum et prodigiorum gentibus prædicabat, cum suis coapostolis et antecessoribus privata quodammodo ac domestica examinatione conferret: *Et contuli*, inquiens, *cum illis Evangelium quod prædico inter gen-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Constat hunc Dei morem esse perpetuum, aut certe ordinarium, ut cum ipse vel per se, vel per angelos illuminare omnes possit, malit tamen homines ab hominibus doceri atque institui; sive ut ea ratione mutuam charitatem, velut inter membra, conciliet; sive ut alterum alteri subjiciendo humilitatem exerceat et commendet. Quod hic Moses Samuelis pueri exemplo confirmat, quem Dominus ipse in prima vocatione erudire noluit, sed semel et iterum, immo et tertio, ad senem Heli passus est recurrere; et quem ad suum vocabat colloquium, ejus tamen qui ætate superior, sanctitate inferior erat, institutione formari, ut ab eo edoctus, tandem vocanti se Deo responderet: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Simile exemplum elucet in Cornelio Centurione (*Actor.* X), cui cum angelus apparuisset, eadem certe opera potuisset ei omnia fidei mysteria revelare, idque utrique commodius et compendiosius fuisset; tamen eum ad Petrum allegat: *Accerse*, inquit, *Simonem, hic dicet tibi quid te oporteat facere.*

[b] Quod merito admirans D. Bernardus (*serm.* 1, *de Convers. S. Pauli, Actor.* IX), illamque civitatem religiosis interpretans ipsam esse religionem, ita exclamat: *O sapientia suaviter vere universa disponens! eum cui tu loqueris, erudiendum de tua voluntate mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas, et edoctus per hominem, discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. Ingredere*, inquit, *civitatem. Videtis, fratres, non sine divino auxilio factum esse ut hanc civitatem Domini virtutum ingrederemini, divinam discere voluntatem.* Idem confirmat D. Augustinus, qui, cum eadem exempla Pauli et Cornelii commemorasset, hæc aptissime adjungit (*in prolog. de Doctrin. Christian.*): *Poterant utique omnia per angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nollet. Deinde ipsa charitas, quæ sibi invicem homines nodo charitatis astringit, non haberet aditum refundendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

tes, ne forte in vacuum currerem aut currissem (*Galat.* II.) Quis ergo tam præsumptor et cæcus sit, qui se audeat suo judicio ac discretioni committere, cum Vas electionis indiguisse coapostolorum suorum se collatione testetur? Unde manifestissime comprobatur nulli a Domino viam perfectionis ostendi, qui habens unde valeat erudiri, doctrinam seniorum vel instituta contempserit, parvipendens illud eloquium quod oportet diligentissime custodiri : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi ; seniores tuos, et dicent tibi* (*Deuter.* XXXII).

CAPUT XVI.

De appetenda discretione.

Omni igitur conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæsos ab utraque potest nimietate servare. Vetus namque sententia est [a] ἀκρότητες ἰσότητες, id est, nimietates æqualitates sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunii et voracitas pervenit, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni gravissimi torpor involvit. Nam per excessum continentiæ debilitatum quemque ad illum statum revocari necesse est in quo negligens quisque per incuriam detinetur; ita ut frequenter quos per gastrimargiam decipi non potuisse conspeximus, per immoderationem jejuniorum viderimus fuisse dejectos, atque ad eamdem quam vicerant passionem infirmitatis occasione collapsos. Vigiliæ quoque et pernoctationes irrationales dejecerunt quos somnus superare non potuit. Quapropter secundum Apostolum *per arma justitiæ quæ a dextris sunt et a sinistris* (II *Cor.* VI), recto moderamine transeundum est, et ita inter utrasques nimietates discretione moderante gradiendum est, ut nec a tradito continentiæ tramite acquiescamus abduci, nec rursum remissione noxia in gulæ ventrisque desideria concidamus.

CAPUT XVII.

De immoderâtis jejuniis et vigiliis.

Etenim memini me frequenter ita appetitum cibi penitus respuisse, ut duobus diebus ac tribus refectione dilata, ne memoria quidem illius edulii meam interpellaverit mentem : et rursus ab oculis meis ita somnum diaboli impugnatione subtractum, ut plures noctes ac dies paululum quid somni meis oculis a Domino precarer infundi, graviusque me periclitatum somni cibique fastidio, quam soporis et gastrimargiæ colluctatione persensi. Itaque, sicut [b] festinandum nobis est ne appetitu corporeæ voluptatis in dissolutionem noxiam dilabamur, et ante præstitutum tempus vel cibo indulgere, vel modum ejus præsumamus excedere; ita est escæ somnique refectio hora legitima, etiam si horreat, ingerenda. Utrumque enim bellum adversarii factione consurgit, et perniciosius continentia immoderata quam saturitas remissa supplantat. Ab hac namque ad mensuram, districtionis intercedente compunctione salutari, conscendi potest, ab illa non potest.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] In codicib. Basileensi et Dionysiano non legitur hæc sententia Græce, sed Latine dumtaxat, quam sic exponit Dionysius : *Nimietates æqualitates sunt*, id est, *æque nocivæ* : malim dicere, ambæ vitiosæ et nocivæ, quod plenius declaratur cap. 22, ubi paria fere ostenduntur nimiæ inediæ et nimiæ edacitatis incommoda. Hanc porro sententiam, ut Græcam, seu a Græcis prolatam, Latine tamen reddidit Faustus Rhegiensis libro I de Gratia et Libero Arbitrio, eamque suo instituto ita accommodat : *Pene utraque nimietas, dum discretionem atque discrimen tenere nescit, æquale crimen incurrit.* Et rursus (*cap.* 1 *et* 17) : *Cum inter hæc unus tantum labori, alter totum gratiæ judicet deputandum, impletur in utroque Græca sententia : nimietates æqualitates sunt, similis impietas, et par esse probatur improbitas, si totum soli gratiæ vel si totum soli ascribatur labori.* Hæc ille. Pro quibus apud Margarinum perperam legitur (*biblioth. th.* 4, *edit.* 3) : *Nimietates et inæqualitates sunt similis improbitas, et par esse probatur impietas,* etc., ut ex priore sententia et toto ejus libri tractatu colligitur. Videtur autem hæc sententia, seu proverbialis locutio, ex Aristotele desumpta II Ethic., cap. 6, ubi docet plerasque virtutes morales in medio, hoc est, inter duo extrema vitia consistere. Huic porro affinis illa veteribus celebrata sententia : μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis,* de qua Stobæus sermone 21, et alia Cleobuli apud eumdem, ἄριστον μετρὸν, *modus omnium optimus*. Quibus alludens D. Hieronymus in epistola 8, ita Demetriadem virgunculam admonet : *Neque vero immoderata tibi imperamus jejunia et enormem ciborum abstinentiam quibus statim delicata corpora franguntur, et ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conversationis jecere fundamenta.* Philosophorum quoque sententia est, μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι quod Latinus ita potest sermo resonare : *Moderatas esse virtutes; excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari.* Unde et unus septem Sapientibus : μηδὲν ἄγαν, id est, *ne quid nimis : quod tam celebre factum est, ut comico quoque versu expressum sit. Sic debes jejunare ut non palpites et respirare vix possis, et comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus ; sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias.* Idem in Isaiam lib. XIV. cap. 52 : *Neque enim vitia et perturbationes invicem se sequuntur, quod de virtutibus dicitur, quibus* nec ὑπερβάσεις *sunt, nec* ἐλλείψεις, *id est, nec plus nec minus, sed omnia temperata.* Ita Hieronymus. Eodem spectant hæc Isidori Pelusiotæ epist. 131, lib. III : *Ut corporeæ pulchritudinis norma membrorum apta proportio est, ita etiam extrema spiritualis exercitationis linea in virtutum mediocritate consistit. Nam si extremitates, ut quidam sapientes viri pronuntiarunt, in vitium degenerent* (*unde etiam virtutes mediocritates esse definierunt*), *haud abs re Sapiens quoque monuit : Noli esse justus multùm.* Hæc ille (*Epist.* 19 *et* 6). Quibus adde illud Horatii (I *Sat.* 1)

> Virtus est medium vitiorum utrimque reductum.
> Est modus in rebus : sunt certi denique fines,
> Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Idemque alibi insigni epitheto *auream* commendat *mediocritatem*. Denique pervulgatum est illud proverbium : *Modus est pulcherrima virtus.*

[b] Id est, sollicite cavendum, satagendum; festinare enim non semper properare significat, sed interdum trepidare, aut turbari, sollicitum aut anxium esse. Sallust. : *Festinantibus in summa inopia patribus.* Et Gellius (*Noct. Attic. lib.* X, *cap.* 14) ex Varrone docet aliud esse properare, aliud festinare; et festinare dictum quasi fessum esse : nam, inquit, qui multis simul rebus properandis defessus est, jam non properat, sed festinat.

CAPUT XVIII.

Interrogatio de continentiæ vel refectionis mensura.

Germanus: Quis igitur est continentiæ modus, quem æquo moderamine retinentes inter utramque nimietatem illæsi transire possimus?

CAPUT XIX.

De optimo cibi quotidiani modo.

Moyses : [a] Super hac re inter majores nostros frequenter novimus habitum fuisse tractatum. Nam discutientes continentias diversorum qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantum, vel pomis vitam A jugiter exigebant; præposuere cunctis illis refectionem [b] solius panis, cujus æquissimum modum [c] in duobus paximaciis statuerunt, quos parvulos panes vix libræ unius pondus habere certissimum est.]

CAPUT XX.

Objectio de facilitate continentiæ quæ duobus paximaciis sustinetur.

Germanus : Quod nos gratanter amplexi, respondimus hunc modum nos minime pro continentia reputare, quippe qui integrum eum nequaquam possemus insumere.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vide lib. v Instit., c. 5.

[b] Alias, sicci panis, id est, absque obsonio. Non enim excludebatur aqua.

[c] Ambigua locutio. Dubitari enim potest an singulos panes velit unius fere libræ pondus habuisse, an vero binos ac geminos. Quidam existimant singula paximacia fuisse unius libræ, et ita intelligunt B verba abbatis Moysis, *quos parvulos panes,* singulos nimirum. Verum non de singulis, sed de duobus junctim id esse intelligendum, multis argumentis constare potest, si res attente consideretur, ut erudite docet R. P. Leonardus Lessius in libello insigni de Ratione conservandæ valetudinis. Primum quia voluit exprimere quantum tota mensura panis quotidiani, quæ duobus paximaciis constabat, penderet, non quantum singula paximacia. Nam de mensura diurna agebatur. Deinde capite 21 aperte indicat mensuram illam fuisse satis exiguam et servatu difficilem, secluso omni obsonio. At si duo paximacia erant duæ libræ panis in diem, certe non fuisset illa mensura exigua, nec servatu difficilis, præsertim senibus. Quis enim tanta quantitate panis assumpta non habeat satis, aut dicatur modice aut parum sumpsisse? Neque obstat quod Germanus inferius suo et Cassiani nomine loquens, dicit se hanc mensuram (unius scilicet libræ) minime pro continentia reputare, quippe qui integram eam vix possent consumere. Nam vel loquebatur de continentia seu abstinentia strictiore, quæ non erat omnibus communis et usitata; vel certe intelligebat dictam mensuram panis cum obsonio aut pulmento aliquo, quod abbas Moyses excludit, ut ibi videre est. Præterea duo paximacia adeo non explebant famem, ut quidam mallent biduo jejunare, quam quotidie cum aliis refici; nimirum ut duplicatam portionem sumerent, et appetitui satisfacerent, ut refert idem abbas Moyses cap. 24, ubi etiam id improbat. At quis præsertim mentis exercitiis deditus comedat una vice quatuor libras, sive 48 uncias sicci panis? Denique, ut idem abbas refert cap. 11, abbas Serapion cum adhuc esset adolescentulus, postquam in refectione hora diei nona sumpsisset cum aliis duo paximacia, adhuc famebat, et idcirco furabatur tertium, quod postea clanculum comederet. At quis adolescentulus tres libras panis una refectione comedat? Ex his itaque certum videtur singula paximacia fuisse solum D sex unciarum, et duo simul juncta pondus circiter unius libræ habuisse (*Epiphan. l. de Mens. et Pondere*). Unde intelligitur apud illos Patres hunc morem fuisse, ut singulis in singulos dies circiter duodecim uncias panis comedere liceret, quæ mensura omnibus passim satis esse posset. Libra enim apud veteres erat duodecim unciarum, non sexdecim, ut apud nos (*Vide notam ad lib.* v, *cap.* 5). Sic abbas Moyses apud Palladium (*Lausia.* 22) annis sex in cellula inclusus nihil præter sicci panis uncias duodecim sumpsisse legitur. S. vero Hilarion, teste Hieronymo, a trigesimo primo anno usque ad trigesimum quintum sex tantum uncias hordeacei panis cum olere modice cocto in cibo habuit (*S. Hier. in Vita Hilar.*). Denique in Vita Pauli Simplicis refert idem Palladius *attulisse sanctum Antonium, et mensæ apposuisse quatuor paxamidia* (id est, paximacia) *sex unciarum, et sibi quidem unum madefecisse* (*erant enim sicci panes*), *Paulo autem Simplici tres.* Ubi notandum quod ait, *sex unciarum,* quod de singulis paximaciis sive panibus intelligendum esse alias docuimus. Nec mirum quod tria paxamidia Antonius Paulo apposuerit, et sibi unum dumtaxat reservarit, cum Paulus jam integram hebdomadam jejunus permansisset, ut patet ex ipsa historia. Ex quibus itidem perspicuum est quanta discretione et moderatione erga suos cœnobitas usus sit sanctissimus pater Benedictus (*Cap.* 39 *Regulæ*), quibus præter quotidianam illam panis libram, mensuram videlicet a Patribus statutam et servatam, etiam duo pulmentaria concessit, *propter diversorum infirmitates, ut qui ex uno non possunt edere, ex alio reficiantur.* Qua in re spectasse videtur præclarum exemplum et doctrinam S. Pachomii, qui, ut in ejus Vita legitur (*Cap.* 13) ingressus quoddam monasterium, post orationem venit ad coquinam, et inveniens fratrem qui coquinæ præerat psiathos operantem, quas mattas vulgus appellat, ait ad eum : Dic mihi, frater, quantum temporis habes, ex quo non coxisti fratribus olera vel legumina? Qui respondit : Sunt fere duo menses. Et S. Pachomius ait : Quare contra præceptum facere voluisti, C ut tanta fratrum negligeretur utilitas? Qui sub humili satisfactione respondit : Optaveram quidem, venerabilis Pater, quotidie implere ministerium meum; sed quia quidquid coquebam non consumebatur a fratribus, quia omnes abstinent (soli quippe pueri aliquid cocturæ percipiunt), ne tanto labore paratæ projicerentur expensæ, propterea pulmentum non coxi. At ne otiosus essem, psiathos elegi cum fratribus texere, sciens unum de his qui mihi deputati sunt, ad opus hujuscemodi posse sufficere, ut parvas escas, id est, olivas et herbulas ad refectionem fratribus pararet. Hæc audiens Pachomius, Et quot sunt, inquit, psiathi, quos te fecisse dixisti? Qui respondit : Quingenti. Et ille : Defer, inquit, huc omnes, ut videam. Qui cum fuissent allati, protinus eos igne supposito jussit exuri. Tunc ait illis : Sicut vos traditam vobis erga dispensationem fratrum regulam despexistis, sic ego passim labores vestros incendio concremavi, quatenus cognoscatis quam perniciosum sit Patrum instituta convellere, quæ pro animarum salute provisa D sunt. An ignoratis quod gloriosum sit semper abstinere præsentibus? Nam si quis ab ea re, quæ in ejus est potestate divina consideratione se continet, magnum consequitur a Domino præmium. Ab ea vero re, cujus utendi licentiam non habet, quadam nescitur necessitate cohiberi; et ideo propter abstinentiam coactam et inutilem frustra videtur exspectare mercedem; denique cum plures escæ appositæ fuerint, si fratres parcius his utuntur propter Deum, tunc apud Deum sibi maximam spem reponunt; de cibis autem quos non vident, nec eis ad percipiendum facultas ulla tribuitur, quomodo pro parcimonia præmium conceditur? Ideoque propter exiguos sumptus tanta fratrum non debuit intermitti commoditas. Hæc ibi.

CAPUT XXI.

Responsio quomodo prædicta continentiæ lex servari debeat.

Moyses : [a] Si vultis experiri vim statuti hujus, modum istum jugiter retinete, [b] nullum extrinsecus coctionis pulmentum [c] die dominico vel sabbati, neque sub aliqua advenientium fratrum occasione sumentes; nam his refecta caro non solum minore quantitate diebus residuis poterit sustentari, verum etiam totam refectionem sine labore differre, illorum scilicet ciborum quos extrinsecus sumpserit adjectione suffulta. Quod nullo modo facere, nec refectionem panis differre in diem posterum prævalebit, quisquis fuerit semper prædictæ mensuræ quantitate contentus. Etenim memini seniores nostros (quod nos quoque retineo frequenter fuisse perpessos)cum tanto labore ac difficultate hanc percimoniam sustentasse, tantaque vi atque inedia prædictam custodisse mensuram, ut inviti quodammodo, nec sine gemitu atque tristitia hunc finem sibi refectionis imponerent.

CAPUT XXII.

Quinam generalis continentiæ ac refectionis modus sit.

Generalis tamen hic continentiæ modus est, ut [d] secundum capacitatem viritum, vel corporis, vel ætatis, tantum sibimet cibi unusquisque concedat, quantum sustentatio carnis, non quantum desiderium saturitatis exposcit. [e] In utraque enim parte sustinebit maximum detrimentum, quisquis inæqualitatem tenens, nunc ventrem jejuniorum ariditate constringit, nunc escarum nimietate distendit. Ut enim mens cibi inanitate lassata perdit orationum vigorem, dum carnis lassitudine nimia prægravata condormitare [*Lips. in marg.* dormitare] compellitur; ita rursum nimietate voracitatis oppressa emittere suas preces ad Deum puras levesque non poterit. Sed nec castimoniæ quidem ipsius puritatem indisrupta valebit jugitate servare, dum eĭ etiam diebus illis quibus carnem acriore videtur continentia castigare, prætérita cibi materia, quamvis ad præsens defecto sit corpore, ignem carnalis concupiscentiæ subministrat.

CAPUT XXIII.

Quemadmodum abundantiæ humorum genitalium castigentur.

Nam quod semel per escarum abundantiam concretum fuerit in medullis, necesse est egeri, atque ab ipsa naturæ lege propelli, quæ exuberantiam cujuslibet humoris superflui, velut noxiam sibi atque contrariam, in semetipsa residere non patitur. Ideoque rationabili semper et æquali est corpus nostrum parcimonia castigandum, ut si naturali hac necessitate commorantes in carne omnimodis carere non possumus, saltem rarius nos et [f] non amplius quam trina vice respersos ista colluvione totius anni cursus inveniat. Quod tamen sine ullo pruritu quietus egerat sopor, non fallax imago index occultæ voluptatis eliciat. Quamobrem hæc est temperantiæ, quam diximus, continentia et qualitas atque mensura, quæ patrum quoque judicio comprobatur, ut quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, in uno eodemque statu animam pariter corpusque conservans; nec jejunii fatigatione concidere, nec gravari mentem saturitate permittens. Tanta namque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est probare, num illa mensura, unius scilicet libræ panis in diem, sit satis modica et exigua, ac servatu difficilis; eamdem semper ac perpetuo tenete, nulla occasione eam excedentes.

[b] Pulmentarium dixit D. Benedictus loco supra citato; ubi Turrecrematus: Pulmentaria, inquit, multis modis dicuntur, secundum varietatem materiarum ex quibus fiunt; sed hoc loco pulmentarium idem est quod pulmentum factum ex piscibus, aut leguminibus, sive de herbis, vel farina, aut caseo. Pulmentum enim, ut dicit Isidorus (*Lib.* XX *Etymol. c.* 2), dicitur a pulte; sive enim sola puls, sive quid aliud ejus permixtione sumatur, pulmentum non incongrue dicitur. Dicunt etiam aliqui quod quidquid pani additur, ut melius comedatur, pulmentum dicitur. Hæc ille. Pulmentum itaque, sive pulmentarium proprie dicitur puls, vel cibus in modum pultis factus : generalius tamen pro quovis obsonio sumitur; obsonium autem, quidquid in cibum, præter panem, adhibetur. Unde pulmentum, et προσφάγιον Græce dictum, quod ad pultem, id est, panem adjungatur in cibum. Pultem enim priscæ illi Latinorum genti pro pane fuisse idoneus auctor est Plinius (*Lib.* XVIII *c.* 2), argumentoque id esse potest quod pulmentaria pro cibis sua etiam ætate dicerentur. In Evangelio quoque (*Joan.* XXI) legimus : *Pueri, numquid pulmentarium habetis?* ubi προσφάγιον Græce, et pulmentarium Latine pro piscibus positum esse consentiunt interpretes; quo etiam modo verisimile est a D. Benedicto accipi (*Ubi supra*).

[c] Utroque nimirum apud Orientales festivo et solemni, ut alibi sæpius notatum; quibus pro reverentia festivitatis, aliquid subinde vel olei, vel oleris cocti, pro obsonio seu pulmento monachis indulgeri solet, ut ex Vitis Patrum et Lausiacis historiis notum est.

[d] Ita D. Basilius de Instit. Monach. c. 10 hanc docet esse mensuram continentiæ quoad cibos, ut prout usus deposcit, vel ætas, vel labor, vel robur corporis, vel commoditas est; ita etiam modus et qualitas cibi temperetur : *Neque enim*, inquit, *possibile est omnes fratres, unum ordinem, ac modum, vel regulam custodire. Hi vero qui sani sunt, possunt omnes eamdem mensuram tenere in abstinentia. Immutari autem oportet per singulos, in quibus causa aliqua diversitatis existit, providentia ac provisione eorum quibus dispensandi cura hæc commissa est.* Idem docet divus Benedictus capite trigesimo sexto, trigesimo nono, et quadragesimo Regulæ. Ubi de cura infirmorum habenda, et de mensura cibi et potus, pro ratione ætatis, valetudinis, laboris fratrum, accurate disponit.

[e] Explicat modo quid sibi voluerit illa sententia. ἀκρότητες ἰσότητες; quia nimirum utriusque nimietatis, sive extremitatis, hoc est, nimiæ abstinentiæ et nimiæ edacitatis, æqualia sentiuntur incommoda, sive quoad orationem, sive quoad castimoniæ puritatem, ut hic explicatur, et lib. v Institutionum cap. 8 et 9.

[f] Quam moleste tulerint et ex intimo animi sensu ingemuerint viri religiosi, si quando contingeret eos in somnis, etiam nulla sua culpa, pollui; et quanto studio et sollicitudine laborarint ut hoc vel numquam vel rarissime paterentur, patet tum ex hoc loco, tüm præcipue ex collat. 22, ubi de causis pollutionis et nocturnis illusionibus plenius disseritur; de quibus etiam agit Climacus gradu decimo quinto.

frugalitate finitur, ut interdum se post vesperam nec A sentiat aut meminerit refecisse.

CAPUT XXIV.

De labore æqualis refectionis, et de fratris Benjamin edacitate.

Et in tantum hoc non sine labore perficitur, ut malint hi qui perfectionem discretionis ignorant, etiam biduo protelare jejunia, idque quod hodie sumpturi fuerant in crastinum reservare, dummodo ad refectionem pervenientes desiderata satietate potiantur. Quod nuper [a] Benjamin civem vestrum pertinaciter tenuisse cognoscitis, qui ne quotidie paximacia duo percipiens æquali castigatione continuam parcitatem jugiter retentaret, maluit biduana jejunia semper continuare, dummodo ad refectionem veniens B duplicata mensura repleret ventris ingluviem, id est, quatuor paximacia comedens desiderata saturitate gauderet, et expletionem ventris sui biduano jejunio quodammodo compararet. Qui obstinatione et pertinacia mentis suæ definitionibus potius propriis quam seniorum traditionibus acquiescens, quali fine suum propositum terminarit, proculdubio meministis. Siquidem relicta eremo, rursus ad inanem philosophiam mundi hujus ac vanitatem sæculi devolutus, prædictam sententiam seniorum sui casus signet exemplo, ruinaque sua cunctos doceat, neminem suis definitionibus vel proprio judicio confidentem, perfectionis culmen aliquando posse conscendere, sed nec diaboli quidem perniciosas illusiones evadere.

CAPUT XXV.

Interrogatio quomodo una semper eademque mensura servetur.

Germanus : Quomodo igitur hic modus a nobis indirupte valebit custodiri ? Nam nonnumquam hora nona, [b] soluta jam statione jejunii, supervenientibus fratribus, necesse est eorum obtentu, aut adjici aliquid ad statutam solitamque mensuram, aut certe [c] humanitatem, quam jubemur omnibus exhibere, penitus abdicari.

CAPUT XXVI.

Responsio de non excedendo refectionis modo.

Moyses : Utraque uno modo ac sollicitudine pari convenit observari. Nam et mensuram cibi causa continentiæ ac puritatis cum omni scrupulo custodire debemus, et [d] humanitatem atque adorationem advenientibus fratribus charitatis obtentu similiter exhibere; quia satis absurdum est, ut fratri, immo Christo mensam offerens, non cum eo cibum pariter sumas, aut ab ejus refectione te facias alienum. Itaque in neutra parte reprehensibiles inveniemur, si hæc a nobis consuetudo teneatur, ut hora nona de duobus paximaciis, quæ nobis canonica mensura jure debentur, uno paximacio prælibato, aliud hujus exspectationis gratia in vesperam reservemus : quod si supervenerit quispiam fratrum, cum ipso pariter insumamus, nihil consuetudini solitæ amplius adjungentes, et hac dispensatione nequaquam fratris nos contristabit adventus, qui nobis debet esse gratissimus. Siquidem ita humanitatis exhibemus obsequia, ut nihil a rigore continentiæ relaxe-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quis iste Benjamin fuerit, curiosum et superfluum C est indagare. Fuit quidem Benjamin abbas hydropicus, et patientissimus, de quo Palladius Lausia. 13, et Cassiodorus Histor. Tripar. lib. VIII capite 1, at longe ab hoc diversus, et vita ac fine dissimilis. Civem autem hic vocari existimo, vel ex eadem urbe, seu oppidulo Bethleemitico, vel ex eadem regione Palæstina oriundum.

[b] Id est, soluto jejunio, ut fieri solebat hora nona, extra Quadragesimam. Sumitur etiam statio apud Cassianum pro ipso jejunio, sive quotidiano et spontaneo, sive præcepto et a Patribus indicto, ut multis locis videre est lib. v Institut. cap. 20, ubi docet non licere monacho quidquam edere, aut bibere, *ante stationem legitimam communemque refectionis horam*. Et cap. 24, ubi docet stationem quotidianam solvi, id est, horam refectionis præveniri in adventu hospitum, exceptis legitimis quartæ sextæque feriæ. Denique collat. 21 cap. 29 dicit stationem jejunii superveniente aliqua honesta necessitate a Patribus relaxari. Solvi autem jejunium, seu stationem finiri, D extra tempus Quadragesimalis jejunii, solere hora nona, ut hic habetur, id est, tertia pomeridiana, docet itidem Auctor hujus collationis cap. ult., et rursus collatione 21 cap. 23, ubi plura de hac re notabimus. Idemque confirmat Tertullianus lib. de jejunio cap. 10, Basilius ad Amphilochium cap. 73, Epiphanius in Epitome fidei, Hieronymus epistol. 22 ad Eustochium, et Leo papa epistol. 65, et alii Patres. Fuisse tamen apud veteres aliquod discrimen inter stationem, vigiliam et jejunium, proprie loquendo, docet erudite cardin. Bellarm. lib. II de Bonis Operibus in partic. cap. 22. Vide etiam Pamelium ad Tertullianum lib. de Oratione cap. ult.

[c] Id est, humanitatis et hospitalitatis officia. Vides hospitalitatem priscis etiam monachis usitatam; de qua itidem Cassianus lib. v Institut. cap. 23 et sequentibus. Et div. Benedictus cap. 53, ubi etiam humanitatem vocat : *Omnis*, inquit, *eis exhibeatur humanitas*. D. Hieronymus in apologia contra Rufinum (*lib.* III *cap.* 5) : *Nobis in monasterio hospitalitas cordi est, omnesque ad nos venientes læta humanitatis fronte suscipimus. Veremur enim ne Maria cum Joseph locum non inveniat in diversorio, ne nobis Jesus dicat exclusus : Hospes eram, et non suscepistis me* (*Lucæ* II ; *Matth.* XXV). *Solos hæreticos non recipimus. Propositum quippe nobis est pedes lavare venientium, non merita discutere.*

[d] Hic rursus humanitas pro hospitalitate. Adorationem autem intellige honorem supervenientibus fratribus sive hospitibus exhibendum. De quo D. Benedictus ita statuit (*cap.* 13. *Reg.*) : *Omnes supervenientes hospites, tamquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est ; Hospes fui, et suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime tamen domesticis fidei et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a priore, vel a fratribus cum omni officio charitatis, et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur.* Hæc ibi (*Vide ibi Turrecrem. et Smaragdum, et Petrum Cluniac. epist.* 28 *c.* 3, *et l.* VI *epist.* 6). Hujus porro adorationis et honoris hospitibus exhibendi exemplum præbuere summi patriarchæ Abraham et Lot, qui hospites adorasse leguntur prosi, et prostrati in terram (*Genes.* VIII *et* IX).

mus. Si vero nullus advenerit, hunc quoque velut de canonico modo debitum nobis libere præsumemus; qua parcitate nec stomachus vespere poterit aggravari, quippe hora nona uno paximacio jam præmisso, quod plerumque his qui districtiorem abstinentiam se tenere credentes, totam refectionem ad vesperam differunt, evenire consuevit. Nam recens escæ perceptio tam in vespertinis quam in nocturnis orationibus tenuem levemque sensum non sinit inveniri. Ideoque commodum satis, et utile [a] hora nona refectionis tempus indultum est, in quo reficiens monachus non solum in nocturnis vigiliis levis ac vacuus, verum etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto jam cibo invenitur aptissimus. Talibus nos beatus Moses geminæ institutionis epulis saginavit; non solum discretionis gratiam atque virtutem præsenti eruditione verborum, sed etiam abrenuntiandi rationem et destinationem, finemque propositi anteacta disputatione demonstrans, ut quod antea fervore tantum spiritus ac zelo Dei clausis quodammodo oculis sectabamur, luce clarius aperiret; faceretque sentire quantum a puritate cordis et discretionis linea fuissemus per id temporis evagati, quippe cum etiam omnium visibilium in hoc sæculo artium disciplina absque destinationis ratione subsistere, ac sine contemplatione certi finis attingi omnino non possit.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Jejunium olim in Quadragesima non ante vesperam, aliis vero temporibus ad horam nonam, hoc est, tertiam pomeridianam, solvi solere alibi ostendimus (*lib.* v *Instit. cap.* 24). Quare mirum non est si monachi illi, qui quotidie (exceptis dominicis et sabbatis, et in adventu hospitum) jejunabant, unica refectione contenti, eam hora nona, ex more et instituto majorum, sumerent; quam consuetudinem etiam sua ætate perdurasse testantur D. Bernardus et Thomas Aquinas (*Bernard. serm.* 3 *de Quadragesima*; *S. Thom.* 2-2, *q.* 146, *art.* 8). Indultum autem dicit hoc refectionis tempus, quasi ex gratia et indulgentia quadam eis concessum, eo quod primi monachi ad vesperam usque jejunarent. Sic enim de ascetis illis Alexandrinis a B. Marco evangelista institutis scribit ex Philone Eusebius lib. II Histor. cap. 16 : *Cibum aut potionem ante solis occasum nemo illorum capit. Quippe divinæ sapientiæ studium, quo se involvunt, lucem promereri judicant; corporis autem necessitates tenebras solum merito sibi vindicare. Unde illis quidem totum diem, his autem exiguam quamdam noctis particulam largiuntur.* S. item Antonius, teste Athanasio, *semel in die post solis occasum edebat, nonnumquam biduo triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur.* Idem de Hilarione tradit Hieronymus, qui et ad Paulinum scribens inter alias monachi institutiones : *Sit vilis,* inquit, *et vespertinus cibus* (*Epist.* 13). Porro D. Benedictus in his SS. Patrum et veterum monachorum moribus et institutis eximie versatus, eis que perpetuo inhærens, statuit (*cap.* 41) *ut in diebus jejunii extra Quadragesimam, hora nona reficiant fratres; aliis vero diebus, ad sextam prandeant. Ab idibus vero Septembris usque ad caput Quadragesimæ ad nonam semper reficiant.* Ex quibus verbis colligit Smaragdus abbas secundum Regulam quotidie jejunandum ab idibus Septembris, id est, Exaltatione S. Crucis usque ad Quadragesimam, ita tamen ut hoc jejunium hora nona solvatur; in Quadragesima vero non nisi ad vesperam. Unde patet quantum etiam hac in parte de antiqua austeritate et regulari observantia sit relaxatum.

COLLATIO TERTIA,

Quæ est abbatis Paphnutii.

DE TRIBUS ABRENUNTIATIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

In illo choro sanctorum, qui velut astra purissima, in nocte mundi istius refulgebant, vidimus sanctum [a] Paphnutium vice luminaris magni claritate scientiæ coruscantem.

Hic namque presbyter congregationis nostræ, id est, illius quæ in eremo Scyti morabatur, fuit, in qua ita usque ad extremam duravit ætatem, ut numquam e cella quam junior cœperat habitare, quæque ab ecclesia millibus quinque distabat, saltem ad viciniora migraverit : nec fessus annis tanti itineris spatio [b] die sabbati vel Dominico venturus ad

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quamvis Dom. Cuychius in notis ad hanc collationem contendat, ex manuscriptis codicibus, et Dionysio eis suffragante, legendum esse Pafnutium, non Paphnutium, ut in quibusdam excusis legitur; tamen Ciaconio potius assentior, qui, tum ex Vaticanis exemplaribus, quibus usus est, tum ex Sozomeno et Palladio (quibus et cæteri historici ecclesiastici, et sacrorum Annalium scriptor Baronius, nec non Suidas et alii omnes consentiunt), contrarium astruit, apud quos Paphnutius, non Pafnutius, ubique nominatur et scribitur, quemadmodum Græce Παφνούτιος. Porro Paphnutios duos anachoretas superiore collatione et alibi etiam designavimus. At ecce tertium nobis suggerit Anton. Possevinus in Apparatu sacro, ubi hæc habet : Paphnutius non unus fuit : alter quidem, cujus Epiphanius, Rufinus et alii ita meminerunt, ut illum etiam interfuisse Nicænæ synodo, ac de cœlibatu in ea egisse asseverent (*Collat.* 2 *cap.* 5). Alter, cujus episcopi Thebarum Suidas mentionem facit, sed quem nihil scripsisse inquit. Alius, cujus collatio de triplici ad serviendum Deo vocatione et renuntiatione exstat inter alias Joannis Cassiani collationes. Hæc ipse. Sed quidquid sit de duobus primis, e quibus unum dumtaxat facere videntur Suidas et alii, id pro certo habemus, cum hoc postremo Paphnutio, presbytero scilicet et abbate, non episcopo, ut alias monuimus, habitam esse hanc tertiam collationem, quæ et ejus nomine inscribitur; cujus etiam mentio habetur collatione sequenti, cap. 1, et alibi sæpius.

[b] Etiam eremitæ, sive anachoretæ, paucissimis exceptis diebus sabbatinis et dominicis, utrisque

ecclesiam vexaretur, sed nec vacuus quidem reverti exinde contentus, vas aquæ, quam per totam erat hebdomadam sumpturus, cervicibus suis supponens reportabat ad cellam. [a] Cumque nonagenariam excessisset ætatem, numquam passus est eam juniorum sibi labore deferri. Hic itaque ab adolescentia sua cœnobiorum scholis tanto ardore se tradidit, ut in eis parvo tempore commoratus tam subjectionis bono quam universarum virtutum scientia pariter ditaretur. Humilitatis namque et obedientiæ disciplina, omnes suas mortificans voluntates, et per hanc exstinctis universis vitiis, cunctisque virtutibus consummatis, quas monasteriorum instituta vel antiquissimorum Patrum doctrina fundavit; sublimioris profectus ardore succensus, eremi festinavit secreta penetrare, ut Domino, cui inter fratrum turbas positus sitiebat inseparabiliter inhærere, nullo deinceps humano consortio retrahente facilius uniretur. Ubi rursum tanto fervore etiam ipsorum anachoretarum virtutes superans desiderio et intentione jugis ac divinæ illius theoriæ, cunctorum devitabat aspectus, vastiora et inaccessibilia solitudinis penetrans loca, multoque in eis tempore delitescens, ut ab ipsis quoque anachoretis difficulter ac rarissime deprehensus, angelorum quotidiano consortio delectari ac perfrui crederetur, atque ei [b] merito virtutis hujus ab ipsis inditum fuerit Bubali cognomentum.

CAPUT II

De sermone ejusdem senis, et responsione nostra.

Hujus igitur magisterio institui cupientes, cogitationum etiam stimulis agitati, ad cellam ejus jam die advesperascente pervenimus. Qui, habito aliquantisper silentio, cum propositum nostrum prædicare cœpisset, quod scilicet patriam relinquentes, tot provinciis pro amore Domini perlustratis, egestatem ac vastitatem eremi tolerare, et imitari rigorem conversationis illorum tantopere niteremur, quem vix ipsi qui in eadem necessitate atque inopia nati educatique sunt, sustinerent; respondimus nos ob id ad ejus doctrinam ac magisterium tetendisse, ut imbui aliquatenus institutionibus ac perfectione tanti viri possemus, quam innumeris documentis inesse eidem senseramus, non ut illius, quæ tamen in nobis non essent, laudibus gravaremur, aut in elatione animi, qua in nostris quoque cellulis nonnumquam suggestione titillabamur inimici, ipsius quoque sermonibus inflaremur. Quamobrem illa nobis potius precabamur infundi, quibus compungi vel humiliari, non quibus nobismetipsis blandiri extollique possemus.

CAPUT III.

Proposito abbatis Paphnutii de tribus vocationum generibus, et de tribus abrenuntiationibus.

Tum beatus Paphnutius: [c] Tres, inquit, vocationum sunt ordines, [d] tres quoque renuntiationes

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

apud Orientales festivis, ad ecclesiam simul conveniebant, ut sacra mysteria peragerent ac perciperent, ut alibi notavimus; sicut nunc Carthusianos et Camaldulenses facere videmus.

[a] Magna profecto admiratione dignum est, viros sanctos tam in eremo quam in monasteriis adeo fuisse longævos, et ad extremam senectutem pervenisse, cum asperrimam vitam, omnibus pene corporis commodis destitutam ducerent; quod illorum sobrietati et parcimoniæ secundum Dei gratiam ascribendum nemo dubitarit. In quorum numero (ut paucos antiquiores commemorem) S. Paulus primus eremita ætatem ad annos fere centum quindecim produxit, ex quibus circiter centum in eremo transegit, ut scribit D. Hieronymus. S. Antonius ad annos centum quinque vixit, ex quibus nonaginta egit in eremo, solo pane et aqua (quibus aliquid oleris in extrema ætate addebat) corpus sustentans, teste Athanasio. S. Paphnutius nonagenariam excessit ætatem, solo pane et aqua contentus, ut colligitur ex hoc loco. Arsenius Arcadii et Honorii pædagogus annos centum viginti, e quibus quinquaginta quinque in deserto, admirabili abstinentia. Jacobus eremita, Persa genere, partim in eremo, partim in monasterio transegit annos centum quatuor victu tenuissimo, ut refert Theodoretus. Historia Religiosa in Juliano. S. Epiphanium annos fere centum quindecim vixisse Græci testantur in Menologio (*Pall. Lausia.* 8, *Sozomenus l.* VI c. 29, *Nicephor. l.* II *cap.* 42). Sanctus Macarius Ægyptius, cujus homiliæ exstant, excessit annos nonaginta, ex quibus in eremo, assiduo jejunio, peregit sexaginta. Denique Sozomenus, lib. VI cap. 34, refert plurimos monachos vitam ad longissimum tempus produxisse. Idemque confirmat Nicephor. lib. XI cap. 40.

[b] Virtutis, nempe solitudinis, ac theoriæ merito, ac ratione. Porro Bubalus, ait Cuychius, est bos silvestris colore niger, fortissimis cruribus, et brevibus, cornua habens longa et inflexa, parvi pili, et parvæ caudæ (*Plinius l.* VIII *cap.* 15). Ob hanc causam, cum sit admodum agreste hoc animal, Paphnutio abbati propter agrestem et solitariam vitam Bubali cognomentum inditum fuisse videtur, quemadmodum colligere licet tum ex hoc capite, tum ex quinto decimo capite decimæ octavæ collationis. Simile quippiam (ut obiter id addam) de S. Thoma Aquinate legitur, quem in scholis sub Alberto Magno agentem socii bovem mutum vocitabant, ob nimiam taciturnitatem, et Pythagoricum quoddam silentium; qua de re memini olim hos versiculos ad ejus iconem lusisse:

Ecce bovem mutum, quem turba insulsa vocabat,
Cujus in extremo reboat mugitus Eoo.

[c] Id est, tres modi, quibus ad Dei cultum, sæculi contemptum et perfectionis studium, vocamur et attrahimur, quos sequenti capite exponit.

[d] Ne quis putaret tres renuntiationis species tribus vocationibus opponi, eisque eodem ordine respondere, nempe primam primæ, secundam secundæ, tertiam tertiæ, et proinde unam absque aliis sufficere; dicit tres istas renuntiationes simul et pariter in omni vocationis genere requiri, ut verus ac perfectus monachus quis esse ac dici possit. Unde et de tribus abrenuntiationibus instituta hæc collatio, quæ hoc titulo inscribitur. Porro abrenuntiationis (ne quis hujus vocis barbariem aut novitatem suggillet) etsi nulla apud ethnicos auctores classicos mentio, utuntur tamen hoc nomine sanctus Clemens Romanus pontifex in Constitut. Apostol. libro septimo capite quarto, ubi ipsam abrenuntiationis formulam in baptismo etiamnum usitatam exprimit; Ambrosius in cap. 2 epist. ad Coloss., et libro primo de Sacramentis cap. 2; Augustinus epist. 88. Renuntiationis vocabulum (quo utuntur Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus) Quintiliano lib. X in eadem significatione usitatum

monacho in quocumque vocationis ordine constituto necessarias noverimus. Et primum quidem causam quare tres esse vocationum ordines diximus, oportet nos diligenter inquirere, cum agnoverimus nos ad Dei cultum primo gradu vocationis ascitos, secundum ejus sublimitatem conversationis quoque nostræ congruentiam temperemus. Nihil enim proderit sublimiter inchoasse, si similem principiis non exhibuerimus et finem. Quod si etiam ultimo ordine nos a conversatione sæculi extractos fuisse cognoscimus, quanto minus probabili ad religionem principio videmur inniti, tanto acrius nosmetipsos ad meliorem finem spiritali fervore incitare curemus. Secundam quoque causam trinæ abrenuntiationis omnimodis nosse nos convenit, quia nullo modo perfectionem poterimus attingere, si eam vel ignoraverimus, vel scientes non contenderimus opere consummare

CAPUT IV.

Expositio trium vocationum.

Ut igitur [a] tres hi vocationum modi speciali distinctione pandantur, primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum nonnumquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, Deumque sequi et ejus inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur; ut in Scripturis sanctis Abraham voce Dominica, de genitali solo, et totius cognationis affectibus, patrisque domo legimus evocatum, dicente Domino : *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII). [b] Quo etiam modo beatum Antonium accitum esse cognovimus, qui occasionem suæ conversionis a sola Divinitate percepit. Ingressus namque ecclesiam, ibique audiens in Evangelio Dominum prædicantem : *Qui non odit patrem, et matrem, et filios, et uxorem, et agros, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Lucæ* XIV); et, *Si vis perfectus esse, vade, et vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX); præceptum hoc Domini velut specialiter ad se directum cum summa cordis compunctione suscepit, confestimque renuntians cunctis, secutus est Christum, nulla exhortatione neque doctrina hominum provocatus. Secundus vocationis modus est quem fieri per hominem diximus, cum vel [c] exemplis quorumdam sanctorum, vel monitis instigati, ad desiderium salutis accendimur. Quo nos quoque per gratiam Domini retinemus ascitos, qui prædicti viri monitis ac virtutibus incitari huic nos studio professionique tradidimus; quo ordine etiam in Scripturis sanctis per Mosen filios Israel de afflictione Ægypti legimus liberatos (*Exod.* XIV). [d] Tertius

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

est, qua vocabulum Græcum ἀποτάσσεσθαι Græcis Patribus Dionysio Areop., Basilio, Cyrillo; ut idem sit ac extremum valedicere, aut penitus dimitterre, abjicere, abdicare. Mutuati autem videntur hanc locutionis formulam tum Græci, tum Latini Patres, non ex formulis jureconsultorum, ut nonnulli existimant, apud quos renuntiatio idem quod cessio, aut recusatio rei quæ in pactum aut promissionem venerat; sed potius xe illo Lucæ decimo quarto : *Omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet*, etc. Cæterum meminisse oportet, quod alibi etiam notavimus, duplicem esse renuntiationem, seu abrenuntiationem, alteram communem omnibus Christianis, quæ fit in baptismo, de qua divus Clemens, et Ambrosius ubi supra, Dionysius Areopagita Eccles. Hierarch. capite 1, Tertullianus libro de Corona militis cap. 5, Cyprianus epist. 7 et 54, et alii Patres; alteram apostolorum et monachorum propriam et peculiarem, de qua hic agitur, cujus tres partes sive gradus in hac collatione explicantur.

[a] Idem aliis verbis D. Bernardus in sententiis : *Vocationes* ait, *tres sunt, divina, sicut in Paulo; humana, in quinque millibus conversis ad vocem apostolorum; necessaria, in primo eremita Paulo.*

[b] Id est, divinitus vocatum. Sic enim et iisdem pene verbis refert Athanasius in ejus Vita.

[c] Hoc modo vocati et ad desiderium salutis et perfectionis accensi duo illi milites quos D. Augustinus (*Lib.* VIII *Confes. cap.* 6 *et seq.*) commemorat ex aula imperatoris Theodosii, cum in Vitam beati Antonii scriptam incidissent, inter legendum cœpisse mirari, et accendi; denique ita exarsisse, ut ambo in eodem loco in quo constiterant, sæculari militia relicta, novam militiam in Dei famulatu exorsi sint. Quod factum cum in sermone familiari Potitianus Augustino enarrasset simulque Antonii, cujus adhuc ei nomen ignotum fuerat, instituta, et Ægyptiorum monasteriorum greges, ac mores illos, ut ipse ait, suaveolentiæ Dei uberius exposuisset; tantos ea res igniculos, vel faces potius, Augustini pectori subjecit, ut numquam animo, numquam conscientia conquiescere potuerit, donec ipse quoque sæculo renuntiare et cœlesti vitæ inhærere decreverit. Ita Antonii exemplum duos illos milites, utriusque vero Augustinum, Augustini item multos alios ad salutem pertraxit.

[d] Hujus vocationis exemplum notat D. Bernardus in Paulo primo eremita : quem scribit D. Hieronymus casu in specum ingressum, quo Decii et Valeriani sævitiam fugeret, cum aliquamdiu ibi latuisset, cœpisse etiam delectari solitudine; et quod prius necessitate, deinceps voluntate fecisse, idque tota vita tenuisse. (*Vide supra Hieron. in Vita Pauli.*) Arsenio itidem viro sancto Arcadii ira adolescentis, quem instituebat, causam præbuit ut sæculum fugiens totum se Dei obsequio consecraret; quare dum corporis saluti consulit, animæ salutem multo optabiliorem invenit. Alter etiam Paulus, cognomento Simplex, qui, uxore in adulterio deprehensa, et illam et domum relinquens, recta se ad Antonii scholam contulit, in qua ad summæ sanctitatis perfectionem brevissimo tempore progressus est. Illud autem admirabilius, quod de abbate Mutio sanctissimo et celeberrimo viro legitur, cum gentilis esset, et latro, et ad virginum quarumdam cœnobium spoliandum in tectum ascendisset, in ipso tecto consopitum, vidisse regem quemdam, a quo monebatur ut tandem a sceleribus desisteret : quo ille permotus baptismum illico, deinde etiam monasticam vitam suscepit, in qua tantam adeptus est sanctitatem, ut præter alia miracula, solem etiam tamquam alter Josue stare jusserit. Simile exemplum Moysis Æthiopis habes inferius commemoratum (*Cap.* 5), aliud item Evagrii apud Sozomenum lib. VI cap. 30, et aliud magis mirabile apud Sophronium in Praot Spiritali cap. 78. (*Apud Metaphra.* 8 *Maii, Baron. tom.* IV *an.* 383. *Palladius Lausia.* 28, *Nicephor. l.* VIII *cap.* 40, *Cassiodo. Histor. Trip. l.* I *cap.* 11, *Petr. in Catalog. l.* V *cap.* 48.)

vero vocationis modus est, qui ex necessitate descendit, cum divitiis mundi hujus vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus, quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum ac proscriptione percutiunt, vel charorum morte compungunt, ad Dominum quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem inviti properare compellimur. Cujus vocationis necessitatem in Scripturis quoque sæpissime reperimus, cum filios Israel ob merita peccatorum suorum legimus a Domino traditos hostibus suis, ob quorum dominationem crudelitatemque sævissimam, rursus conversos ad Dominum proclamasse ; et *misit eis,* inquit Dominus, *Salvatorem Aod, filium Gera, filium Jemini, qui utraque manu utebatur prodextera* (*Judic.* III). Et rursum, *Clamaverunt,* inquit, *ad Dominum qui suscitavit eis salvatorem, et liberavit eos, Othoniel filium Cenez fratrem Caleb juniorem* (*Ibid.*). Et de talibus in psalmo dicitur : *Cum occideret eos, tunc quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum, et recordati sunt quia Deus adjutor eorum est, et Deus excelsus Redemptor eorum est* (*Psal.* LXXVII). Rursumque : *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos* (*Psal.* CVI).

CAPUT V.

Quod et desidioso vocatio prima non prosit, et strenuo postrema non obsit.

Ex his itaque tribus modis licet priores duo melioribus inniti principiis videantur, nonnumquam tamen invenimus etiam de tertio gradu, qui infimus videtur ac tepidus, perfectos viros ac spiritu ferventissimos exstitisse, illisque consimiles, qui optimo principio aggressi Domini famulatum, reliquam quoque vitam laudabili fervore spiritus exegerunt; et iterum de illo superiori gradu plurimos tepefactos ad vituperabilem finem sæpissime recidisse : ac perinde [*Lips. in marg.* proinde] sicut illis nihil obfuit quod non suo viderentur arbitrio, sed necessitatis compulsione conversi, quippe [a] quibus hanc ipsam occasionem, qua compungerentur, Domini benignitas procuravit; ita etiam istis omnino nihil profuit sublimiora conversionis habuisse principia, quia non studuerunt reliquam vitam fine congruo terminare. Nec enim [b] abbati Mosi, qui habitavit in loco istius eremi qui [c] Calamus nuncupatur, quidquam defuit ad perfectæ beatitudinis meritum, quod metu mortis, quæ ei propter homicidii crimen intentabatur, impulsus, ad monasterium decucurrit : quia ita necessitatem conversionis arripuit, ut eam in voluntatem prompta animi virtute convertens ad perfectionis fastigia summa pervenerit; sicut etiam e contrario plurimis quos nominatim memorare non debeo, nihil profuit Domini servitutem meliore arripuisse principio, qui [deinceps cordis ignavia ac duritia subsequente in teporem noxium ac in profundum mortis barathrum conciderunt. Quam rem in apostolorum quoque vocatione videmus evidenter expressam. Quid enim profuit Judæ apostolatus sublimissimum gradum, eodem ordine quo Petrus cæterique apostoli asciti sunt, voluntarie susceptisse, qui vocationis suæ præclara principia cupiditatis ac philargyriæ pestifero fine consummans, usque ad traditionem Domini crudelissimus parricida prorupit (*Matth.* XXVI) ? Aut quid obfuit Paulo quod repente cæcatus (*Actor.* IX) ad viam salutis velut invitus videtur attractus, qui postea Dominum tanto animi fervore sectatus initium necessitatis voluntaria devotione consummans, gloriosam tantis virtutibus vitam incomparabili fine conclusit? Totum ergo in fine consistit, in quo potest quis et optimæ conversionis initiis dedicatus inferior per negligentiam reperiri, et necessitate attractus ad nomen monachi profitendum effici per timorem Dei diligentiamque perfectus.

CAPUT VI.

Expositio trium abrenuntiationum.

Nunc de abrenuntiationibus disserendum est, quas tres esse et Patrum traditio, et Scripturarum sanctarum demonstrat auctoritas, quasque unumquemque nostrum omni studio oportet implere. Prima est qua corporaliter universas divitias mundi facultatesque contemnimus; secunda qua mores, ac vitia, affectusque pristinos animi carnisque respuimus; tertia qua mentem nostram de præsentibus universis ac visibilibus evocantes, futura tantummodo contemplamur, et ea quæ sunt invisibilia concupiscimus. Quæ tria, ut simul perficiantur, etiam Abrahæ legi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] S. Macarius in homilia quadam (*Hom.* 32) hoc sæpe evenire affirmat, ut Deus ærumnis ac tribulationibus hominem exagitet, ut is qui nimium terrenis rebus animo ac desiderio inhæret, cum omnia sibi infeliciter succedere videt, ita secum ratiocinari incipiat: Quandoquidem non possim in mundo consequi quæ volebam, ecce mundum relinquo, et ad Deum vado, ut ei uni serviam ; itaque fiat ut gratias deinde agat de adversa fortuna, cujus occasione impulsus sit ad suavissimum Dei famulatum. In eamdem sententiam Joannes Climacus hunc Dei morem esse ait, ut interdum homines bono dolo capiat, et in viam salutis deceptos, aut nihil minus cogitantes, inducat. Ejus verba sunt (*Gradu* 1) : *Non contemnamus,* inquit, *quosdam mundo renuntiantes sine sapienti deliberatione, quia Spiritus quandoque pie decipit animas. Sæpe enim talis renuntiatio meliori fine terminatur, quam illa quæ fuit deliberata; sicut semen cadens de manu agricolæ, ubi non vult, uberius interdum germinat, quam de industria seminatum. Vidi quosdam ad monasterium euntes non recta intentione, sed necessitate coactos, qui deinde fuerunt captia multa sapientia abbatis, et placida conversatione monachorum. Hi postmodum receperunt a Deo lumen gratiæ, et pervenerunt ad altum statum.* Ita Climacus Paphnutii hujus dictis consentiens.

[b] Illi scilicet Æthiopi, de quo Palladius Lausia, vigesima secunda, Sozomenus libro sexto, capite vigesimo nono, Nicephorus libro undecimo capite trigesimo sexto.

[c] Calamus locus solitudinis fuit in Ægypto, in quo etiam Paulus eremita habitavit. Meminit hujus rursus Cassianus collat. 7 capite vigesimo sexto et collat. 24 cap. 4.

mus Dominum præcepisse, cum dicit ad eum : *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Genes.* XII). Primum dixit *de terra tua* id est, de facultatibus mundi hujus, opibusque terrenis; secundo *de cognatione tua,* id est, de conversatione, et moribus, vitiisque prioribus, quæ nobis a nostra nativitate cohærentia velut affinitate quadam et consanguinitate cognata sunt; tertio *de domo patris tui,* id est, omni memoria mundi hujus quæ oculorum occurrit obtutibus. De duobus enim patribus, id est, sive de illo quem deserere, sive de eo quem debemus expetere, ita per David ex persona Dei canitur : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tuis* (*Psal.* XLIV). Nam qui dicit *Audi, filia,* pater utique est, et illum cujus domum vel populum monet oblivioni dari, patrem nihilominus suæ filiæ fuisse testatur, quod ita fit cum mortificati cum Christo ab elementis hujus mundi contemplamur, secundum Apostolum, jam non ea *quæ videntur, sed quæ non videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* IV). Et exeuntes corde de hac temporali ac visibili domo, in illam domum in qua jugiter sumus permansuri, nostros oculos mentemque dirigimus. Quod tunc implebimus, cum in carne ambulantes non secundum carnem militare Domine cœperimus, illam beati Apostoli sententiam opere ac virtute clamantes, [a] *Noster autem municipatus in cœlis est* (*Phil.* III). His tribus abrenuntiationibus proprie [b] tres libri Salomonis aptantur. Nam Proverbia primæ abrenuntiationi conveniunt, quibus concupiscentia carnalium rerum ac terrena vitia resecantur; secundæ abrenuntiationi Ecclesiastes, ubi universa quæ aguntur sub sole vanitas pronuntiantur; tertiæ Canticum Canticorum, in quo mens visibilia cuncta transcendens Verbo Dei jam cœlestium rerum contemplatione conjungitur.

CAPUT VII.

Quemadmodum singularum renuntiationem sit appetenda perfectio.

Quapropter non multum proderit primam nos abrenuntiationem cum summa devotione fidei susce-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic et Tertullianus lib. de Corona Militis c. 13 pro eo quod Græce habetur πολίτευμα, et in nostra versione, *conversatio*. Idem lib. III. adversus Marcionem (*Et lib. de Cor. Mil. cap.* 12) : *Apostolus,* inquit, *matrem nostram sursum esse designat, et* πολίτευμα *nostrum,* id est, *municipatum in cœlis esse pronuntians,* etc. Hilarius vero lib. I de Trinitate legit : *Nostra autem exspectatio in cœlis est.*

[b] De his tribus libris qui sine ulla controversia Salomoni regi tribuuntur, eorumque mystica significatione, ordine et analogia, copiose et ad hunc locum satis accommodate disserit Origenes homilia prima in Cantica Canticorum, ubi ex versione Hieronymi hæc habentur : *Oportet igitur secundum hanc sapientissimi Salomonis doctrinam* (*Eccles.* I), *eum qui sapientiam scire desiderat, incipere ab eruditione morali, et intelligere illud quod scriptum est : Concupisti sapientiam; serva mandata, et Dominus dabit eam tibi. Ob hoc magister hic, qui primos homines divinam philosophiam docet, operis sui exordium Proverbiorum posuit libellum, in quo, ut diximus, moralis traditur locus, ut cum intellectu moribusque quis profecerit, veniat etiam ad naturalis intelligentiæ disciplinam, atque ibi rerum causas naturasque distinguens, agnoscat vanitatem vanitatum relinquendam, ad æterna autem et perpetua properandum. Et ideo post Proverbia ad Ecclesiasten venitur, qui docet, ut diximus, visibilia omnia et corporea, caduca esse et fragilia. Quæ utique cum ita esse deprehenderit is qui sapientiæ studet, sine dubio contemnet ea atque despiciet; et universo, ut ita dicam, sæculo renuntians, tendet ad invisibilia et æterna, quæ spiritualibus quidem sensibus, sed adopertis amorum quibusdam figuris, docentur in Canticis Canticorum. Ideo enim novissimum locum tenet hic liber, ut tunc ad eum veniatur, cum et moribus quis fuerit defœcatis, et rerum corruptibilium atque incorruptibilium scientiam distinctionemque didicerit, per quæ in nullo possit ex his figuris quibus sponsæ ad sponsum cœlestis, id est, animæ perfectæ, amor ad Verbum Dei describitur ac formatur, offendere.* Et post pauca : *Hanc ergo triplicem philosophiæ formam, etiam in illis sanctis ac beatis viris arbitror præsignatam, pro quorum sanctissimis institutionibus Deus summus dici voluit Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Gen.* XXVI *et* XXXII). *Abraham tamquam moralem declarat philosophiam, per obedientiam,* etc. *Isaac quoque naturalem philosophiam tenet, et cum puteos fodit, et rerum profunda rimatur. Sed et Jacob inspectivum tenet locum, quippe qui et Israel ob divinorum contemplationem nominatus sit, et castra cœli viderit, et domum Dei atque angelorum vias, id est, scalas a terris in cœlum porrectas prospexit* (*Gen.* XXVIII). *Unde et merito invenimus tres istos beatos viros altaria fixisse Deo, hoc est, philosophiæ suæ consecrasse profectus, quo scilicet docerent, non hæc ad artes humanas, sed ad Dei gratiam referenda. Sed et in tabernaculis degunt, ut per hæc ostendant neque in terris habendum esse aliquid proprium huic qui divinæ philosophiæ studet, sed semper promovendum, non tam de loco ad locum, quam de scientia inferiorum ad scientiam perfectorum. Sed et alia multa in Scripturis divinis invenies, quæ ordinem hunc, quem in libellis Salomonis contineri diximus, secundum hanc eamdem formam designant. Si quis ergo primum locum in emendandis moribus mandatisque servandis qui per Proverbia designatur implevit, post hæc autem, deprehensa vanitate mundi et rerum caduearum fragilitate perspecta, venit in hoc ut renuntiet mundo et omnibus quæ in mundo sunt, consequenter veniet etiam ad contemplanda et sedideranda ea quæ non videntur et æterna sunt; ad quæ tamen ut pervenire possimus, indigemus divina misericordia, si forte valeamus perspecta pulchritudine Verbi Dei, salutari in eum amore succendi, ut et ipse dignetur hujusmodi animam diligere, quam desiderium sui habere perspexerit.* Hucusque Origenes; quem imitatus ejus homiliæ interpres D. Hieronymus in Ecclesiasten commentans : *Salomon,* inquit (*Cap.* I), *juxta numerum vocabulorum, tria volumina edidit: Proverbia, Ecclesiasten et Canticum Canticorum. In Proverbiis parvulum docens, et quasi de officiis per sententias erudiens. Unde et ad filium, ejus sermo crebro repetitur. In Ecclesiaste vero maturæ virum ætatis instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quæ cernimus. Ad extremum jam consummatum virum, et calcato sæculo præparatum, in Cantico Canticorum, sponsi jungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia et, pompis sæculi renuntiantes, expeditos nos ad adventum Christi paraverimus, non possumus dicere : Osculetur me osculo oris sui.* Hæc D. Hieronymus. Similia et his consentanea habent D. Basilius, Ambrosius, Theodoretus, Gregorius Magnus in suis præfationibus in Cantica, et Isidorus Hispalensis in Allegoriis sacræ Scripturæ.

pisse, si secundam non eodem studio atque eodem impleverimus ardore. Et ita cum etiam hanc fuerimus adepti, ad illam quoque tertiam pervenire poterimus, qua de domo prioris nostri parentis egressi (quem ab exordio nativitatis nostræ secundum veterem hominem ac pristinam conversationem, quando eramus natura *filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II), patrem nobis fuisse meminimus) omnem mentis intuitum ad cœlestia deflectimus. De quo etiam patre ad Jerusalem, quæ verum patrem Deum contempserat, dicitur : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI). Et in Evangelio, *Vos ex patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII). Quem cum dimiserimus, de visibilibus ad invisibilia transmigrantes, cum Apostolo dicere poterimus : *Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod habitationem habeamus ex Deo, domum non manufactam æternam in cœlis* (II *Cor.* V). Et illud quod paulo ante commemoravimus : *Noster autem municipatus in cœlis est; unde et Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui reformavit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philip.* III). Et illud beati David : *Quia incola ego sum in terra, et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII *et* CXVIII), ut secundum Domini vocem tales efficiamur, quales illi de quibus hæc Dominus ad Patrem in Evangelio loquebatur : *De mundo hoc non sunt, sicut et ego non sum de hoc mundo* (*Joan.* XVII). Et rursum ad ipsos apostolos : *Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat utique diligeret; sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de hoc mundo, propterea odit vos mundus* (*Joan.* XV). Hujus ergo renuntiationis tertiæ veram perfectionem tunc merebimur obtinere, quando mens nostra, nullo carneæ pinguedinis hebetata cantagio, sed peritissimis elimationibus expolita ab omni affectu et qualitate terrena, per indesinentem divinarum meditationem Scripturarum spiritalesque theorias, ad illa quæ invisibilia sunt eo usque transierit, ut circumdatam se fragilitate carnis ac situ corporis, supernis et incorporeis intenta, non sentiat; atque in hujusmodi rapiatur excessus, ut non solum nullas voces auditu corporali recipiat, nec intuendis prætereuntium hominum imaginibus occupetur, sed ne adstantes quidem arborum moles et ingentes materias objectas oculis carnis aspiciat. Cujus rei fidem atque virtutem nemo nisi is capiet solus, qui hæc quæ dicuntur experientia magistrante perceperit; cujus videlicet ita Dominus oculos cordis de universis præsentibus avocarit, ut ea non tamquam transitura, sed jam quasi non existentia reputans et velut inanem fumum, in nihilum resoluta conspiciat; ambulansque ut Enoch cum Deo, ac de humana conversatione moribusque translatus, non inveniatur in præsentis sæculi vanitate. Quod in illo etiam corporaliter factum lectio Geneseos ita commemorat : *Ambulavitque* [a] *Enoch cum Deo, et non inveniebatur, quia transtulit eum Deus* (*Genes.* V). Apostolus quoque ait : *Fide Enoch translatus est, ut non videret mortem* (*Heb.* XI). De qua morte Dominus in Evangelio : *Qui vivit,* inquit, *et credit in me, non morietur in æternum* (*Joan.* XI). Quapropter festinare debemus, si perfectionem veram desideramus attingere, ut quemadmodum corpore parentes, patriam, divitias mundi, voluptatesque despeximus, ita etiam corde hæc omnia relinquentes, nulla rursus ad ea quæ dimisimus concupiscentia revertamur : sicut illi qui educti per Mosen, cum utique corpore non redissent, corde tamen reversi dicuntur in Ægyptum, relicto scilicet Deo, qui eos eduxerat cum tanta virtute signorum, idola Ægypti quæ contempserant venerantes, sicut Scriptura commemorat : [b] Et reversi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron, fac nobis deos qui præcedant nos; ne cum illis etiam pariter condemnemur, qui in eremo commorantes, post escam mannæ cœlestis desideraverunt vitiorum fetidos, ac sordidæ vilitatis cibos, nosque cum eis similiter murmurare videamur. *Bene nobis erat in Ægypto, ubi sedebamus super ollas carnium et comedebamus cepas et allia, et cucumeres, et pepones* (*Exod.* XVI, *Num.* XI). Quæ figura licet in illo præcesserit populo, tamen nunc quoque eam quotidie in nostro ordine ac professione videmus impleri. Omnis enim quicumque post renuntiationem mundi hujus ad antiqua revertitur studia, et ad pristina desideria revocatur, hæc eadam cum illis opere ac mente proclamat, dicens : *Bene mihi erat in Ægypto.* Quorum vereor ne tanta invenienda sit multitudo, quantas tunc sub Mose prævaricantium turbas legimus exstitisse. Nam cum sexcenta millia armatorum de Ægypto denumerentur egressa, ex his non sunt amplius quam duo tantum terram promissionis in-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Duo fuerunt Enoch sive Henoch, alter filius Cain, Genes. IV, alter filius Jared, de genere Seth, et septimus ab ipso, Genes. V, de quo hic agitur : cujus insignes prærogativæ tres in Scripturis traduntur. Prima quod ambulavit cum Deo, sive coram Deo, phrasi Hebraica, qua singularis ejus erga Deum pietas et vitæ sanctitas designatur (*August.* XV *de Civit. Dei cap.* 19). Idem enim est ambulare cum Deo vel coram Deo, ac ambulare in via Domini vel in præceptis ejus; aut placere Deo, sicut LXX interpretes pro eo verterunt : *Placuit Deo.* Unde et Abrahæ dixit Deus : *Ambula coram me, et esto perfectus* (*Gen.* XVII). Secunda, quod sit a Deo translatus. Ait enim Scriptura : *Et non apparuit, quia tulit eum Deus.* Gen. V; et Eccles. XLIV : *Enoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum,* etc. Tertia, quod adhuc superstes sit, et necdum mortuus, nec usque ad consummationem sæculi credatur moriturus. Disertis verbis ait Apostolus ad Hebræos : *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem* (*Heb.* XI). Unde aperte colligitur Enoch nondum esse mortuum; sed moriturum tamen aliquando, quia juxta generalem Dei sententiam : *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Heb. IX (*Gen.* II). Vide S. Thomam in Epist. ad Hebræos, et Pererium in Genesim.

[b] Videtur Auctor hæc verba tamquam e Scriptura citare, quæ tamen in editione vulgata non habentur, nec apud alium auctorem reperire potui.

gressi (*Num.* XIV). Unde[a] festinandum nobis est, ut a paucis ac rarissimis sumamus exempla virtutum, quia secundum illam quam diximus figuram, in Evangelio quoque multi vocati, pauci autem dicuntur electi (*Matth.* XX *et* XXII). Nihil ergo nobis proderit abrenuntiatio corporalis, et localis quodammodo ex Ægypto transmigratio, si renuntiationem cordis, quæ sublimior et utilior est, non valuerimus similiter obtinere. De illa enim quam diximus abrenuntiatione corporali, ita pronuntiavit Apostolus: *Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, et tradidero corpus meum, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (1 *Cor.* XIII). Quod beatus Apostolus numquam dixisset, nisi quia futurum in spiritu prævidebat ut aliqui, facultatibus universis in pauperum alimenta dispersis, ad perfectionem evangelicam et charitatis arduum culmen pervenire non possent; quia scilicet pristina vitia morumque incontinentiam, vel superbia vel impatientia dominante, in suis cordibus retinentes, nequaquam se ab illis expurgare curarent, et ob id ad charitatem Dei, quæ numquam cadit, minime pervenirent. Qui utique inferiores effecti hoc secundo renuntiationis gradu, multo minus illum tertium, qui proculdubio est sublimior, apprehendunt. Diligentius tamen etiam hoc mente perpendite, quod non simpliciter dixerit, *Si distribuero facultates meas*; videretur enim de illo forte dixisse qui necdum evangelicum implens mandatum adhuc omnino, sibi ex eis, sicut nonnulli tepidorum faciunt, aliquid reservasset; sed, *Si distribuero*, inquit, *omnes facultates meas in cibos pauperum*, id est, etiamsi perfecte abrenuntiavero divitiis istis terrenis. Huic quoque renuntiationi aliud majus adjunxit: *Et si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem vero non habuero, nihil sum*. Ac si aliis verbis dixisset: Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, secundum evangelicum illud mandatum, quo dicitur (*Matth.* XIX): [b] *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me*; ita scilicet abrenuntians, ut ex his nihil penitus mihi reservem; et huic erogationi martyrium et exustionem meæ carnis adjunxero, ita ut corpus meum tradam pro Christo; et tamen vel impatiens, vel iracundus, vel invidus, vel superbus sim, vel aliorum inflammer injuriis, vel quæram quæ mea sunt, vel ea quæ mala sunt cogitem, vel universa quæ mihi possunt inferri non patienter libenterque sustineam; nihil mihi proderit exterioris hominis abrenuntiatio atque combustio, interiore adhuc vitiis pristinis involuto, eo quod simplicem substantiam mundi hujus primæ conversionis fervore contemnens, quæ nec bona esse, nec mala, sed media definitur, vitiosi cordis noxias facultates similiter abjicere non curarim, nec attingere Dominicam charitatem, quæ *patiens*, quæ *benigna est*, quæ *non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, quæ omnia suffert, omnia sustinet* (1 *Cor.* XIII), postremo quæ [c] sectatorem suum numquam cadere sinit supplantatione peccati.

CAPUT VIII.

De propriis divitiis, in quibus constat animæ pulchritudo vel fœditas.

Festinare igitur debemus omni instantia, ut interior quoque noster homo vitiorum suorum divitias quas

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, satagendum, providendum, laborandum, ut superius collat. 1 cap. 17, et rursus infra cap. sequenti: *Festinare igitur debemus*.

[b] Pulchre in hanc sententiam, quæ religiosi status præcipuum est fundamentum, D. Hieronymus in epist. 8 ad Demetriadem: *Apostolici*, inquit, *fastigii est perfectæque virtutis vendere omnia, et pauperibus distribuere, et sic levem atque et peditum cum Christo ad cœlestia subvolare. Nobis diligens credita est dispensatio, quamquam in hoc omni ætati omnique personæ libertas arbitrii relicta sit. Si vis, inquit, esse perfectus. Non cogo, non impero; tuum est eligere si volueris in agone atque certamine coronari. Et consideremus quam sapienter Sapientia sit locuta: Vende quæ habes. Cui ista præcipiuntur? nempe illi cui dictum est: Si vis esse perfectus, non partem bonorum tuorum vende, sed omnia. Cumque vendideris, quid sequitur? Et da pauperibus. Non divitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed necessitatem*. Hactenus D. Hieronymus. Porro lepidum est, quod de quodam monacho legitur (*Socrat. l.* IV *Histor. c.* 18), qui hac sententia evangelica persuasus, librum Evangelii quem solum habebat vendidit, et pretium pauperibus erogavit: Eum ipsum, inquiens, librum vendidi, qui dicit: *Vende omnia quæ habes, et da pauperibus*. Plura in eamdem sententiam notavimus alio loco (*Lib.* VII *Instit. c.* 16).

[c] Quid igitur? qui charitate præditus est, numquam peccare potest? Absit ut ita sentiamus. Neque id voluit Paphnutius, quod et fides Christiana (*Concil. Trid. ss.* 6, *c.* 13 *et* 14 *et can.* 23), et ratio, et experientia quotidiana manifeste refutant; nemo enim est in hac vita mortali tanta stabilitate suffultus, tanta charitatis perfectione præditus, quin sibi dictum putare debeat illud Apostoli: *Qui stat, videat ne cadat* (1 *Cor.* X). Cujus periculi ipsos quoque provectiores ac perfectiores admonuit idem apostolus scribens ad Galatas cap. VI; *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis; considerans te ipsum, ne et tu tenteris*. Quomodo ergo charitas numquam sinit sectatorem seu possessorem suum cadere supplantatione peccati? eo nimirum sensu, et significatione, qua ab Apostolo dicitur charitas non agere perperam, non inflari (1 *Cor.* XIII), etc., quibus verbis significatur quid efficiat præstetque charitas, tantisper dum inest ac possidetur. Neque vero inde consequens est eum qui charitatem habet, non posse superbum fieri, aut quidquam nequiter agere; sed hoc præstat charitas, dum habetur, ne simul animus per superbiam intumescat, aut perperam quid agat: qua ex parte multum differt a fide, scientia reliquisque Dei donis, quandoquidem, ut ait Apostolus, *Scientia inflet, charitas ædificet* (1 *Cor.* VIII). Atque hoc sensu accipiendum quod ait D. Prosper libro tertio de Vita Contemplativa capite decimo tertio, *charitatem Deo junctam inseparabiliter, nullique vitio mutabilitatis esse obnoxiam*; non quia commutari non possit in deterius qui semel accepit charitatem: sed quomodo flamma dicitur sursum semper ferri, cum tamen possit exstingui, quia dum est, non desinit petere superiora; ita charitas, quamdiu hominis cor possidet, non patitur eum a Deo disjungi et dimoveri, eo scilicet peccati genere quod a Deo separat, nempe mortali.

in anteriore conversatione contraxit, universas abjiciat atque dispergat, quæ corpori atque animæ jugiter cohærentes proprie nostræ sunt, ac nisi adhuc in hoc corpore constitutis nobis abjectæ fuerint et abscissæ, etiam post excessum nos non desinent comitari : ut enim virtutes, vel ipsa charitas, quæ earum fons est, in hoc sæculo conquisita, post finem quoque hujus vitæ pulchrum ac splendidum amatorem suum reddit ; ita [a] vitia obfuscatam quodammodo mentem coloribus tetris, ad illam perennem commorationem infectamque transmittunt. Pulchritudo enim vel fœditas animæ, virtutum seu vitiorum gignitur qualitate. Ex quibus quidam attractus color, aut ita splendidam eam reddit ac pulchram, ut a Propheta mereatur audire, *Et concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV); aut certe atram, fetidam atque deformem, ita ut ipsum fetorem propriæ fœditatis ipsa confiteatur et dicat, *Computruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII). Ipse quoque Dominus ad eam (*Jerem.* VIII) : *Quare,* inquit, *non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Et idcirco hæ sunt propriæ nostræ divitiæ, quæ cum anima jugiter commorantur, quas nobis nullus regum, nullus hostium, nec conferre poterit, nec auferre. [b] Hæ sunt propriæ divitiæ nostræ, quas ne ipsa quidem mors valebit ab anima separare, quibus vel renuntiantes ad perfectionem possumus pervenire, vel illigati æterna morte mulctari.

CAPUT IX

De tripartito genere divitiarum.

Tripartito enim modo in Scripturis sanctis intelliguntur divitiæ, id est, malæ, bonæ, mediæ. Malæ quidem sunt de quibus dicitur, *Divites eguerunt et esurierunt* (*Psal.* XXXIII). Et, *Væ vobis, divites, quia recepistis consolationem vestram* (*Lucæ* VI). Quas etiam divitias abjecisse summa perfectio est. Ad quarum distinctionem sunt pauperes illi qui in Evangelio Domini voce laudantur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Et in Psalmo : *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum* (*Psal.* XXXIII). Et iterum : *Pauper et inops laudabit nomen tuum* (*Psal.* LXXIII). Sunt etiam bonæ, quas acquisisse magnæ virtutis ac meriti est, quas vir justus possidens collaudatur, dicente David : *Generatio rectorum benedictur, gloria et divitiæ in domo ejus, et justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI). Et iternum : [c] *Redemptio animæ viri propriæ divitiæ* (*Proverb.* XIII). De quibus divitiis in Apocalypsi dicitur illi qui eas non habens vituperabiliter pauper et nudus est : *Incipiam te,* inquit, *evomere ex ore meo, quia dicis quod dives sum et locuples, et nullius egeo; et nescis quia tu es miser et miserabilis et pauper et cæcus et nudus; suadeo tibi a me emere aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis* (*Apoc.* II). Sunt quoque mediæ, id est, quæ possunt vel bonæ esse vel malæ. Ad utramque enim partem pro arbitrio vel qualitate utentium transferuntur ; de quibus beatus Apostolus, *Divitibus,* ait, *mundi hujus præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis abunde omnia ad fruendum; bene facere, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI). Quas iterum dives ille in Evangelio retinens, ac nequaquam indigentibus subministrans, de cujus micis saturari pauper Lazarus ante fores ejus expositus cupiebat, intolerandis gehennæ ignibus, et æterno deputatur ardori (*Lucæ* XVI).

CAPUT X.

Non posse quemquam primo tantum renuntiationis gradu esse perfectum.

Has igitur visibiles mundi divitias relinquentes, non nostras, sed alienas abjicimus facultates, quamvis eas gloriemur vel nostro labore quæsitas, vel parentum ad nos hæreditate transmissas. Nihil enim, ut dixi, nostrum est, nisi hoc tantum quod corde possessum, atque animæ nostræ cohærens, a nemine potest prorsus auferri. De illis autem visibilibus divitiis ad eos qui illas tamquam proprias retentantes, communicare indigentibus nolunt, increpans loqui-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quomodo vitia, sive peccata obfuscent quodammodo (id est, metaphorice) mentes nostras coloribus tetris, videndus est D. Thomas Prima Secundæ, quæstione octogesima sexta, ubi inter effectus peccati ponit maculam, quæ ex peccato contrahitur in anima, dum nitore luminis naturalis et splendore divinæ gratiæ privatur. Unde Scriptura passim docet hominem inquinari peccatis, et ipsum peccatum metonymice vocat inquinamentum, sordes, maculam. Deuteron. XXXII : *Peccaverunt ei, et non filii ejus in sordibus.* Isa. IV : *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion.* Ezech. XXXVI : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Ephes. V : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem rugam, neque maculam.*

[b] Peccata, scilicet, et vitia in sæculo contracta, et in anima tamquam in scrinio recondita, per reatum scilicet et maculam. Divitiæ, inquam, sunt, sed malæ, ut exponit sequenti cap., et nostræ divitiæ, quas ex nobis, id est, nostræ voluntatis arbitrio contrahimus et coacervamus, juxta illud : *Perditio tua ex te, o Israel.* Huc referri potest illud Pauli ad Rom. II : *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus;* et Jacobi V : *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Thesaurus siquidem congregatio est tam bonarum rerum quam malarum. Hinc apud Græcos : θησαυρὸς κακῶν.

[c] De spiritualibus ac cœlestibus divitiis etiam exponit D. Hieronymus, ut hic abbas : *Possumus quidem,* inquit (*Epist.* 39), *proprias divitias intelligere, quæ non de alieno, non de rapinis sunt,* juxta illud (*Proverb.* III) : *Honora Dominum de tuis justis laboribus ; sed melior est intelligentia, ut divitias proprias cognoscamus thesauros absconditos, quos nec fur possit suffodere, nec latro violentus eripere.* Sic nempe apud Matthæum Dominus dicit : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

tur Christus : [a] *Si in alienis fideles non fuistis : quod vestrum est, quis dabit vobis* (*Lucæ* XVI)? Evidenter igitur has divitias alienas esse, non solum quotidiana experientia docet, verum etiam sententia Domini ipsa appellatione significavit. De visibilibus vero pessimisque divitiis loquitur Petrus ad Dominum : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis* (*Matth.* XIX)? qui utique [b] nihil amplius quam vilissima conscissaque retia dimisisse noscuntur. Quæ omnia nisi in hac abrenuntiatione vitiorum, quæ vere magna et summa est, fuerint intellecta, nec pretiosum aliquid inveniemus apostolos reliquisse, nec Dominum habuisse, propter quod illis tantam beatitudinis gloriam largiretur, ut ab eodem mererentur audire : *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Ibid.*). Si igitur hi qui perfecte terrenas istas ac visibiles abdicant facultates, certis ex causis ad illam apostolicam charitatem [*Al.* claritatem] pervenire non possunt, nec illum sublimiorem paucorumque admodum renuntiationis gradum tertium expedito vigore conscendere queunt; quid illi de semetipsis judicare debebunt, qui nec primam quidem, quæ perfacilis est, perfecte arripientes, atque antiquas pecuniarum suarum sordes cum infidelitate pristina retentantes, nudo tantum sibimet autumant monachorum vocabulo gloriandum? Ergo prima, quam diximus, abrenuntiatio rerum alienarum est, ideoque per se solam perfectionem renuntianti conferre non sufficit, nisi pervenerit ad secundam, quæ vere abrenuntiatio rerum nostrarum est, quam adepti expulsione omnium vitiorum, tertiæ quoque abrenuntiationis fastigia conscendemus; per quam non solum omnia quæ in hoc mundo geruntur vel particulatim ab hominibus possidentur, verum etiam ipsam cunctorum elementorum plenitudinem, quæ putatur esse magnifica, tamquam vanitati subjectam et mox transituram transcendentes animo ac mente despiciemus, intuentes dumtaxat, secundum Apostolum, *non ea quæ videntur, sed quæ non videntur; qua enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna* (II *Cor.* II) : ut ita demum illud supremum mereamur audire quod dicitur ad Abraham, *Et veni in terram quam tibi monstravero* (*Genes.* XII). Per quod evidenter ostenditur quod nisi quis tres superiores illas abrenuntiationes omni mentis ardore impleverit, ad quartum hoc pervenire non possit, quod remunerationis ac præmii vice taliter renuntianti tribuitur, id est, ut terram repromissionis mereatur intrare, nequaquam sibi jam vitiorum spinas ac tribulos germinantem, quæ post expulsionem passionum cunctarum puritate cordis in hoc corpore possidetur, quam non virtus vel industria laborantis monstrabit ei, sed ipse Dominus ostensurum se esse promittit : *Et veni*, inquiens, *in terram quam tibi monstravero*. Per quod manifeste probatur, et initium nostræ salutis Domini vocatione fieri dicentis, *Exi de terra tua;* et consummationem perfectionis ac puritatis ab eodem similiter tribui, cum dicit, *Et veni in terram quam tibi monstravero*, id est, non quam tu ex temetipso nosse, vel industria tua poteris reperire, sed quam ego tibi non solum ignoranti, sed etiam non inquirenti monstravero. Ex quo manifeste colligitur quod quemadmodum inspiratione Domini provocati ad viam salutis accurrimus; ita etiam magisterio ipsius et illuminatione deducti, ad perfectionem summæ beatitudinis pervenimus.

CAPUT XI.

Interrogatio de libero arbitrio hominis, et gratia Dei.

Germanus : [c] In quo ergo liberum consistit arbitrium; nostræ quoque, quod laudabiles sumus, reputatur industriæ, si Deus in nobis omnia quæ ad nostram perfectionem pertinent, et incipit, et consummat?

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita etiam Patres interpretantur alienum, quod temporale; nostrum autem, quod spirituale est (*Cyprian. l. de Oper. et Eleemos.*; *August. lib.* II *Q. Evangel. cap.* 35). Alienum enim vocat divitias temporales, quod eas pleno jure non possideamus, cum minimo momento vel illæ nobis, vel nos ipsis eripiamur : quodque eas Dominus hominibus concedat non tamquam propria eorum bona; sed per eos, ut œconomos, legitime dispensanda. Nostrum autem vocat spiritualia et cœlestia bona, quia ad eorum possessionem creati sumus, conveniuntque nobis secundum id quod potissimum sumus, nempe rationales, et hæc sola non beatos faciunt; nec eripi nobis possunt, nisi volentibus.

[b] His consonant SS. Patrum sententiæ. D. Hieronymus epist. 34 : *Apostoli*, inquit, *gloriantur quod omnia dimiserint, et secuti sint Salvatorem. Et certe præter retia et navem nihil legimus eos dimisisse; et tamen testimonio futuri Judicis honorantur, quia se offerentes totum dimiserunt quod habebant.* Augustinus epist. 89, q. 4 : *Neque mihi minus imputabitur quia dives non fui. Nam nec apostoli, qui prius hæc fecerunt, divites fuerunt; sed totum mundum dimittit, qui et quod habebat, et quod habere optabat, dimittit.* Gregorius Magnus homil. 5 in Evangelia : *Fortasse*, inquit, *aliquis tacitis sibi cogitationibus dicat : Ad vocem Dominicam uterque iste piscator quid aut quantum dimisit, qui pene nihil habuit? Sed hac in re, fratres charissimi, affectum debemus potius pensare quam censum; multum reliquit qui sibi nihil retinuit; multum reliquit qui quantumlibet parum, totum deseruit. Certe nos et habita cum amore possidemus, et ea quæ non habemus ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi reliquit. Multum dimisit qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt.* Vide similia apud S. Bernardum in declamat. in illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia* (*Matth.* XIX).

[c] Vetus cantilena, seu cavillatio Pelagianorum : In quo consistit libertas arbitrii et ratio meriti, si omnia quæ ad salutem nostram et perfectionem pertinent, divinæ gratiæ accepta referenda sint? de qua quæstione vide D. Hieronymum lib. I cap. 3 et lib. III cap. 2 adversus Pelagianos, Augustinum lib. de Gratia et Libero Arbitrio cap. 1, et Bernardum 3 tractatu de eodem argumento. Sed plenius de hac re agetur collat. 13.

CAPUT XII.

Responsio de dispensatione divinæ gratiæ, manente arbitrii libertate.

Paphnutius : Hoc vos recte movisset, si in omni opere vel disciplina principium tantum esset ac finis, [a] et non etiam quædam medietas interesset. Itaque sicut occasionem salutis diversis modis Deum cognoscimus operari, ita nostrum est occasionibus a Divinitate concessis, vel enixius vel remissius famulari (*Vide annotationem quintam Cuychii in fine operis*). Nam sicut Dei fuit vocantis oblatio, *Exi de terra tua*, ita Abrahæ fuit exeuntis obedientia : et quemadmodum illud quod dicitur, *Et veni in terram*, obtemperantis fuit opus; ita illud quod additur, *Quam tibi monstravero* (*Genes.* XII), jubentis Dei, vel promittentis est gratia. Certos tamen nos esse convenit, quod omnem virtutem indefessis conatibus exercentes, nequaquam diligentia vel studio nostro perfectionem possimus attingere; nec sufficiat humana sedulitas laborum merito ad tam sublimia beatitudinis præmia pervenire, nisi ea Domino nobis cooperante, et cor nostrum ad id quod expedit dirigente, fuerimus adepti; ideoque debemus cum David orantes momentis singulis dicere, *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI); et, *Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX); ut nostrum arbitrium quod proclivius vel ignoratione boni vel oblectatione passionum fertur ad vitia, ille invisibilis rector mentis humanæ ad virtutum potius studia contorquere dignetur. Quod uno versiculo per Prophetam manifestissime legimus decantari : *Impulsus versatus sum, ut caderem*; in quo liberi arbitrii infirmitas designatur : *Et Dominus suscepit me* (*Psal.* CXVII); rursum adjutorium Domini junctum eidem semper ostenditur, quo jam ne penitus libero collabamur arbitrio, cum titubasse nos viderit, porrectione quodammodo manuum suarum sustentat atque confirmat. Et iterum : *Si dicebam, motus est pes meus*, lubrica scilicet arbitrii facultate, *misericordia tua, Domine, adjuvabat me* (*Psal.* XCIII), iterum mobilitati suæ Dei conjunxit auxilium; quia ne moveretur pes fidei suæ, non industriæ propriæ fuisse, sed misericordiæ Domini confitetur. Et iterum : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo*, qui libero utique mihi nascebantur arbitrio, *consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Ibid.*), per tuam scilicet inspirationem venientes in cor meum, et reserantes contemplationem futurorum bonorum (quæ pro tuo nomine laborantibus præparasti), non solum abstulerunt omnem anxietatem cordis mei, verum etiam summam lætitiam contulerunt. Et rursum : *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaverat in inferno anima mea* (Psal. XCIII) : liberi utique arbitrii pravitate se in inferno habitaturum fuisse testatur, nisi Domini fuisset adjutorio ac protectione salvatus. *A Domino* enim, non a libero arbitrio *gressus hominis dirigentur*. Et *cum ceciderit* justus, libero dumtaxat arbitrio *non collidetur*. Quapropter? *quia Dominus supponit manum suam* (*Psal.* XXXVI). Hoc est apertissime dicere : Nullus justorum sibi sufficit ad obtinendam justitiam, nisi per momenta singula titubanti ei et corruenti fulcimenta manus suæ supposuerit divina clementia, ne prostratus intereat penitus cum fuerit liberi arbitrii infirmitate collapsus.

CAPUT XIII.

Quod directio vitæ nostræ ex Deo sit.

Nec sane umquam viri sancti directionem viæ, qua gradiebantur, ad profectum virtutum consummationemque tendentes, industria se propria obtinuisse testati sunt, sed eam potius a Domino precabantur dicentes : *Dirige me in veritate tua* (*Psal.* XXIV), et, *dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V). Et, *Notam fac mihi viam in qua ambulem* (*Psal.* CXLII). Alius autem non solum fide, sed etiam experimento, et quodammodo ipsa rerum natura, hoc ipsum se deprehendisse proclamat : *Cognovi, Domine, quia non est in homine via ejus, nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos* (*Jerem.* X). Et ipse Dominus ad Israelem : *Et dirigam eum ego*, inquit, *ut abietem virentem; ex me fructus tuus inventus est* (*Oseæ* XIV).

CAPUT XIV.

Quod scientia legis magisterio et illuminatione Domini conferatur.

Legis quoque ipsius scientiam non lectionis industria, sed magisterio et illuminatione Dei quotidie desiderant adipisci, dicentes ad eum : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* (*Psal.* XXIV). Et, *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* XVIII). Et, *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* (*Psal.* CXLVI). Et iterum : *Qui doces hominem scientiam* (*Psal.* XCIII).

CAPUT XV.

Quod intellectus, quo mandata Dei possimus agnoscere, et bonæ voluntatis affectus a Domino donetur.

Ipsum etiam intellectum beatus David, quo mandata Dei possit agnoscere, quæ utique in libro legis noverat esse perscripta, a Domino postulat promereri, dicens : *Servus tuus ego sum, da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII). Qui uti-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Videtur hic Paphnutius quæstioni illi ita respondere, quasi initium quidem ac finem nostræ salutis et perfectionis, divinæ gratiæ, medietatem vero, hoc est, progressum, sive medium cursum nostri arbitrii viribus velit ascribi. At non aliud eum voluisse contendit D. Cuychius (*Annotat.* 5, *in fine hujus operis*), quam initium justificationis nostræ a solo Deo esse, sicut et donum perseverantiæ usque in finem; progressum vero, sive augmentum gratiæ, justitiæ, sanctitatis, et perfectionis, velut inter extrema medium (quod idcirco medietatem vocat), conjunctim et nostro arbitrio et divinæ gratiæ ascribendum. Unde consequens est ut illorum potius ineptam aut imperitam interrogationem voluerit redarguere, qui tantum initium ac finem nostræ salutis ac perfectionis Deo videbantur ascribere.

que et intellectum semel sibi per naturam præstitum possidebat, notitiam quoque mandatorum Dei, quæ descripta tenebantur in lege, utique habebat in promptu : et tamen ut hanc plenius apprehendat, Dominum deprecatur, sciens nequaquam sibimet sufficere posse id quod per naturam conditionis insertum est, nisi quotidiana Domini illuminatione, ad intelligendam spiritaliter legem ac mandata ejus apertius agnoscenda, sensus ipsius ab eodem fuerit illustratus; ipsó etiam Vase electionis hoc quod dicimus clarius prædicante, *Deus est enim qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II). Et rursum, *Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus intellectum* (II *Tim.* II). Quid potuit apertius dici, quam ut et bonam voluntatem nostram et operis consummationem a Domino in nobis pronuntiaret impleri? Et iterum, *Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (*Philip.* I). Hic quoque et initium conversionis ac fidei nostræ, ac passionum tolerantiam donari nobis a Domino declaravit. Quod intelligens David quoque similiter orat sibi hoc ipsum Domini miseratione concedi, dicens : *Confirma, Deus, hoc quod operatus es in nobis* (*Psal.* LXVII); ostendens non sufficere sibi salutis principia dono Dei gratiaque collata, nisi fuerint eadem miseratione ipsius et quotidiana opitulatione perfecta. Non enim liberum arbitrium, sed *Dominus solvit compeditos*; non nostra virtus, sed *Dominus erigit elisos*; non lectionis industria, sed *Dominus illuminat cæcos*, quod Græce dicitur, [a] Κύριος σοφοῖ τύφλους, id est, Dominus sapientes facit cæcos; non nostra cautio, sed *Dominus custodit advenas* (*Psal.* CXLV); non nostra fortitudo, sed *Dominus allevat* sive suffulcit *omnes qui corruunt* (*Ps.* CXLIV). Hæc autem dicimus, non ut studium nostrum vel laborem atque industriam quasi inaniter et superflue impendendo vacuemus; sed ut noverimus nos sine auxilio Dei, nec adniti posse, nec efficaces nostros esse conatus ad capessendum tam immane præmium puritatis, nisi nobis adjutorio Domini ac misericordia fuerit contributum. *Equus* enim *paratur in diem belli, a Domino autem est adjutorium* (*Proverb.* XXI), *quia non est in fortitudine potens vir* (I *Reg.* II) : et *mendax equus ad salutem* (*Psal.* XXXII), ut *qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I). Oportet igitur nos semper cum beato David canere, *Fortitudo mea et laudatio mea*, non liberum arbitrium, sed *Dominus, et factus est mihi in salutem* (*Psal.* CXVII): Quod doctor quoque gentium non ignorans idoneum se factum ministerio novi Testamenti, non suo merito nec sudore, sed Dei miseratione, proclamat : *Non quod simus*, inquit, *idonei cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III). [b] Quod minus Latine, sed expressius dici potest, Idoneitas nostra ex Deo est. Denique sequitur, *Qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti* (II *Cor.* X).

CAPUT XVI.

Quod ipsa fides a Domino concedatur.

In tantum autem universa quæ ad salutem pertinent apostoli sibimet a Domino largita senserunt, [c] ut ipsam quoque fidem præstari sibi a Domino po-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic illum psal. versicul. Græci interpretantur de illustratione mentis et conversione voluntatis, ut illuminare sit sapientes facere (LXX *Interpret*). Hebræi tam de cæcitate et illuminatione spiritali quam corporali (*D. Hieronym. in cap.* LIV *Isaiæ*).

[b] En aliud singulare et evidens argumentum quo probatur Cassianum non Græce, sed Latino idiomate has collationes descripsisse, quod et Cuychius et Ciaconius annotarunt. Nam si Græce scriberet, Græcam vocem quæ apud Apostolum una est, ἱκανότης, simpliciter exprimeret, nec de vocibus Latinis inter se collatis scrupulum moveret, alteram alteri præferendo. Cæterum qua ratione dicatur minus Latine, sed expressius dici, *Idoneitas nostra*, quam *sufficientia nostra, ex Deo est*, grammaticis expendendum et examinandum relinquo. Mihi certe potius contrarium videtur, et minus fortasse Latine, sed tamen expressius dici, si vis vocum attendatur : *Sufficientia nostra ex Deo est*, quam : *Idoneitas nostra ex Deo est*. Sed quia superius verba Apostoli ita citaverat : *Non quod simus idonei cogitare*, etc., ideo dicit expressius dici : *Idoneitas nostra ex Deo est*. Nimirum ut verba verbis respondeant. At Vulgata versio nunc habet : *Non quod sufficientes simus*, etc., quibus sequentia apte respondent.

[c] Quo magis divini auxilii necessitatem et liberi arbitrii imbecillitatem ostendat Paphnutius, docet ipsam quoque fidem Christianam, quæ initium est salutis, non ex nobis ipsis, hoc est, ex solis viribus liberi arbitrii haberi, sed a Deo infundi, Deique donum esse, quod et disertis verbis affirmat Apostolus ad Ephesios scribens cap. II : *Gratia salvati estis per fidem; et hoc non ex vobis, Dei enim donum est*. Quam doctrinam adversus Pelagianos strenue, præter alios Patres, propugnarunt et confirmarunt D. Augustinus pluribus in locis, præsertim toto fere libro de Prædestinatione sanctorum. Et D. Prosper libro primo de Vocatione gentium cap. 23, ubi Scripturæ plurima in eam rem confert testimonia. Quibus accessit auctoritas concilii Arausicani, can. 5 et sequentibus, quibus contra Pelagium definitur, *sicut augmentum, ita initium fidei, ipsumque credulitatis affectum Dei donum esse. Damnantur autem quicumque vel initium fidei naturaliter nobis inesse dicunt, vel per naturæ vigorem evangelicæ prædicationi consentire nos posse affirmant, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti.* Quam sententiam ejusdem concilii Patres plenius explicant capite ultimo, asserentes nos credere debere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea credere in Deum possit, nisi gratia eum et misericordia divina prævenerit; idque variis exemplis et testimoniis Scripturæ declarant. Cui doctrinæ inhærentes Patres concilii Tridentini, sess. 6 can. 3, anathemate damnant, *si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere posse sicut oportet.* Credere autem sicut oportet est credere sicut expedit ad salutem, quod est assentiri fidei mysteriis sibi propositis, tamquam a Deo revelatis, hoc est, propter revelationem divinam, tamquam propter rationem formalem credendi. Quare hæreticus, aut infidelis, quia non assentitur mysteriis fidei propter revelationem divinam, sed propter alia motiva, vel rationes humanas, ideo non credit fide Christiana, certa et infallibili, sed humana; proinde non credit sicut oportet et necesse est ad salutem. Idcirco ad excludendam hujusmodi fidem humanam, addiderunt concilia illam particulam, *sicut oportet*.

stularent, dicentes, *Domine, auge nobis fidem;* plenitudinem ejus non libero arbitrio præsumentes, sed Dei sibi credentes munere conferendam. Denique docet nos idem auctor salutis humanæ, quam ipsa fides nostra lubrica sit, et infirma, et nequaquam sibi sufficiens, nisi fuerit auxilio Domini roborata, dicens ad Petrum : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret vos tamquam triticum; sed ego rogavi Patrem meum ne deficeret fides tua.* Quod alius in semetipso sentiens fieri, et quodammodo fidem suam infidelitatis fluctibus ad perniciosi naufragii videns scopulos perurgeri, ad eumdem Dominum auxilium fidei suæ postulans dicit : *Domine, adjuva infidelitatem meam* (*Marc.* IX). In tantum itaque senserunt evangelici et apostolici viri universa quæ bona sunt auxilio Domini consummari, et ne ipsam quidem fidem suam confessi sunt illæsam se posse suis viribus vel arbitrii libertate servare, ut hanc vel adjuvari in se, vel donari sibi, a Domino postularent. Quæ si in Petro, ne deficeret, Domini egebat auxilio, quis erit tam præsumptor et cæcus, qui se ad hujus custodiam quotidiano Domini credat adjutorio non egere? præsertim cum ipse Dominus in Evangelio hoc ipsum evidenter expresserit dicens : *Sicut palmes non potest fructum facere a semetipso nisi in vite manserit, ita et vos nisi in me manseritis.* Et iterum : *Quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quam sit igitur ineptum ac sacrilegum quidquam de bonis actibus nostræ industriæ, et non Dei gratiæ vel adjutorio, deputare, manifeste probatur, Dominica protestante sententia, sine sua inspiratione, vel cooperatione spiritales fructus exhibere neminem posse : *Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jacobi* I). Zacharias quoque, [a] *Quia si quid bonum, ipsius est; et si quid optimum, ab ipso* (*Zach.* IX). Et ideo constanter beatus Apostolus : *Quid enim habes quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV)?

CAPUT XVII.

Quod moderatio et tolerantia tentationum nobis a Domino tribuatur.

Summam quoque tolerantiæ, qua tentationes illatas sustinere possimus, non tam in nostra virtute quam in Dei misericordia et moderatione consistere beatus Apostolus ita pronuntiat : *Tentatio vos non* [b] *apprehendat nisi humana : fidelis autem Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possitis* (I *Cor.* X). Deum quoque aptare sive confirmare animos nostros ad omne opus bonum, et operari in nobis ea quæ sibi sunt placita, idem Apostolus docet : *Deus autem pacis qui eduxit de tenebris pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Jesum Christum, aptet vos in omni bono, faciens in vobis quod placet coram se* (*Heb.* XIII). Quod etiam Thessalonicensibus ut eveniat ita precatur dicens : *Ipse autem Dominus Jesus Christus et Deus Pater noster qui dilexit nos, et dedit consolationem æternam, et spem bonam in gratia, exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono* (II *Thess.* II).

CAPUT XVIII.

Quod perpetuitas timoris Domini nobis a Domino conferatur.

Ipsum denique [c] timorem Dei, quo firmiter eum tenere possimus, a Domino nobis infundi, Jeremias propheta ex persona Dei manifeste testatur, ita dicens : *Et dabo eis cor unum, et animam unam, ut timeant me universis diebus, et bene sit eis, et filiis eorum post eos, et feriam eis pactum sempiternum, et non desinam eis benefacere, et timorem meum dabo in corda eorum, ut non recedant a me* (*Jerem.* XXXII). Ezechiel quoque : *Et dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant, faciant que ea, et sint mihi in populum, et ego sim eis in Deum* (*Ezechiel.* XI *et* XXXVI).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata versio habet : *Quia enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum?* etc.

[b] Ita nunc in Vulgata editione legitur. At in nonnullis antiquioribus est *apprehendit*, ut in Græco εἵληφεν. Et Cyprianus lib. III ad Quirinum : *Tentatio vos non occupavit, nisi humana.* Quam lectionem veram et germanam esse contendit Cassianus libro quinto Institutionum capite decimo sexto his verbis : *Hoc Apostoli testimonium non intelligentes quidam posuerunt pro indicativo optativum modum, id est : Tentatio vos non apprehendat, nisi humana, quod ab ipso magis dici manifestum est, non optantis, sed pronuntiantis affectu.* Hæc ipse. Unde mirum est hic a seipso dissentire, et aliam lectionem sequi. Quod vero hic sequitur : *sed faciet cum tentatione etiam exitum* (Græce ἔκβασιν), sic citat hunc locum divus Hieronymus in cap. II Jonæ. Cyprianus vero : Faciet cum tentatione et evadendi facultatem. Cum autem ἐκβαίνειν significet ultra prosequi, et promovere, recte etiam vertit vulgatus interp. : *Faciet cum tentatione proventum.*

[c] Timorem Domini inter dona Spiritus sancti numerat Isaias cap. XI. Quod non solum de timore filiali intelligitur, quo quis metuit Deum offendere et per offensam ab eo separari, verum etiam de timore servili, quo quis a peccato retrahitur; non quatenus servilis est, id est, quatenus conjunctum habet peccandi affectum, sed quatenus timor quidam est, per quem proposita comminatione pœnæ retrahitur quis ab opere peccati, cui pœnam illam novit esse constitutam. Hunc enim timorem secundum se malum non esse, quin immo donum Dei esse, docet Apostolus Rom. VIII. Dicens enim : *Non iterum accepistis spiritum servitutis in timore,* haud obscure significat et a Spiritu sancto hunc timorem proficisci, et ab eo quibusdam aliquando datum fuisse, scilicet populo Judaico in ipsa legis acceptione. Rursus II Timoth. I, cum ait : *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris,* eum videlicet qui olim datus fuerat Judæis. Eodem spectat illud Isaiæ XXVI : *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus Spiritum salutis.* Denique sic inter Dei dona commendatur hic timor, ut secundum quorumdam expositionem dicatur *Initium sapientiæ* (*Psal.* CXI *et Proverb.* II; *concil. Trident. ss.* 6 *c.* 6 *et can.* 2). Sic enim D. Augustinus et Beda exponit.

CAPUT XIX.

Quod initium voluntatis bonæ et consummatio ejus a Domino sit.

Quibus manifestissime perdocemur, et [a] initium voluntatis bonæ nobis Domino inspirante concedi, cum aut per se, aut per exhortationem cujuslibet hominis, aut per necessitatem nos ad salutis attrahit viam, et perfectionem virtutum ab eodem similiter condonari; [b] nostrum vero hoc esse, ut exhortationem auxiliumque Dei vel remissius vel enixius exsequamur, et pro [*Lips. in marg.* per] hoc nos vel remunerationem vel supplicia dignissima promereri, quod ejus dispensationi ac providentiæ, erga nos benignissima dignatione collatæ, vel negleximus vel studuimus nostræ obedientiæ devotione congruere. Quod evidenter in Deuteronomio aperteque describitur: *Cum*, inquit, *introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Ethæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, Chananæum, et Pheresæum, Evæum et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri, et robustiores te, tradideritque eas tibi, percuties eas usque ad internecionem; non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis conjugia* (*Deuter.* VII). Quod igitur introducuntur in terram repromissionis, quod delentur gentes multæ coram eis, quod traduntur in manus eorum nationes majoris numeri, et robustiores quam populus Israel, Dei esse gratiam Scriptura pronuntiat. Utrum autem percutiat eas Israel usque ad internecionem, an reservet eas et parcat, et utrum ineat cum eis fœdus, et utrum non societ cum eis conjugia, an societ, ipsorum esse testatur. Quo testimonio manifeste discernitur [c] quid libero arbitrio, quidve dispensationi vel quotidiano adjutorio Domini debeamus ascribere, et quod divinæ sit gratiæ præstare nobis occasiones salutis et proventus secundos atque victoriam; nostrum vero esse ut concessa Dei beneficia vel intentius vel segnius exsequamur. Quam rationem etiam in illorum cæcorum curatione satis evidenter videmus expressam. Quod enim transiit ante eos Jesus, divinæ providentiæ et dignationis est gratia. Quod vociferantur, et dicunt: *Miserere nostri, Domine, fili David* (*Matth.* XX), [d] fidei ipsorum et credulitatis est opus. Quod visum recipiunt oculorum, divinæ miserationis est munus. Quod autem etiam post perceptionem cujuslibet muneris tam gratia Dei quam ratio liberi arbitrii perseveret, leprosorum quoque decem qui pariter curati sunt declarat exemplum (*Lucæ* XVII). Ex quibus dum unus per arbitrii sui bonum gratiarum restituit actionem, Dominus novem inquirens, unumque collaudans, sollicitudinem adjutorii sui etiam circa immemores beneficiorum suorum jugem retinere se monstrat. Hoc ipsum enim visitationis suæ donum est, quod vel suscipit et approbat gratum, vel requirit ac reprehendit ingratos.

CAPUT XX.

Quod nihil in hoc mundo sine Deo geratur.

Credere tamen inconcussa fide nos convenit, nihil sine Deo prorsus in hoc mundo geri. Aut enim voluntate ejus aut permissu agi universa fatendum est, ut scilicet hæc quæ bona sunt, voluntate Dei perfici auxilioque credantur; quæ autem contraria sunt, permissu; cum pro nequitiis ac duritia cordis nostri deserens nos divina protectio, diabolum nobis vel ignominiosas corporis passiones patitur dominari. Quod etiam Apostoli vocibus evidentissime perdocemur, dicentis: *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ* (*Rom.* I). Et iterum: *Quia non crediderunt* [*Lips. in marg.* probaverunt] *Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt* (*Ibid.*). Ipse quoque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Consonat huic similis et diserta sententia abbatis Chæremonis collatione 13, quam et D. Prosper valde commendat, ut basim et fundamentum totius disputationis adversus Pelagianos et Semipelagianos, quæ sic habet (*Cap.* 3): *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus tribuit peragendi*, etc.; a qua tamen sententia catholica recessisse aut deflexisse visus idem ipse collator tota sua consequenti disputatione et collatione de protectione Dei et libero arbitrio. Unde merito a D. Prospero redargutus, et a Gelasio pontifice aliisque notatus est, ut ibidem Deo favente videbitur.

[b] Nostrum intellige non excludendo gratiam, sed eam supponendo. Illud enim Pelagianum est, hoc catholicum, ut patet ex iis quæ dicta sunt lib. XII Institut. (*Cap.* 13 *et sequent.*), et clarius patebit ex toto decursu collationis decimæ tertiæ, ubi hoc argumentum accurate tractatur. Non ergo hic separari debet id quod nostrum est ab eo quod Dei est (si catholice exponere velimus) quasi ex nobis ipsis, seu nostris viribus absque speciali et supernaturali Dei auxilio possimus eidem vocanti assentiri et cooperari, ac per hoc vitam æternam promereri, qui fuit error Pelagianorum aut Semipelagianorum; sed nostrum intelligitur quia ex nostro pendet consensu et cooperatione cum gratia divina.

[c] Ita enim hæc duo conjuncta sunt in opere nostræ justificationis et salutis, ut utrique suas partes tribuere debeamus, potiores tamen divinæ gratiæ. Quod a D. Prospero egregie explicatur his verbis (*Lib.* II *de Vocat. gent. cap.* 26): *Gratia quidem Dei in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsorum illuminando, et fidei affectionibus imbuendo. Sed etiam voluntas hominis subjungitur ei, atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit; quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ et voluntatis humanæ.*

[d] Non aliter quam cooperante gratia Dei, cujus etiam donum est ipsa fides, ut superius visum est. Quod enim vel cæci, ut a Christo illuminarentur, clamaverunt, *Miserere nostri, fili David*, vel quod e decem leprosis mundatis unus dumtaxat redierit, ut daret gloriam Deo, non sine speciali Dei auxilio, motione, inspiratione factum est. Verum hujus rei plenior tractatio ad collationem tertiam decimam referenda est.

Dominus per Prophetam ait : *Et non audivit populus meus vocem meam, et Israel non intendit mihi. Propter quod dimisi eos,* inquit, *secundum adinventiones cordis eorum, ambulabunt in adinventionibus suis* (*Psal.* LXXX).

CAPUT XXI.

Objectio super liberi arbitrii potestate.

Germanus : Hoc testimonium apertissime liberum demonstrat arbitrium, quo dicitur : *Si populus meus audisset me* ; et, *non audivit populus meus vocem meam.* Cum enim dicit *si audisset,* ostendit in potestate illius fuisse vel acquiescendi vel non acquiescendi judicium. Quomodo igitur non in nobis nostra salus est collocanda, cum vel audiendi vel non audiendi ipse nobis concesserit facultatem ?

CAPUT XXII.

Responsio, quod liberum arbitrium nostrum adjutorio Domini semper indigeat.

Paphnutius : Acute quidem considerastis hoc quod dicitur, *Si audisset me* ; sed nequaquam quis sit qui ad audientem vel non audientem loquatur, attenditis ; nec illud quod sequitur, *pro nihilo utique inimicos ejus humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.* Nemo igitur hæc, quæ protulimus ut nihil geri sine Domino probaremus, prava interpretatione detorquens, ad defensionem liberi arbitrii ita conetur assumere, ut ab homine gratiam Dei provisionemque quotidianam tentet auferre, per hoc quod dicitur, *Et non audivit populus meus vocem meam* ; et iterum, *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset,* etc. ; sed respiciat quōd, sicut liberi arbitrii facultas populi inobedientia comprobatur, ita quotidiana circa eum provisio Dei clamantis quodammodo et monentis ostenditur. Cum enim dicit : *Si populus meus audisset me,* priorem utique se locutum eis evidenter ostendit, quod fieri a Domino non solum per legem scriptam litteris, verum etiam quotidianis monitis solet, secundum illud quod per Isaiam dicitur : *Tota die expandi manus ad populum non credentem mihi, sed contradicentem* (*Isaiæ* LXV). Utrumque ergo potest hoc testimonio comprobari quod dicitur : *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo utique inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam.* Nam sicut liberum arbitrium per inobedientiam populi demonstratur, ita dispensatio Dei et auxilium ejus versiculi ipsius initio declaratur ac fine, cum se et priorem locutum fuisse testatur, et postea inimicos ejus humiliaturum, si ab eodem fuisset auditus. Nos enim per hæc quæ protulimus, non liberum arbitrium hominis volumus submovere sed huic adjutorium et gratiam Dei per singulos dies ac momenta necessariam comprobare. His nos sermonibus eruditos abbas Paphnutius e sua cella non tam alacres quam compunctos corde ante medium noctis emisit, hoc nobis præcipuum sua collatione conferens, ut cum per abrenuntiationis primæ consummationem, quam toto virtutis nisu studebamus implere, attingenda nobis perfectionis culmina crederemus, inciperemus agnoscere necdum nos cœpisse monachorum fastigia somniare : quippe qui de secunda abrenuntiatione Patrum in cœnobiis eruditi, tertiam in qua omnis perfectio continetur, quæque illas inferiores duas multis modis præcedit, ne auditu quidem nos antea percepisse nossemus.

COLLATIO QUARTA,

Quæ est abbatis Danielis.

DE CONCUPISCENTIA CARNIS ET SPIRITUS.

CAPUT PRIMUM.

Inter cæteros Christianæ philosophiæ viros, [a] abbatem quoque vidimus Danielem, æqualem quidem in omni virtutum genere his qui in eremo Scythi commanebant, sed peculiarius gratia humilitatis ornatum, qui merito puritatis ac mansuetudinis suæ [b] a beato Paphnutio solitudinis ejusdem presbytero, et quidem cum multis junior esset ætate, ad diaco-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Non illum, opinor, Danielem Styliten, id est, Columnicolam, de quo Sozomenus lib. III cap. 13, et ex eo Nicephorus lib. XV cap. 22, et lib. XVI cap. 6, Cedrenus et alii in Leone Magno imp., Damascenus in orat. 3 de imaginibus (*Baron. tom.* VI *Annal. an.* 460 ; *et in Martyrol.* 11 *Decembr.*) Nam ille non Paphnutii, sed Simeonis itidem Stylitis discipulus exstitit ; neque in eremo Scythi, sive Scythica, sed apud Antiochiam Syriæ, super columnam annis circiter viginti novem vixisse legitur. Memoratur quidem et alter Daniel, sed abbatis Arsenii discipulus, cujus præclara dicta et acta in Vitis Patrum referuntur. Tertius item Daniel abbas et presbyter Ægyptius, de quo Sophronius in Prato Spirit. cap. 114, et Petrus Equilinus in Catalogo lib. VI cap. 123. Quartus denique, de quo hic agitur, Paphnutii abbatis discipulus, idemque presbyter, quem Paphnutius successorem suum delegerat : sed Deo aliter disponente, ille prior ex hac vita decessit, ut hic refertur.

[b] Hic rursus Paphnutii mentio, de quo in præcedenti collatione et alias sæpius actum est. Suspicari autem quis posset eumdem fuisse episcopum ex his quæ sequuntur, ubi dicitur Danielem istum, cujus hæc collatio, ad diaconii officium ac inde ad sacerdotii ordinem et honorem provexisse ; cum non sit simplicis presbyteri, sed episcopi seu pontificis, diaconos ac presbyteros ordinare. At certe non dicitur Paphnutius ordinasse, sed ad ordinem seu officium hujusmodi provexisse, non ordinando scilicet, seu ordines ipsos conferendo, sed ordinandum ad episcopos destinando, seu eis commendando, vel offerendo, ut solent abbates et alii prælati episcopis inferiores, religiosos sibi subjectos ad episcopum cum litteris commendatitiis mittere ; quemadmodum D. Benedictus statuit cap. 6 Regulæ : *Si quis abbas sibi presbyterum aut diaconum ordinari petierit, de suis eligat qui dignus sit sacerdotio fungi.*

nii est prælatus officium. In tantum enim beatus Paphnutius virtutibus ipsius adgaudebat, ut quem vitæ meritis sibi et gratia parem noverat, coæquare sibi etiam sacerdotii ordine festinaret; siquidem nequaquam ferens in inferiore eum ministerio diutius immorari, [a] optansque sibimet successorem dignissimum providere, superstes eum presbyteri honore provexit. Qui tamen prioris humilitatis consuetudinem non omittens, nihil umquam sibi illo præsente de sublimioris ordinis adjectione donavit, sed semper abbate Paphnutio [b] spiritales hostias offerente, hic velut diaconus in prioris ministerii permansit officio. In quo tamen beatum Paphnutium, cum talis vir esset ac tantus, ut in multis etiam præscientiæ gratiam possideret, hæc spes substitutionis et electio frustrata est. Nam non multo post tempore hunc quem sibi paraverat successorem, præmisit ad Deum.

CAPUT II.

Quærit unde oriatur repentina commutatio mentium ab ineffabili lætitia in mœstissimam animi dejectionem.

Hic igitur beatus Daniel, inquirentibus nobis, cur interdum residentes in cellula tanta alacritate cordis, cum ineffabili quodam gaudio et exuberantia secretissimorum sensuum repleremur, ut eam non dicam sermo subsequi, sed ne ipse quidem sensu occurreret; oratio quoque pura ac prompta, et mens plena spiritalibus fructibus preces suas efficaces ac leves etiam per soporem supplicans ad Deum pervenire sentiret: ac rursum nullis existentibus causis tanta subito anxietate repleremur, et irrationabili quodam mœrore premeremur, ut non solum nosmetipsos hujusmodi sensibus arescere sentiremus, verum etiam horreret cella, sorderet lectio, ipsa quoque instabilis ac nutabunda, et quodammodo ebria emitteretur oratio, ita ut ingemiscentibus et conantibus nobis, ad directionem pristinam reduci mens nostra non posset, quantoque intentius ad Dei reduceretur intuitum, tanto vehementius ad discursus instabiles lubrico raperetur excessu, et ita omni spiritali fructu redderetur effeta, ut nec desiderio regni cœlorum, nec metu gehennæ proposito ab hoc lethali quodam somno valeret suscitari; ita respondit:

CAPUT III.

Responsio super proposita quæstione.

[c] Tripartita nobis a majoribus super hac, quam dicitis, sterilitate mentis tradita ratio est. Aut enim de negligentia nostra, aut de impugnatione diaboli, aut de dispensatione Domini ac probatione descendit. [d] Et de negligentia quidem, cum nostro vitio tepore præcedente incircumspecte nosmetipsos et remissius exhibentes, et per ignaviam et desidiam noxiis cogitationibus pasti, terram cordis nostri spinas et tribulos facimus germinare, quibus in ea pullulantibus consequenter efficimur steriles, atque ab omni reddimur spiritali fructu et contemplatione jejuni. [e] De impugnatione vero diaboli, cum etiam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Simili exemplo abbas Joannes, ut refert Auctor lib. IV Institut. cap. 29, Mucium monachum ob singularem et stupendam obedientiæ probationem, quam in eo exercuerat, morti jam proximus, *eum præponens cunctis fratribus successorem sibi, atque abbatem monasterio dereliquit.* Quorum occasione quæstio hic moveri posset, an abbas vel prælatus possit sibi successorem diligere et instituere? Verum hæc quæstio majoris disquisitionis et difficilioris tractationis esse videtur, quam ut hoc loco pro ratione instituti commode expediri possit: proinde eam alibi discutiendam relinquo (*Vide inter alias additiones ad calcem operis*).

[b] Nota spiritales hostias, id est mysticam Eucharistiæ oblationem, seu Missæ sacrificium etiam apud anachoretas illos frequentatum. Dicitur autem spiritualis hostia, tum quia spirituali et ineffabili modo Christus ipse sacerdos et victima offertur et sumitur, tum quia spirituales facit ex carnalibus.

[c] Triplex causa spiritalis desolationis, quam hic sterilitatem sive ariditatem mentis, alibi teporem sive tepiditatem vocat.

[d] Hanc causam annotavit D. Gregorius X Moral. cap. 7. *Sæpe*, inquit, *immunda quædam vel illicita animo versamus, quoties a precibus vacamus. Sed cum se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur; et quasi jam faciem ad Deum anima levare non sufficit, quia in se nimirum inquinata mente maculas pollutæ cogitationis erubescit. Sæpe curis mundi libenter occupamur, cumque posthac studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit, quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit; et in prece facies munda non ostenditur, quia cogitationis infimæ luto maculatur.* Hæc Gregorius. Vide Joannem Climacum gradu 28, qui est de Oratione.

[e] Hujus rei insigne exemplum habes in Vitis Patrum (*Lib.* II *c.* 29) his verbis relatum in Macario. Quodam tempore nocte in specie monachi dæmon ad ejus ostium pulsavit dicens: Surge, abba Macari, et eamus ad collectam, ubi fratres ad vigilias congregantur. Ille vero gratia Dei repletus intellexit diaboli fallaciam, et ait: O mendax et veritatis inimice, quid tibi consortii, quid societatis cum collecta et congregatione sanctorum? At ille ait: Latet ergo te, o Macari, quod sine nobis nulla collecta agitur, nulla congregatio monachorum? Veni tu denique, et videbis ibi opera nostra. Dixit autem S. Macarius: Imperet tibi Dominus, dæmon immunde. Et conversus ad orationem, petiit a Domino ut sibi ostenderet si hoc verum esset quod dæmon gloriabatur. Abiit ergo ad collectam, ubi a fratribus vigiliæ celebrabantur, et iterum in oratione Dominum deprecabatur ut et ei veritatem verbi hujus ostenderet. Et ecce vidit per totam ecclesiam quasi parvulos quosdam pueros Æthiopes nigros discurrere huc atque illuc, et velut volitando deferri. Discurrentes autem illi Æthiopes pueri singulis quibusque fratribus in oratione positis atque psallentibus alludebant; et si cui ex iis oculos duobus digitulis compressissent, statim dormitabat; si cui vero in os immersissent digitum, oscitare eum faciebant. Item post psalmum cum ad orandum se projecissent fratres, percurrebant iterum singulos; et ante alium quidem jacentem in oratione, quasi in mulierum specie vertebantur; ante alium quasi ædificantes, aut apportantes aliquid, aut diversa quæque agentes apparebant. Et quæcumque dæmones quasi ludentes formassent, hæc orantes illi in cordis sui cogitatione versabant. Ab aliquantis tamen fratribus, ubi aliquid horum agere cœpissent, quasi violenter repulsi, præcipitati dejiciebantur, ita ut nec stare ante eos aut transire auderent. Alii etiam supra cervices et

bonis nonnumquam studiis dediti, callida subtilitate mentem nostram adversario penetrante, vel ignorantes ab optimis intentionibus abstrahimur vel inviti.

CAPUT IV.

Quod dispensationis ac probationatis Dei duplex causa sit.

[a] Dispensationis autem, vel probationis Domini duplex causa est : [b] prima, ut paulisper ab ipso derelicti, et mentis nostræ humiliter intuentes infirmitatem, et nequaquam super præcedente puritate cordis, quæ nobis illius est visitatione donata, nullatenus extollamur, probantesque nos ab eodem derelictos, gemitibus nostris et industria illum lætitiæ ac puritatis statum recuperare non posse intelligamus, et præteritam cordis alacritatem non nostro studio, sed illius dignatione nobis fuisse collatam, et præsentem de ipsius rursum gratia et illuminatione esse poscendam. [c] Secunda vero probationis est causa, ut perseverantia nostra, vel mentis constantia et desiderium comprobetur, quaque intentione cordis et orationum instantia deserentem nos visitationem sancti Spiritus requiramus, manifestetur in nobis : ac pariter agnoscentes quanto labore amissum istud spiritale gaudium et puritatis lætitia conquiratur, sollicitius inventam custodire, ac tenere intentius studeamus. Quodammodo enim negligentius custodiri solet, quidquid creditur facile posse reparari.

CAPUT V.

Quod studium et industria nostra nihil sine adjutorio Dei prævaleat.

Per quæ evidenter probatur, gratiam Dei ac misericordiam semper operari in nobis ea quæ bona sunt. Qua deserente, nihil valere studium laborantis, et quantumlibet animi nitentis industriam sine ipsius iterum adjutorio statum pristinum recuperare non posse, illudque jugiter in nobis impleri, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

dorsa ludebant. Hæc cum vidisset S. Ma arius, graviter ingemuit, et lacrymas profundens, ad Dominum dixit : Respice, Domine, ne sileas, neque mitigeris, Deus, sed exsurge, et dispergantur inimici tui, et fugiant a facie tua, etc. Post orationem autem, examinandæ veritatis gratia, seorsim evocatis singulis quibusque fratribus, inquirit ab eis si in oratione, vel ædificandi cogitationes habuerint, vel iter agendi, vel alia diversa, quæ unicuique per dæmones imaginata viderat. Et singuli eorum ita confitebantur in corde suo ita fuisse cogitationes sicut ille arguebat. Et tunc intellectum est quod omnes illæ vanæ et superfluæ cogitationes, quas vel psalmorum vel orationum tempore unusquisque in corde conceperit, illusione et instinctu dæmonum fiant ; ab his autem qui omni custodia cor suum servant, tetri repelluntur Æthiopes. Deo enim conjuncta mens, et in ipso præcipue tempore orationis intenta, nihil alienum, nihil superfluum recipit. Hæc ibi. Similia exempla exstant in Vita S. Antonii apud Athanasium, in Vita Hilarionis apud D. Hieronymum, itemque alia apud D. Gregorium lib. II Dial. cap. 4, et apud Cæsarium Cisterciens. lib. V de Miraculis cap. 5.

[a] Id est, providentiæ divinæ, quæ tertia causa spiritalis desolationis superius est assignata.

[b] Hanc causam spiritalis desolationis ex dispositione et probatione divina provenientis, eleganter et copiose explicat D. Gregorius, hæc inter alia scribens (*Lib.* II *Moral. cap.* 27) : *Fit ut aliquando se hæc gratia utiliter subtrahat, et præsumenti menti, quantum in se infirmetur, ostendit. Tunc enim vere cognoscimus bona nostra unde sint, quando hæc quasi amittendo sentimus, quia a nobis servari non possunt. Ad hoc itaque intimandæ humilitatis magisterium, fit plerumque ut irruentis tentationis articulo, tanta stultitia sapientiam nostram feriat, ut turbata mens qualiter malis imminentibus obviet, vel contra tentationem quomodo se præparet, ignoret. Sed hac ipsa stultitia cor prudenter eruditur, quia unde ad momentum desipit, eo post verius quo et humilius sapit ; et sapientia quasi unde amittitur, inde certius possidetur. Aliquando dum sublimia intelligendo in elatione se animus erigit, in rebus imis et vilibus gravi hebetudine pigrescit, ut sibi etiam repente ima clausa videat, qui pernix summa penetrabat. Sed hæc ipsa hebetudo intellectum nobis dum subtrahit, servat ; quia dum ad momentum cor humiliat, verius ad sublimia intelligenda confirmat. Aliquando dum cuncta nos agere consilii gravitate gaudemus, pulsante causæ emergentis articulo, præcipitatione subita rapimur, et qui nos semper disposite vixisse credidimus, repente intima confusione vastamur. Sed tamen ejusdem confusione discimus ne viribus nostris nostra consilia tribuamus ; et tanto maturius ad gravitatem restringimur, quanto ad hanc quasi amissam redimus. Aliquando dum magna nos scire gaudemus, repentinæ ignorantiæ cæcitate torpescimus : sed quo ignorantia mentis oculis ad momentum clauditur, eo post ad scientiam verius aperitur ; ut nimirum flagello suæ cæcitatis eruditus, scire ipsum a quo habeat, sciat.* Hæc et alia D. Gregorius. Sed et D. Bernardus idem argumentum copiosissime tractans : *Superbia,* inquit (*Serm.* 54 *in Cantica*), *inventa in me, et Dominus declinavit in ira a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia, quam patior. Non compungi ad lacrymas queo, non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio; ubi est illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, et gaudium, et pax in Spiritu sancto?* Et infra : *Argumentum,* inquit, *superbiæ est privatio gratiæ. Quamquam interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia, quæ jam est, sed quæ futura est nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum in Apostolo, qui stimulos carnis suæ sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur. Sed sive jam existens, sive nondum, superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.*

[c] In suo et aliorum experimento confirmat D. Bernardus (*Serm.* 9 *in Cantica*) : *Quibus studium est* inquit, *orare, frequenter experti sunt quod dico. Sæpe corde tepido et arido accedimus ad altare, orationi incumbimus ; persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis ; et si sit qui premat, lac conceptæ dulcedinis ubertim fundere non tardabunt.* Item alibi (nempe *Serm* 22. *in Cantica*) in ejusmodi anxietate constitutis, hoc præbet consilium : *Si te torpore, acedia, vel tædio affici sentis, nolis propterea diffidere, aut desistere a studio spirituali ; sed juvantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo ; donec denuo suscitante gratia factus promptior alacriorque curras, et dicas : Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autem quamdiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi numquam perdere possis ; ne subito cum forte retraxerit manum, subtraxerit donum, tu animo concidas, et tristior quam oportet, fias. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, clama ad Deum cum Propheta : Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me* (*Psal.* LXX).

IX). Quæ gratia nonnumquam econtrario negligentes ac resolutos inspiratione hac, qua dicitis, sancta, et abundantia spiritalium cogitationum visitare non renuit, sed inspirat indignos, exsuscitat dormientes, et illuminat obsessos ignorantiæ cæcitate, clementerque nos arguit atque castigat, infundens se cordibus nostris, ut vel sic de inertiæ somno compunctione ipsius instigati consurgere provocemur. Denique [a] frequenter etiam odoribus ultra omnem suavitatem compositionis humanæ, in his ipsis subito visitationibus adimplemur, ita ut mens hac oblectatione resoluta in quemdam spiritus rapiatur excessum, seque commorari obliviscatur in carne.

CAPUT VI.

Quod utile nobis sit interdum a Domino derelinqui.

In tantum vero illum, quem diximus, abscessum, et, ut ita loquar, desertionem Dei, beatus David utilem esse cognovit, ut nequaquam maluerit orare ne a Deo penitus in nullo relinqueretur. Hoc enim sciebat incongruum esse vel sibi, vel humanæ naturæ ad quamlibet pervenienti perfectionem; sed temperari eam potius deprecatus sit, dicens: [b] *Non me derelinquas usquequaque* (*Psal.* CXVIII). Ac si diceret aliis verbis: Scio quod derelinquere soleas utiliter tuos sanctos, ut eos probes. Aliter enim ab adversario tentari non possunt, nisi a te paulisper fuerint derelicti; et ideo non rogo ut numquam me derelinquas, quia non expedit mihi, ut non vel meam infirmitatem sentiens dicam: *Bonum mihi quia humiliasti me* (*Psal.* CXVIII); vel exercitium non habeam præliandi, quod sine dubio habere non potero, si mihi semper et indisrupte cohæserit protectio divina. Suffultum namque me tua defensione tentare diabolus non audebit, illud objiciens et exprobrans, vel mihi, vel tibi, quod adversus athletas tuos [c] solet calumniosa voce proferre. Numquid gratis Job colit Deum: *Nonne tu vallasti eum ac domum ejus, universamque substantiam ejus per circuitum* (*Job.* I)? Sed magis peto ne me usquequaque deseras, quod Græce dicitur [d] μεχρὶ πρὸς ἀγαντεῖον, id est, *usque ad nimietatem*. Quantum enim mihi utile est si me paululum subrelinquas, ut desiderii mei constantia comprobetur, tantum noxium est si pro meritis ac delictis meis nimium me deseri patiaris; quia nulla virtus humana, si diutius in tentatione tuo deseratur auxilio, sua poterit constantia perdurare, et non protinus adversarii vel potentia vel factione succumbere, nisi tu ipse, qui es humanarum virium conscius, ac luctaminum moderator, *non permiseris tentari nos super id quod possumus, sed feceris cum tentatione etiam exitum, ut sustinere possimus* (I *Cor.* X). Tale quid et in Judicum libro, cap. III, super exterminatione [e] gentium spiritalium, quæ adversantur Israeli, mystice legimus designatum: [f] *Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, et haberent consuetudinem cum hostibus præliandi.* Et iterum post pauca: [g] *Dimisitque eos Deus, ut in ipsis experiretur*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Suavissime id explicat suavissimus idem Bernardus sermone illo nono et decimo in Cantica, ubi de osculo spiritali, de uberibus sponsi et sponsæ, de odore unguentorum spiritalium, et hujusmodi.

[b] Id est, penitus, omnino, Græce ἕως σφόδρα, i. e. usque nimis, ut infra legit Ciaconius. Quantum vero differat relinqui a Deo, et penitus seu usquequaque derelinqui apposite ad hunc locum explicat D. Ambrosius Davidis exemplo: *Quia*, inquit, *nullus potest perfectus esse sine favore Dei, neque tutus, ideo rogare debet ne penitus eum derelinquat Deus. Nam supra rogavit David ne derelinqueretur, dicens: Ne derelinquas me, Domine Deus meus; hic ait: Ne derelinquas me usquequaque; hoc est, multum. Supra forte quasi adhuc imperfectus, et in magnis perturbationibus positus se derelinqui timebat; hic autem jam fortior, non timet derelinqui, ut tentetur; sed rogat ne penitus derelinquatur. Plerumque autem derelinquit Deus, quos vult probari: penitus autem derelinquit, quos deserit. Dereliquit penitus Judam; non dereliquit autem S. Job, in cujus patrimonium jus tyrannidis adversario tribuit, in cujus corpus potestatem diabolo dedit; in animam autem non dedit: nam si dedisset in animam, penitus dereliquisset eum*, etc.

[c] Unde et diabolus, i. e. criminator, sed calumniator, dicitur Apoc. XII: *Projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. In die accusat*, verba sunt B. Gregorii (*Moral.* I, *cap.* 9), *cum prosperis male non uti insinuat; in nocte accusat, cum in adversis nos non habere patientiam demonstrat.*

[d] Ciaconius et nostri manuscripti legunt, ἕως σφόδρα. Ex textu Græco illius versiculi, quod proprie sonat, *usque nimis*, pro quo Latinus interpres vertit, *usquequaque*. At prior lectio Latinæ expositioni, quæ subjungitur, magis respondet, *usque ad nimietatem*; quæ verba in quibusdam codicibus (*Basileens.*) et apud Dionysium sola habentur, Græcis omissis. Porro ex hoc etiam loco nemo non videt has collationes Latine, non Græce fuisse scriptas

[e] Gentes illas spiritales vocat, quod earum nominibus in Scriptura expressis spiritalia vitia, quibus fidelium mentes impugnantur, mystice designentur. De quibus vide D. Hieronymum, et alios vocum Hebraicarum interpretes.

[f] D. Gregorius, lib. IV Moralium cap. 25, producto hoc testimonio subdit: *Ad hoc namque quædam vitia nostra retinentur, ut sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, et eo de victoria non superbiat, quo vivere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo reservatis hostibus eruditur, quando in quibusdam vitiis minimis elatio virtutis nostræ comprimitur, ut in parvis sibi resistentibus discat, quod ex se majora non subiget.* Hæc Gregorius, et his similia lib. III Dialog. cap. 14.

[g] *Non ut sciret Deus omnium cognitor, etiam futurorum; sed ut scirent ipsi, et sua conscientia vel gloriarentur, vel convincerentur, utrum audirent mandata Dei*, etc., ait D. Augustinus (*Q.* 17, *super Jud.*). Deus enim qui novit omnia, non eget aliquo experimento aut probatione ad aliquid prævidendum aut pernoscendum; sed dicitur tentare, probare, experiri, metaphorice nimirum et quoad effectum: primo quia ita se gerit, quasi tentaret aut exploraret aliquid incognitum; secundo quia quod per se ipsum novit, id, ut aliis innotescat, efficit: quemadmodum Abrahæ dixit: *Nunc cognovi quod timeas Dominum* (*Genes.* XXII), id est, cognoscere te feci. Porro quod ad locum hunc attinet, simile quidpiam in profanis historiis de Scipione Nasica legitur, qui Carthaginem Romani imperii æmulam nolebat everti, ne populus Romanus tali hoste liberatus, otio ac desidia torpesceret. Qua de re D. Augustinus libro primo de Civitate Dei cap. 30, adversus Romanos gentiles disputans

Israelem, utrum audirent mandata Domini, quæ præ- A *ceperat patribus eorum per manum Moysis, an non.* Quam utique pugnam non invidens Deus quieti Israelis, nec male eidem consulens, sed sciens esse utilissimam, reservavit, ut dum gentium semper istarum impugnatione deprimeretur, numquam se sentiret auxilio Domini non egere, et ob id semper in ejus meditatione et invocatione persistens, nec inertia solveretur, nec bellandi usum et exercitia virtutis amitteret. Frequenter enim quos superare non potuerunt adversa, securitas et prosperitas dejecerunt.

CAPUT VII.

De utilitate ejus pugnæ quam Apostolus ponit in colluctatione carnis et spiritus.

[a] Hanc pugnam utiliter nostris quoque membris *Non propterea,* inquit, *cupitis habere pacem, et omni genere copiarum abundare ut his bonis honeste utamini, hoc est, modeste, sobrie, temperanter, pie; sed ut infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque rebus, ea mala oriantur in moribus, quæ sævientibus pejora sint hostibus. At ille Scipio pontifiex maximus vester, ille totius senatus judicio vir optimus, istam vobis, metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui, et decernenti ut dirueretur, contradicebat Catoni, timens infirmis animis hostem securitatem, et tamquam pupillis civibus idoneum tutorem, necessarium videns esse terrorem. Nec eum sententia fefellit : reipsa probatum est quam verum diceret,* etc.

[a] Lege sextam annotat. D. Cuychii ad finem operis.

[b] Idem aliis verbis Apostolus ad Rom. VII : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Eodem spectat illud Matthæi XXVI : *Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma.* Quod et ethnici suo modo videntur experti. Unde Ovidius VII Metamorph. :

> Mens aliud suadet : video meliora, proboque;
> Deteriora sequor.

Quid porro per carnem et spiritum, sive per legem membrorum et legem mentis intelligatur, diserte et enucleate explicatur in sequentibus (*Cap.* 10 *et* 11). Tota vero hujus loci disputatio eo spectat, ut intelligamus hoc bellum intestinum, seu concupiscentiam carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (quæ huic Collationi ut præcipuum præbuit argumentum, et ita titulum) nobis esse utilem ac salutarem, ideoque divina dispensatione seu providentia in nobis esse relictam et quodammodo invisceratam. Quod tamen intelligendum de carne, non secundum primævam conditionem, in qua Adam et Eva conditi sunt, sed de carne peccato vitiata, licet per baptismum mundata : *Manere enim in baptizatis concupiscentiam, seu fomitem, ut vocant, sancta synodus Trident.* (*Sess.* 5. *in decreto de Peccato origin.*) *secundum sanctorum Patrum doctrinam definivit : quæ quidem,* inquit (*August. lib. de Pecc. Merit. cap. ult.*), *cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus,* D *sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Et hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus* (Rom. VI *et* VII) *peccatum appellat, eadem synodus declarat Ecclesiam catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.* Hæc ibi. Ex quibus intelligimus hanc carnis et spiritus repugnantiam provenire ex relicta post peccatum propensione ad ea quæ cuique parti sunt commoda et amica. Nam caro quæ sua sunt

insertam, etiam in Apostolo ita legimus (*ad Gal.* V. [b] *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc autem invicem adversantur sibi, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Habes et hic pugnam [c] invisceratam quodammodo corpori nostro, dispensatione Domini procurante. Quidquid enim generaliter et sine alicujus exceptione omnibus inest, quid aliud judicari potest, nisi ipsi humanæ substantiæ post ruinam primi hominis, velut naturaliter attributum, et quod universis congenitum concretumque deprehenditur, quomodo non credendum sit arbitrio Domini non nocentis, sed consulentis insertum? Causam vero hujus belli, id est, carnis et spiritus, hanc esse describit : [d] *Ut non,* desiderat, et ad ea vehementer accenditur; contra vero spiritus, quæ spiritalia sunt, et veritati ac honestati consentenea, expetit. Verum quæri potest quomodo carni tribuatur actus concupiscendi, qui proprius est animæ? Respondet D. Thomas (*Comment. ejus loci et* 1-2, *q.* 70, *art.* 41), secundum D. B Augustinum, *quod caro dicitur concupiscere, in quantum anima secundum carnem affecta concupiscit : sicut oculus dicitur videre, cum potius anima vel ipse homo per oculos videat. Sic ergo anima per carnem concupiscit, quando ea quæ delectabilia sunt secundum carnem expetit. Per se vero anima concupiscit, quando delectatur in his quæ sunt secundum spiritum, ut sunt opera virtutum, contemplatio divinorum, et meditatio sapientiæ, juxta illud Sap.* VI : *Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.* At dices : Si caro concupiscit per spiritum, quomodo concupiscit adversus eum? *Respondet, in eo, quod concupiscentia carnis impedit concupiscentiam spiritus; cum enim anima circa sensibilia et inferiora, quæ sunt carnis, occupatur et afficitur, retrahitur a superioribus, quæ sunt spiritus* (*Vide notata infra ad cap.* 13).

[c] Quomodo intelligat abbas Daniel hanc pugnam sive concupiscentiam carnis adversus spiritum, insertam et invisceratam membris nostris et corpori C nostro procuratione divina, docte explicat Do. Cuychius in sua censura, quam videre lector meo consilio non omittet. Videndus porro etiam locus D. Augustini ab eo citatus lib. V contra Julianum, sed præcipue cap. 5 ejus libri, ubi inter alia refert Augustinus, exstitisse quosdam hæreticos, Paternianos et Venustianos dictos, Manichæis similes, qui dicebant, *a lumbis usque ad pedes diabolum fecisse corpus hominis; superiores vero partes Deum, velut supra basim aliquam collocasse; nihilque ab hominis studio requiri, quam ut anima* (*quam in corpore et stomacho habitare dicebant*) *munda servetur; pubem vero si omnibus flagitiorum oblinatur sordibus, ad suam non pertinere curam : ita ut semper ipsi libidini turpiter serviat, titulum ei propriæ potestatis affingebant.* Hæc illi impuritatis defensores; quibus ipsum Augustinum favere ac patrocinari suis scriptis Julianus ille impudenter objiciebat. Quam calumniam refutans Augustinus : *Ego,* inquit, *secundum catholicam fidem, totum hominem, totam scilicet animam, totumque corpus ejus Deo summo et vero tribuo Creatori, diabolum autem dico humanam, vel aliquid ejus non creasse, sed vitiasse naturam : contraque ipsam diabolicam plagam, quæ Dei opitulatione sananda est, donec ab ea penitus liberemur, nobis esse pugnandum. Nec animam, qua corpus vivit, mundam, quantum in hac vita mundus homo est, posse servari, si concupiscentiæ carnis ad flagitia perpetranda et quæque immunda consenserit.* Hæc Augustinus, quæ hic adscribere libuit ad ampliandam Cuychii elucidationem.

[d] Ut, conjunctio, sæpe non causam, sed eventum

inquit, *quæcumque vultis, illa faciatis*. Ergo id quod procuravit Deus, ut non posset a nobis impleri, id est, ut non quæcumque volumus, faciamus, quid aliud si impleatur credi potest esse quam noxium? Et est quodammodo utilis hæc pugna dispensatione Dei nobis inserta, et ad meliorem nos statum provocans atque compellens, qua sublata proculdubio pax econtrario perniciosa succedet.

CAPUT VIII.

Interrogatio quid sit quod in capitulo Apostoli post adversantes sibi concupiscentias carnis et spiritus, tertia adjiciatur voluntas.

Germanus : Licet nobis quidam intellectus in ea prælucere videatur, tamen quia necdum possumus Apostoli sententiam ad liquidum pervidere, volumus hæc nobis apertius explanari. Tres enim res hic indicari videntur : prima carnis adversus spiritum pugna; secunda spiritus adversus carnem concupiscentia ; tertia voluntas nostra, quæ velut media ponitur, de qua dicitur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Super qua re licet, ut dixi, suspiciones quasdam, ex his quæ posita sunt, intelligentiæ colligamus; volumus tamen, quia se hujus Collationis occasio obtulit, aliquid nobis lucidius disputari.

CAPUT IX.

Responsio de intellectu recte interrogantis.

Daniel : Discernere divisiones et lineas quæstionum [a] portio intellectus est, et maxima pars intelligentiæ scire quid nescias. Propter quod dicitur (*Proverb.* XVII) : [b] *Insipienti interroganti sapientia reputabitur*, quia licet is qui interrogat, vim propositæ quæstionis ignoret, tamen quia prudenter inquirit, et intelligit quod non intelligat, hoc ipsum ill reputatur ad sapientiam; eo quod quid nesciret, prudenter agnoverit. Secundum divisionem itaque vestram tres hoc loco res ab Apostolo nominari videntur, concupiscentia carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, quarum adversus se invicem pugna hanc videtur habere causam atque rationem, ut ea quæ volumus, inquit, facere nequeamus. [c] Quarta igitur superest causa, quam minime vidistis vos, ut illud scilicet quod nolumus, faciamus. Nunc ergo opus est nobis ut prius duarum concupiscentiarum vim, id est, carnis et spiritus agnoscamus, et ita demum quæ voluntas sit nostra, quæ inter utramque posita est, discutere valeamus; deinde quid possit voluntatis nostræ non esse, similiter dicernamus.

CAPUT X.

Quod vocabulum carnis non in una significatione ponatur.

[d] Vocabulum carnis in Scripturis sanctis multi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

et consecutionem significat : quod Chrysostomus (*Rom.* X) et Damascenus in multis Scripturæ locis fieri observarunt; unde non semper αἰτιατικός, sed ἐπιβατικός illis dicitur. Matth. II : *Ut adimpleretur quod dictum est*, etc. ; Joan XII : *Excæcavit oculos eorum, ut non videant*, et XIII : *Ut Scriptura adimpleretur*; Rom. I : *Tradidit eos in passiones ignominiæ; ut faciant quæ non conveniunt*. Atque hoc modo etiam in istis verbis Apostoli hoc loco citatis, proprie et germane accipienda videtur. Non enim *caro* propterea, id est, eo fine, vel ob eam causam *concupiscit adversus spiritum*, etc., ut non quæcumque volumus, faciamus; sed ex illa repugnantia carnis et spiritus id nimirum consequitur, ut non quæcumque bona facere vellemus, faciamus, sicut ait Apostolus Rom. VII : *Non enim quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago*. At vero hic abbas ita hanc particulam accipit, ut causam denotet finalem. Vult enim causam belli hujus, et pugnæ carnis et spiritus hanc esse, ut bona quæ volumus facere nequeamus, nimirum ad nostrum exercitium et agonem; quemadmodum ille Scipio Carthaginem stare volebat, ad Romanos in officio continendos. Neque vero per hoc tollitur liberum arbitrium. *Nam libertas arbitrii*, ait sanctus Thomas, *in illis est, quæ subsunt electioni, non autem omnia quæ in nobis sunt, simpliciter subsunt nostræ electioni; sed secundum quid. Nam in specie possumus vitare hunc vel illum concupiscentiæ vel iracundiæ motum : at generatim omnes iræ vel concupiscentiæ motus vitare non possumus propter corruptionem fomitis, id est, proclivitatem ad malum ex peccato relictam*. Verum hac de re plenius agendum erit ad collat. 13 et 21 (*In Commentario*). Scite vero et acute div. Thomas hoc in negotio quo de concupiscentiis agitur, distinguit quatuor genera hominum, quorum nullum facit quæcumque vult, sed diversa ratione. *Nam intemperati*, inquit, *qui ex proposito sequuntur carnales passiones, secundum illud Proverb.* II : *Letantur cum male fecerint. Faciunt quidem quod volunt in quantum ipsas passiones sequuntur; sed in quantum ipsa eorum ratio remurmurat et ei displicet, faciunt quæ non volunt. Incontinentes autem, qui habent propositum abstinendi, et tamen a passionibus vincuntur, faciunt quidem quod non volunt, in quantum ipsas passiones contra eorum propositum sequuntur* (*Arist. lib.* VII *Ethic. cap.* 4); *et sic intemperati faciunt plus de eo quod volunt. Continentes autem, qui vellent omnino non concupiscere, faciunt quod volunt, dum non concupiscunt; sed quia omnino non concupiscere non possunt, faciunt quod nolunt. Temperati vero, quod volunt quidem faciunt, in quantum in carne domita non concupiscunt; sed quia non ex toto domari potest, quin in aliquo repugnet spiritui, sicut nec malitia in tantum crescere potest, quin ratio remurmuret, ideo cum aliquando concupiscunt, faciunt quod nolunt; plus tamen de eo quod volunt*. Ita S. Thomas.

[a] Quia qui recte et enucleate distinguit partes quæstionis seu interrogationis, ostendit aliqua ex parte assequi quod quærit, juxta illud Aristotelis : *Qui nihil scit, nihil dubitat*, nihil discernit.

[b] Hic Ciaconius supplevit ex LXX Interpret. : *Insipienti interroganti sapientiam, sapientia reputabitur*; et confirmat ex verbis sequentibus, tum ex Justino, qui ita citat in epistola ad Zenam et Serenum. In vulgata editione nihil tale legitur; sed ejus loco : *Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur*, etc.

[c] Quarta, supple, res in illis verbis Apostoli expressa : dixerant enim tres eo loco res ab Apostolo nominari. Quartam vero non animadverterant, quam hic abbas suggerit, nempe causam ac rationem istius pugnæ carnis et spiritus verbis consequentibus expressam. Sed de hac causa vide quæ supra annotavimus cap. 7.

[d] Isidorus Pelusiotes (*Lib.* IV) Cassiani nostri coætaneus et condiscipulus in quadam epistola (*Epist.* 477) duas tantum designat carnis acceptiones, sub quibus tamen reliquæ fere continentur : *Caro*, inquit, *vocabulum bifariam in Scripturis usurpatur:*

frie leginus nominari : nam nonnumquam significat hominem integrum, id est, qui ex corpore constat et anima ; ut ibi (*Joan.* I) : *Et verbum caro factum est* ; et (*Isaiæ* XL et *Lucæ* III) : *Videbit omnis caro salutare Dei nostri.* Nonnumquam homines peccatores atque carnales ; ut ibi (*Genes.* VI) : *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sint caro.* Interdum pro ipsis peccatis ponitur ; ut ibi (*Rom.* VIII) : *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Et iterum (I *Cor.* XV) : *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Denique sequitur : *Neque corruptio incorruptelam possidebit.* Nonnumquam pro cognatione et propinquitate ; ut ibi (II *Reg.* V) : *Ecce nos os tuum, et caro tua sumus.* Et Apostolus (*Rom.* XI) : *Si quomodo in æmulationem inducam carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis.* Quærendum ergo nobis est, secundum quam significationem ex his quatuor, carnem hic debeamus accipere. Manifestum namque est secundum illud quod positum est, *Et verbum caro factum est ;* vel illud, *Et videbit omnis caro salutare Dei,* penitus stare non posse ; sed neque secundum illud quod dicitur, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sunt caro ;* quia non, sicut ibi abrupte de homine peccatore, ita et hic ponitur caro, cum dicitur (*Gal.* IV) ; *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Neque enim de rebus substantialibus loquitur, sed actualibus, quæ in uno eodemque homine vel pariter vel sigillatim cum quadam temporis vicissitudine et mutatione luctantur.

CAPUT XI.

Quid in hoc loco caro ab Apostolo nominetur, et quid si concupiscentia carnis.

Quamobrem in hoc loco [a] carnem non hominem, id est, hominis substantiam, sed voluntatem carnis et desideria debemus pessima accipere : sicut nec spiritum quidem aliquam rem substantialem, sed animæ desideria bona et spiritalia designare. Quem sensum idem beatus Apostolus superius evidenter expressit, ita dicens : *Dico autem, spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem.* [b] *Hæc autem invicem adversantur sibi, ut non quæcumque vultis, illa faciatis* (*Gal.* V). Quæ cum utraque desideria, id est, carnis et spiritus in uno eodemque sint homine, intestinum quotidie intra nos geritur bellum, dum concupiscentia carnis quæ præcipitanter fertur ad vitia, his quæ ad præsentem requiem pertinent, deliciis gaudet. Quibus econtra concupiscentia spiritus adversata, ita desiderat tota spiritalibus studiis inhærere, ut etiam necessarios carnis usus optet excludere, sic illis jugiter occupari cupiens, ut nullam penitus fragilitati ejus curam cupiat impartiri. Caro luxuriis ac libidine dele-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quandoque enim de natura intelligitur, quandoque autem de affectu et labe. Prioris significationis exemplum hoc est : Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere (*Luc.* XXIV). *Posterioris : Caro et sanguis regnum Dei hæreditate possidere non possunt.* Ita ille. At plenior est accuratior est divisio ac distinctio quæ hic habetur.

[a] Ex illis verbis Apostoli : *Caro concupiscit adversus spiritum,* etc. Manichæri olim statuere conati sunt duas esse naturas in homine : alteram bonam a Deo conditam, alteram malam a dæmone auctore profectam, quæ in carne inhabitans per carnem concupiscit adversus spiritum. At id non solum impie, sed etiam imperite ab eis excogitatum. Eadem namque prorsus est anima quæ per carnem concupiscit, secundum carnalem appetitum, et quæ per spiritum concupiscit juxta appetitum rationalem. Constat enim in anima hominis duplicem esse vim appetitivam : alteram rationis expertem, quam appellamus appetitum sensitivum, quia versatur circa delectationes sensuum ; alteram quæ est rationis particeps, quam voluntatem appellamus (*August. ad Quodvultdeum ; Gregor.* XXXII *Moral. cap.* 10). Hæc per gratiam sanata et renovata concupiscit ex directione spiritus spiritalia bona. Eadem igitur est anima quæ secundum diversas vires adversus seipsam pugnat. Proinde cum hic dicit abbas carnem et spiritum non significare hominis substantiam, intellige quatenus substantia est, sed quatenus carnalis, vel spiritalis, id est, quatenus appetitui sensitivo et carnali, vel spirituli, id est, rationali obtemperans. Idem enim est, sive dicatur caro, sive anima, vel homo quatenus carnalis. Cæterum D. Augustinus non modo eamdem animam diversis motibus æstuantem secundum diversos et contrarios appetitus hoc dissidium sentire scribit, verum etiam vim rationalem. Docet enim eamdem hominis voluntatem litigare, rixari, ac pugnare secum, dum ex Spiritus sancti inspiratione tota vult æternis bonis inhærere, ex pondere vero carnalis consuetudinis vult adhuc terrenis commodis et delectationibus frui. Sic enim ipse quas initio suæ conversionis pateretur difficultates et ambiguitates exponit lib. VIII Confessionum vel. 5 : *Velle meum tenebat inimicus, et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido ; et dum servitur libidini, facta est consuetudo ; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus, quasi ansulis quibusdam sibimet innexis* (*unde catenam appellavi*), *tenebat me dura servitus. Voluntas autem nova, quæ mihi esse cæperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, sola certa jucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus, alia nova, illa carnalis, ista spiritualis, confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam. Sic intelligebam meo ipsius experimento id quod legeram, quomodo caro concupisceret adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.* Hæc Augustinus, quibus illustrari poterunt quæ sequenti capite de media quadam voluntate inter utramque concupiscentiam carnis et spiritus disseruntur.

[b] Quia motus spiritus contrarii sunt motibus carnis, ut dictum est. Caro enim sollicitat ad turpia, spiritus vero invitat ad honesta, quod postmodum longa et diserta antithesi explicatur ; nec refert sive spiritus accipiatur pro Spiritu sancto, ut videtur Apostolico contextui magis quadrare ; sive pro spiritu humano, quatenus tamen a Spiritu sancto sanatus ab eodem regitur et gubernatur. *Nam Spiritus sanctus,* ait D. Thomas (1-2, *q.* 70. *art,* 4) *movet humanam mentem ad id quod est secundum rationem, vel potius ad id quod est supra rationem ; appetitus autem carnis, qui est appetitus sensitivus, trahit ad bona sensibilia, quæ sunt infra hominem : unde sicut motus sursum et deorsum contrariantur in naturalibus ; ita in operibus humanis, contrariantur opera carnis fructibus sive operibus spiritus.*

ctatur, spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleri cibo; hic vigiliis et jejuniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum somnum cibumque velit admittere. Illa cupit exuberare copiis universis, hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lavacris illa nitescere et quotidianis adulantium cuneis appetit constipari, hic squalore sordium et inaccessibilis eremi vastitate congaudet, cunctorumque mortalium præsentiam perhorrescit. Honoribus illa et laudibus hominum confovetur, hic irrogatis sibi persecutionibus injuriisque lætatur.

CAPUT VII.

Quæ sit voluntas nostra, quæ inter concupiscentiam carnis et spiritus ponitur.

Inter has igitur utrasque concupiscentias, [a] animæ voluntas in meditullio quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum doloribus acquiescit, sic quærens a passionibus carnalibus temperari, ut nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus desideria spiritus A nequeunt possideri, absque castigatione carnis castimoniam cupiens corporis obtinere, sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem, cum requie carnis spiritalibus virtutibus exuberare, absque ullius exasperatione convicii patientiæ gratiam possidere, humilitatem Christi sine honoris mundani exercere jactura, religionis simplicitatem cum sæculi ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac favore servire, districtionem veritatis sine cujuspiam vel tenui offensione proferre. Postremo sic vult futura consequi bona, ut præsentia non amittat. Quæ voluntas numquam nos ad perfectionem veram faceret pervenire, sed in tepore quodam teterrimo collocaret, talesque faceret quales illi sunt qui in Apocalypsi increpatione Domini castigantur : *Scio* B *opera tua, quia neque calidus es, neque frigidus*; [b] *utinam frigidus esses aut calidus : nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo* (*Apoc.* III); nisi hunc tepidissimum statum altrinsecus hæc insurgentia bella disruperint. Nam cum famulantes huic voluntati nostræ ad hanc remissionem voluerimus nosmetipsos paululum relaxare, confestim acu-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Voluntatem quamdam, sive statum animæ ponit, veluti medium inter utramque concupiscentiam, carnis videlicet et spiritus, quo sic affectus sit animus, ut utrique ex æquo satisfacere, ut utriusque affectibus obsequi velit, hoc est, terrenis simul et æternis bonis perfrui, et in utramque, ut dicitur, aurem dormire, et nunc carni, nunc spiritui deservire. Quam pravam affectionem, et dimidiatam, seu partitam voluntatem vocat Scriptura tepiditatem; quod inter aquam calidam et frigidam media sit tepida, eamque ut iniquam, absurdam, impossibilem multis locis suggillat ac detestatur. III Reg. XVIII : *Usquequo claudicatis in utramque partem? Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum.* Prov. XIII : *Vult, et non vult piger.* Matth. VI : *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Lucæ VI : *Nemo potest duobus dominis servire.* Lucæ IX : *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* II Coriuth. VI. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* I Timoth. II. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Apoc. III : *Utinam frigidus esses, aut calidus,* etc. Talis porro erat Augustinus initio suæ conversionis, ut superius visum est (*Cap.* II), ancipiti voluntate nunc in hanc, nunc in illam partem abstractus. Tali etiam modo spiritaliter affectum Zachæum venerabilis Beda interpretatur : *Qui intrantem,* inquit, *Jericho Salvatorem videre quærebat, sed præ turba non poterat* (*Luc.* XV); *quia gratiæ fidei, quam* D *mundo Salvator attulit, participare cupiebat, sed inolita vitiorum consuetudo ne ad votum perveniret obstabat.* Tales denique servi inutiles, quos D. Gregorius depingens : *Sunt,* inquit (*Hom.* 9 *in Evang.*), *plerique intra sanctam Ecclesiam* (*quorum iste servus imaginem tenet*) *qui melioris vitæ vias aggredi metuunt, et tamen jacere in sui torporis ignavia non pertimescunt;* et quæ sequuntur. Ad hunc igitur voluntatis torporem, medietatem et tepiditatem excutiendam, docet opportune et magno nostro commodo nobis insectam ac relictam hanc pugnam carnis et piritus, ut assiduo hoc certamine et conflictu utriusque partis excitatus animus vim sibi afferat, seque supra seipsum erigat, et toto conatu atque instantia ad perfectionis apicem enitatur, quia *Regnum Dei vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI).

[b] D. Gregorius in Pastorali (III *part. cap.* 35) : *Calidus est qui bona studia et arripit et consummat, frigidus vero qui consummanda nec inchoat. Et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore quoque per teporem reditur ad frigus. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit; qui vero post conversionem tepuit, et spem quæ esse potuit de peccatore* C *subtraxit. Aut calidus ergo quisque esse aut frigidus quæritur, ne tepidus evomatur, ut videlicet aut necdum conversus adhuc de se spem conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat; ne evomatur tepidus, qui a calore quem proposuit torpore ad noxium frigus redit.* Ita Gregor. Porro tepiditatis vitium et tepidorum monachorum mores, contra quos præcipue hic agitur, graphice depingit Cassianus lib. X Instit. cap. 2 et 3. His adde D. Bernardum serm. 6, ubi hæc utriusque generis monachorum collatio : *Advertere potes,* inquit, *in omnibus fere religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper, et hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cœlum, et puras manus in oratione levantes, sollicitos observatores conscientiæ, et devotos sectatores bonorum operum, quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor manuum delectabilis, universa denique conversationis hujus austeritas refrigerium videatur.* D *Contra sane invenire est homines pusillanimes, et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est, quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione, quos denique, ut videmus, vix gehennæ motus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet. Non tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum, intellectu affectui et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis,* etc. Vide eumdem serm. 63 in Cantica.

lei carnis insurgunt, suisque nos vitiis et passionibus sauciantes, nequaquam in illa, qua delectamur, puritatis qualitate stare permittunt, atque ad illam quam horremus frigidam voluptatem, plenamque sentibus pertrahunt viam. Rursus si spiritus fervore succensi, opera carnis volentes exstinguere, sine ullo respectu fragilitatis humanæ, totos nosmetipsos tentaverimus ad immoderata virtutum studia cordis elatione conferre, interpellans imbecillitas carnis ab illa reprehensibili nimietate spiritus revocat ac retardat; et ita fit ut, utraque concupiscentia tali colluctatione alterna sibimet repugnante, animæ voluntas, quæ nec totam se carnalibus desideriis dedere, nec virtutum vult laboribus desudare, quodammodo justo moderamine temperetur, dum hæc inter utraque contentio, illam perniciosiorem excludens animæ voluntatem, ut quamdam æquitatis libram in statera nostri corporis collocat, quæ spiritus carnisque confinia justo discernit examine, nec a dextris mentem spiritus ardore succensam, nec a læva carnem vitiorum aculeis præponderare permittit. Dum hæc pugna quotidianis diebus utiliter exagitatur in nobis, ad illud quartum quod nolumus salubriter venire compellimur, ut puritatem cordis non otio nec securitate, sed jugi sudore et contritione spiritus acquiramus, castitatemque carnis districtis jejuniis, fame, siti ac vigilantia retineamus; directionem etiam cordis, lectione, vigiliis, oratione continua, et solitudinis squalore capiamus; patientiam tribulationum exercitiis retentemus, cum blasphemiis et opprobriorum saturitate nostro serviamus Auctori; veritatem cum invidia mundi istius et inimicitiis, si necesse fuerit, exsequamur; et tali colluctatione in nostro corpore militante, protractis nobis ab hac ignava securitate, atque ad istum quem volumus laborem ac virtutem studia provocatis, æquitas optime media retineatur, et tepidum nostræ voluntatis arbitrium, hinc spiritus fervor, illinc carnis gelidissimus rigor moderatissimo calore contemperent, ac neque ad effrenata vitia mentem pertrahi concupiscentia spiritus sinat, nec rursum ad virtutum irrationabiles appetitus fragilitas carnis spiritum patiatur extolli; ne vel inde omnigenum pullulent fomites vitiorum, vel hinc elatio morbi principalis emergens, telo nos superbiæ graviore confodiat : sed pugnæ horum justa æquilibratio succedens sanam et moderatam inter utramque virtutem reservet viam, itinere regio docens militem Christi semper incedere. Atque ita fit, ut cum pro tepore hujus, quam diximus, ignavissimæ voluntatis propensius mens ad desideria carnis fuerit devoluta, spiritus concupiscentia refrenetur, nequaquam eo vitiis acquiescente terrenis; rursumque si immoderato fervore per excessum cordis ad impossibilia fuerit spiritus noster et inconsideratá præreptus, infirmitate carnis ad justum retrahatur examen, et transcendens voluntatis nostræ tepidissimum statum commodissima temperie planoque tramite cum sudoris industria viam perfectionis incedat. Simile quid etiam in illius turris exstructione legimus a Domino dispensatum in libro Geneseos, ubi linguarum oborta repente confusio sacrilegos ausus hominum nefandosque compescuit (*Genes.* XI). [a] Permansisset enim etiam ibi adversus Deum, immo adversus eos qui divinam ejus attentare cœperant majestatem, consensus noxius, nisi eos dispensatione Dei repugnans inter se diversitas linguæ per dissonantiam vocis in meliorem statum proficere compulisset, et quos ad excidium sui animaverat perniciosa consensio, ad salutem revocasset bona utilisque discordia, incipientes scilicet humanam fragilitatem intercedente divisione sentire, quam per noxiam conspirationem elati antea nesciebant.

CAPUT XIII.

De utilitate cunctationis quæ ex colluctatione oritur carnis et spiritus.

In tantum vero [b] utilis nobis ex hujus pugnæ di-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Genes. XI : *Descendit Dominus, ut videret civitatem et turrim quam ædificabant filii Adam, et dixit : Ecce unus est populus, et unum est labium omnibus, cæperuntque hoc facere ; nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, et confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universis terras, et cessaverunt ædificare civitatem.* Sic igitur linguarum oborta confusio, et vocum discordia temerarios ausus hominum nefariosque compescuit. Quo etiam modo nobis prodest iuterna partium nostrarum discordia, tum ad deprimendam mentis nostræ elationem, tum ad alios effectus supra signatos.

[b] Colligit ex dictis aliquot utilitates, quæ nobis ex colluctatione ac dissidio carnis et spiritus proveniunt. Prima utilitas est salutaris cunctatio et dilatio qua fit ut mala quæ animo concepimus tardius exsequamur, corporis mole præpediti, et facilius ab eis revocemur pœnitentia ducti. Hinc Poeta :

Differ, habent parvæ commoda magna moræ.

Secunda, facilior apud Deum excusatio et veniæ consecutio, ratione infirmitatis et fragilitatis humanæ, cujus obtentu toties Psalmista divinam misericordiam commovet et implorat, dicens : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum,* etc., quod angeli dicere non possunt, quibus, cum sint incorporei, nulla suppetit excusatio infirmitatis, ut hic dicitur. Tertia, major cautela et sollicitudo, ut de hoste, præsertim domestico, numquam securi, cautius nobis invigilemus et prospiciamus. Qui enim, hoste præsente, eoque infestissimo, non sibi caveat, seseque muniat? Quarta, humiliatio, qua etiam viri spiritales et perfecti ob carnis infirmitatem et immunditiam, quam patiuntur inviti, salubriter humiliantur, ne de suis virtutibus ac divinis beneficiis extollantur. Si enim Apostolo Paulo, ne magnitudo revelationum eum extolleret, datus est stimulus carnis suæ, angelus Satanæ, qui eum colaphizaret (*Vide Joan. Climacum gradu* 15); quid mirum si aliis? Has duas utilitates prosequitur cap. 15 et sequentibus (II *Cor.* 12). Cæterum, quamvis ex his recte colligatur, ut colligit Auctor, utcumque saltem et secundum quid, sive occasionaliter, bonam esse et ad multa nobis utilem carnis et spiritus colluctationem, ideoque divina dispensatione seu dispositione in nobis etiam post baptismum remanere

versitate cunctatio nascitur, et salutaris ex hac concertatione dilatio, ut, resistente soliditate corporea, dum ab eorum effectu que nequiter mente concipimus retrahimur, nonnumquam in meliorem statum, seu pœnitudine subsequente, seu emendatione quadam, que solet procrastinatione operis et recogitatione interveniente descendere, corrigamur. Denique hos quos intelligimus ad voluntatum suarum desideria perficienda nullo carnis obstaculo retardari, dæmones scilicet ac spiritales nequitias, et quidem cum sint de eminentiore angelorum ordine devoluti, detestabiliores esse hominibus contemplamur, eo quod, possibilitate eorum desideriis adjacente, [a] id quod nequiter semel conceperint irrevocabili malo perficere non morentur : quia sicut A est animus eorum velox ad excogitandum ; sic ad perficiendum pernix et absoluta substantia ; et dum suppeditat eis prona facilitas ea quæ voluerint peragendi, conceptum malum nulla intercedens deliberatio salutaris emendat.

CAPUT XIV.

De inemendabili malitia spiritalium nequitiarum.

[b] Spiritalis namque substantia, nec ulla carnis soliditate devincta, ut excusationem exortæ in se pravæ non recipit voluntatis, ita venam malignitatis excludit, quia nulla quemadmodum nos ad peccandum impugnatione carnis extrinsecus lacessita est, sed vitio solius malæ voluntatis accensa, et [c] ob hoc sine venia peccatum et languor sine remedio

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ad agonem, ut dictum est : fatendum tamen concupiscentiam carnis adversus spiritum ex se simpliciter esse malam et vitiosam ; non quia sit proprii nominis peccatum, sed quia vitium, et defectus naturæ, ordini et æquitati naturali repugnans, qua par est inferiora superioribus subesse ; cum econtrario per concupiscentiam par animæ inferior superiori, id est, rationi repugnet, legi mentis non pareat, spiritui obluctetur, et, quod pejus est, ad peccatum trahat. Unde et Apostolus expresse malum nominat, Rom. VII, cum ait : *Malum adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*, ubi per malum adjacens nihil aliud intelligi potest, nisi concupiscentia carnis, quam ibidem vocat Apostolus legem membrorum, et legem peccati repugnantem legi mentis (*Vide Bellarm. de Amiss. gratiæ lib.* VI *cap.* 14). Quod et contra Pelagianos accurate docet D. Augustinus, et multis rationibus et auctoritatibus antiquorum Patrum confirmat, lib. II in Julianum, inter alia scribens, legem peccati, quæ inest hominis membris repugnans legi mentis, qua caro concupiscit adversus spiritum, etiam baptizatis ingerere pugnandi necessitatem. *Et contra quid,* inquit, *nisi contra malum, non substantiam, sed substantiæ vitium, Dei gratia nos regenerante, non imputandum, Dei gratia juvante frenandum?*

[a] Non quod judicio ac voluntate prorsus inflexibili atque immobili præditi sint, ut nonnulli volunt (*S. Thom.* I *part., q.* 64, *art.* 2) ; sed quia nullo carnis impedimento aut remora detinentur, quominus animo concepta continuo exsequantur.

[b] Angelos sive bonos, sive malos, spirituales et incorporeas esse substantias docent Patres (*S. Th.* I *part., q.* 51), Dionysius Areop. Cœlest. Hierar. cap. 2 et de Div. Nom. cap 4, Gregorius Nazianzenus orat: 2 de Theologia, Chrysostomus homil. 22 in Genesim, Damascenus lib. II de Fide Orthod. cap. 3. et Gregorius Magnus VIII Moral. cap. 9. Et in concilio Lateranensi, cap. *Firmiter,* ita definitum : *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam.* Ubi spiritalis creatura opponitur corporeæ. Aliter tamen docet abbas Serenus collatione septima cap. 13, ubi angelos fatetur spiritalis quidem esse naturæ, non tamen omnino incorporeæ. Quod etiam sensisse videtur D. Augustinus pluribus in locis, ubi spiritalia quædam, id est, aerea corpora, tam angelis quam dæmonibus tribuit, ex Platonicorum sententia.

[c] Damascenus, loco supra citato : *Inadeptivus pœnitentiæ est angelus, quia incorporalis est. Nam homo propter substantiæ infirmitatem pœnitentiam consecutus est.* Et cap. sequenti : *Scire oportet quoniam quod hominibus est mors, hoc angelis est lapsus. Post lapsum enim non est illis pœnitentiæ locus, ut* B *neque post mortem hominibus.* Quod non sic accipiendum est, tamquam natura angelica præ humana fuerit restitutionis incapax, aut irreparabilis suo Conditori, sed quia justissimum fuit ut sicuti hominum via, qua mereri ac proficere aut resipiscere possint, morte terminatur, ita et angelorum via, ex ordinatione Conditoris, lapsu finiretur ; non ergo tam propter naturarum diversitatem quam propter justissimam Dei ordinationem id evenit, ut angelus post lapsum reparari non possit. Hujus autem ordinationis divinæ, cur scilicet post lapsum et primum peccatum diabolus statim damnatus sit, et omni spe ac remedio consequendæ veniæ et reparationis destitutus, duplex causa hic tangitur, quam et D. Gregorius expressit IV Moralium cap. 9, ex quo totus hic locus aptissime illustretur. *Duas,* inquit, *ad intelligendum se creaturas fecerat Deus, angelicam videlicet et humanam : utramque vero superbia perculit, atque a statu ingenitæ rectitudinis fregit* (*Vide S. Thomam* I *part., q.* 64, *a.* 2). *Sed una tegmen carnis habuit, alia* C *vero nihil infirmum de carne gestavit. Angelus namque solummodo spiritus, homo vero et spiritus est et caro. Misertus ergo Creator ut redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse ; et eo amplius debuit apostatam angelum repellere, quo cum a persistendi fortitudine corruit, nihil infirmum ex carne gestavit. Unde recte Psalmista cum misertum Redemptorem hominibus diceret, ipsam quoque causam misericordiæ expressit dicens : Et memoratus est quia caro sunt ; ac si deceret : Quo eorum infirma vidit, eo districte culpas punire noluit. Est adhuc aliud quo et perditus homo reparari debuit, et superbiens spiritus reparari non possit, quia nimirum angelus sua superbia cecidit, hominem vero aliena prostravit.* Tertiam rationem affert D. Augustinus Enchirid. cap. 29, cur scilicet Deus non angelicam, sed humanam naturam reparare voluerit, quod uno peccante homine, totum in eo perierat genus humanum, non autem uno D cadente angelo, cæteri omnes ceciderunt. *Placuit itaque,* inquit, *universitatis creatori atque moderatori Deo, ut quoniam non tota multitudo angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in perpetua perditione remaneret ; quæ autem cum Deo, illa deserente, perstiterat, de sua certissime cognita semper futura felicitate secura gauderet ; alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis, et originalibus et propriis, tota perierat, ex ejus parte reparata, quod angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat suppleret.* Hæc Augustinus. Verum adversus primam illam rationem a D. Gregorio allatam objiciet fortasse quispiam hominem in statu innocentiæ carnem habuisse plane subjectam et obsequentem spiritui, immo tum non minus propensam ad bonum quam modo est ad malum.

est. Sicut enim nulla sollicitante terrena materia corruit, ita nec indulgentiam quidem aut locum pœnitudinis obtinere potest. Quibus ex rebus evidenter colligitur quod non solum noxia non sit hæc quæ contra se invicem suscitatur in nobis carnis spiritusque contentio, verum etiam multam nobis conferat utilitatem.

CAPUT XV.

Quid nobis prosit carnis adversus spiritum concupiscentia.

Primo quod desidias ac negligentias nostras statim arguit, et, ut quidam diligentissimus pædagogus, a districtionis et disciplinæ linea numquam nos deviare concedens, si paululum quid securitas nostra mensuram congruæ severitatis excesserit, flagellis incentivorum stimulat confestim et increpat, atque ad competentem revocat parcitatem. Secundo quod pro castimoniæ ac puritatis integritate, cum Dei gratia concedente, ita nos longo tempore a genitali pollutione viderimus immunes, ut ne ipsa quidem simplici commotione carnis ulterius nos inquietandos esse credamus, et per hoc, velut qui non gestemus corruptelam carnis, in secretis conscientiæ nostræ fuerimus elati, suo nos rursum, quamvis quieto ac simplici, visitans fluxu humiliat ac retundit, nosque homines esse stimulis suis admonet. Quodammodo enim cum in cæteris generibus vitiorum et quidem gravioribus magisque noxiis indifferentius soleamus incurrere, nec tam facile in eorum compungamur admissu, in hoc peculiarius humiliatur conscientia nostra, perque hanc illusionem neglectarum quoque passionum recordatione mordetur, evidenter intelligens immundam se factam naturalibus incentivis, quæ cum esset immundior spiritalibus vitiis, ignorabat; et recurrens protinus ad emendationem anterioris ignaviæ, commonetur nec super successibus præteritæ puritatis debere confidere, quam se perspicit pusillum quid declinantem a Domino perdidisse, nec posse hujus purificationis donum nisi per solius Dei gratiam possideri, docentibus nos quodammodo ipsius rei experimentis, ut si integritatem cordis perpetuo consequi delectamur, humilitatis studeamus virtutem jugiter obtinere.

CAPUT XVI.

De incentivis carnis, quibus, nisi humiliaremur, gravius rueremus.

Hujus igitur puritatis elationem perniciosiorem futuram cunctis sceleribus atque flagitiis, et ob hanc nihil nos emolumenti consecuturos pro qualibet castitatis integritate, [b] testantur illæ virtutes quarum superius fecimus mentionem, quæ cum nullas hujusmodi titillationes carnis habuisse credantur, ob solam cordis elationem perpetua ruina de sublimi cœlestique statione dejectæ sunt. Essemus itaque penitus absque remedio tepidi, utpote non habentes indicem negligentiæ nostræ, vel in corpore nostro aut in conscientiis propriis insidentem, nec studeremus ad perfectionis unquam pervenire fervorem; sed nec frugalitatis quidem districtionem vel continentiæ teneremus, nisi nos hæc titillatio carnis increscens humiliaret atque retunderet, et adversus spiritalium quoque vitiorum purgationem sollicitos redderet et intentos.

CAPUT XVII.

De eunuchorum tepore.

Denique in his [c] qui spadones sunt corpore, idcirco hunc animi teporem plerumque inesse deprehendimus, quia velut soluti ab hac necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere; et hac securitate resoluti, numquam perfectionem cordis, sed nec spiritalium quidem vitiorum purgationem vel quærere in veritate, vel possidere festinant. Qui status, a carnali qualitate descendens, efficitur animalis, qui est proculdubio deterior gradus; ipse est enim

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Quid ergo est quod infirmitati carnis tribuitur hominis lapsus, et misericordiæ ratio erga eum potius quam erga angelos exercendæ a D. Gregorio et aliis Patribus hac consideratione assignatur? R. quamvis in statu innocentiæ nulla esset rebellio carnis adversus spiritum in homine, caro tamen, sive appetitus sensitivus, suapte natura seu motu naturali ferebatur in suum objectum sensibile, et corporeum: proinde indigebat imperio ac freno rationis, necnon subsidio gratiæ divinæ, quo in officio et suis limitibus contineretur. Quare hac ex parte fragilior et ad peccandum proclivior, ac proinde venia dignior fuit homo (utpote duabus partibus compositus) quam angelus, qui nullum habuit hujusmodi objectum ansamque peccandi, nisi propriam voluntatem, cum sit omnino incorporeus et spiritalis. Vide D. Prosperum lib. I de Vita Contemplativa cap. 3, et Fulgentium lib. de Fide cap. 3.

[a] Has duas utilitates cum aliis item duabus, superius expressimus. Vide Cassianum lib. XII Institut. cap. 20 21 et 23, et ibidem notata (*Cap.* 13).

[b] Virtutes angelicæ, id est, ipsi angeli mali, sive dæmones, ob solam superbiam e cœlo dejecti, de quibus supra cap. 14. Sumitur autem dupliciter hoc vocabulum cum angelis tribuitur: 1° generatim et promiscue pro quovis ordine angelorum, ut hic; nam angelos de quovis ordine cecidisse communis est sententia. Sic Matthæi XXIV: *Et Virtutes cœlorum commovebuntur*, vel, ut habet Marcus cap. 13: *Virtutes quæ in cœlis sunt, movebuntur*. Ubi angelos cœlorum virtutes appellari docent Origenes, Chrysostomus, Beda et alii; quemadmodum in prefatione Missæ dicuntur *cœli, cœlorumque virtutes*. 2° Specialim pro certo ordine seu choro angelorum ab aliis distincto, qui secundus et medius secundæ hierarchiæ, secundum Dionysium Areop., vel primus tertiæ, secundum Gregorium (*Vide collat.* 8 *cap.* 15). Sic I Cor. XV: *Cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem*. Et I Petr. IV: *Subjectis sibi angelis, et potestatibus, et virtutibus*.

[c] Spadones corpore sunt, qui apud Matthæum dicuntur *eunuchi de matris utero sic nati, vel qui facti sunt ab hominibus*; spadones vero sive *eunuchi* spiritu, non corpore, dicuntur, *qui se castraverunt propter regnum cœlorum*, spiritali scilicet castratione, id est, voto perpetuæ continentiæ. Quod autem hic de spadonibus eorumque proprietatibus dicitur, clarius itidem repetitur et explicatur collat. 7 cap. 12.

qui, de frigido ad tepidum transiens, detestabilior Domini voce signatur.

CAPUT XVIII.

Interrogatio quid intersit inter carnalem et animalem.

Germanus : De utilitate colluctationis quæ inter carnem et spiritum suscitatur, quantum videtur nobis evidenter expressum est, ita ut eam ipsis quodammodo manibus nostris palpabilem factam esse credamus. Et idcirco hanc quoque rationem nobis similiter cupimus aperiri, quid intersit inter carnalem et animalem virum, vel quemadmodum animalis carnali possit esse deterior.

CAPUT XIX.

De triplici animarum statu.

Daniel : Secundum definitionem Scripturæ [a] tres sunt animarum status. Primus carnalis, secundus animalis, tertius spiritalis (*Vide Augustinum lib.* LXXXIII, *quæst.* 4, 67). Quos in Apostolo ita legimus designari. Nam de carnali dicitur : *Lac vobis potum dedi, non escam, necdum enim poteratis ; sed nec adhuc quidem potestis, adhuc enim estis carnales* (I *Cor.* III). Et iterum : *Ubi enim est inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (*Ibid.*)? De animali quoque taliter commemoratur : [b] *Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei : stultitia enim est illi* (I *Cor.* II). De spiritali vero : *Spiritalis autem examinat omnia ; ipse autem a nemine judicatur* (*Ibid.*). Et iterum : *Vos qui spiritales estis, instruite eos qui ejusmodi sunt, in spiritu lenitatis* (*Galat.* VI). Itaque festinandum est nobis, ut cum renuntiantes desierimus esse carnales, id est, a sæcularium cœperimus conversatione sejungi, et ab illa manifesta carnis pollutione cessare, spiritalem statum protinus apprehendere tota virtute nitamur, ne forte blandientes nobis quod videmur [c] secundum exteriorem hominem huic renuntiasse mundo, vel carnalium fornicationum deseruisse contagia, tamquam qui summam perfectionis per hoc apprehenderimus, remissiores deinceps erga emundationem cæterarum passionum lentioresque reddamur et inter utraque detenti gradum spiritalis profectus assequi nequeamus, existimantes ad perfectionem nobis abunde sufficere quod exteriore homine videamur de conservatione mundi hujus ac voluptatibus segregari, vel quod immunes simus a corruptela et commixtione carnali, et ita inventi in illo tepido statu, qui deterrimus judicatur, evomendos nos ex ore Domini secundum ejus sententiam noverimus, ita dicentis : *Utinam calidus esses aut frigidus ; nunc autem tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III). Nec immerito eos Dominus quos jam in visceribus receperat charitatis, noxie tepefactos, cum quadam convulsione pectoris sui evomendos esse pronuntiat ; qui cum salutarem quodammodo ei potuissent præbere substantiam, avelli ab ejus visceribus maluerunt, tanto deteriores effecti illis qui numquam ori Dominico illati sunt cibis, quanto id quod nausea compellente projicimus, odibilius detestamur. Quidquid enim frigidum est, etiam ore nostro susceptum vertitur in calorem, et salutifera suavitate percipitur ; quod autem semel vitio perniciosi teporis abjectum est, non dicam labiis admovere, sed etiam eminus intueri sine ingenti horrore non possumus. Rectissime ergo pronuntiatur esse deterior, quia facilius ad salutarem conversationem ac perfectionis fastigium carnalis quis, id est, sæcularis vel gentilis, accedit, quam is qui professus monachum, nec tamen viam perfectionis arripiens secundum regulam disciplinæ, ab illo semel

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Tres animæ status distinguit, cum tamen carnalis et animalis secundum rem et communem intelligentiam parum aut nihil inter se differant. Ipse vero carnalem animæ statum præcipue in carnis immunditia et pollutione, etiam involuntaria, constituere videtur, ut ex sequentibus liquet.

[b] Vox hæc ab anima ducitur, non ab animali. Græce enim ψυχικός id est, animalis, ψυχή anima. Hinc Tertullianus Montanista effectus librum de Jejunio inscripsit adversus Psychicos, id est, animales ; hoc nomine catholicos calumniose suggillans, quod tres Quadragesimas Montanistarum more non observarent. Porro animalis homo quis sit, D. Thomas in Commentario planissime exponit his verbis : Considerandum quod anima est forma corporis. Unde propriæ animæ intelliguntur illæ vires quæ sunt actus corporalium organorum, scilicet vires sensitivæ. Dicuntur ergo homines animales qui hujusmodi vires sequuntur, inter quas est vis apprehensiva et appetitiva ; et ideo potest dici homo dupliciter animalis, uno modo quantum ad vim apprehensivam, et hic dicitur animalis sensu, qui (sicut dicitur in glossa) de Deo juxta corporum phantasiam, vel legis litteram, vel rationem philosophicam judicat, quæ secundum vires sensitivas accipiuntur. Alio modo dicitur quis animalis quantum ad vim appetitivam, qui scilicet afficitur solum ad ea quæ sunt secundum appetitum sensitivum ; et talis dicitur animalis vita, qui (sicut dicitur in glossa) sequitur dissolutam lasciviam animæ suæ, quam intra naturalis ordinis metas spiritus rector non continet. Unde dicitur in Canonica Judæ : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Secundo autem videndum est quare tales non possunt percipere ea quæ sunt spiritus Dei, quod quidem manifestum est, et quantum ad animalem sensum, et quantum ad animalem vitam. Ea enim de quibus Spiritus S. illustrat mentem sunt supra sensum et rationem humanam, secundum illud Eccles. III : *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi ;* et ideo ab eo capi non possunt qui soli cognitioni sensitivæ innititur. Spiritus etiam sanctus accendit affectum ad diligendum spiritualia bona, sensibilibus bonis contemptis ; et ideo ille qui est animalis vitæ non potest capere hujusmodi spiritualia, quia Philosophus dicit in IV Ethicorum, quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei. Proverb. XVIII : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ei dixeris quæ versantur in corde ejus.* Et Eccles. XXII : *Cum dormiente loquitur, qui enarrat sapientiam stulto.* Hactenus D. Thomas more suo, non in sublimitate sermonis, sed in doctrina spiritus spiritualibus spiritualia comparans (I *Cor.* VIII).

[c] Augustinus lib. XIII de Civit. cap. 24 : *Scriptura,* inquit, *divina, cum duo ista* (corpus et anima) *conjuncta sint ex quibus vivit homo, tamen etiam singula hominis vocabulo appellat, animan scilicet interiorem hominem, corpus vero exteriorem hominem vocans, tamquam duo sint homines, cum simul utrumque sit unus homo.* Vide etiam eumdem lib. XII de Trinit. cap. 1.

piritalis fervoris igne discessit. Ille namque corporalibus saltem vitiis humiliatus, atque immundum se sentiens contagione carnali, ad fontem veræ purificationis ac perfectionis culmen, quandoque compunctus accurrit, et horrescens illum, in quo est, infidelitatis gelidissimum statum, spiritus ardore succensus, ad perfectionem facilius convolabit. Nam qui semel, ut diximus, tepido exorsus initio monachi cœpit abuti vocabulo, nec tamen humilitate ac fervore quo debuit iter hujus professionis arripuit, infectus semel hac miserabili lue, et in ea quodammodo resolutus, nec ex se ulterius perfecta sapere, nec alterius poterit monitis erudiri. Dicit enim in corde suo, secundum illam Domini sententiam, *quia dives sum et locuples, et nullius egeo*. Cui illud quoque quod subsequitur, consequenter aptabitur : *Tu autem es miser et miserabilis, et pauper et cæcus et nudus* (*Apoc.* III) : in eo factus etiam sæculari deterior, quod nec miserum se nec cæcum ac nudum aut emendatione dignum, vel egere monitis alicujus aut institutione, cognoscit, et ob hoc nec exhortationem quidem ullam verbi salutaris admittit, non intelligens ipso monachi se nomine prægravari ac deprimi opinione cunctorum, qua dum creditur ab omnibus sanctus, et velut Dei famulus colitur, necesse est ut in futuro vehementiori judicio pœnæque subdatur. Postremo quid diutius immoramur in his quæ nobis experimento satis comperta sunt ac probata? Frequenter enim vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de sæcularibus ac paganis, ad spiritalem pervenisse fervorem, de tepidis atque animalibus omnino non vidimus. Quos etiam per prophetam ita legimus Dominum detestari, ut spiritalibus viris atque doctoribus præcipiatur, ut ab eis monendis docendisque discedant, et nequaquam velut in sterili atque infructuosa terra noxiisque sentibus occupata semen verbi salutaris expendant; sed ut contemnentes eam, novam potius excolant terram, id est, erga paganos ac sæculares omnen doctrinæ culturam ac verbi transferant salutaris instantiam, quod ita legitur : *Hæc dicit Dominus viro Juda et habitatoribus Jerusalem :* [a] *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas* (*Jerem.* IV).

CAPUT XX.

De male abrenuntiantibus.

Denique, quod pudet dicere, ita plerosque abrenuntiasse conspicimus, ut [b] nihil amplius immutasse de anterioribus vitiis ac moribus comprobentur, nisi ordinem tantummodo atque habitum sæcularem (*Vide collat.* 3, *cap.* 3, 6 *et seq.*). Nam et acquirere pecunias gestiunt, quas nec ante possederunt; vel certe, quas habuerant, retinere non desinunt; aut, quod est lugubrius, etiam amplificare desiderant, sub hoc prætextu quod vel famulos suos semper exinde vel fratres alere se debere justum esse contendunt, vel certe [c] sub obtentu congregandi cœtus reservant, quem velut abbates, instituere se posse præsumunt. Qui si in veritate viam perfectionis inquirerent, hoc potius tota virtute perficere niterentur, ut scilicet exuti non solum pecuniis, sed etiam affectionibus pristinis et distentionibus universis, semetipsos singulares ac nudos ita sub seniorum imperio collocarent, ut curam non modo aliorum nullam, sed ne sui quidem gererent. Econtrario autem evenit ut dum fratribus præesse festinant, numquam senioribus ipsi subjiciantur, et a superbia inchoantes, dum alios instituere cupiunt, nec discere ipsi, nec agere ea quæ sunt Deo agenda mereantur. Quibus necesse est ut, secundum Salvatoris sententiam, cæci duces cæcorum effecti, pariter in foveam cadant (*Matth.* XV). Cujus superbiæ licet unum sit genus, duplex tamen ejus est species : una quæ severitatem gravitatemque [*Lips. in marg.* severitatem, serenitatem, *vel* veritatem] jugiter ementitur; alia quæ effrenata libertate in cachinnos fatuos risusque dissolvitur. Et illa quidem taciturnitate congaudet, hæc vero dedignatur silentio coarctari; nec confunditur passim proloqui, etiam res incongruas et ineptas, dum erubescit vel inferior cæteris vel indoctior judicari. Alia ob elationem, clericatus ambit officium, altera despicit, utpote judicans illud aut dignitati pristinæ, aut vitæ ac natalium suorum meritis incongruum vel indignum. Quarum quæ deterior pronuntianda sit, uniuscujusque discutiat ac perpendat examen. Unum sane atque [d] idem inobe-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Tertullianus lib. adversus Judæos legit : *Innovate vobis novitatem, et nolite seminare in spinis.* Alibi vero : *Renovate vobis novamen,* etc. D. Cyprianus lib. I Testim. adversus Judæos : *Renovate inter vos novitatem, et ne seminaveritis in spinis.*

[b] Tales etiam sui temporis monachos quosdam suis coloribus depingit ac perstringit D. Hieronymus epist. 4 : *Vidi,* inquit, *quosdam, qui postquam renuntiavere sæculo, vestimentis dumtaxat et vocis professione, non rebus, nihil de pristina conservatione mutarunt : res familiaris magis aucta, quam imminuta; eadem ministeria servulorum, idem apparatus convivii; in vitro et patella fictili* aurum comeditur; et inter turbas et examina ministrorum nomen sibi vindicant solitarii : qui vero pauperes sunt, et tenui substantiola, videnturque sibi scioli, pomparum ferculis similes procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. Plerique artibus et negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum, eadem exercent commercia; non victum et amictum (quod Apostolus præcipit* [I *Tim.* VI]), *sed majora quam sæculi homines emolumenta sectantes.* Hæc et alia D. Hieronymus huic loco consentanea.

* *Aurum vocat res auro et magno pretio emptas,* ait Marianus.

[c] Hunc locum etiam in editione Plantiniana vitiatum, additis quibusdam superfluis (quod in priori editione non animadverti) Ciaconius paucioribus verbis ita restituit, suffragantibus etiam Basileensi excuso et nonnullis mss., in quibus tamen est nonnulla diversitas. Nam alii habent : *sub obtentu congregandi cœtus reservant, cum, velut abbates, institui se posse præsumunt.* Basileensis vero et alii : *quos, velut abbates, instituere se posse præsumunt.*

[d] *Sciendum enim,* ait D. Gregorius (*Lib.* XXXV *Mor. c.* 13), *quod numquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum*

dentiæ genus est, vel propter operationis instantiam, vel propter otii desiderium, senioris violare mandatum, tamque dispendiosum est pro sumno quam pro vigilantia monasterii statuta convellere. Tantum denique est abbatis transire præceptum ut legas, quantum si contemnas, ut dormias; nec alius superbiæ fomes est pro jejunio fratrem quam pro refectione contemnere, nisi quod perniciosiora et a remediis longinquiora sunt vitia quæ sub specie virtutum et imagine spiritalium rerum videntur emergere, quam illa quæ ex aperto pro carnali voluptate [*Lips. in marg.* voluntate] gignuntur. Hæc enim velut palam expositi ac manifesti languores [*Lips. in marg.* languoris], et arguuntur cominus, et sanantur; illa vero, dum prætextu virtutum teguntur, incurata perdurant, et deceptos quosque pericu- B losius faciunt ac desperatius ægrotare.

CAPUT XXI.

De his qui, contemptis magnis, occupantur in parvis.

Jam illud ridiculum qualiter exprimatur, quod nonnullos post illum primæ renuntiationis ardorem, quo vel res familiares vel opes plurimas ac militiam sæculi relinquentes, semetipsos ad monasteria contulerunt, tanto cernimus studio in his quæ penitus abscindi non possunt, et quæ nequeunt in hoc ordine non haberi, quamvis parva viliaque sint, esse devinctos, ut horum cura pristinarum omnium facultatum superet passionem (*Collat.* 3 *cap.* 3). Quibus profecto non magni proderit majores opes ac substantias contempsisse, quia affectus earum, ob C quos illæ contemnendæ sunt, in res parvas atque exiguas transtulerunt. Nam vitium cupiditatis et avaritiæ quod erga species pretiosas exercere non A possunt, circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia devincti diligentia erga curam psiathii, sportellæ, saccelli, codicis, mattæ, aliarumque similium rerum, quamvis vilissimarum, eadam tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta æmulatione custodiunt atque defendunt, ut [a] pro ipsis adversus fratrem commoveri eos, et, quod est turpius etiam, litigare non pudeat. In quibus adhuc ægritudine cupiditatis pristinæ laborantes, hæc eadem quæ usus corporis possidere monachum vel necessitas cogit, secundum numerum mensuramque communem non sunt habere contenti, in hoc quoque sui cordis avaritiam designantes, cum vel ea quibus uti necesse est, propensius student habere quam cæteri, vel excedentes diligentiæ modum, peculiarius ea attentiusque custodiunt, et ab aliorum contrectatione defendunt, quæ universis fratribus debent esse communia. Quasi vero differentia tantummodo metallorum, et non ipsa passio cupiditatis habeatur innoxia, et cum pro rebus quidem magnis irasci non liceat, pro vilioribus vero hoc ipsum fecisse sine culpa sit; et non idcirco pretiosiores abjecerimus materias, ut facilius disceremus viliora contemnere. Quid enim differt, utrum quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas atque magnificas, an erga viliores exerceat species? nisi quod in eo reprehensibilior judicandus est, quod qui maxima spreverit, minimis obligetur. Ideoque perfectionem cordis abrenuntiatio ista non obtinet; quia cum censum habeat pauperis, non abjicit divitis voluntatem.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quod agitur intermitti. Neque enim mala in paradiso arbor exstitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit : sed ut per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat ut hunc etiam a bono prohiberet, quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto et a bono cessans auctori suo se subditum humilius exhiberet. Hæc Gregorius. Hinc veri obedientes a D. Benedicto describuntur (*Cap.* 5 *Regulæ*), *qui relinquentes statum quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox exoccupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis sequuntur*, etc.

[a] Vide lib. VII Institutionum cap. 14. Cætera clara sunt, et non tam expositione quam lectione digna.

COLLATIO QUINTA

Quæ est abbatis Serapionis.

DE OCTO PRINCIPALIBUS VITIIS.

CAPUT PRIMUM.

In illo cœtu antiquissimorum senum fuit [a] vir nomine Serapion, apprime gratia discretionis ornatus, D cujus collationem operæ pretium reor litteris tradere. Ambientibus enim nobis ut de impugnatione vitiorum aliqua disputaret, quibus origines eorum et causæ manifestius panderentur, ita exorsus est.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ille nimirum Arsenoites, decem, ut fertur, millium monachorum abbas et presbyter, cujus adhuc adolescentis exemplum insigne memoratur collat. 2 cap. decimo. De quo et Palladius Lausiaca. 76, qui et annumeratus est inter præcipuos et illustriores eremi cultores. Unde D. Hieronymus epist. 27 : *Quid,* inquit, *narrem Macarios, Arsenios, Serapiones, et reliqua columnarum Christi nomina* (*In Catulo. lib.* III *c.* 17)? Hunc Petrus Equilinus ait vendidisse librum Evangelii, quem solum habebat, ut pauperi subveniret, quod factum narrat Socrates lib. IV cap. 18. Verum hoc alii tribuunt alteri Serapioni, Sindonie videlicet, ut videre est in Vitis Patrum (*Lib.* I *c.* 22).

CAPUT II.

Narratio abbatis Serapionis de octo principalibus vitiis.

[a] Octo sunt principalia vitia, quæ humanum infestant genus, id est, primum gastrimargia, quod sonat ventris ingluvies; secundum fornicatio; tertium philargyria, id est, avaritia, sive amor pecuniæ; quartum ira; quintum tristitia; sextum acedia, id est, anxietas, sive tædium cordis; septimum cenodoxia, id est, jactantia, seu vana gloria; octavum superbia.

CAPUT III.

De duobus vitiorum generibus, et efficientia eorum quadripartita.

[b] Horum igitur vitiorum genera sunt duo. Aut enim naturalia sunt, ut gastrimargia; aut extra naturam, ut philargyria. [c] Efficientia vero quadripartita est. Quædam enim sine actione carnali consummari non possunt, ut est gastrimargia et fornicatio; quædam vero etiam sine ulla corporis actione complentur, ut est superbia et cenodoxia: nonnulla commotionis suæ causas extrinsecus accipiunt, ut est philargyria et ira; alia vero intestinis motibus excitantur, ut est acedia atque tristitia.

CAPUT IV.

Recapitulatio de gastrimargiæ et fornicationis passione et curatione earum.

Et ut hæc eadem non solum disputatione, quantum possumus brevi, sed etiam Scripturarum testimoniis manisfestiora reddamus, [d] gastrimargia et fornicatio cum naturaliter nobis insederint, nonnumquam etiam sine ullo animæ incitamento, solius instigatione ac pruritu carnis, oriuntur; materia tamen ut consummentur egent extrinsecus, et ita [e] in effectum corporali actione perveniunt. *Unusquisque enim tentatur a propria concupiscentia; deinde concupiscentia cum fuerit concepta, parit peccatum; peccatum vero cum fuerit consummatum, generat mortem* (*Jacob.* I). Nam [f] nec primus Adam (*Genes.* III) per gastrimargiam decipi potuit, nisi escæ materiam habens in promptu abusus ea fuisset illicite: [f] nec secundus sine cujusdam [d] materiæ illicitatione [*Lips. in marg.* illectatione] tentatur, cum dicitur ei. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Fornicatio quoque quod non nisi per corpus perficiatur, omnibus patet, ita de hoc spiritu dicente Deo ad beatum Job, *Et virtus ejus in lumbis ejus, et potestas ejus super umbilicum ventris* (Job. XL). Ideoque hæc specialiter duo, quæ ministerio carnis explentur, extra illam spiritalem animæ curam, egent peculiarius etiam continentia corporali. Siquidem ad retundendos horum stimulos non sufficit sola mentis intentio (ut nonnumquam solet adversus iram, seu tristitiam, cæterasque fieri passiones, quas etiam sine ulla carnis afflictione sola novit expugnare mentis industria), nisi etiam castigatio corporalis accesserit, quæ jejuniis, vigiliis et operis contritione perficitur,, hisque fuerit remotio localis adjuncta, quia sicut amborum vitio, id est, animæ et corporis, generantur, ita superari nisi utriusque labore

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Qua ratione octo vitia principalia ponantur, cum S. Gregorius et alii non nisi septem vitia capitalia enumerent, ad lib. v Institutionum notavimus. Nam et Cassianus octo libros de Vitiis principalibus seu capitalibus inscripsit, et singulorum tractationem distincte et sigillatim propriis libris exsequitur; ubi etiam de eisdem abunde egimus, quæ hic repetere foret otiosum.

[b] Triplex divisio seu distinctio vitiorum capitalium. Prima: alia sunt naturalia, alia extra naturam; secunda: alia carnalia, alia spiritualia; tertia: quædam ab internis causis excitantur, quædam ab extrinsecis. Naturalia dicuntur gastrimargia et luxuria, tum quia ab ipso ortu ex primi parentis inobedientia contracta et in natura nostra insita, tum quia ad ipsius naturæ conservationem tendunt, licet inordinate; nam gula spectat conversationem naturæ in individuo, luxuria vero in specie. Eadem vero carnalia dicuntur, quia actione et delectatione carnali complentur, ut sequenti capite declaratur.

[c] Sub hac quadripartita distinctione, duæ superius positæ, secunda et tertia, continentur. Porro efficientia hoc loco non pro efficacia seu vi efficiendi, sed pro actu seu consummatione aut exsecutione accipitur, ut ex sequentibus patebit.

[d] Id est, secundum naturalem propensionem et proclivitatem naturæ corruptæ et vitiatæ (quæ alias dicitur fomes, stimulus, aculeus peccati), non quoad culpam et secundum suas species.

[e] Ideoque carnalia appellantur etiam a D. Gregorio lib. XXXI. Moral cap. 31, ubi ex septem vitiis capitalibus quinque dicit esse spiritualia, et duo carnalia, videl. ventris ingluviem et luxuriam. (S. *Thom.* 1-2, *q.* 72, *a.* 2 *et q.* 73, *art.* 5.)

[f] Inter alia peccata Adami et Evæ fuit etiam quædam inordinata cupiditas, et appetitus pomi vetiti, quæ gastrimargia, id est, gulæ vitium hic appellatur. *Vidit enim mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus, et comedit, deditque viro suo, qui comedit,* Genes. III. Cernens quippe Adam pulchritudinem pomi, et audiens ex uxore suavissimi esse saporis, esum ejus avidissime concupivit. Verum cum Apostolus dicat: *Adam non est seductus, Eva autem seducta est* (I *Tim.* II); quomodo hic significatur aut supponitur Adam fuisse deceptus? Respondet D. Augustinus libro XIV de Civit. capite undecimo: *Quia illa quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, sed in communione peccati; nec idcirco minus reus, sed sciens prudensque peccavit. Unde et Apostolus non ait: Non peccavit, sed: Non est seductus. Nam utique ipsum peccasse ostendit, ubi dicit: Per unum hominem intravit peccatum in mundum. Et paulo post apertius: In similitudinem prævaricationis Adæ. Hos autem seductos intelligi voluit, qui in quod faciunt, non putant esse peccatum; ille autem scivit. Et quid opus est pluribus? Et si credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti sunt, et diaboli laqueis implicati.* Hæc Augustinus.

[g] Secundus ac novissimus Adam dicitur Christus, I Corinth. V: *Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis.*

[h] Illicitatio et illicitamentum idem quod incitamentum, a verbo illicio. Utitur eadem voce rursus cap. 6. Materiæ igitur illicitatione tentatus dicitur Christus, quia panis e lapidibus efficiendi mentione et suggestione, dicente diabolo: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV).

non poterunt (*Gregor. lib.* XXXI *Moral. cap.* 31). [a] licet beatus Apostolus omnia vitia generaliter pronuntiaverit esse carnalia, siquidem inimicitias et iras atque hæreses inter cætera carnis opera numeraverit (*Galat.* V); nos tamen ad illorum curationes atque naturas diligentius colligendas duplici ea divisione distinguimus. Nam ex his [b] quædam dicimus esse carnalia, quædam vero spiritalia. Et illa quidem carnalia, quæ specialiter ad fomitem et ad sensum pertinent carnis, quibus illa ita delectatur ac pascitur, ut etiam quietas incitet mentes, invitasque eas nonnumquam pertrahat ad suæ voluntatis assensum. De quibus beatus Apostotolus quibusdam ait : *Et nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II). Spiritalia vero dicimus quæ, instinctu animæ solius orta, non solum nihil voluptatis conferunt carni, sed etiam gravissimis eam languoribus afficientia, miserrimæ jocunditatis pastu animam tantum nutriunt ægrotantem. Et idcirco hæc quidem simplici cordis indigent medicina; quæ autem carnalia sunt, non nisi duplici, quemadmodum diximus, ad sanitatem curatione perveniunt. Unde A puritati studentibus plurimum confert ut harum carnalium passionum ipsas materias sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earumdem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim ut morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies et materia illiciens subtrahenda est; et animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio Scripturarum et sollicitudo pervigil ac remotio solitudinis utiliter apponenda. [c] In cæteris autem vitiis humana consortia nihil obsunt; quinimmo etiam plurimum conferunt his qui carere eis in veritate desiderant, quia frequentia hominum magis arguuntur; et dum lacessita crebrius manifestantur, celeri medicina perveniunt ad salutem. B

CAPUT V.

Quomodo Dominus noster solus absque peccato tentatus sit.

Ideoque Dominus noster Jesus Christus, cum Apostoli pronuntietur sententia *tentatus* fuisse *per omnia secundum similitudinem* nostram, dicitur tamen [d] *absque peccato* (*Hebr.* IV), id est, absque hujus pas-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Cum Apostolus ad Galatas quarto cap. (quod hic signatur) quindecim tantummodo aut septemdecim opera carnis enumeret, quomodo verum est quod omnia vitia generaliter pronuntiaverit esse carnalia? Responderi potest duobus modis. Primo per carnem intelligi hominem carnalem; proinde opera carnis dici quæcumque homo, quatenus carnalis, operatur; carnalem vero hominem intelligendum esse, qui secundum seipsum, id est, secundum amorem sui ipsius, vivit. Quod diligenter annotavit D. Augustinus lib. XIV de Civit. cap. 2 et 3, et probat his rationibus huic loco consentaneis : *In operibus namque carnis, quæ manifesta dixit Apostolus, eaque commemorata damnavit* (*Gal.* V), *non illa tantum invenimus quæ ad voluptatem pertinent carnis, sicuti sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, ebrietates, comessationes; verum etiam illa quibus animi vitia demonstrantur a voluptate carnis aliena. Quis enim servitutem quæ idolis exhibetur, veneficia, inimicitias, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidias, non potius intelligat animi vitia esse quam carnis, quandoquidem fieri potest ut propter idololatriam vel hæresis alicujus errorem a voluptatibus carnis temperetur, et tamen etiam tunc homo, quamvis carnis libidinem continere atque cohibere videatur, secundum carnem vivere hac apostolica auctoritate convincitur,* D *et in eo quod abstinet a voluptatibus carnis, damnabilia opera carnis agere demonstratur?* Et paulo post : *Cur ergo hæc omnia et his similia Doctor gentium in fide et veritate opera carnis appellat? nisi quia eo locutionis modo, quo totum significatur a parte, ipsum hominem vult nomine carnis intelligi?* Hactenus Augustinus. Secundo respondeo ex S. Thoma (*In Comm. Galat.* V), quod peccatum dici potest carnale dupliciter, scilicet quantum ad consummationem, et sic dicuntur carnalia illa tantum quæ consummantur in delectatione carnis, scilicet luxuria et gula; et quantum ad radicem, et sic omnia peccata dicuntur carnalia, in quantum ex corruptione carnis anima aggravatur, ut dicitur Sap. IX. Ex quo intellectus debilitatus facilius decipi potest, et impeditur a sua perfecta operatione. Unde et ex hoc sequuntur vitia, scilicet hæreses, sectæ et alia hujusmodi : et hoc modo dicitur quod fomes est principium omnium peccatorum. Ita sanctus Thomas.

[b] Eamdem distinctionem indicat D. Augustinus ubi supra cap. 4.

[c] Sic et alibi Cassianus (*Lib.* VI *Instit. cap.* 3) : *Cætera vitia etiam usu hominum et exercitio purgari solent, et quodammodo ipsius lapsus offensione curari : ut puta iræ, tristitiæ, impatientiæ, meditatione* C *cordis ac pervigili sollicitudine, fratrum etiam frequenti et assidua provocatione sanantur; dumque commota manifestantur sæpius, et crebrius arguuntur, ocius perveniunt ad salutem; hoc vero cum corporis afflictione et contritione cordis solitudine quoque ac remotione indiget,* etc.

[d] Verba Apostoli ad Hebr. IV : *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato* (*Vide collat.* 22, c. 10 *et seq.*). Ubi illud *pro similitudine*, id est, ad similitudinem, vel ad instar nostri et perinde atque nos; *absque peccato*, id est, excepto peccato, sive proprie dicto, *quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, I Petri II. Et ita tentari voluit, ut tamen tentatus in nullum induceretur peccatum : sive peccato improprie dicto, id est, concupiscentia, seu fomite et aculeo peccati; vel ut S. Thomas exponit, absque minimo motu peccati. *Non enim habuit illam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem in lege peccati* (*Rom.* VI), quam et Apostolus subinde vocat peccatum (*Rom.* VII), quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, ut superius (*Collat.* 4 *cap.* 7) ex concilio Trident. dictum est. Quomodo ergo, inquies, dicitur Christus tentatus per omnia ad similitudinem nostri? Resp., 1°, secundum multorum expositionem, Christum dici tentatum per omnia, id est, modis omnibus afflictum quibus nos homines affligi solemus. Tentatio enim in Scriptura sæpe accipitur pro perpessione malorum quibus hominis constantia et patientia probatur. Eccles. XXXIV : *Qui non est tentatus, quid scit?* Jacob. I : *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis,* etc. Et rursum : *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit,* etc Christus ergo tentatus per omnia, quia omnia mala hujus vitæ expertus, quæ scilicet toti hominum generi sunt

sionis contagio, nequaquam scilicet aculeos concupiscentiæ carnalis expertus, quibus nos necesse est etiam ignorantes invitosque compungi; quippe cui nulla inerat similitudo seminationis vel conceptionis humanæ, ita rationem conceptus ejus archangelo nuntiante: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocatur Filius Dei* (*Luc.* I).

CAPUT VI.

De ratione tentationis qua a diabolo tentatus est Dominus.

[a] In illis enim passionibus etiam ipse tentari debuit, incorruptam imaginem Dei ac similitudinem possidens, in quibus et Adam tentatus est, cum adhuc in illa inviolata imagine Dei perduraret, hoc est gastrimargia, cenodoxia, superbia, non in quibus post prævaricationem mandati, imagine Dei ac similitudine violata, suo jam vitio devolutus involvitur. Gastrimargia namque est, qua interdicti ligni præsumit edulium; cenodoxia, qua dicitur, *Aperientur oculi vestri* (*Genes.* III); superbia, qua dicitur, *Eritis* A *sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen.* III). In his ergo tribus vitiis etiam Dominum salvatorem legimus fuisse tentatum. Gastrimargia, cum dicitur ei a diabolo, *Dic ut lapides isti panes fiant*; cenodoxia, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*; superbia, *cum ostendens illi omnia regna mundi et eorum gloriam, dicit: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me* (**Matth.** IV); ut iisdem quibus ille tentationum lineis est appetitus, nos quoque quemadmodum tentatorem vincere deberemus, suo doceret exemplo (*Vide collat.* 24 *c.* 17). Ideoque et ille Adam dicitur, et iste Adam (I *Cor.* XV). Ille primus ad ruinam et mortem, hic primus ad resurrectionem et vitam. Per illum omne genus hominum condemnatur, per istum omne genus hominum liberatur. Ille de rudi atque intacta B fingitur terra, hic de Maria virgine procreatur. [b] Hujus ergo ut suscipere eum tentationes oportuit, ita excedere necessarium non fuit. Nec enim qui gastrimargiam vicerat, poterat fornicatione tentari, quæ ex illius abundantia ac radice procedit, qua ne ille quidem primus Adam fuisset elisus, nisi ante

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

communia, ut sunt fames, sitis, lassitudo, dolor, tristitia, metus mortis, et mors ipsa. 2° Ut tentari sit idem quod ad peccatum sollicitari, ut hic abbas intelligit de Christi tentationibus agens; dicitur Christus tentatus per omnia, quoniam expertus est quidquid experiri potuit, id est, quod personam et conditionem ejus non dedecebat, et fini quem sibi proposuerat, id est, redemptioni hominum, consentaneum erat. Itaque tentatus est a diabolo per omnia, id est, modis omnibus quibus poterat et congruebat eum tentari, sed per exteriorem tantum suggestionem. Per interiorem enim nec a diabolo, nec a carne, nec a mundo tentari potuit. Nam tentatio interior non fit sine aliqua delectatione et motu concupiscentiæ, quæ non est nisi in carne peccatrice, id est, per peccatum sauciata, nec plene sanata. Non decebat autem Christum talem naturam assumere, sed ab omni contagio peccati liberam et immunem, ne et ipse secundum assumptam naturam redemptore et liberatore indigeret. Hanc doctrinam diserte tradit et explicat D. Gregorius his verbis (*Hom.* 16 *in Evang.*): *Sciendum*, inquit, *quia tribus modis tentatio agitur, suggestione, delectatione et consensu. Et nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut etiam in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati in nobisipsis etiam gerimus, unde certamina toleramus. Deus vero, qui in utero Virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit.* Sic et Damascenus lib. III de Fide Orthod. cap. 20: *Malignus*, inquit, *de foris suggerebat, non per cogitationes*, etc. Audiebat quidem Christus diabolum sibi proponentem gulæ, cenodoxiæ et superbiæ peccata, et illorum commoda, nec opus est credere nihil eum de his cogitasse, attamen nullus in eo vel minimus appetitus ad ea excitatus est: cum in nobis numquam aut rarissime hæc separentur, ut sine affectu aliquo cogitemus.

[a] Infra dicit: *In his tribus vitiis, gula scilicet, cenodoxia, id est, vana gloria, et superbia.* Eodem fere modo D. Gregorius (*Homil.* 16 *in Evang.*) triplicem Christi tentationem exponit, et cum tentationibus Adami confert, nisi quod pro superbia avaritiam tertio loco ponit; sed improprie et abusive (ut ex ipsiusmet dictis colligitur) avaritiam pro cupiditate seu appetitu sublimitatis usurpans, qui nihil aliud est quam superbia, cui tamen non repugnat etiam avaritiæ seu philargyriæ tentationem fuisse conjunctam, ut infra dicetur, et S. Thomas admittit (III *part.*, *q.* 41, *a.* 4). Sic vero Gregorius: *Antiquus hostis contra primum hominem parentem nostrum in tribus se tentationibus erexit, quia hunc videlicet gula, vana gloria et avaritia tentavit; sed tentando superavit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippe tentavit, cum cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentavit,* C *cum diceret: Eritis sicut dii. Et ex provectu avaritiæ tentavit, cum diceret: Scientes bonum et malum. Avaritia enim non solum pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Recte enim avaritia dicitur, cum supra modum sublimitas ambitur. Si enim non ad avaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de unigenito Dei Filio diceret: Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo* (*Philip.* III). *In hoc autem diabolum parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad avaritiam sublimitatis excitavit. Sed quibus modis primum hominem stravit, eisdem modis secundo homini tentator succubuit. Per gulam quippe tentat, cum dicit: Dic ut lapides isti panes fiant. Per vanam gloriam tentat, cum dicit: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis avaritiam tentat, cum regna omnia mundi ostendit dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Sed eisdem modis a secundo homine vincitur, quibus primum hominem se vicisse gloriabatur, ut a nostris cordibus ipso aditu captus exeat quo nos aditu intromissus tenebat.* Hactenus Gregorius. Atque eumdem ordinem tentationum D sequitur et explanat S. Thomas III parte, quæst. 41, articulo 4. Aliter tamen S. Augustinus tract. 2 in Epist. Joan.

[b] Loco *hujus* legunt alii *hujusmodi*, et puto rectius, ut Christum respiciat; si enim Adamum respiceret, dicendum fuisset *illius*, non *hujus*, cum de Christo proxime et immediate locutus esset. Sensus igitur est: Quemadmodum oportuit (id est, congruum fuit et rationi consentaneum) ut Christus novus Adam easdem illas tentationes supra memoratas, scilicet gulæ, vanæ gloriæ et superbiæ, in se susciperet ac sustineret, quibus primus Adam appetitus et dejectus fuerat: ita non fuit necesse ut aliam tentationem, carnis scil. seu luxuriæ, experiretur, quam nec primus Adam in statu innocentiæ expertus fuisset.

generatricem ejus passionem deceptus illecebris diaboli recepisset. Et ob hoc Filius Dei non absolute in carne peccati venisse dicitur, sed *in similitudine carnis peccati* (*Rom.* VIII) : quia cum esset in eo vera caro, manducans scilicet, et bibens, et dormiens, clavorum quoque confixionem in veritate suscipiens, peccatum ejus, quod prævaricationem contraxit, verum non habuit, sed imaginarium. Non enim ignitos aculeos concupiscentiæ carnalis expertus est, qui etiam nolentibus nobis natura jam administrante consurgunt, sed hujus quamdam similitudinem, naturam participando suscepit. Nam cum omnia quæ officii nostri sunt in veritate compleret, et [a] universas infirmitates gestaret humanas, consequenter huic quoque passioni putatus est subjacere, ut per has infirmitates etiam conditionem hujus quoque vitii atque peccati videretur in sua carne portare. Denique in his eum tantummodo vitiis diabolus tentat, in quibus et illum primum deceperat, conjiciens hunc quoque velut hominem similiter in cæteris illudendum, si eum in illis quibus priorem dejecerat sensisset elisum. Verum ei secundum jam morbum [b], qui de radice principalis vitii pullularat, primo certamine confutatus inferre non potuit. Videbat enim nullatenus eum initialem causam ægritudinis hujus suscepisse, eratque superfluum A sperari [*Lips. in marg.* sperare] ab eo fructum peccati, cujus eum semina vel radices nullo modo recepisse cernebat. Licet secundum [c] Lucam, qui postremam tentationem illam ponit qua dicitur : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Luc.* IV), hæc superbiæ passio possit intelligi, ita ut illa superior quam Matthæus tertiam ponit, in qua juxta prædictum Lucam evangelistam omnia ei regna mundi in puncto temporis ostendens diabolus repromittit, accipiatur passio philargyriæ, quod scilicet post gastrimargiæ victoriam fornicatione eum tentare non prævalens ad philargyriam transierit, quam radicem malorum omnium noverat, in qua iterum superatus, nullum ei vitium ex his quæ sequebantur jam ausus ingerere (quippe quæ noverat de ejus radice ac fomite pullulare), ad extremam superbiæ transierit passionem, B qua noverat etiam perfectos quosque devictis omnibus vitiis posse pulsari ; qua etiam vel seipsum cum esset Lucifer, vel complures alios, absque [d] incitamento præcedentium passionum, de cœlestibus meminerat corruisse. Juxta hunc ergo quem prædiximus ordinem, qui ab evangelista Luca describitur, etiam ipsa illa illicitatio et figura tentationum, quibus vel illum primum, vel istum secundum Adam callidissimus aggreditur inimicus, elegantissime congruit. Illi namque dicit : *Aperientur oculi vestri* ; huic

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Naturales scilicet et innoxias Sunt enim humanæ infirmitates quædam naturales, quæ licet ex culpa et transgressione primorum parentum ortum habeant, non tamen ex se ad culpam impellunt aut pertrahunt, sed potius materiam præbent exercendæ virtutis, ut fames, sitis, defatigatio, mortalitas. Et ejus generis infirmitates revera innocuas decuit C Christum assumere : unde esuriit, sitivit, defatigatus est, mortuus est pro nobis, ut sacræ litteræ attestantur. Aliæ vero sunt passiones, naturales quidem si naturam lapsam attendimus, innaturales vero si rectitudinem ejus et primam institutionem consideramus, non tantum ex culpa prodeuntes et prævaricatione primorum parentum, verum etiam ad culpam occasionem et viam præbentes, aut culpæ annexæ, ut sunt proclivitas ad malum, tarditas ad bonum, ignorantia, fomes peccati, sive concupiscentia, ac sensualitas. Istas autem non decuit Christum assumere (*Damascen. lib.* III *cap.* 20, *de Fide Orthod.*). Nam qui peccata venit tollere, profecto nulli labi, aut maculæ peccati, fomentoque ad culpam provocanti debuit esse obnoxius, nec solum natura ἀναμάρτητος, id est impeccabilis, ut Deus, sed ut homo mediator, et Redemptor, et *Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, ut ait Apostolus Hebr. VII ; ne et ipsi merito objiceretur illud vulgatum, *Medice, cura teipsum* (*Luc.* IV). Porro passiones primi generis, quæ licet sint ex culpa, non tamen inclinant ad culpam, duplices sunt : quædam enim communes sunt toti humano generi, quæ totam naturam humanam consequuntur ; quædam vero personales et particulares, quæ non totam humanam naturam, sed singulares quasdam personas respiciunt. et afficiunt, ut sunt varia morborum genera, cæcitas, surditas, deformitas, et hujusmodi. Quoniam autem Christus venerat humanam naturam reparare, ac restaurare communiter, et sine personarum distinctione, par fuit ipsum naturales duntaxat, et non personales, infirmitates in se suscipere. Unde nec morbos contraxit, nec deformitates corporis, quæ plerumque hominibus ob impedimentum aliquod naturæ aut fortuito accidunt.

[b] Scilicet luxuriæ, qui de radice principalis vitii (scilicet gulæ) pullularat in homine, etc.

[c] Lucas evangelista (*Ibid.*) tentationem secundam a Matthæo relatam, non secundo, sed ultimo loco ponit. Unde quærunt interpretes uter evangelista D ordinem rerum gestarum ac temporum servaverit. Neque enim evangelistæ, sicut nec alii scriptores sacri, in narratione rerum ordinem temporum semper observant. At plerique consentiunt Matthæum eo quo acciderunt ordine tentationes Christi commemorasse ; Lucam vero ejus ordinis rationem non habuisse, quod ex textu evangelico haud obscure colligitur. Primum quia S. Lucas, ait Cajetanus, licet tertiam apud Matthæum secundo loco recitet, et secundam ultimo loco referat, non dicit tamen quæ illarum prior fuerit ; et propterea ex Luca nullus istarum tentationum ordo temporis habetur ; Matthæus autem expresse earum ordinem secundum tempus explicat, ubi dicit : *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum.* Cum enim semel dixisset : *Tunc* (scilicet, consummata prima tentatione) *assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem*, et postea subdidit : *Iterum assumpsit eum in montem*, etc., aperte monstravit per illud *iterum* quod secundo assumpsit in montem, qui primo assumpserat in sanctam civitatem. Ita Cajetanus : Est et aliud argumentum. Cum enim a Christo dictum fuisset diabolo : *Vade, Satana*, etc., subdit Evangel. : *Tunc reliquit eum diabolus* ; est enim verosimillimum diabolum illis Christi verbis territum victumque statim abscessisse, quæ quidem verba in monte, non alibi dicta sunt. Porro quod ad mores et præsentem locum attinet, hoc annotavit etiam D. Thomas (*Ubi supra ad* 5), quod videntur evangelistæ diversum ordinem tenuisse, quia quandoque ex inani gloria venitur ad cupiditatem, quandoque e converso, quod nostro textui apte consonat.

[d] En illicitamentum, et paulo post illicitatio, de quibus supra (*Cap.* 4), quibus synonymum est illicium.

ostendit omnia regna mundi et gloriam eorum; ibi dicit : *Eritis sicut dii*; hic, *Si Filius Dei es* (*Genes.* III; *Matth.* IV).

CAPUT VII.

De consummatione cenodoxiæ et superbiæ sine ministerio corporali.

Et ut de efficientiis [a] cæterarum quoque passionum (quarum narrationem intercidere nos expositio gastrimargiæ vel Dominicæ tentationis necessario compulit) eodem quo proposueramus ordine disseramus, cenodoxia atque superbia etiam sine ullo consummari solent ministerio corporali [b]. In quo enim egent actione carnali, quæ, pro cohibitione et concupiscentia, voluntate sola conquirendæ laudis et humanæ gloriæ consequendæ abunde ruinam generant animæ captivatæ? aut quem effectum habuit corporalem prædicti Luciferi illius antiqua superbia [c], nisi quod eam tantummodo animo et cogitatione concepit, ita propheta commemorante (*Isai.*, XIV) : *Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei ponam solium meum. Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo?* Qui sicut hujus superbiæ neminem habuit incentorem, ita ei consummationem criminis ruinæque perpetuæ cogitatio sola perfecit, et quidem cum affectatæ tyrannidis nulla fuerint opera subsecuta.

CAPUT VIII.

De philargyria, quod extra naturam sit, et quid intersit inter ipsam et naturalia vitia.

Philargyria et ira, licet non sint unius naturæ (nam prior extra naturam est, sequens vero originale videtur in nobis seminarium [d] possidere), simili tamen oriuntur modo : extrinsecus siquidem causas commotionis plerumque concipiunt. Etenim frequenter hi qui adhuc infirmiores sunt, vel irritatione, vel instinctu quorumdam, in hæc se corruisse vitia conqueruntur, ac præcipitatos se vel ad iracundiam, vel ad philargyriam, aliorum provocatione causantur. Quod extra naturam sit philargyria, hinc liquido pervidetur, quia nec originale probatur in nobis habere principium, nec de materia concipitur, quæ pertingit ad animæ vel carnis participationem, vitæque substantiam. Nihil enim ad usum vel necessitatem naturæ communis præter escam quotidianam ac potum certum est pervenire; reliquæ vero universæ materiæ, quantolibet studio atque amore serventur, alienæ tamen ab humana indigentia etiam usu vitæ ipsius approbantur, ideoque hoc, velut [e] extra naturam existens, non nisi tepidos ac male fundatos monachos pulsat. Quæ autem naturalia sunt etiam probatissimos monachorum, et quidem in solitudine commorantes, attentare non desinunt. Et in tantum hoc verissimum comprobatur, [f] ut etiam gentes nonnullas ab hac passione, id est philargyria, liberas omnimodis agnoscamus, quia nequaquam vitii hujus ægritudinem usu et consuetudine receperunt. Illum quoque [g] priorem mundum, qui ante diluvium fuit, diutissime concupiscentiæ hujus rabiem credimus ignorasse. Quæ etiam in uno quoque nostrum recte abrenuntiante sine ullo labore probatur exstingui, cum scilicet universis quis facultatibus abjectis, ita expetierit cœnobii disciplinam, ut ex iis ne unum quidem denarium sibimet superesse patiatur. Cujus rei testes multa hominum millia possumus invenire, qui cum sub momento brevissimo dispersis omnibus substantiis suis in tantum hanc eradicaverunt passionem, ut ne tenuiter quidem ab ea pulsentur ulterius. At nihilominus omni tempore contra gastrimargiam pugnantes, nisi ingenti circumspectione cordis et abstinentia corporis dimicaverint, securi esse non possunt.

CAPUT IX.

Quod tristitia et acedia nulla provocatione extrinsecus generentur, sicut alia vitia.

[g] Tristitia et acedia nulla, quemadmodum supra diximus, accedente extrinsecus provocatione gene-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, exsecutione, consummatione cæterorum vitiorum, ut supra.

[b] Cenodoxia et superbia vitia sunt spiritualia, non carnalia, quia non egent actione corporali : unde et diabolo maxime propria, sicut et invidia; qua de re D. Augustinus XIV de Civit. cap. 3.

[c] De qua satis fuse egimus lib. XII cap. 3 et 4.

[d] Nempe appetitum irascibilem, qui homini datus, ut satelles rationis et vindex concupiscentiæ, ait Damascenus lib. II de Fide Orthod. cap. 16.

[e] Quia respicit bonum extraneum naturæ hominis, scilicet divitias, quibus excitatur et commovetur. Vide lib. VII Instit. 2 et 3, ubi *peregrinum bellum dicitur, et extra naturam, nec aliunde in monacho sumens principium, quam de corruptæ ac tepidæ mentis ingnavia, et plerumque initio abrenuntiationis* (id est, conversionis) *male arrepto, et erga Deum tepido amore fundato*, quemadmodum hic dicitur male fundatos monachos pulsare.

[f] Lepidum hujus rei exemplum refert Cælius Rhodiginus (*Antiq. Lect. lib.* XX. *c.* 23) agens de Themistocle, Atheniensium duce, qui dum insulas ditioni subjectas perlustraret, pecuniam hinc inde corrogabat. Adiit et Andrios, urgensque infestius : Duos, inquit, ad vos affero deos, vim, et suadelam. At illi, nec minus festive : Duos quoque apud se et magnos quidem residere deos intulere, paupertatem et impossibilitatem, qui nummos illi erogari prohiberent. Auctor etiam Plutarchus, cum pecuniæ essent in Lacedæmoniorum regionem invectæ, qui eas importarunt morte mulctatos fuisse; siquidem Alcameni ac Theopompo regibus hoc oraculum erat redditum : *Pecuniarum amor Spartam perdet*. Hinc apud veteres laudata Laconica illa ut in verbis brevitas sic in rebus parcimonia, tanta quidem, ut quingentis et amplius annis absque pecuniæ usu illa respublica steterit : et pessime apud suos audierit, ac de suis meruerit Agesilaus rex, qui primum ejus usum invexit.

[g] Id est, primam illam mundi ætatem ab Adamo usque ad diluvium, qua ætate plerique erant aut agricolæ, aut pastoritii; quorum pecudes unicæ divitiæ, quarum permutatione victitabant : unde deducta pecuniæ appellatio. Pecunia enim a pecudis tergo nominata, ait Cassiodorus (*Varior. lib.* VII, *epist.* 32).

[g] Quid per tristitiam et acediam intelligat Cassianus, videndum suis locis et propriis tractatibus (*Lib.* IX *et* X *Instit.*).

rari solent. Nam [a] solitarios quosque et in eremo constitutos, nullique humano commixtos consortio, frequenter atque amarissime vexare noscuntur, quod esse verissimum quisque cum fuerit in solitudine commoratus, et pugnas hominis interioris expertus, ipsis experimentis perfacile comprobabit.

CAPUT X.

De sex vitiorum concordia, et duorum ab eis dissidentium cognatione.

Hæc igitur octo vitia, licet diversos ortus ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, gastrimargia, fornicatio, philargyria, ira, tristitia, acedia, quadam inter se cognatione, et ut ita dixerim, concatenatione connexa sunt, ita [b] ut prioris exuberantia sequenti [*Lips. in marg.* sequentis] efficiatur exordium. Nam de abundantia gastrimargiæ fornicationem, de fornicatione philargyriam, de philargyria iram, de ira tristitiam, de tristitia acediam necesse est pullulare, ideoque simili contra hæc modo atque eadem ratione repugnandum est, et a præcedentibus semper adversus sequentes oportet nos inire certamina. Facilius enim cujuslibet arboris noxia latitudo ac proceritas exarescit, si antea radices ejus, quibus innititur, vel nudatæ fuerint, vel succisæ. Et infestantes humores aquarum continuo siccabuntur, cum generator earum fons ac profluentes venæ solerti industria fuerint obturatæ. Quamobrem ut acedia vincatur, ante tristitia superanda est; ut tristitia propellatur, ira prius est extrudenda; ut exstinguatur ira, philargyria calcanda est; ut evellatur philargyria, fornicatio compescenda est; ut fornicatio subruatur, gastrimargiæ vitium est castigandum. Residua vero duo, id est, cenodoxia et superbia, sibi quidem similiter illa qua de superioribus vitiis diximus, ratione junguntur, ita ut incrementum prioris ortus efficiatur alterius.

[c] Cenodoxiæ enim exuberantia superbiæ fomitem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic Cassianus ipse lib x, c. 1 : *Affinis acedia tristitiæ est, et vagis ac solitariis magis experta, et in eremo commorantibus infestior hostis ac frequens.*

[b] Intellige, ut plurimum; sæpe tamen aliter accidit, et quidem e converso. Qua de re pulcherrima exstat Joannis Climaci disputatio, quam hic omnino describendam duxi : *Rem,* inquit, (*Gradu* 31 *de Discretione*), *quidam me interrogaverunt ad judicandum difficilem, et quæ omnes ætatis nostræ homines transcendat, in nulloque ex his libris qui in manus nostras venerunt contineatur. Aiebant enim : Quænam propria sunt principalium octo vitiorum germina? aut quod ex tribus maxime principalibus quinque reliquorum initium et propago esset? Ego in re tam ambigua ignorantiam meam ingenue confessus, hoc a beatissimis viris audivi: Mater quidem fornicationis est gulæ concupiscentia; acediæ vero, inanis gloria. Ego rursus a sempiternæ memorandis illis addiscere orabam, quænam ex his octo nascerentur, et quod ex qua progenie originem traheret. Illi vero me blande ac placidissime absque ullo elationis vitio edocentes, aiebant, nullum ordinem aut prudentiæ rationem inesse in rebus stultis, sed omnem prorsus perversionem atque inconstantiam; atque id mihi veris exemplis, et rationibus persuadebant beati illi, plurima documenta adducentes in medium, ex quibus aliqua huic operi inseruimus, ut ex iis jam alia quoque planissime intelligere possimus : exempli causa, intempestivus risus aliquando quidem ex fornicatione, aliquando vero ex inani gloria nascitur, cum scilicet apud seipsum intrinsecus turpiter quisque gloriatur; nonnumquam vero ex deliciis gignitur. Multus somnus aliquando ex deliciis, aliquando ex jejunio nascitur, cum scilicet illi qui jejunant extolluntur; aliquando vero ex acedia, aliquando ex natura. Etiam multiloquium aliquando ab inani gloria, aliquando a gastrimargia initium sumpsit. Acedia vero aliquando ex deliciis, et ex contemptu Dei timoris oritur. Blasphemia proprie quidem est superbiæ germen; nonnumquam vero etiam ex judicando in eadem re proximum, sive etiam ex improbi dæmonum invidia nascitur. Duritia cordis interdum a satietate, sæpe vero etiam ab insensibilitate atque ab affectione vitiosa originem ducit. Hæc vero rursus affectio, et a fornicatione, et ab inani gloria, et ab avaritia, atque a gastrimargia, aliisque quoque plurimis rimis oritur. Malitia rursus a timore ac iracundia nascitur. Hypocrisis inde potissimum incipit, si quis sibi nimium placeat, neque ipse moderetur, neque alterius vivat arbitrio. Porro his contraria a contrariis gignuntur.* Hæc ille. Quibus addere libet etiam istud documentum D. Thomæ (1-2, *q.* 48, *art.* 3) ad hanc materiam spectans, de ordine et comparatione vitiorum : *Peccatum,* inquit, *caret ordine ex parte aversionis, scilicet a Deo bono incommutabili; ex hac enim parte habet rationem mali : malum autem* (*secundum Augustinum lib. de Natura boni*) *est privatio modi, speciei et ordinis, Sed ex parte conversionis, scilicet ad creaturam, respicit quoddam bonum; et ideo ex hac parte dicitur habere ordinem* (*Tom.* VI. *c.* 4). Hæc S. Thomas, significans quædam vitia eum habere ordinem et rationem principii erga alia vitia, quam habet caput ad cætera membra, ideoque dici capitalia, sive principalia.

[c] Eamdem sententiam confirmat idem Climacus pluribus in locis, et certe notatu dignis. Gradu 21 : *Solent,* inquit, *plerique, dum de vitiis disputant, inanem gloriam seorsim definire a superbia, unde et octo esse principalia et primaria vitia dicunt. Theologus vero Gregorius, aliique plurimi doctores septem ista esse tradiderunt, quos ego maxime sequor. Quis enim inanem gloriam devicit, et superbus fuit? Ea vero est eorum ad invicem differentia, quæ est naturaliter pueri ad virum, et tritici ad panem; hoc enim principium est, illud finis.* Sic ille, quibus verbis aperte significat ita se habere cenodoxiam, seu vanam gloriam ad superbiam, sicut puer se habet ad virum, et triticum ad panem, hoc est, sicut initium sive principium ad finem, nam ex puero fit vir, et panis ex tritico. Rursus ibidem post narrationem cujusdam senis, in qua spiritus superbiæ matrem suam cenodoxiam vocaverat, subdit : *Eumdem ego cum interrogassem quomodo inanis gloria sit superbiæ mater, ita respondit : Laudes, inquit, animum elevant et inflant. Porro cum anima ad elationem venerit, jam tunc illam superbia assumens in cœlum usque attollit, et usque ad abyssos dejicit,* Et in fine ejusdem capitis : *Vermis plerumque, dum excreverit, natis alis in sublime subvectus est; ita et consummata inanis gloria superbiam peperit, quæ malorum omnium dux, princeps et consummatio est.* Rursus gradu 22 egregiam hanc cenodoxiæ et superbiæ inducit prosopopœiam : *Deprehendi,* inquit, *seductricem hanc* (superbiam) *sine capite mecum advenisse matris suæ* (cenodoxiæ) *humeris invectam; ambasque obedientiæ vinculo illaqueans vilitatisque flagello verberans, qualiter in me essent ingressæ, dicere cogebam. Itaque cum cogerentur, aiebant : Nos neque initium habemus, neque nativitatem, principes enim et genitrices sumus omnium vitiorum. Oppugnat autem modice nos contritio cordis ex subjectione initium sumens; nullius imperio subjici patimur, ideo in cœlis quoque seditiones movemus. Nos ut totum simul* (nidus) *omnium quæ sunt contrariu*

parit. Sed ab illis sex prioribus vitiis penitus dissident, nec simili cum eis societate fœderantur. Siquidem non solum nullam ex illis occasionem suæ generationis accipiunt, sed etiam contrario modo atque ordine suscitantur. Nam illis evulsis hæc vehementius fructificant, et illorum morte vivacius pullulant atque succrescunt. Unde etiam diverso modo ab his duobus vitiis impugnamur. In unumquodque enim illorum sex vitiorum tunc incidimus, cum a præcedentibus eorum fuerimus elisi : in hæc vero duo victores et vel maxime post triumphos periclitamur incurrere. Omnia igitur vitia quemadmodum incremento præcedentium generantur, ita illorum diminutione purgantur. Et hac ratione ut superbia possit excludi, cenodoxia est præfocanda. Et

A ita semper prioribus superatis, sequentia conquiescent, et exstinctione præcedentium residuæ passiones absque labore marcescent. Et licet hæc, quæ prædiximus, octo vitia illa quam commemoravimus ratione invicem sibi connexa atque permixta sint, specialius tamen in quatuor conjugationes et copulas dividuntur ; gastrimargiæ namque fornicatio peculiari commercio fœderatur, philargyriæ ira, tristitiæ acedia, cenodoxiæ superbia familiariter conjungitur.

CAPUT XI.

De origine et qualitate uniuscujusque vitii.

Et ut sigillatim nunc de uniuscujusque vitii generibus disputemus. [a] Gastrimargiæ genera sunt tria :

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

humilitati genetrices sumus ; cuncta quippe quæ illi suffragantur nobis adversissima sunt. Nos ignominias, obedientiam, inirascentiam, oblivionem injuriarum et ministerium sequi sæpe consuevimus. Porro stirpes nostræ sunt spiritualium lapsus, iracundia, detractio, amaritudo, clamor, furor, blasphemia, hypocrisis, odium, invidia, contradictio, suo quam alterius malle regi moderamine. Obedientia unum et solum est in quo conatus omnes virium nostrarum deficiunt. Itaque tibi coactæ dicimus : si teipsum coram Domino ex intimo cordis affectu semper accuses, nos ut araneas contemnes. Nam, ut vides, superbia est equus, quem cenodoxia conscendit ; sed sancta humilitas, et sui ipsius jugis accusatio, ridebunt et equum, et ascensorem ejus, triumphaleque carmen suavissime canentes, Cantemus, inquiunt, *Domino ; gloriose enim magnificatus est* (*Exod.* XV), etc. Hactenus Joannes Climacus, vir admodum spiritualis, et in hujusmodi rebus egregie versatus. At e diverso stat doctrina D. Gregorii, qui superbiam omnium vitiorum matrem, et reginam statuit, ejusque primam sobolem nominat cenodoxiam, seu inanem gloriam : *Prima,* inquit (*Lib.* XXXI *Mor.* c. 31), *superbiæ soboles, inanis gloria,* etc., cui et Scriptura S. et ratio, et auctoritas omnium theol. suffragantur *S. Thom.* 2-2, *q.* 132, *art.* 4); ut alibi ostendimus (*Lib.* V *Inst. c.* 1, *et l.* XII. *c.* 1). Itaque videndum qua ratione hæc conciliari queant. Cajetanus (*ad S. Thom., ubi supra*) subtiliter quidem et subobscure, ut solet, hunc nodum solvit in hunc modum : Notandum, inquit, quod quia finis et medium ad finem aliter se habent secundum ordinem intentionis, et aliter secundum ordinem exsecutionis, prius enim est in intentione sanitas quam medicina, in exsecutione autem prius adhibetur medicina quam acquiratur sanitas; ideo cum superbia et inanis gloria se habeant ut finis et medium, prior est in intentione excellentia quæ est finis superbiæ, quam apparentia (id est, manifestatio excellentiæ apud alios) quæ est finis inanis gloriæ. Sed secundum ordinem exsecutionis primo quærimus apparare, ut manifesti jam et clari excellentiam consequamur. Quærunt siquidem superbi manifestare se, tamquam virtute, aut potestate, aut industria præditos, ut manifesti amentur et honorentur ; amati autem et honorati, clari habeantur. Qui autem gloriosi habentur, in proximo sunt ut exaltentur ad dignitates et excellentias ; et sic gloria est medium ad excellentiam acquirendam, et per hoc oritur ex superbia, sicut medium ex fine. Oritur nihilominus gloria ex excellentia, tamquam passio ex subjecto, dum excellere minus æstimamus, nisi veniat in aliorum notitiam, juxta illud : *Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.* Ambæ autem dictæ propinquitates, connexiones et dependentiæ se tenent ex *parte rerum* secundum se, et propterea secundum se

B loquendo inanis gloria et superbia est, quamvis ex parte nostri superbia nonnumquam ex inani gloria oriatur. Ita fere Cajetanus. Ex quo intelligimus superbiam dici cenodoxiæ matrem, et contra, sed diversa ratione. Cum enim objectum superbiæ sit propria excellentia, objectum autem seu finis cenodoxiæ manifestatio istius excellentiæ, secundum rei naturam prius est appetere excellentiam, quod est superbiæ, quam appetere manifestationem illius excellentiæ, quod est proprium cenodoxiæ. Quia tamen ex manifestatione nostræ excellentiæ et perfectionis contingit nos subinde magis superbire, et per hanc dignitates et officia ambire; ideo non male etiam dicitur cenodoxia mater et origo esse superbiæ, quo modo exponi debent quæ apud Climacum leguntur. Sic enim Cajetanus ad objectionem ex hoc loco sibi factam respondet.

[a] Cassianus lib. v. Institut. cap. 23 : *Triplex natura est gastrimargiæ, una quæ canonicam refectionis horam prævenire compellit ; alia quæ tantummodo ventris ingluvie et saturitate quarumlibet gaudet escarum ; tertia, quæ accuratioribus cibis et esculentioribus delectatur.* Hæc ibi. Porro Hugo a S. Victore (*de Institut. Novitior. cap.* 19) tres itidem gastrimargiæ seu gulæ species insinuat, et contra eas triplici utendum cautione sive observatione egregie admonet, et monachos gulæ vitiis deditos mirum in modum depingit his verbis : *Triplex,* inquit, *observatio disciplinæ in cibo : 1° observatio in eo quod sumat ; observatio in eo quantum sumat ; 3° observatio in eo quomodo sumat. Observatio in eo quid sumat, id est, ut neque nimis pretiosa et delicata expetat, nec nimis rara et insolita requirat, nec nimis laute et accurate præparata concupiscat. In primo enim luxus arguitur, in secundo curiositas, in tertio superstitio notatur. Sunt namque quidam, quorum fauces satis ridicula infirmitate ægrotant, quæ nisi pinguia et delicata deglutire non possunt. Et si quando eis parci aut frugales cibi oblati fuerint, statim aut indigestionem stomachi, aut pectoris siccitatem, aut oppilationem capitis, aut si qua sunt talia, ad frivolas excusationes prætendunt. Alii delicias et luxum ciborum magna constantia aspernantur, sed ab eis iterum non minori aut tolerabiliori petulantia communium cibariorum usus omnino despicitur. Nova quædam et insolita ciborum genera exquirunt, ita ut sæpe propter unius ventrem hominis per omnes circum pagos turba famulorum discurrat, et vix tandem vel ignotas de desertis procul montibus radices evellendo, vel pauculos de imis gurgitibus profunda scrutatione pisciculos trahendo, sive intempestiva de arentibus rubetis arbusta colligendo, unius appetitus petulantiam compescere queat. Et sane mihi non satis patere potest, quod vitium istos exagitet, nisi forte quia per quamdam animi insolentiam multos in suo obsequio occupari gaudent, sive quia per tumorem elationis cæteris om-*

Primum, quod ad refectionem perurget monachum ante horam statutam ac legitimam festinare; secundum, quod expletione ventris et quarumlibet escarum voracitate lætatur; tertium, quod accuratiores ac delicatissimos desiderat cibos. Quæ tria non levi dispendio monachum feriunt, nisi ab omnibus istis pari studio atque observantia semetipsum expedire contenderit. Nam quemadmodum absolutio jejunii ante horam canonicam nullatenus præsumenda est, ita et ventris ingluvies et escarum sumptuosa atque exquisita præparatio similiter amputanda. Ex his enim tribus causis diversæ ac pessimæ [a] valetudines animæ procreantur. Nam de prima monasterii odium gignitur, atque exinde horror, et intolerantia ejusdem concrescit habitaculi, quam sine dubio mox discessio aut fuga velocissima subsequetur. De secunda igniti luxuriæ et libidinis aculei suscitantur. Tertia etiam inextricabiles philargyriæ laqueos nectit cervicibus captivorum, nec aliquando monachum sinit perfecta Christi nuditate fundari. Cujus nobis passionis inesse vestigia, isto quoque deprehendimus indicio, cum forte ad refectionem detenti ab aliquo fratrum, contenti non sumus eo sapore cibos sumere, quo ab exhibente conditi sunt, sed quiddam superfundi eis vel adjici importuna atque effrenata poscimus libertate. Quod fieri penitus non oportet, tribus de causis : primo quia mens monachi semper debet in omni tolerantiæ ac parcitatis exercitatione versari et, [b] secundum Apostolum (*Phil.* IV), discere in quibus est, sufficiens esse : nullatenus enim poterit, vel occulta vel majora corporis desideria refrenare, quisquis degustatione modicæ insuavitatis offensus, ne ad momentum quidem delicias gutturis sui valuerit castigare; secundo, quod nonnumquam evenit ut ad horam desit illa species quæ postulatur a nobis, et verecundiam necessitati vel frugalitati suscipientis incutimus, publicantes [scilicet paupertatem ejus quam soli Deo cognitam esse maluerunt; tertio, quod interdum solet sapor ille, quem nos adjici poscimus, aliis displicere, et invenimur injuriam multis, dum nostræ gulæ ac desiderio satisfacere cupimus, irrogare : propter quod omnimodis hæc in nobis est castiganda libertas. [c] Fornicationis genera sunt tria : primum, quod per commixtionem sexus utriusque perficitur; secundum, quod absque femineo tactu, pro quo Onan patriarchæ Judæ filius a Domino percussus legitur, quod in Scripturis sanctis immunditia nuncupatur (*Genes.* XXXVIII), super quo Apostolus : *Dico autem innuptis et viduis, bonum est illis si sic permanserint sicut et ego* (1 *Cor.* 7) : *quod si se non continent, nubant; melius est enim nubere quam uri*; tertium, quod animo ac mente concipitur. De quo Dominus in Evangelio, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Quæ tria genera beatus Apostolus pari modo exstinguenda pronuntians, *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem* (*Coloss.* III), etc. Et iterum de duobus ad Ephesios : *Fornicatio et immunditia nec nominetur in vobis* (*Ephes.* V). Et iterum : *Illud autem scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (Ibid.). Quæ tria ut a nobis pari observatione caveantur, similis nos eorum a regno Christi atque una deterret exclusio. [d] Philargyriæ genera sunt tria : primum, quod renuntiantes divitiis ac facultatibus suis spoliari non sinit; secundum, quod ea quæ a nobis dispersa sunt vel indigentibus distributa, resumere nos majori cupiditate persuadet : tertium, quod ea, quæ ne antea quidem possedimus, desiderari acquirive compellit. [e] Iræ genera sunt tria : unum, quod exardescit intrinsecus, quod Græce θυμὸς dicitur; aliud, quod in verbum et opus effectumque prorumpit, quod ὀργὴ nuncupatur, de quibus et Apostolus, *Nunc autem deponite*, inquit, *et vos omnem iram et indignationem*; tertium, quod non ut illa ferventer ad horam digeritur, sed per dies et tempora reser-

nibus quartum cibo dissimiles sunt, tantum merito dissimiles videri volunt. Alii superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionum, et frixurarum, et condimentorum genera excogitantes; modo mollia, modo dura, modo frigida, modo calida, modo elixa, modo assa, modo pipere, modo cumino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes. Hic profecto non solum arguendi, sed etiam deridendi sunt qui quasi caupones ad omnem clepsydram eliciendi gustus gratia palatum extendunt. Igitur contra hæc vitia sananda necessarius est rigor disciplinæ, qui istas gulæ petulantias intra certum limitem cohibeat, quatenus se neque ad immoderatas delicias, neque ad novitates, neque ad superstitiosas præparationes ciborum appetendas diffundat. Hactenus Hugo Victorinus a Turrecremata etiam in hoc argumento citatus (*Tract.* 103 *in Regulam S. Bened.*), addito insuper D. Hieronymi elogio (*epist.* 2 *ad Nepotia.*), quo tertiam illam gulæ et gulosorum speciem ita perstringit : *Quid prodest oleo non vesci, et molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane,*

[a] Hic rursus valetudo pro invaletudine, ut passim apud Cassianum, et Tertullianum lib. de Baptismo, quod alibi annotavimus.

[b] *Ego*, inquit Apostolus, *didici in quibus sum, sufficiens esse* (*Philipp.* IV, id est novi contentus esse præsentibus, et iis quæ sunt ad manum.

[c] Fornicationis, id est, luxuriæ, cujus plures sunt species, inter quas est fornicatio simplex et proprie dicta (S. *Thom.* 2-2. *q.* 154, *a.* 1) At hic genera fornicationis dicuntur modi quidam communes ac generales, quibus luxuriæ peccatum committitur, ut patet exemplis in textu signatis.

[d] Idem lib. VII cap. 4 et lib. XII cap. 26.

[e] Paulo aliter Gregorius Nissenus *lib.* IV *de Viribus Animæ c.* 13) et Damascenus (*lib.* II *de Fide Orthod. c.* 16), quos sequitur D. Thomas, tres iræ species constituunt. Primam illi vocant ὀργήν et χολήν. D. Thomas iram felleam, seu biliosam, quæ principium habet, citoque transit; secundam vocant μῆνιν, D. Thomas maniam, quam dicit esse iram quæ permanet et in vetustatem devenit : hæc Latine simultas dicitur, Tertiam nominant χόλον, S. Thomas furorem, quam dicit esse iram quæ tempus vindictæ observat (2-2, *q.* 152, *a.* 3).

vatur, quod [a] ἄλυς (*al.* μῆνις) dicitur. Quæ omnia æquali sunt a nobis horrore damnanda. [b] Tristitiæ genera sunt duo : unum, quod vel iracundia desinente, vel de illato damno ac desiderio præpedito cassatoque generatur; aliud, quod de irrationabili mentis anxietate seu desperatione descendit. Acediæ genera sunt duo : unum, quod ad somnum præcipitat æstuantes; aliud, quod cellam deserere ac fugere cohortatur. [c] Cenodoxia licet multiformis ac multiplex sit, et in diversas species dividatur, genera tamen ejus sunt duo : primum, quo pro carnalibus ac manifestis extollimur rebus; secundum, quo pro spiritalibus et occultis desiderio vanæ laudis inflammamur.

CAPUT XII.

In quo sit utilis cenodoxia.

Una [d] re tamen cenodoxia utiliter ab incipientibus assumitur, ab his dumtaxat qui adhuc vitiis carnalibus instigantur, ut, verbi gratia, si illo tempore quo fornicationis spiritu perurgentur, mente conceperint, vel sacerdotalis officii dignitatem, vel opinionem cunctorum, qua sancti et immaculati esse creduntur, et ita immundos concupiscentiæ stimulos quasi turpes atque indignos, vel existimationi suæ, vel illi ordini judicantes, hac saltem contemplatione declinent, [e] minore malo id quod majus est, retundentes. Satius enim est cenodoxiæ vitio quemcumque pulsari, A quam incidere in fornificationis ardorum, unde reparari aut non valeat, aut vix valeat post ruinam. Quem sensum ex persona Dei unus prophetarum eleganter expressit dicens : *Propter me longe faciam furorem meum, et laude mea infrenabo te ne intereas*; id est, ut dum cenodoxiæ laudibus comprehenderis, nequaquam ad inferni profunda proruas, et irrevocabiliter mortalium peccatorum consummatione mergaris. Nec mirum tantam passioni huic inesse virtutem, ut irruentem quempiam in fornicationis labem valeat refrenare, cum sit multorum experimentis sæpissime comprobatum, quod ita eum, quem semel veneni sui peste corruperit, infatigabilem reddat, ut faciat ab eo ne biduana quidem jejunia vel triduana sentiri. Quod etiam nonnullos in hac eremo B frequenter novimus fuisse confessos, se in cœnobiis Syriæ constitutos quinis diebus defectionem cibi sine labore tolerasse, nunc autem tanta se fame etiam ab hora tertia perurgeri, ut usque nonam vix queant differre jejunia quotidiana. Super qua re pulchre abbas [f] Macarius cuidam percunctanti cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur; qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem sæpe contemnens, non sensisset esuriem, respondit : Quia nullus hic est jejunii tui testis qui te suis laudibus nutriat atque sustentet; ibi autem te digitus hominum et cenodoxiæ refectio saginabat. Hujus autem rei figura,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita Cuychius corrigendum existimavit. Ἄλυς enim, C inquit, significat multam et longam mentis anxietatem. Inde ἀλυσθαινω, angor, exanimor, discrucior. Non erit etiam inconveniens, si legamus μανίαν quod videtur habere Plantinianum exemplar, nam μανία significat insaniam illam qua mens tranquillitate et constantia vacua est. Hæc quidem Cuychius. Ciaconius vero Vaticanis usus exemplaribus legit : Quæ μῆνις dicitur. Quæ lectio probabilior et reliquo textui congruentior videtur. Nam μῆνις Damasceno dicitur παρὰ τὸ μένειν, id est, eo quod manet et non ad horam digeritur, sed per dies et tempora reservatur, ut hic habetur. Unde Suidas, μῆνις, inquit, ὀργὴ ἐμμενής, id est, permanens et pertinax. Alii dicunt ὀργὴν πεπαλαιωμένην, hoc est odium, seu iram inveteratam.

[b] Alibi distinctius quatuor species tristitiæ ex diversis causis provenientes enumerat (*lib.* IX *Inst. cap.* 4 *et* 13).

[c] De his latius lib. Institut. cap. 3 et 5. Superbiæ genera sequenti capite distinguit, quod hic omissum D fuerat.

[d] Videtur hoc duobus modis intelligi posse. Primo ut cenodoxia proprie sumatur pro vanæ scilicet gloriæ vitio sive peccato, quomodo potest quis tentationem carnis per cenodoxiam seu vanam gloriam superare, dum ne infamiam incurrat, ut castus, et continens habeatur, abstinet se a flagitio, ad quod alioqui vehementer exstimulabatur. *Sæpe enim*, ut monet S. Gregorius hom. 12 in Ezechielem, *uno tempore a pluribus hostibus oppugnamur; et dum unus a fronte se palam ostentat, alius a tergo clam insidiatur.* Et hoc quidem modo dici potest cenodoxia utiliter ab incipientibus, id est, novitiis, seu imperfectis, assumi, quatenus minus malum est cenodoxiæ quam luxuriæ tentationi succumbere. Verum hoc non est tentationem dejicere, sed a tentatione dejici et prosterni. *Carnalis enim cupiditas*, ait D. Augustinus (*Lib.* IV *ad Bonifacium cont.* 2 *epist. Pelag. c.* 4) *cupiditate alia non sanatur.* Et Apostolus dicit *non esse facienda mala, ut eveniant bona* (*Rom.* III). Alio modo ut cenodoxia improprie hic sumatur, non pro ipso vitio seu peccato, sed pro ejus quadam specie seu apparentia; ut cum quis metu infamiæ et dedecoris aut habita consideratione suæ dignitatis sacerdotalis, aut status religiosi, aut propter peccati turpitudinem et indignitatem, abstinet a fornicatione, quod quidem incipientibus et imperfectis usu venit. Nam perfectiores, si non perfecti, altiores et sublimiores quasdam rationes attendunt, puta Dei opt. max. offensam, divinæ gratiæ et æternorum bonorum jacturam, Dei beneficia, præsertim redemptionis et passionis Christi, amorem Deo debitum, et alia hujusmodi.

[e] Etsi non est magnæ perfectionis indicium, dum quis fornicationis spiritum metu infamiæ propellit, aut mente concipit, vel sacerdotalis officii dignitatem, vel opinionem cunctorum, etc., non est tamen proprie cenodoxiæ vitium, nec ullum peccatum si quis hac ratione a peccato abstineat, ut ex dictis patet. Proinde improprie loquitur, dum ait hoc modo majus malum minore retundi.

[f] Cuinam Macario hoc apophthegma tribuendum sit, adhuc incompertum habeo. Porro simile est quod apud Sophronium legitur in hæc verba (*In prato Spirit. c.* 155) : Duo fratres sæculares erant Constantinopoli, multum religiosi, multumque jejunantes. Unus igitur ex his veniens in Raythu, sæculo abrenuntiavit, et factus est monachus. Post aliquantum vero temporis venit et sæcularis frater ejus in Raythu, ut videret fratrem suum monachum. Cum ergo moraretur apud eum, vidit sæcularis fratrem suum monachum se reficientem hora nona, scandalizatusque dixit illi : Frater, cum esses sæcularis, numquam ante solis occasum sumebas cibum. Tunc ait illi monachus : Profecto, frater, quando eram in sæculo, aures meæ nutriebant me, vana enim hominum gloria et laus non mediocriter me reficiebant, jejuniique laborem leniorem reddebant. Hæc ibi.

qua diximus superveniente cenodoxia vitium fornicationis excludi, pulchre satis in Regum libro ac signanter exprimitur, ubi populum Israelem a Nechao rege Ægypti captivatum ascendens Nabuchodonosor rex Assyriorum de finibus Ægypti ad suam transtulit regionem, scilicet non ut eos libertati pristinæ et genitali restitueret regioni, sed ad suas abduceret terras, longius asportandos quam fuerant in terra Ægypti captivati (IV *Reg.* XXIII *et* XXIV). Quæ figura in hoc quoque competenter aptabitur : licet enim tolerabilius sit cenodoxiæ quam fornicationis vitio deservire, difficilius tamen a cenodoxiæ dominatione disceditur. Quodammodo enim longiore itineris spatio captivus abductus laboriosius ad genitale solum et libertatem patriam revertetur ; meritoque ad eum increpatio illa prophetica dirigitur (*Baruch.* III) : *Quare inveteratus es in terra aliena ?* Recte siquidem inveteratus dicitur in terra aliena quisquis a terrenis vitiis non novatur. [a] Superbiæ genera sunt duo : primum carnale, secundum spiritale, quod etiam perniciosius est. Illos namque specialius impugnat, quos in quibusdam virtutibus profecisse repererit.

CAPUT XIII.

De varia oppugnatione omnium vitiorum.

Hæc igitur octo vitia cum omne hominum genus pulsent, non tamen uno modo impetunt cunctos. In alio namque spiritus fornicationis locum obtinet principalem, in alio superequitat furor, in alio cenodoxia vindicat tyrannidem, in alio arcem superbia tenet. Et cum constet omnes ab omnibus impugnari, diverso tamen modo et ordine singuli laboramus.

CAPUT XIV.

De instituendo adversum vitia certamine secundum ipsorum infestationem.

Quamobrem ita nobis adversus hæc arripienda sunt prælia, ut [b] unusquisque vitium quo maxime infestatur explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac sollicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens, adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula, contra illud cunctis momentis cordis suspiria crebraque gemituum tela contorquens, adversus illud vigiliarum labores ac meditationes sui cordis impendens, indesinenter quoque orationem ad Deum fletus fundens, et impugnationis suæ exstinctionem ab illo specialiter ac jugiter poscens. Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprio victoriam certaminis semet obtinere non posse ; cum tamen ut valeat emundari, necesse sit eum die noctuque in omni cura et sollicitudine permanere. Cumque se ab ea senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione perlustret, et exploret quam sibi inter reliquas perspexerit diriorem, atque adversus eam specialius omnia spiritus arma commoveat, et ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit faciemque victoriam : quia et mens triumphorum processu reddetur fortior, et infirmorum [*Lips. in marg.* infirmiorum] pugna succedens promptiorem ei proventum faciet præliorum ; ut fieri solet ab his qui coram regibus mundi hujus omnigenis congredi bestiis, præmiorum contemplatione, consueverunt, quod spectaculi genus vulgo [c] pancarpum nuncupatur. Hi, inquam, feras quascumque fortiores robore vel feritatis rabie conspexerint diriores adversus eas primæ congressionis certamen arripiunt, quibus exstinctis, reliquas, quæ minus terribiles minusque vehementes sunt, exitu faciliore prosternunt. Ita et vitiis semper robustioribus superatis, atque infirmio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Idem lib. XII, cap. 2 et 24. Vide ibi notationes.

[b] Commendatur hic examen particulare, quo quis studet explorare vitium in quod seu natura, seu prava consuetudine magis propendet et frequentius labitur. De quo S. Chrysostomus homil. 73 ad populum : *Quemque vestrum*, inquit, *rogo, ut si non antea, deinceps saltem quem se plus aliis vexare defectum cognoverit, hunc ex anima præcidere studeat, et pia quadam cogitatione, quasi spiritali utens gladio, seipsum a vitio liberet.* Et homil. 82 in Joannem : *Discamus igitur et vitia nostra recensentes, et tempore corrigamus, et hoc mense unum, alio aliud, et ita consequenter meliores efficiamur. Sic enim tamquam per gradus quosdam ascendentes per scalam Jacob ad cœlum perveniemus.*

[c] Pancarpum notavit Ciaconius fuisse spectaculi genus, in quo homines ad id mercede conducti cum bestiis omnis generis decertabant, ut hoc loco innuitur. Usus olim ea voce Secundinus hæreticus D. Augustinum irridens, qui veteri Instrumento ad litteram fidem haberet : *Forte*, inquit, *post Daretis et Entelli certamen, Jacob et ipsius pammachiam spectare volueras? An numerum Amorrhæorum, an pancarpum in arca Noe conspicere disposueras?* Hæc ille, significans illud quod Genes. VI legimus : *Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, et comportabis apud te, et erunt tam illis quam tibi in cibum.* Hoc vocat ille pancarpon. Cui respondet Augustinus : *Nomine Pancarpi, qui in hudicris muneribus edi solet, propter omnium generum bestias, exagitatis arcam Noe, quæ per omne genus animalium, futuram ex omnibus gentibus figurabat Ecclesiam* (*Lib. advers. Secundinum*, c. 23), etc. Imperator etiam Justinianus novella constitutione 105 sic scribit : * *Magna voluptate populum implebit tam spectatum* (*ut vocant*) *pancarpum, quasi omnium arborum fructibus concinnata silva, quam homines cum feris decertantes, nomenque affectantes audacis, nec non feræ ab eis humi prostratæ*, etc. Hæc ibi. Quod si quis quærat qua ratione venationem illam, in qua homines cum bestiis omnis generis depugnabant, pancarpum (quæ vox omnem fructum significat) appellarint, dicam fortasse id pertranslationem factum. Cum enim lancem, quam omni genere fructuum refertam deorum templis inferebant, ab re pancarpiam dicerent, per translationem coronas etiam ex variis floribus contextas, licet nihil fructus inesset, Festo Pompeio teste, pancarpias vocabant. Inde ergo et venationem quæ omni genere bestiarum constabat pancarpum appellaverunt. Ita Ciaconius paucis omissis. Cuychius paulo aliter, sed eodem fere spectans : Forte, inquit, hinc tracta est appellatio, quod qui victores evaserant, pancarpiis donabantur, hoc est, coronis ex variis et pene omnibus florum generibus compositis. Ex dictis satis intelligitur quid inter pancarpum et pancarpiam sit discriminis. Dicitur etiam eucarpus et eucarpia eodem aut affini significatu (*Tert. lib. advers. Valent. c.* 12).

* Græca citat Ciaconius, sed corruple impressa : ideo Latina substitui.

ribus succedentibus, parabitur nobis absque ullo discrimine perfecta victoria. Nec tamen putandum quod principaliter quis contra unum dimicans vitium, et velut incautus aliorum tela prospiciens, inopinato ictu facilius valeat sauciari, quod nequaquam fiet. Impossibile namque est eum qui pro cordis sui emundatione sollicitus erga impugnationem vitii cujuslibet intentionem suæ mentis armaverit, adversus cætera quoque vitia generalem quemdam horrorem et custodiam similem non habere. Quo enim modo vel de illa, qua absolvi desiderat, passione merebitur obtinere victoriam, qui se indignum purgationis præmio aliorum facit contagio vitiorum? Sed cum principalis cordis nostri intentio velut specialem sibi pugnam adversus unam exceperit passionem, pro ipsa orabit attentius, peculiari sollicitudine ac studio supplicans, ut eam diligentius observare, et per hæc celerem mereatur obtinere victoriam. Hunc namque nos ordinem prœliorum exercere debere, nec tamen de nostra virtute confidere, etiam legislator his docet verbis: *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est. Deus magnus et terribilis, ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris delere eas pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo, et interficiet illos donec penitus deleantur* (*Deuter.* VII).

CAPUT XV.

Nihil nos posse adversum vitia sine auxilio Dei, nec debere nos in eorum extolli victoria.

Sed neque debere nos in eorum extolli victoria, similiter admonet: *Ne postquam comederis*, inquit, *et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis, habuerisque armenta et ovium greges, auri et argenti cunctarumque rerum copium, elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis, et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili* (*Deuter.* VI). Salomon quoque in Proverbiis: [a] *Si ceciderit inimicus tuus, noli gratulari; in supplantatione autem ejus noli extolli, ne videat Dominus et non placeat ei, et avertat iram suam ab eo* (*Prov.* XXIV): id est, ne perspiciens elationem cordis tui. ab ejus impugnatione discedat, et incipias, derelictus ab eo, rursus illa quam per Dei gratiam ante superaveras passione vexari. Non enim orasset Propheta dicens: *Ne tradas, Domine, bestiis animam confitentem tibi* (*Psalm.* LXXV), nisi scisset propter inflationem cordis quosdam, ut humilientur, [b] eisdem rursum vitiis quæ vicerant tradi. Quamobrem certos nos esse convenit, tam ipsis rerum experimentis, quam innumeris Scripturæ testimoniis eruditos, nostris nos viribus, [c] nisi Dei solius auxilio fulciamur, tantos hostes superare non posse, et ad ipsum quotidie summam victoriæ nostræ referre debere. Ita super hoc quoque per Moysen Domino commonente: *Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes* (*Deuter.* IX). Neque enim propter justitias tuas et æquitatem cordis tui tu ingredieris, ut possideas terras earum, sed quia illæ egerunt impietatem, te introeunte deletæ sunt. Rogo quid apertius potuit dici contra perniciosam opinionem præsumptionemque nostram, qua totum quod agimus vel libero arbitrio vel nostræ volumus industriæ deputare? *Ne dicas*, inquit, *in corde tuo, cum deleverit eas Dominus Deus tuus in conspectu tuo; propter justitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc possiderem.* Nonne his qui oculos animæ reseratos et aures habent ad audiendum evidenter expressit? Cum tibi prospere vitiorum carnalium bella successerint, et videris te de ipsorum cœno et conversatione mundi istius liberatum, non tuæ id virtuti nec sapientiæ, proventu pugnæ atque victoriæ inflatus, ascribas, credens te propter labores et studium tuum, et arbitrii libertatem, de spiritalibus nequitiis vel carnalibus vitiis obtinuisse victoriam. Quibus proculdubio in nullo penitus prævalere potuisses, nisi te Domini communisset aut protexisset auxilium.

CAPUT XVI.

De significatione septem gentium quarum Israel accepit terras, et quare alibi septem et alibi multæ gentes esse dicantur.

[d] Hæ sunt septem gentes quarum terras egressis ex Ægypto filiis Israel daturum se Dominus repromittit. Quæ omnia secundum Apostolum cum in figura contigerint illis, ad nostram commonitionem scripta debemus accipere. Ita enim dicitur: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, et deleverit gentes multas coram te, Hethæum et Gergezæum et Amorrhæum et Chananæum et Pherezæum et Evæum et Jebusæum, septem gentes multo majoris numeri quam tu es, et robustiores te, tradideritque eas Dominus tibi, percuties eas usque ad internecionem* (*Deuter.* VII). Quod vero

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata lectio: *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum.*

[b] Gregorius XIX Moral cap. 17: *Qui vitia superant cum de victoria superbiunt, ipso hoste super se ruente intereunt. Eleazar namque in prœlio, elephantem feriens stravit; sed sub ipso, quem exstinxit, occubuit* (I *Machab.* VI). *Quos ergo iste significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant; sed sub ipsis, quæ subjiciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste quem prosternit moritur, qui de culpa quam superat elevatur.*

[c] *Solius*, inquit, *Dei auxilio fulciamur*, et vere; nam etsi liberum arbitrium concurrat (*Dei enim sumus adjutores*, teste Apostolo (I *Cor.* V), non tamen arbitrio nostro fulcimur; sed ipsum, e diverso, Dei auxilio fulciri necessum est. Porro non posse hominem solis naturæ viribus absque Dei auxilio ullam tentationem superare, constans est catholicorum adversus Pelagianos hæreticos sententia, et vetus Ecclesiæ traditio. De qua vide Bellarm. lib. II de Gratia et Libero Arbitrio cap. 7. Eamdem doctrinam multis Scripturæ testimoniis confirmat Cassianus lib. XI Instit. cap. 16 et 17, et collat. 3 cap. 17 et ult.

[d] De his plura inferius ad cap. 22.

multo majoris numeri esse dicuntur, hæc est ratio, quia [a] plura sunt vitia quam virtutes. Et ideo in catalogo quidem dinumerantur septem nationes, in expugnatione vero earum sine numeri ascriptione ponuntur. Ita enim dicitur : *Et deleverit gentes multas coram te.* [b] Numerosior enim est quam Israel, carnalium passionum populus, qui de hoc septenario fomite vitiorum ac radice procedit. Exinde enim pullulant homicidia, contentiones, hæreses, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, comessationes, ebrietates, detractiones, ludicra, turpiloquium, mendacia, perjuria, stultiloquia, scurrilitas, inquietudo, rapacitas, amaritudo, clamor, indignatio, contemptu, murmuratio, tentatio, desperatio, multaque alia quæ commemorare perlongum est. Quæ cum a nobis levia judicentur, quid de illis Apostolus senserit, vel quam super his sententiam tulerit, audiamus : *Neque murmuraveritis,* inquit, *sicut quidam illorum murmuraverunt, et ab exterminatore perierunt* (I *Cor.* x). Et de tentatione : *Neque tentemus Christum, sicut quidam illorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt* (*Ibidem*). De detractione : *Noli diligere detrahere, ne eradiceris* (*Eccles.* XVIII). Et de desperatione : *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis erroris, in immunditiam* (*Ephes.* IV). Quod vero clamor, sicut ira et indignatio et blasphemia condemnetur, ejusdem Apostoli vocibus manifestissime perdocemur ita præcipientis : *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia* (*Ephes.* IV); aliaque complura his similia. Quæ cum sint multo majoris numeri quam virtutes, devictis tamen illis octo principalibus vitiis, ex quorum natura eas certum est emanare, omnes protinus conquiescunt, ac perpetua pariter cum his internecione delentur. [c] De gastrimargia namque nascuntur comessationes, ebrietates; de fornicatione, turpiloquia, scurrilitas, ludicra, ac stultiloquia; de philargyria, mendacium, fraudatio, furta, perjuria, turpis lucri appetitus, falsa testimonia, violentia, inhumanitas ac rapacitas; de ira, homicidium, clamor et indignatio; de tristitia, rancor, pusillanimitas, amaritudo, desperatio; de acedia, otiositas, somnolentia, importunitas, inquietudo, pervagatio, instabilitas mentis et corporis, verbositas, curiositas; de cenodoxia, contentiones, hæreses, jactantia, ac præsumptio novitatum; de superbia, contemptus, invidia, inobedientia, blasphemia, murmuratio, detractio. Quod autem hæ pestes etiam robustiores sint, manifeste naturæ ipsius impugnatione sentimus. Fortior enim militat in membris nostris oblectatio carnalium passionum vel vitiorum, quam studia virtutum, quæ non nisi summa contritione cordis et corporis acquiruntur. Si autem et illas innumerabiles hostium catervas spiritalibus oculis contempleris, quas beatus Apostolus enumerat dicens : [d] *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI); et illud quod de viro justo, in nonagesimo dicitur psalmo : [e] *Cadent a latere tuo mille, et decem millia dextris tuis;* liquido pervidebis, quod multo majoris sint numeri, et va-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] In promptu causa est, quia bonum constat ex perfecta causa; malum autem ex singulis defectibus, ut apud philosophos tritum. Et uni virtuti plura vitia opponuntur; quin et ipsa vitia sibi invicem contrariantur. Vide August. epist. 29.

[b] D. Gregorius lib. XXXI Moral. cap. 31 hanc vitiorum et vitiosarum passionum numerositatem et multitudinem sub ducum et exercitus nomine ac similitudine expendendam reliquit : *Tentantia,* inquit, *vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbiæ militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant : sed dum majores et paucæ mentem neglectam præveniunt, minores et innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia, cum devictum plane cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur, quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur.* Hæc Gregorius. Deinde ostendit septem duces septem esse vitia capitalia, quorum singula suum habent exercitum; quod mox subjiciemus.

[c] Gregorius ibidem fere easdem vitiorum species ac soboles, sed inverso ordine, et multo plures enumerat, et videtur plane hunc locum imitatus : *Nam de inani,* inquit, *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam indurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri, generantur. Quia ergo septem capitalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequentis exercitus catervas trahunt.* Hactenus D. Gregorius.

[d] Quidam subaudiunt particulam *tantum,* aut *solummodo,* ut sit sensus : Non est nobis pugnandum adversus carnem et sanguinem tantum, verum etiam et præcipue, adversus dæmones, etc. Alii nihil subaudiunt, et ita interpretantur : Pugna quæ nobis est cum carne et sanguine, licet in se considerata gravis sit et molesta, tamen collata cum ea qua contra dæmones dimicamus, exigua est et fere nulla : tantæ sunt vires et fraudes dæmonum. Alii sic exponunt, ut sit sermo de perfectioribus, quibus, domita carne et affectibus iræ et concupiscentiæ superatis, magna superest lucta adversus principes tenebrarum, etc. Caro enim et sanguis hostes imbecilliores sunt; dæmones autem tanto gravius et infestius nos oppugnant, quanto sanctiores et castitatis observantiores sumus. Denique alii per carnem et sanguinem intelligunt homines mortales. Quomodo Christus ait Petro : *Caro et sanguis non revelavit tibi,* id est, nullus hominum (*Math.* XVI).

[e] Id etiam de hostibus spiritualibus interpretantur D. Hieronymus et Bernardus.

lidiores quam nos, carnales scilicet atque terreni, quippe cum illis spiritalis, atque aeria concessa substantia sit (*Vide collat.* 7 *et* 12).

CAPUT XVII.

Interrogatio de comparatione septem gentium et octo vitiorum.

Germanus : Quomodo igitur octo sunt vitia quæ nos impugnant, cum per Moysen septem dinumeratæ sint gentes quæ adversantur populo Israel, vel quemadmodum terras vitiorum commodum nobis est possidere?

CAPUT XVIII.

Responsio quomodo secundum octo vitia octo gentium numerus impleatur.

Serapion : Octo esse principalia vitia quæ impugnant monachum, cunctorum absoluta sententia est. Quæ figuraliter sub gentium vocabulo nominata, idcirco nunc omnia non ponuntur, eo quod egressis jam de Ægypto et liberatis ab una gente validissima, id est, Ægyptiorum, Moyses, vel per ipsum Dominus, in Deuteronomio loquebatur (*Deuter.* VII). Quæ figura in nobis quoque rectissime stare deprehenditur, qui de sæculi laqueis expediti, gastrimargiæ, id est, ventris vel gulæ vitio caruisse cognoscimur. Et habemus jam contra has residuas septem gentes simili ratione conflictum, prima scilicet quæ jam divicta est minime computata; cujus etiam terra in possessionem Israeli non datur, sed ut deserat eam perpetuo, et egrediatur ab ea, Domini præceptione sancitur. Et idcirco ita sunt moderanda jejunia, ut non necesse sit per immoderationem continentiæ, quæ defectione carnis vel infirmitate contracta est, reverti rursus ad Ægyptiorum terram, id est, pristinam gulæ et carnis concupiscentiam, quam, cum mundo huic abrenuntiaremus, abjecimus. Quod figuraliter illi perpessi sunt qui egressi in solitudinem virtutum, [a] rursus desideraverunt ollas carnium super quas sedebant in Ægypto (*Num.* XI).

CAPUT XIX.

Cur unica Ægypti gens deseri, septem vero jubentur exstingui.

Quod autum illa gens in qua nati sunt filii Israel. non penitus exstingui, sed tantummodo deseri ejus terra præcipitur, hæ vero septem usque ad internecionem jubentur exstingui, hæc ratio est : quod quantolibet ardore spiritus succensi eremum virtutum fuerimus ingressi, vicinitate ac magisterio gastrimargiæ, et quodammodo quotidiano ejus commercio nequaquam carere poterimus. Semper enim in nobis edulii et escarum ut ingenitus ac naturalis vivet (*Lips. in marg.* viget) affectus, licet amputare superfluos ejus appetitus ac desideria festinemus : quæ sicut per omnia deleri non possunt, ita debent quadam declinatione vitari. De hac enim dicitur : *Et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII) Dum hujus ergo curæ quam præcipimur non per omnia abscindere, sed absque desideriis exhibere, retinemus affectum, evidenter Ægyptiam nationem non exstinguimus, sed ab ipsa quadam discretione separamur, non de superfluis seu lautioribus epulis cogitantes, sed, secundum Apostolum, victu quotidiano indumentoque contenti (I *Tim.* VI). Quod ita figuraliter tiam in lege mandatur : *Non abominaberis Ægyptium, quia fuisti incola in terra ejus* (*Deuter.* XXIII). Necessarius enim victus corpori, non sine vel *ipsius* pernicie vel animæ scelere denegatur. Illarum vero septem perturbationum, velut omnimodis noxiarum, de recessibus animæ nostræ penitus exterminandi sunt motus. De his enim ita dicitur : *Omnis amaritudo, ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia* (*Ephes.* IV). Et iterum : *Fornicatio autem et omnis immunditia et avaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas* (*Ephes.* V) Possumus ergo horum quæ naturæ superinducta sunt radices abscindere vitiorum, [c] usum vero gastrimargiæ nequaquam valebimus amputare. Non enim possumus, quantumlibet profecerimus, id non esse quod nascimur. Quod ita esse tam nostra, qui sumus exigui, quam omnium perfectorum vita et conversatione, monstratur; qui cum reliquarum passionum reciderint stimulos, atque eremum toto mentis fervore et corporis expetant nuditate, nihilominus quotidiani victus providentia et annui panis præparatione nequeunt liberari.

CAPUT XX.

De natura gastrimargiæ, ad similitudinem aquilæ comparatæ (Al. *comparandæ*).

[d] Hujus passionis figura, qua necesse est quamvis spiritalem summumque monachum coarctari, proprie satis aquilæ similitudine designatur. Quæ cum excelsissimo volatu ultra nubium fuerit altitudinem sublimata, seseque ab oculis cunctorum mortalium ac a facie terræ totius absconderit, rursus ad vallium ima submitti, et ad terrena descendere, ac morticinis cadaveribus implicari, ventris necessitate compellitur. Quibus manifestissime comprobatur indiciis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Hieronymus lib. II adversus Jovinianum cap. 10 : *Ejectus*, inquit, *de Ægypto populus Israel, et in terram repromissionis lacte et melle manantem introducendus, Ægyptias carnes, et pepones, aliaque desiderat* (*Exod.* XVI; *Num.* XI). *Utinam*, *inquit*), *obiissemus percussi a Deo in terra Ægypti, quando super ollas carnium sedebamus. Et iterum. Quis nos pascet carnibus? Veniunt in mentem nobis pisces, quos in Ægypto comedebamus gratis, et cucumeres, et pepones, et porri, et cepe, et allia : et nunc anima nostra arida; nihil nisi manna oculi nostri conspiciunt. Angelorum cibum contemnentes, carnes Ægyptias suspirabant.*

[d] Vide Cassianum lib. V Institut. cap. 8, et sententiam D. Gregorii ibi recitatam.

[c] Gastrimargiam hoc loco improprie, immo abusive, sumit etiam pro necessaria corporis alimonia et cura, ut supra cenodoxiam pro cujuscumque gloriæ humanæ, etiam licito et rationabili appetitu.

[d] Dionysius sic simplicius : *Figura gulæ*, etc. De aquilæ natura, volatu altissimo et voracitate, de qua hic, vide Plinium lib. X *cap.* 3.

[a] gastrimargiæ spiritum nequaquam posse, ut cætera vitia, resecari, vel per omnia similiter exstingui, sed aculeos ejus ac superfluos appetitus virtute animi retundi tantum atque cohiberi.

CAPUT XXI.

De perseverantia gastrimargiæ adversus philosophos disputata.

Nam hujus vitii naturam [b] quidam senum cum philosophis disputans, qui eum pro simplicitate Christiana velut rusticum crederent fatigandum, sub hoc problematis figurans colore eleganter expressit: Multis, inquit, creditoribus pater meus me dereliquit obnoxium; cæteris ad integrum solvens, ab omni conventionis eorum molestia liberatus sum, uni satisfacere quotidie solvendo non possum. Cumque illi ignorantes vim propositæ quæstionis, absolutionem ejus precario postularent: Multis, ait, vitiis fui naturali conditione constrictus; sed inspirante Domino desiderium libertatis, cunctis illis tamquam molestissimis creditoribus, renuntians huic mundo, et omnem substantiam quæ mihi successione patris obvenerat, a me pariter abjiciens, satisfeci, atque ab eis sum omnimodis absolutus; gastrimargiæ vero stimulis nullo modo carere prævalui. Nec enim quamvis eam in parvum modum vilissimamque redegerim quantitatem, vim quotidianæ compulsionis evado, sed necesse est me perpetuis ejus conventionibus perurgeri, et interminabilem quamdam solutionem jugi functione dependere, atque [c] inexplebile indictionibus ejus inferre vectigal. Tum illi hunc quem velut idiotam ac rusticum ante despexerant, pronuntiaverunt primas philosophiæ partes, id est, ethicam disciplinam apprime comprehendisse; mirati admodum potuisse eum naturaliter assequi, quod nulla ei sæcularis eruditio contulisset, cum ipsi sudore multo longaque doctrina ita hæc attingere nequivissent. Hæc specialiter de gastrimargia dixisse sufficiat. Nunc revertamur ad disputationem quam de generali vitiorum cognitione [*Lips. in marg.* cognatione] cœperamus exponere.

CAPUT XXII.

Cur Abrahæ prædixerit Deus decem gentes expugnandas a populo Israel.

Cum ad Abraham Dominus de futuris loqueretur, quod vos minime requisistis, non [d] septem gentes

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De gastrimargiæ, sive gulæ vitio, ejusque importunitate et violentia præ cæteris vitiis, consentanee scribit D. Gregorius in 1 Reg. cap. XI: *De serpente*, inquit, *in Genesi dicitur quia callidior erat cunctis animantibus. Cujus profecto serpentis similitudo si in vitiis quæritur, quid similius quam violentum gastrimargiæ, id est, gulæ, motum invenimus? Luxuriæ quidem motus, furti crimen, turpis lucri appetitus, iræ impetus, amaritudo sæcularis tristitiæ, desidia acediæ, appetitus vanæ gloriæ, tumor superbiæ aperte detestabilis est; gulæ vero vitium tanto est fraudulentius quanto et occultius: quia et quasi necessarium suggerit cibum corpori; sed dum abundanter carnem reficit, luxuriæ gladium in mentem mergit. Suadet quod peccatum non est; sed unde comestio quasi non peccatum recipitur, inde peccato luxuriæ anima subjugatur: unde et in paradiso ad mulierem gulæ vitio decipiendam serpens venisse ostenditur, qui aliud suggereret, aliud obtineret: ut dum comedenda ostenderet, improvisam mortem propinaret. Serpens ergo iste gulæ designat aviditatem, quia et respectu justæ necessitatis repit, et virus impiæ delectationis spargit.* Hæc ibi Gregorius. Et lib. XXX Moral. cap. 28: *Sciendum est quia sic voluptas* (gulæ) *sub necessitate se palliat, ut vix enim perfectus quisquis discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit; et tanto gula securius in præceps ruit, quanto sub honesto nomine necessita explendæ se contegit.*

[b] Similem historiam Serapionis Sindonitæ, aut certe eamdem, sed paulo aliter narrat Palladius Lausiaca 83, his verbis: *Is*, inquit (Serapion), *frequentibus peregrinationibus pervenit in Græciam, et cum tribus diebus moratus esset Athenis, non fuit qui ei panem præberet. Cum autem venisset quartus dies, valde esurivit. Res est enim gravis fames involuntaria, quæ adjutricem habet incredulitatem: et stans super tumulum civitatis, in quo congregabantur qui erant viles et abjecti in civitate, cæpit vehementer et cum planctu lamentari, et clamare: Viri Athenienses, ferte opem. Ad quem accurrentes omnes qui pallium gestabant et pileum, dicunt ei: Quid habes? undenam es, et quid pateris? Is vero dicit ipsis: Genere quidem sum Ægyptius; ex quo autem absum a vera mea patria, incidi in tres feneratores. Et duo quidem a me recesserunt, exsoluto eis debito, cum non haberent de quo me accerserent; unus autem a me non discedit. Illi ergo studiose quærentes de feneratoribus, ut eis satisfaceret, ipsum rogabant, ubi sunt? Quis est qui tibi exhibet molestiam? Ostende nobis eum, ut tibi feramus auxilium. Tunc eis dicit: Molestiam mihi exhibuit avaritia, et gula, et fornicatio. Neque enim aurum habeo, neque aliquid aliud possideo; non etiam fruor deliciis quæ sunt nutrices hujus morbi. Quocirca nihil mihi exhibent amplius molestiæ. A gula autem non possum recedere. Jam enim quatuor diebus nihil comedi, et mihi pergit venter molestiam exhibere, quærens consuetum debitum, sine quo non possum vivere. Tunc quidam philosophi suspicati eum este mendicum, dant ei nummum. Quem acceptum posuit in officina panaria, et, accepto pane, recessit. Tunc cognoverunt philosophi eum vere fuisse virtute præditum, et cum pistori dedissent pretium panis, acceperunt nummum.* Hæc ibi.

[c] Id est, quotidianum solvere debitum, seu debitam impendere alimoniam. Fuit enim indictio, ait Ciaconius, pensitationis aut tributi genus, quod patrimoniis aut personis indicebatur, ut scribit Asconius Pædianus, et Paulus in l. *Quæro*. De Usufr. legat. At hic pro exactione generatim potius videtur. Agitur enim hic de ventris importunitate, qua quotidianum cibum exigit, quasi perpetuum et inexplebile vectigal sibi debitum. Hinc divus Gregorius (*lib.* XXX *Moral. c.* 26) ad illa verba Job XXXIX, cap. *Clamorem exactoris non audit: Nonnulli*, inquit, *hoc loco per exactorem intelligi ventrem volunt. Ipse namque a nobis quoddam debitum exigit, quia quotidianum fructum sibi humani laboris impendi etiam per naturam quærit. Abstinentes igitur viri* (*qui hoc loco onagri vocabulo figurantur*) *dum violenta gulæ desideria reprimunt, quasi clamantis exactoris verba contemnunt.*

[d] Nempe Cinæos, Cenezæos, Cethumæos, Hethæos, Pheresæos, Raphaim, Amorrhæos, Chananæos, Gergesæos et Jebusæos. Ex his decem gentibus et populis, quorum terras promisit Deus se daturum semini Abrahæ, nonnisi septem memorantur et promittuntur Judæis Exodi III et Deuter. VII. Tres enim reliquæ aliis cesserunt in hæreditatem. Nam una fuit portio Esau, qui fuit nepos Abrahæ, a quo Idumæi; et duæ reliquæ portiones filiorum Amon et Moab, qui fuere filii Loth nepotis Abrahæ, quibus etiam in gratiam Abrahæ duas illas gentes tradidit Deus sibi

legitur dinumerasse, sed decem, quarum terra semini ejus danda promittitur (*Genes.* XV).[a] Qui numerus adjecta idololatria atque blasphemia evidenter impletur, quibus ante notitiam Dei et gratiam baptismi vel impia gentilium, vel blasphema Judæorum multitudo subjecta est, donec in intellectuali Ægypto commoratur. Si autem abrenuntians quis et egressus exinde per Dei gratiam, devicta pariter gastrimargia,[b] ad eremum pervenerit spiritalem, de impugnatione trium gentium liberatus, contra septem tantum, quæ per Moysen dinumerantur, bella suscipiet.

CAPUT XXIII.

Quomodo utile nobis sit vitiorum terras possidere.

Quod vero istarum perniciosarum gentium regiones salubriter possidere præcipimur, ita intelligitur: Habet unumquodque vitium in corde nostro propriam stationem, quam sibi vindicans in animæ nostræ recessu exterminat Israelem, id est, contemplationem rerum summarum atque sanctarum, eisque semper adversari non desinit. Non enim possunt virtutes cum vitiis pariter commorari: *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras* (II *Cor.* VI)? Sed cum ab Israelis populo, id est, virtutibus contra se dimicantibus fuerint vitia superata, locum quem sibi in corde nostro concupiscentiæ vel fornicationis spiritus retinebat, deinceps castitas obtinebit; quem furor ceperat, patientia vindicabit; quem tristitia mortem operans occupaverat, salutaris et plena gaudio tristitia possidebit; quem superbia conculcabat, humilitas honestabit: et ita singulis vitiis expulsis, eorum loca, id est, affectus, virtutes contrariæ possidebunt.[c] Quæ filii Israel, id est, animæ videntes Deum, non immerito nuncupantur; qui cum universas cordis expulerint passiones, non tam alienas possessiones pervasisse quam proprias recuperasse credendi sunt.

CAPUT XXIV.

Quod terræ de quibus expulsi sunt populi Chananæorum, semini Sem fuerint deputatæ.

Etenim quantum docet vetus[d] traditio, has easdem terras Chananæorum, in quas introducuntur filii Israel, filii Sem fuerant quondam in orbis divisione sortiti, quas deinceps per vim atque potentiam posteritas Cham pervasionis iniquitate possedit. In quo et Dei judicium rectissimum comprobatur, qui et illos de locis alienis, quæ male occupaverant, expulit, et istis antiquam patrum possessionem, quæ prosapiæ eorum in divisione orbis fuerat deputata, restituit. Quæ figura in nobis quoque stare certissima ratione cognoscitur. Nam voluntas Domini possessionem cordis nostri, non vitiis, sed virtutibus, naturaliter deputavit. Quæ post prævaricationem Adæ insolescentibus vitiis, id est, populis Chananæis, a propria regione depulsæ, cum ei rursus per Dei gratiam diligentia nostra ac labore fuerint restitutæ, non tam alienas occupasse terras quam proprias credendæ sunt recepisse.

CAPUT XXV.

Testimonia diversa super significatione octo vitiorum.

De his octo vitiis et in Evangelio ita significatur: *Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit. Tunc dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et inveniens invenit vacantem, scopis mundatam et orna-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

subjiciendas, et terras earum possidendas (*Abulensis in cap.* VII *Deut. q.* 1). Unde etiam Exodi II prohibiti sunt filii Israel pugnare adversus Idumæos, Ammonitas et Moabitas.

[a] Huic loco subobscuro lucem attulit Dionysius hac sua paraphrasi: *Qui denarius numerus* (scilicet vitiorum, per decem illas gentes moraliter designatus) *evidenter impletur, cum idololatria blasphemiaque adduntur* (nempe octo vitiis principalibus sive capitalibus, de quibus in hac collat. agitur). *Quibus duobus peccatis subjecta fuit impia gentilium multitudo, et blasphema Judæorum caterva, in spiritali Ægypto, id est, in hoc sæculo nequam, conversans, ante notitiam Dei gratiamque baptismi.* Ita Dionysius, ubi intellectualem, sive spiritualem Ægyptum interpretatur præsens sæculum nequam; at videtur potius gastrimargiæ seu gulæ vitium ex præcedenti gentium tropologia intelligendum.

[b] Id est, ad virtutum studium, vel spiritualem animæ statum et quietem, victor scilicet gulæ effectus, evaserit, quæ per Ægyptiam gentem designatur.

[c] Hanc nominis Israelis interpretationem ab antiquis acceptam et vulgatam refert, non tamen eam omnino approbat D. Hieronymus in Quæst. Hebraic., ubi inter alia hæc habet: *Illud autem quod in libro Nominum interpretatur Israel vir videns Deum, sive mens videns Deum, omnium pene sermone detritum, non tam vere quam violenter mihi interpretatum videtur*, etc. (*Vide notationem ad l.* VII *de Incar. cap.* 9).

[d] Hujus traditionis meminit D. Clemens lib. I Recognit., ubi docet Deum filiis Israel restituisse terram Chanaam a majoribus jure hæreditario sibi relictam, et jure postliminii recuperandam ac possidendam; unde et patrium solum et paternam eorum hæreditatem nuncupat. Cui subscribens S. Epiphanius, in Panar: hæresi 66, hæc tradit: *Noe servatus a diluvio, ejusque conjux cum tribus filiis, totidemque filiabus, solus dividens totum mundum tribus filiis suis Sem, et Cham, et Japhet, divisit jacta sorte in Rhinocoruris. Rhinocoruram* [L. *Rhinocoluram*] *enim interpretari queas Neel, et sic indigenæ ipsam vocant. Ex Hebraica vero lingua significat sortes, quandoquidem Noe illic misit sortes tribus filiis suis.* Et infra: *Ipsi vero Sem cecidit sors in amplitudinem, Palæstina, Phœnice, et Cava Syria*, etc.: ac paulo post: *Quando igitur sic divisæ sunt sortes, Noe, convocatis tribus filiis, decrevit jurejurando ut nemo sortem fratris sui invaderet, et fratrem suum circumveniret. At Chanaan filius Cham, cum avarus esset, invasit Palæstinam terram, et occupavit ipsam, et appellata est terra Chanaan, eo quod in ipsa habitavit, propria sua sorte relicta, eo quod nimio calore referta esse videbatur, et sedens in terra ipsius Sem, quæ nunc Judæa appellatur, genuit hos filios, Amorrhæum, Gergesæum, Merezæum, Jebusæum, Evæum, Arucæum, Cethræum, Asevæum, Samaræum, Sidonium, et Philisiæum.* Ac demum subdit: *In temporibus Naasson tribuni Juda, et in temporibus Jesu Nave, acceperunt filii Sem propriam terram, nulla injuria intercedente, sed justo judicio.* Hactenus Epiphanius, significans filios Sem, hoc est, Israelitas sive Judæos, ex Egypto vocatos, justo bello et legitimo jure terram suam avitam et patriam, nempe Judæam (quæ et Palæstina continetur), sibi in sortem assignatam, recuperasse, atque inde Chananæos expulisse aut subjugasse.

tam. Tunc vadit et assumit alios septem nequiores se spiritus ; et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus (*Luc.* XI.) Ecce ut ibi septem gentes legimus, excepta Ægyptiorum, de qua egressi fuerant filii Israel, ita et hic septem reverti spiritus dicuntur immundi, excepto eo qui ab homine prius narratur egressus. De hoc septenario fomite vitiorum Salomon quoque in Proverbiis ita describit : [a] *Si te rogaverit inimicus tuus voce magna, ne consenseris ei, septem enim nequitiæ sunt in anima ejus* (*Prov.* XXVI) ; id est, si superatus gastrimargiæ spiritus cœperit tibi sua humiliatione blandiri, rogans quodammodo ut aliquid relaxans a cœpto fervore impertias ei, quòd continentiæ modum et mensuram justæ districtionis excedat, ne resolvaris ejus subjectione, nec arridente impugnationis securitate, qua videris paulisper a carnalibus incentivis factus quietior, ad pristinam remissionem vel præteritas gulæ concupiscentias revertaris. Per hoc enim dicit spiritus ille quem viceras : *Revertar in domum meam unde exivi* (*Luc.* XI). Et procedentes ex eo confestim septem spiritus vitiorum, erunt tibi acriores quam illa passio quæ in primordiis fuerat superata, qui te mox ad deteriora pertrahent genera peccatorum.

CAPUT XXVI.

Quod, devicta passione gulæ, impendendus sit labor ad virtutes cæteras obtinendas.

Quapropter jejuniis et continentiæ incumbentibus nobis, festinandum est ut, gulæ passione superata protinus, animam nostram vacuam esse a necessariis virtutibus non sinamus, sed eis universos recessus cordis nostri studiosius occupemus; ne reversus concupiscentiæ spiritus inanes nos ab ipsis vacantesque reperiat, et non sibi jam soli aditum parare contentus, introducat secum in animam nostram [b] septenarium hunc fomitem vitiorum, et faciat nostra novissima pejora prioribus. Turpior enim erit post hæc et immundior anima, ac supplicio graviore plectetur, quæ se renuntiasse huic sæculo gloriatur, dominantibus sibi octo vitiis, quam fuerat quondam in sæculo constituta, [c] cum nec disciplinam monachi fuisset professa, nec nomen. Nam nequiores hi septem spiritus illo priore qui egressus fuerat idcirco dicuntur, quia desiderium gulæ, id est, gastrimargia per sese non esset noxia, nisi intromitteret graviores alias passiones, id est, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, sive superbiæ, quæ per semet noxia animæ ac peremptoria esse non dubium est. Et idcirco perfectionis puritatem numquam poterit obtinere, quisquis eam de hac sola continentia, id est, jejunio corporali, speraverit acquirendam, nisi noverit ob id se hanc exercere [*Lips. in marg.* exhibere] debere, ut humiliata carne jejuniis, facilius possit adversus alia vitia inire certamen, non insolescente carne saturitatis ingluvie.

CAPUT XXVII.

Quod non idem ordo prœliorum sit, qui vitiorum.

Sciendum tamen non eumdem esse in omnibus ordinem prœliorum, quia, sicut diximus, [d] non uno modo impugnamur omnes, et oportet unumquemque nostrum secundum qualitatem belli quo principaliter infestatur, concertationum luctamen arripere, ita ut alium necesse sit adversus vitium quod tertium ponitur, primum exercere conflictum; alium contra quartum seu quintum, et ita prout ipsa vitia in nobis obtinent principatum : utque impugnationis exigit modus, nos quoque oportet ordinem instituere prœliorum, secundum quem proventus quoque victoriæ triumphique succedens faciet nos ad puritatem cordis et perfectionis plenitudinem pervenire. Huc usque abbas Serapion de natura octo principalium vitiorum nobis disserens, latentium in corde nostro passionum genera, quarum causas atque affinitates, cum ab ipsis quotidie vastaremur, nec cognoscere penitus antea nec discernere poteramus, ita lucide reseravit, ut eas quodammodo ante oculos positas intueri nobis, velut in speculo, videremur.

[a] Textus Vulgatæ editionis : *Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius :*

[b] Id est, septem vitia capitalia, ex quibus cætera nascuntur et nutriuntur. Alludit Auctor illi parabolæ quæ apud Matthæum et Lucam sic incipit (*Matth.* XII ; *Luc.* XI) : *Cum immundus spiritus exierit ab homine*, etc., ubi et subditur : *Tunc vadit et assumit septem alios spiritus nequiores se ; et intrantes habitant ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Quibus verbis nihil aliud significatur quam eos qui optimi sunt, sive religiosi, sive sæculares, si quando, contempta divina gratia, mali fiant, pessimos fieri solere; quasi pro uno spiritu immundo, qui priusquam boni fierent, in illis erat, septem in illos ingrediantur. Experimur hoc quotidie, nulli pejores sunt hæretici quam qui, cum boni aliquando catholici fuissent, divinam aspernati gratiam et catholicæ fidei simplicitatem, quasi cibum levissimum fastidientes, ut juxta ollas carnium sederent, hæretici ; facti sunt, id est, in Ægyptum, unde per fidem exierant, perdita fide, redierunt. Nulli pejores catholici, quam qui, cum aliquando religiosissimi fuissent, non bene tenuerunt quod habebant, ut verissime dixerit Augustinus (*Epist.* 137) se non vidisse meliores quam qui in monasteriis profecerunt, neque pejores quam qui a monasteriis defecerunt. *Conversi sunt*, inquit David psalm. LXXVII, *in arcum pravum*, id est, in modum arcus duri, et manui non obedientis, qui si forte retendatur, aut vi et impetu suo rumpitur, aut in pejorem formam quam in qua, antequam tenderetur, erat, certo convertitur. Hæc doctissimus Maldonatus, quæ cum doctrina hujus capitis optime conveniunt, eamque confirmant; atque in eum finem a me allata, nemo, spero, fastidiet.

[c] En professionis monasticæ antiquus usus, cujus alibi sæpius mentionem fecimus (*Lib.* IV *Instit. cap.* 33) : ut intelligas non solum obedientiæ et disciplinæ monasticæ usum apud veteres monachos fuisse : sed et votum, quod per professionem intelligitur.

[d] Repetit et inculcat saluberrimum illud documentum, quo superius monuit (*Cap.* 14) unicuique examinandum et explorandum vitium cui vel a natura vel prava consuetudine maxime sit obnoxius, et in eo expugnando et corrigendo præcipue laborandum : *Ut unusquisque*, inquit, *vitium, quo maxime infestatur, explorans, adversus illud arripiat principale certamen*, etc.

COLLATIO SEXTA,

Quæ est Theodori abbatis.

DE NECE SANCTORUM.

CAPUT PRIMUM.

In Palæstinæ partibus juxta Thecue [a] vicum qui [b] Amos prophetam meruit procreare (*Amos* 1), [c] soli- A tudo vastissima est usque ad [d] Arabiam ac mare Mortuum, quo ingressa [e] deficiunt fluenta [f] Jordanis, et [g] cineres Sodomorum amplissima extensione

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Oppidum vocat D. Hieronymus, quod in tribu Zabulonica collocat Epiphanius (*Lib. de prophet. Vita* et *Interitu*). Hieronymus vero præfatione in Amos prophetam sic scribit: *Thecue sex millibus ad meridianam plagam abest a sancta Bethleem, quæ mundi genuit Salvatorem, et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ, et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitudo, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum, atque Indorum, terminos dilatatur. Et quia* humi arido, atque areoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compenset pecorum multitudo. Ex hoc numero pastorum et Amos propheta fuit, imperitus sermone, sed non scientia*, etc.

[b] De quo D. Hieronymus; *Amos propheta, qui sequitur Joelem, et est tertius duodecim prophetarum, non est ipse quem patrem Isaiæ prophetæ legimus. Ille enim per aleph scribitur*, etc. De eodem Epiphanius lib. de prophet. Vita et Interit., Augustinus de Civit. lib. XVIII cap. 27, Isidorus de Vita et Morte sanct. cap. 43, et Dorotheus in Synopsi, cap. 2 (*Vide Baron. in Martyrol.* 31 *Martii*).

[c] Per errorem positum esse mare Mortuum pro mari Rubro redarguit Ciaconius, idque colligit ex verbis D. Hieronymi modo citatis, quibus ait hanc eremi vastitudinem usque ad mare Rubrum, Persarumque, et Æthiopum atque Indorum terminos dilatari. Nam mare Mortuum a Bethleem non ita multum aberat: unde suspicatur Ciaconius quædam hic falso adjecta, et hoc modo legendum esse hunc locum: *Solitudo vastissima est, usque Arabiam, et mare Rubrum, amplissima extensione porrecta.* Verum ex adverso multa sunt quæ Ciaconii conjecturam, opinionemve infirmant, et improbabilem reddunt. Primum quod omnia exemplaria tam excusa quam mss. (quæ mihi quidem videre licuit) constanter legant: *mare Mortuum*, non *mare Rubrum*; et quamvis in aliis discrepent, in hoc tamen conveniunt. Secundo quod hic expresse addatur *quo ingressa deficiunt fluenta Jordanis*. Quod nullo modo convenire potest mari Rubro, a quo Jordanis omni ex parte longissime abest, ut vel sola inspectione tabulæ geographicæ perspicuum est; proinde nulla ratione dici possit Jordanis in illud ingredi, vel in eo deficere, ut hic habetur. Denique quod ab una parte Cassianus innuat stare mare Mortuum, et ab altera Arabiam, nempe Petræam, quæ pertinet ac pertingit usque ad mare Rubrum, efficitque desertum illud in quo antiqui Israelitæ 40 annis peregrinati sunt. Unde patet non repugnare his verba D. Hieronymi superius allegata. Nam eadem solitudo vastissima, quæ secundum Cassianum mari Mortuo proxima est, ex altera parte, puta versus meridiem, usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum, at que Indo- D rum terminos dilatatur, ut habet D. Hieronymus, qui etiam ejusdem solitudinis meminit in epistola 129, et de mari Mortuo hæc habet in traditionibus Hebraicis: *Vallis Salinarum, sicut in hoc eodem loco scribitur, in qua fuerunt ante putei bituminis, post Dei iram, et sulphuris pluviam, in mare Mortuum versa est, quod a Græcis* λίμνη ἀσφαλτίτης, *id est, stagnum bituminis appellatur* (*Trad. Heb. in Genes. Genes.* XIV). Justinus historicus libro XXX de Judæa agens: *In ea*, inquit, *regione lacus latus est qui propter immobilitatem Mortuum mare dicitur. Hic Asphaltites lacus Josepho, Plinio* (*Lib.* IV *cap.* 13, *et l.* V *cap.* 10), *Solino*. Hæc ille. Alii mare Mortuum dictum putant, quod tam salsæ et amaræ sint aquæ, ut nullum animatorum inibi vivere queat; unde et mare Salsum, et mare Salis etiam dictum est.

[d] Arabia regio Asiæ majoris inter Judæam et Ægyptum, Cassio monte nobilis, quem Sinam esse affirmant, in quo Moses legem accepit (*Plin. lib.* V *cap.* 11, *et lib.* VI *c.* 28). Distinguitur autem triplex Arabia a Ptolemæo (*lib.* V *cap.* 17) et aliis: una Felix, B sive εὐδαίμων dicta, quod sit thurifera, et admodum fecunda; quæ peninsulæ forma inter Persicum et Arabicum sinum in meridiem tenditur, alias Sabæa dicta; altera Petræa, pars illa Arabiæ, quæ est Ægypto Judææque confinis, et supra Palæstinam ad Cassium montem et mare Rubrum excurrit. Hanc Strabo (*lib.* XVI) Nabathæam vocat; tertia deserta, quæ et Scenitis, a scenis, id est, tentoriis, dicta, quod gens vaga et sine ædificiis in tentoriis habitet, quæ Felici a meridie, a septentrione Syria et Mesopotamiæ parte finitur.

[e] Mira hic lectionum varietas tam in excusis codicibus quam manuscriptis. Nam alii legunt: *Deficiunt fluenta Jordanis, et in cineres Sodomorum amplissima extensione porrecta sunt.* Alii: *Deficiunt fluenta Jordanis, et alvei sui faciunt finem, et cineres Sodomorum amplissima extensione porrecti.* Dionysius Paraphrastes: *Usque ad Arabiam ac Mortuum mare, ubi fluenta Jordanis ingressa deficiunt, et cineres Sodo-* C *morum amplissime extenduntur.* Alii denique per parenthesim: (*Quo ingressa deficiunt fluenta Jordanis, et cineres Sodomorum*) *amplissima extensione porrecta*, ut *porrecta* referatur ad vastissimam solitudinem, quo modo legit et citat hunc locum Baronius in Annalibus (*Tom.* V, *anno* 410, *in fine*).

[f] Jordanis fluvius Judææ amœnissimus et suavissimus, idemque sacris litteris notissimus, duobus fontibus ad radices Libani emanans, de quibus D. Hieronymus (*In Quæst. Hebr.*): *Dan unus e fontibus est Jordanis. Nam et alter vocatur Jor, quod interpretatur* ῥεῖθρον, *quod est rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul a se distant, in unum rivulum fœderatis, Jordanis deinceps appellatur.* Addit Plinius (*Lib.* V. *cap.* 15: *Post multos et sinuosos flexus juxta Arnonis ostium, velut invitus in mare Mortuum, sive lacum Asphaltitem, dirum natura, illabitur, cui commixtus et nomen amittit, et limpidissimas ac saluberrimas aquas perdit pestilentibus mixtas; quas ubi pisces, quibus Jordanis abundat, gustaverint, illico* D *aut renatant, aut emoriuntur.*

[g] Nota est historia subversionis Sodomorum, igne cœlitus immisso ob nefandam libidinem (*Genes.* XIX). Est autem regio inter Palæstinam et Arabiam sita, et a quinque civitatibus Pentapolis dicta, in quibus Sodoma et Gomorrha primas tenuere (*Isidor. Etymol. lib.* XIV *cap.* 3). Quatuor igne consumptis, sola Segor parvula in gratiam Loth reservata. Et tota

* *Humi vice adverbii ponitur*, vel pro solo.

porrecta [*Al.* porrecti]. [a] In hac summæ vitæ ac sanctitatis monachi diutissime commorantes, repente sunt a discurrentibus [b] Saracenorum latrunculis interempti. Quorum corpora, licet sciremus tam a pontificibus regionis illius quam ab universa plebe Arabum [c] tanta veneratione prærepta, et inter reliquias martyrum condita, ut innumeri populi e duobus oppidis concurrentes gravissimum sibi certamen indixerint, et usque ad gladiorum conflictum pro sancta rapina sit eorum progressa contentio, dum pia inter se devotione decertant quinam justius A eorum [d] sepulturam ac reliquias possiderent, aliis scilicet de vicinia commorationis ipsorum, aliis de originis propinquitate gloriantibus; nos tamen, vel nostri vel quorumdam non mediocriter ex hac parte [e] scandalizantium fratrum offensione permoti, inquirentesque cur tanti meriti ac tantarum virtutum viri ita sint a latrunculis interfecti, tantumque Dominus passus fuerit erga suos famulos facinus perpetrari, ut viros cunctis mirabiles in manus traderet impiorum, mœsti ad sanctum [f] Theodorum singularem in conversatione actuali perreximus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quidem vallis de cœlo tacta fuit : minima tamen, et extrema pars, sive ora, squalida et cinere soluta mansit : unde *cineres Sodomorum* dicti ; in qua etiam ora visuntur arbores testes ultionis divinæ, quarum B poma, licet pulchra aspectu et matura videantur, contacta aut leviter manibus pressa fumum fetidum exhalant, et in favillam resolvuntur. Tota vero vallis interior, et longe major, post incendium submersa est, et operta aquis crassissimis et densissimis ex ipso terræ solo erumpentibus : quod mare Mortuum appellatur. Hæc fusius Josephus lib. v Belli Judaici c. 5, Tertull. in carm. de Sodoma, Orosius lib. I.

[a] Magnam huic loco affert auctoritatem, quod horum monachorum memoria tabulis ecclesiasticis consignata habetur quinto kalendas Junii his verbis : *Thecue in Palæstina, sanctorum monachorum martyrum qui, tempore Theodosii junioris, a Saracenis occisi sunt ; quorum sacras reliquias accolæ colligentes summa veneratione habuerunt.* Hæc ibi. Quæ de monachis hic a Cassiano commemoratis intelligenda dicit Baronius.

[b] De Saracenorum gente ejusque origine hæc habet Nicephorus Histor. lib. II cap. 47 : *Saracenorum gens, primum, cognomine ab Ismaele accepto, qui Abrahæ filius fuit, Ismaelitæ ab antiquis, de primi eorum parentis appellatione, vocati sunt. Ut autem maculam illegitimi ortus et servitutis notam (serva enim fuit mater illius Agar) a se amolirentur, Saracenos seipsos nominarunt, perinde atque a Sara Abrahæ conjuge stirpem ducerent. Cæterum seriem generis inde trahentes, eodem cum Judæis vivendi more utuntur. Nam circumcisionem ita ut illi colunt, et a suillis carnibus abstinent, multaque præterea illorum instituta servant,* etc. (*Hieron. in Quæst. Hebr. et epist.* 124). Porro de hac Saracenorum in Ægyptum, Palæstinam, aliasque vicinas provincias irruptione et grassatione, qua contigit illos sanctos monachos ab illis interimi, meminit etiam D. Hieronymus in epist. 82 ad Marcellinum, ubi se ab illis vix evasisse testatur his verbis : *Hoc autem anno cum tres explicassem libros* (Ezechielis scilicet) *subitus impetus barbarorum, de quibus tuus dicit Virgilius* (*Æneid.* IV) : *lateque vagantes Barcæi. Et sancta Scriptura de Ismaele : Contra faciem omnium fratrum suorum habitavit* (*Genes.* XVI) ; *Ægypti limitem, Palæstinæ, Phœnices, Syriæ percurrit, et instar torrentis cuncta secum trahens, ut vix manus eorum misericordia Christi potuerimus evadere.* Eamdem quoque calamitatem sub iisdem temporibus commemorat divus Augustinus in epist. 122 ad Victorianum, ubi totius ferme orbis clades a barbaris illis illatas ita deplorat : *Totus mundus tantis affligitur cladibus, ut pene pars nulla terrarum sit, ubi non talia, qualia scripsisti, committantur atque plangantur. Nam ante parvum tempus etiam in illis solitudinibus Ægypti, ubi monasteria ab omni strepitu quasi secreta degebant, a barbaris interfecti sunt fratres.* Hæc Augustinus. Feruntur autem et aliæ Saracenorum C persecutiones, et monachorum cædes ab eis patratæ : sed eæ vel alibi, quam in Palæstina, vel diu ante Cassiani tempora contigerunt. De quibus videre licet notas Baronii ad Martyrologium, Januarii 14, Februarii 19 et Maii 16.

[c] En sacrarum reliquiarum, præsertim sanctorum martyrum, veneratio egregio antiquitatis testimonio et exemplo comprobata (*Damasc. l.* IV *de Fide c.* 16) : cujus etiam superius ex Martyrologio Rom. habita mentio, quam et adversus Vigilantium strenue propugnat et commendat D. Hieronymus (*Hom.* 5 *in Psal.* XXXIX). Porro *reliquias*, inquit Origenes, *dicere solemus, cum spiritus separatur a corpore ; velut enim majore parte hominis in spiritu deputata, quæ superest pars corporis, reliquiæ nominantur.* Et Ambrosius in psal. XXXVI : *Reliquiæ dicuntur mortui hominis exuviæ. Ideo reliquiæ quia post mortem hominis videntur superesse. Supersunt enim, quæ servantur ad resurrectionem.*

[d] Alia exemplaria habent : *sepulcra ad reliquias.* Vides hic quam avide et ambitiose SS. martyrum reliquiæ fuerint a populis Christianis expetitæ. Similem vero contentionem et concertationem Pictavorum et Turonensium pro reliquiis S. Martini auferendis refert Gregorius Turonensis (*Lib.* I *Hist. c.* 43.) Aliam itidem videre est apud D. Hieronymum in Vita Hilarionis, ubi hæc in fine : *Cernas usque hodie miram inter Palæstinos et Cyprios contentionem, his corpus Hilarionis, illis spiritum se habere certantibus. Et tamen in utrisque locis magna quotidie signa fiunt : sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerit.* Hæc ibi.

[e] Scandalizantes Ciaconius scandalum patientes sive scandalizatos interpretatur quod a theologis dicitur scandalum passivum. Ita Hilarius in Matth. can. 30 : *Petrus pro fidei suæ calore respondit, cæteris licet scandalizantibus, numquam se scandalizaturum.*

[f] Hunc illum Theodorum esse omnino existimo de quo Cassianus lib. v cap. 33 et duobus sequentibus, quem abbatem nominat summa sanctitate et perfecta scientia præditum, non solum in actuali vita, sed D etiam notitia Scripturarum, quam ei non tam studium lectionis, vel litteratura mundi contulerat, quam sola puritas cordis ; quemque S. Pachomii discipulum et successorem in monachorum ab eo institutorum regimine tradit Gennadius de script. Eccles. cap. 8, eumdemque a Cassiano in libro de Collationibus edito multimode commendatum ; quod de hac Collatione haud dubie intelligendum est, cum alibi in his Collationibus non exstet ejus mentio, nedum commendatio. Porro notavit Cuychius in antiquissimis exemplaribus poni abbatis Theodori collationem post utramque Sereni abbatis, quod et Photii elogio satis congruit, qui collationem abbatis Sereni tertio loco commemorat. Sed Dionysius Carthusianus collationem Theodori hoc loco nobiscum ponit.

virum. Hic namque morabatur in [a] Cellis, qui locus inter Nitriam ac Scythin situs, et a monasteriis quidem Nitriæ quinque millibus distans, octoginta millium solitudine ab eremo Scythi, in qua commorabamur, interveniente, discernitur. Cui cum de prædictorum virorum nece querimoniam fudissemus, admirantes tantam Dei patientiam quod [b] viros scilicet illius meriti taliter perimi permisisset, ut qui alios quoque suæ sanctitatis pondere de hujusmodi liberare tentatione debuerint, ne se ipsos quidem præripuerint de manibus impiorum, aut cur Deus admitti in servos suos tantum facinus concessisset.

CAPUT II.

Responsio abbatis Theodori ad propositam quæstionem.

Beatus Theodorus respondit : [c] Hæc quæstio solet animos permovere eorum qui parum fidei vel scientiæ possidentes, merita sanctorum vel præmia quæ non in præsenti redduntur, sed reposita sunt in futurum, arbitrantur in hujus temporalis vitæ brevitate restitui. Cæterum nos qui non *sumus in hac vita tantum sperantes in Christo,* [d] ne, secundum Aposto-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Cellæ, vel Cellia locus fuit in Ægypti eremo, a cellis monachorum, quæ frequentes in eo et sparsæ visebantur, ita vocatus. Sozomenus lib. VI Historiæ cap. 31, de Nitria et Nitriæ monachis et monasteriis agens : *Locum istum,* inquit, *appellant Nitriam, propterea quod est pagus finitimus, in quo nitrum colligunt. Non exigua quidem hominum multitudo ibi monasticam disciplinam exercebat. Erant namque monasteria circiter quinquaginta contigua, quorum pars conventus, pars homines separatim ab aliis degentes habebat. Porro autem cum iter facias in interiorem solitudinem, ibi est alius locus, qui a Nitria abest stadia fere septuaginta, cui nomen erat Cellia : in eo sunt cellæ monachorum permultæ sparsim positæ, qua de causa hoc nomen habuit. Tantum inter se distant, ut qui in ipsis habitant, neque videre se inter ipsos, neque omnino audire possint.* Hæc Sozomenus, eademque paulo fusius Nicephorus lib. II Hist. cap. 38, ubi ad marginem posuit interpres hoc scholium notatu dignum : Sunt hodie in Atho monte viginti duo insignia monasteria Græcorum monachorum, ordinis D. Basilii, quæ tributi nomine Turcarum tyranno quotannis ex vinetis et olivetis suis pendunt sex millia obolorum Turcicorum. Mons is a Christianis ἅγιον ὄρος hoc est, sanctus Mons dicitur; a Rutenis Suvata hora. Hæc ibi. Sed ut ad Nitriam redeamus, de monachis Nitriæ meminit etiam D. Hieronymus epist. 22 et 27, ubi vocat *oppidum Domini Nitriam, in quo purissimo virtutum nitro sordes lavantur quotidie plurimorum* (*Sulpitius Dialog. de Virtut. monach. Orient.*). Ubi Marianus (*In scholiis*) : Nitriam, inquit, a nitro spiritaliter dictam interpretatur, propter sanctorum monachorum greges ibi degentium, qui purissimo virtutum nitro homines a sordibus peccatorum purgant. Est enim nitri vis abstersiva, ut in Jeremia proditur, dum ait : *Si laveris te nitro,* etc. Porro de Scythi sive Scythica eremo alias sæpius dictum est (*Vide collat.* 1 c. 1).

[b] Hinc sumpta hujus collat. occasio et inscriptio : *De nece sanctorum,* quæ tota in hoc argumento versatur, ut doceat cur Deus sanctos viros ab impiis vexari, aut necari permittat.

[c] Erat hæc quæstio illis temporibus pervulgata et omnium ore versata ob ingruentia ubique mala, et barbaros longe lateque grassantes. De ea enim non Cassianus tantum egit, sed eadem occasione etiam D. Augustinus in dicta epist. ad Victorianum, quod ille inter alia interpellasset : *Quare et servi Dei barbarorum ferro perempti sunt, et ancillæ Dei captivæ ductæ?* Cui quæstioni docet Agustinus humiliter, et veraciter, et pie ita respondendum : *Quantamlibet justitiam servemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, numquid meliores esse possumus illis tribus viris, qui in camino ignis ardentis pro conservanda lege Dei projecti sunt? Et tamen lege quid illic dicat Azarias unus ex tribus, qui aperiens os suum in medio ignis dixit : Benedictus es, Domine Deus Patrum nostrorum, et laudabile, et gloriosum nomen tuum in sæcula, quoniam justus es in omnibus, quæ fecisti nobis,* etc., *quoniam in veritate et judicio intulisti nobis hæc omnia propter peccata nostra, quoniam peccavimus, et legi tuæ non paruimus,* et cætera quæ sequuntur in oratione Danielis, seu potius Azariæ, Daniel. III. Deinde subdit : *Vides certe, frater, quales viri, quam sancti, quam fortes in medio tribulationis, ubi tamen eis parcebatur, et eos urere ipsa flamma verebatur, peccata sua confitebantur, pro quibus se digne, et juste humiliari noverant, nec tacebant. Numquid etiam meliores esse possumus ipso Daniele, de quo per Ezechielem prophetam dicit Dominus ad principem Tyri : Numquid tu sapientior quam Daniel* (*Ezech.* XXVIII)? etc. *Lege tamen etiam precem Danielis, et vide quemadmodum in captivitate positus peccata non tantum populi sui, verum etiam sua confiteatur, et pro his dicat per justitiam Dei se ad illam captivitatis pœnam et opprobria pervenisse. Sic enim scriptum est : Et posui faciem meam,* etc. Prosequitur totam orationem ipsius Danielis, quæ habetur cap. IX, ac demum ista subjungit : *Hæc fideliter lege, fideliter prædica, et quantum potes cave, et cavendum doce, ne adversus Deum in his tentationibus et tribulationibus murmuretur. Bonos dicis Dei servos, et fideles, et sanctos gladio Barbarorum peremptos. Quid autem interest utrum eos febris an ferrum de corpore solverit? non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant, Dominus attendit in servis suis, nisi quod majorem habet pœnam languor diuturnus, quam citissimus exitus; et tamen ipsum languorem diuturnum et horrendum legimus, qualem passus est Job, cujus certe justitiæ Deus ipse, qui falli non potest, tale perhibet testimonium. Gravissima sane et multum dolenda illa captivitas feminarum castarum atque sanctarum : sed non est captivus earum Deus, nec captivas deserit suas, si novit suas. Nam et illi sancti, quorum passiones et confessiones de Scripturis sanctis commemoravi, ab hostibus ducti, atque in captivitate positi, illa dixerunt quæ conscripta leguntur a nobis, ut discamus captivos Dei servos non deseri a Domino suo.* Hæc et alia Augustinus in eamdem sententiam, qui hoc idem argumentum fusius tractat in libris de Civitate Dei, eadem occasione conscriptis (*Vide* c. 9 *et* 14 *lib.* 1 *de Civit.*). Porro multæ sunt aliæ causæ, præter illam correptionem divinam et delictorum etiam in justis et sanctis hominibus castigationem, cur Deus eos sinat in hac vita variis ærumnis et calamitatibus affligi, ab impiis vexari, immo et morte affici, quas hic commemorare longum esset, et superfluum, cum in Scripturis passim obviæ sint, et a Patribus explicate; quarum etiam plerasque hic Auctor in hac collatione, et alibi variis in locis attingit, ubi de patientia et similibus argumentis tractat. Vide, si lubet, inter alios Patres S. Chrysostomum in homilia prima ad populum, ubi decem et plures rationes enumerat.

[d] I Corinth. XV : *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Quippe qui in hac vita, non sperantes aliam, pro Christo adeo affligi et mori sustinemus, nihil ab eo præmii post mortem exspectantes. Argumentum ab absurdo. Absurdissimum enim esset, et ordini divinæ Providentiæ ac justitiæ maxime contrarium, si nobis et justis mala et adversa quæque in hoc sæculo tolerantibus, non alia superesset spes

lum *miserabiliores simus omnibus hominibus* (I *Cor.* xv), quia scilicet in hoc mundo nihil promissionum recipientes, etiam in futuro eas pro hac incredulitate perdimus, opinionibus eorum non debemus errare: ne ignorata veræ definitionis sententia titubantes ac trepidi, tentationibus moveamur, cum eisdem nos quoque traditos viderimus, vel injustitiam scilicet, vel incuriam humanarum rerum Deo, quod dictu quoque nefas est, ascribentes, quia sanctos viros recteque viventes in tentatione non protegat, nec bonis ea quæ bona sunt, nec mala malis retribuat in præsenti, et cum illis damnari mereamur, quos Sophonias propheta castigans: *Qui dicunt*, inquit, *in cordibus suis, Non faciet Dominus bene, sed neque faciet male* (*Sophon.* 1); vel certe cum illis inveniamur, qui hujusmodi querimoniis Deum blasphemare dicuntur: *Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe, ubi est Deus justitiæ* (*Malach.* II)? illam quoque blasphemiam, quæ in subsequentibus describitur, similiter adjungentes: *Vanus est qui servit Deo; aut quod emolumentum quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, siquidem ditati sunt facientes impietatem, et tentaverunt Deum et salvi facti sunt* (*Malach.* III). Quamobrem ut hanc ignorationem, quæ pravissimi hujus erroris radix et causa est, possimus evadere, primum nosse debemus quid vere sit bonum, quid malum, et ita demum super his non falsum vulgi, sed veram Scripturarum definitionem tenentes, minime infidelium hominum decipiemur errore.

CAPUT III.

De tribus quæ in hoc mundo sunt, id est, bonis, et malis, et mediis.

Tria sunt omnia quæ in hoc mundo sunt, id est, bonum, malum, medium. Debemus itaque nosse quid proprie bonum, quid malum, quidve sit medium, ut nostra fides, vera scientia communita in cunctis tentationibus, inconcussa perduret. Nihil igitur in rebus dumtaxat humanis [a] principale bonum esse credendum est, nisi virtus animi sola, quæ fide sincera nos ad divina perducens, illi immutabili bono facit jugiter inhærere. Et econtrario nihil malum esse dicendum est, nisi peccatum solum, quod a bono Deo nos separans, malo facit diabolo copulari. [b] Media sunt quæ in utramque partem pro affectu et arbitrio utentis derivari possunt, ut puta divitiæ, potestas, honor, robur corporis, sanitas, pulchritudo, vita ipsa, vel mors, paupertas, infirmitas carnis, injuriæ, et cætera his similia, quæ, [c] pro qualitate et affectu utentis, vel ad bonam possunt partem proficere, vel ad malam. Nam et divitiæ proficiunt frequenter ad bonum, secundum Apostolum, qui *divitibus hujus mundi præcipit* ut *facile tribuant, communicent indigentibus, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut* per has *apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI). Et secundum Evangelium bonæ sunt illis qui *faciunt sibi amicos de iniquo mammona* (*Luc.* XVI). Quæ rursum retorquentur ad malum, cum ad recondendum tantummodo vel ad luxuriam congeruntur, et non ad usus indigentium dispensantur. Potestas quoque et honor, corporisque robur ac sanitas, quam sint media et utrobique convenientia, etiam ex hoc facile comprobatur, quod multi sanctorum in veteri Testamento potiti his omnibus et in summis divitiis et culmine dignitatum ac fortitudine corporis constituti, Deo quoque acceptissimi fuisse noscuntur. Et e diverso qui his male usi sunt, et ea ad ministerium suæ nequitiæ detorserunt, non immerito vel puniti sunt vel exstincti, quod frequenter Regnorum libri indicant factum. De ipsa etiam morte ac vita quia [d] mediæ

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

lætioris ac felicioris vitæ in futuro. At longe aliud promittit ipsa Veritas, cum ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui nunc fletis, quoniam ridebitis. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

[a] Principale bonum virtus dicitur, non quia summum et unicum bonum, ut Stoici voluerunt, sed quia præcipuum hominis bonum in hac vita, et maxime expetendum; non tamen ipsa propter se virtus expetenda, sed propter summum bonum, quod est Deus, seu beatitudo æterna (*Aug. l.* IX *de Civit. Dei c.* 4; *Lactant. l.* III *Instit. cap.* 22).

[b] D. Augustinus lib. I de Civit. cap. 8: *Placuit*, inquit, *divinæ Providentiæ præparare in posterum bona justis, quibus non fruentur injusti, et mala impiis quibus non excruciabuntur boni. Ita vero temporalia bona et mala voluit utrisque esse communia, ut nec bona cupidius appetantur quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur quibus et boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum qualis sit usus vel earum rerum quæ prosperæ, vel earum quæ dicuntur adversæ. Nam his bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur; malus autem ideo hujusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.* Et infra: *Hæc cum ita sint, quicumque boni malique pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utrique perpessi sunt: manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento, non est idem virtus et vitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat, palea fumat, et sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni autem precantur et laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur. Nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter cœnum, et suaviter fragrat unguentum.* Hucusque pereleganter D. Augustinus: qui et sequenti cap. hæc subdit, etiam huic loco consentanea: *Quid igitur in illa rerum vastitate Christiani passi sunt, quod eis non magis fideliter ista considerantibus ad profectum valeret?* quæ sequuntur, ubi causas exponit ob quas et boni et mali pariter flagellantur. Quod argumentum etiam sequentibus cap. late prosequitur.

[c] Terentii sententia est ex Platone. *Quæ in hominibus dicuntur bona, parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias, perinde esse ut est illius animus qui ea possidet. Qui uti scit, ei bona; ei qui non utitur recte, mala.*

[d] *Mediæ*, id est, inter media censendæ, quia per

sint, vel S. Joannis, vel Judæ nativitas protestatur. Unius namque in tantum sibimet vita profuit, ut aliis quoque gaudium ortus ejus contulisse dicatur, secundum illud : *Et multi super ejus nativitate gaudebunt* (*Luc.* I). De alterius vero dicitur vita : *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* XXVI). De morte etiam Joannis omniumque sanctorum dicitur : *Pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). De Judæ autem ac simitium, *Mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII). Infirmitas etiam carnis interdum quam sit commoda, Lazari illius pauperis ulcerosi beatitudo demonstrat. Cujus cum nulla alia virtutum merita Scriptura commemoret, pro hoc solo quod egestatem et infirmitatem corporis patientissime toleravit, sinus Abrahæ possidere beatissima sorte promeruit (*Luc.* XVI). Egestas quoque ac persecutiones et injuriæ, quæ mala esse totius vulgi opinione censentur, quam sint utiles ac necessariæ, etiam ex hoc liquido comprobatur, quod sancti viri non solum eas numquam vitare voluerunt, verum etiam virtute summa, vel appetentes, vel fortiter tolerantes amici Dei effecti, æternæ vitæ sunt stipendia consecuti, beato Apostolo concinente, *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum, quia virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* II). Et idcirco illi qui summis hujus sæculi divitiis et honoribus ac potestatibus extolluntur, non ex his principale bonum obtinuisse credendi sunt, quod in solis esse virtutibus definitur, sed medium quiddam : quia sicut justis recte ac necessarie utentibus utilia hæc esse reperiuntur et commoda (occasionem namque operis boni fructusque in illius vitæ æternitate parturiunt), ita illis qui male opibus abutuntur, inutiles sunt atque incommodæ, et occasionem peccati mortisque concinnant.

CAPUT IV.

Quod malum nulli invito ab alio possit inferri.

Has itaque divisiones fixas atque immobiles retinentes scientesque nihil esse bonum, nisi virtutem solam, quæ ex timore Dei ac dilectione descendit, nec malum quidquam esse nisi peccatum solum et separationem a Deo, diligenter nunc discutiamus utrum Deus umquam sanctis suis, aut per se, aut per alium quempiam inferri permiserit malum, quod sine dubio nusquam omnino reperies. [a] Nec enim potuit aliquando cuiquam nolenti ac resistenti malum peccati alter inferre; nisi illi soli qui illud in sese cordis ignavia et corrupta voluntate suscepit. Denique cum beato Job diabolus, adhibitis universis nequitiæ suæ machinis, malum hoc peccati voluisset inferre, ac non solum cunctis eum facultatibus spoliasset, verum etiam, post illum de morte septem filiorum tam atrocem tamque insperatum orbitatis dolorem, vulnere eum pessimo a capitis vertice usque ad plantam pedum, et intolerandis cruciatibus onerasset, nequaquam ei peccati maculam quivit infligere; qui in cunctis immobilis perseverans, [b] nullum blasphemiæ accommodavit assensum.

CAPUT V.

Objectio quemadmodum ipse Deus dicatur creare mala.

Germanus : Frequenter legimus in Scripturis sanctis Deum creasse mala, vel hominibus intulisse, ut est illud : *Quoniam absque me non est Deus, ego Dominus et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans mala* (*Isa.* XLV). Et iterum : [c] *Si est malitia in civitate quam Dominus non fecit Amos* III).

CAPUT VI.

Responsio super interrogatione proposita.

Theodorus : Nonnumquam solet Scriptura divina abusive mala pro afflictionibus ponere, non quia per naturam proprie mala sint, sed secundum hoc quod ab his sentiantur mala quibus utiliter inferuntur. Hominibus etenim disputans divina censura, necesse est ut humanis verbis et affectibus eloquatur. Etenim sectio vel ustio salutaris quæ illis qui ulcerum contagione putrefacti sunt pie infertur a medico, mala a tolerantibus creditur; nec equo calcar, nec emendatio suavis est delinquenti. Omnes etiam disciplinæ his qui erudiuntur amaræ sentiuntur ad præsens, sicut Apostolus dicit : *Omnis autem* [d] *disciplina*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

se nec bonæ, nec malæ, sed ἀδιαφοραὶ ut Græci vocant. Scite D. Bernardus in Epistola ad Romanum (*Epistola* 105) : *Volo*, inquit, *te mortem, etsi non effugere, certe vel non timere. Justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*Sap.* IV). *Moritur quidem et justus, sed secure; quippe cujus mors, ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris.* Et intra : *Bona mors justi propter requiem melior propter novitatem, optima propter securitatem. Et contra, mors peccatorum pessima* (*Psal.* XXXIII). *Et audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vermis ignisque duplici contritione.* Hæc D. Bernardus huic loco bene congruentia.

[a] Repetitur hæc sententia rursus cap. 9, quam D. Chrysostomus aliis verbis expressit, dicens : *neminem lædi nisi a seipso.* De qua sententia vide ibidem notata.

[b] *Testante* Scriptura, quæ ait (*Job.* I) : *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.* Et cum a sua quoque uxore compelletur ut vi doloris impatiens aliquid adversus Deum querula et blasphema voce loqueretur, respondit : *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus* (*Job.* II)?

[c] Vulgata lectio : *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Malum pœnæ intelligitur, non malum culpæ, ut docet D. Hieronymus in eum locum scribens : *Malum*, inquit, *quod Dominus facit in civitate non contrarium est virtuti, sed afflictio et cruciatus. De quo legimus : Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI), *id est, tribulatio et angustia. Et in propheta legimus : Ego Deus qui feci lucem et tenebras, qui facio pacem, et condo mala. Sicut enim tenebræ contrariæ sunt luci et diei, sic et paci bellum contrarium est, quod non per malum est, sed malum videtur his esse qui sustinent*, etc.

[d] Disciplina pro Dei castigatione sumitur. Grono

in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum his qui per se exercitati sunt reddet justitiæ (*Hebr.* XII). Et [a] *quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim est filius quem non corripit Pater* (*Ibid. et Proverb.* III)? Itaque mala nonnumquam poni pro afflictionibus solent, secundum illud : *Et pœnituit Deum super malitiam quam locutus est ut faceret eis, et non fecit* (*Jerem.* XXVI). Et iterum : *Quia tu, Domine, misericors et miserator, patiens et multum misericors, et pœnitens in malitiis* (*Joel.* II), id est, super tribulationibus et ærumnis quæ nobis pro peccatorum nostrorum meritis inferre compelleris. Quas sciens utiles esse nonnullis, ita alius propheta, utique non invidens saluti eorum, sed consulens imprecatur : [b] *Adde illis mala, Domine, adde mala gloriosis terræ.* Et ipse Dominus, *Ecce,* inquit, *inducam super eos mala* (*Jerem.* XI), id est, dolores ac vastitates, quibus in præsenti salubriter castigati ad me, quem in rebus prosperis contempserunt, reverti tandem ac festinare cogantur. Ideoque hæc principalia esse mala non possumus definire, multis enim ad bonum proficiunt, et causas æternorum pariunt gaudiorum. Et idcirco ut ad quæstionem propositam recurramus, universa quæ putantur mala nobis ab inimicis vel a quibuscumque aliis irrogari, non sunt credenda mala esse, sed media. Non enim talia invenientur qualia putat esse ille qui intulit animo furibondo, sed qualia senserit ille qui sustinet. [c] Ideoque cum illata fuerit mors viro sancto, non ei malum illatum esse credendum est, sed medium quiddam. Quod cum peccatori malum sit, justo requies et absolutio fit malorum. [d] *Mors enim viro justo requies, cujus vita abscondita est* (*Job* III). Et ideo nec vir justus ex hac aliquid perpetitur detrimenti qui nihil pertulit novi; sed id quod ei accessurum fuerat necessitate naturæ, inimici nequitia non sine præmio vitæ perennis excepit, ac debitum mortis humanæ, quod inexcusabili lege reddendum est, cum fructu uberrimo passionis ac magnæ remunerationis mercede persolvit.

CAPUT VII.

Interrogatio an reus sit, qui justo intulit mortem, cum justus habeat de morte mercedem?

Germanus : Ergo si interemptus justus non solum nihil mali perpessus est, sed etiam mercedem passionis assequitur, quomodo in reatum vocabitur, qui non nocuit mortem inferendo, sed profuit?

CAPUT VIII.

Responsio ad præcedentem interrogationem.

Theodorus : Nos de proprietate boni malique, vel ejus quod diximus esse medium disputamus, non de affectu eorum qui ista committunt. Nec enim quis impius vel iniquus id circo impunitus erit, quia malitia sua justo nocere non potuit. Tolerantia enim et virtus justi non illi qui mortem vel supplicia intulit,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

παιδεία, vocabulum deductum a puero, quo proprie significatur institutio conjuncta cum castigatione morum ac vitiorum ejus qui instituitur, qualis est institutio puerorum. Unde D. Basilius (*In principio Prov.*) : *Disciplina,* inquit, *est quædam inductio utilis, quæ sæpe cum labore vitiorum maculas purgat. Quæ quidem in præsentiarum non videtur esse gaudii, sed mœroris : verum postremo fructum salutarem et quietum per ipsam exercitatis reddit. Quemadmodum enim parvi pueri doctrinam despicientes, ob ferulas flagellaque quæ magistri et pædagogi adhibere solent, attentius dictata suscipiunt : et ipse sermo ante plagas non auditur; post verbera doloresque, veluti statim apertis auribus, excipitur ratio et memoria custoditur : sic accidit et iis qui divina audiunt præcepta, et ad ea servanda se negligenter habent. Nam postquam disciplina eis inflicta est a Deo, tunc quæ moleste semper illis inculcabantur divina mandata, quasi jam primum in aures ipsorum cadant, suscipiuntur.*

[a] Verba sunt Salomonis Prov. III, quæ more suo citat Apostolus Hebr. XII, juxta translationem LXX, quæ tamen a Vulgata versione non discrepat, nisi in eo quod sequitur : *flagellat autem omnem filium quem recipit* : Pro quo Hieronymus ex Hebræo sic vertit : *Et quasi pater in filio complacet sibi.* Quæ tamen sensum reddunt non valde diversum ab eo quem LXX expresserunt. Parum enim differunt : flagellat omnem filium quem recipit et castigat, ut pater filium in quo sibi complacet, id est, quem valde amat. Similia sunt verba Moysis Deuter. VIII, ubi, postquam meminisset afflictionum populi Israelitici, ait : *Ut recogites in corde tuo quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te, ut custodias mandata Domini Dei tui,* etc. Et Proverb. XIII : *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit* : Ubi erudire pro castigare sumitur, sicut disciplina pro castigatione, ut dictum est. Denique Apoc. III : *Ego quos amo arguo et castigo*; ubi *quos* positum pro *quoscumque*, nam Græce habetur : ἐγὼ ὅσους ἐὰν φιλῶ, ergo quoscumque amo.

[b] Ita LXX. Vulgata autem versio : *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti, numquid glorificatus es?* Ubi D. Hieronymus : *Mala,* inquit, *quæ LXX posuerunt, in Hebraico non habentur, sed quia supra dixerat : Ideo induxisti, et perdisditi, et tulisti omne masculum eorum, eumdem sensum secuti, addiderunt de suo, mala; ut qui gloriosi in terra sunt, malis duplicibus opprimantur.*

[c] Augustinus lib. I de Civit. Dei, cap. 11 : *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Cum igitur Christiani noverint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impii divitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt, qui bene vixerunt?* Lactantius lib. III Institut. cap. 19 : *Si quis nos roget utrum ne mors sit bonum, an malum? respondebimus qualitatem ejus ex vitæ ratione pendere. Nam sicut vita ipsa bonum est, si cum virtute vivitur, malum si cum scelere; ita et mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda est. Ita fit ut si vita in Dei religione transacta sit, mors malum non sit, quia translata est ad immortalitatem; sin aliter, malum sit necesse est, quoniam ad æterna supplicia transmittit* (*Luc.* XVI).

[d] Sic legit etiam hunc locum D. Augustinus in annotationibus in Job : *Mors,* inquit, *viro requies, cujus vita abscondita est. Vel quia coram Deo, vel quia paucis nota. De ea vero morte accipiendum, per quam morimur mundo.* Hæc Augustinus. In Vulgata autem editione non leguntur illa verba, *mors viro requies,* sed hæc tantummodo, *viro cujus abscondita est via.* Sicut in Græco οὗ ἡ ὁδὸς ἀπεκρύβη. Unde patet vocem *justo* esse addititiam, et legendum : *cujus via abscondita est,* non vita.

sed illi proficit ad mercedem qui illata sibi patienter excepit. Ideoque et hic merito punietur pro crudelitatis sævitia, qua malum voluit inferre, et ille nihilominus nihil mali perpessus est, quia, virtute animi sui patienter tentationes doloresque sustentans, ea quæ malo proposito illata sunt, ad profectum melioris status et æternæ vitæ fecit beatitudinem pertinere.

CAPUT IX.

Exemplum beati Job a diabolo tentati, et Domini a Juda traditi; et quod justo tam prospera quam adversa proficiant ad salutem.

Neque enim [a] patientia Job mercedem diabolo, qui eum illustriorem suis tentationibus reddidit, sed illi ipsi qui eas viriliter pertulit, acquisivit; [b] nec Judas æterni supplicii immunitate donabitur, quia proditio ejus ad salutem generis profecit humani. Non enim proventus considerandus est operis, sed operantis affectus. Quapropter hæc debet in nobis definitio immobiliter custodiri quod nulli [c] malum ab alio possit inferri, nisi qui illud ignavis sui cordis ac pusillanimitate contraxerit, hanc eamdem sententiam beato Apostolo uno versiculo confirmante : *Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur ab bonum* (*Rom.* VIII). Dicens enim, *omnia cooperantur ab bonum,* universa non solum quæ prospera, verum etiam quæ putantur adversa pariter comprehendit. Per quæ et in alio loco idem Apostolus se transisse describit, cum dicit : *Per arma justitiæ quæ a dextris sunt et a sinistris,* id est, *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces; ut tristes, semper autem gaudentes; ut egentes multos autem locupletantes* (II *Cor.* VI), etc. Omni ergo quæ prospera reputantur, et dextræ dicuntur partis, quæ sanctus Apostolus gloriæ et bonæ famæ vocabulo designavit, illa etiam quæ existimantur adversa, quæ per ignobilitatem et infamiam evidenter expressit, quæque a sinistris esse describit, efficiuntur viro perfecto arma justitiæ, si illata sibi magnanimiter sustentaverit, quod videlicet par hæc dimicans, et istis ipsis quibus impugnari putatur, tamquam armis utendo, eisque velut arcu et gladio scutoque validissimo contra illos qui hæc ingerunt communitus, profectum suæ patientiæ ac virtutis acquirat, gloriosissimum constantiæ triumphum ex ipsis quæ lethaliter inferuntur capiens hostium telis; nec prosperis dumtaxat elatus, nec dejectus adversis, sed itinere plano ac via regia semper incedens, ab illo tranquillitatis statu nequaquam lætitia superveniente, quasi in dextram motus, nec ingruentibus adversis, tristitiaque dominante, velut ad lævam rursus impulsus. *Pax* enim *multa diligentibus nomen tuum et non est illis scandalum* (*Psalm.* CXVIII). De illis vero qui per singulos incurrentes casus pro eorum qualitate ac varietate mutantur, ita dicitur : *Stultus autem sicut luna mutatur* (*Eccl.* XXVII). Ut enim de perfectis sapientibus dicitur : *Diligentibus Deum omnia cooperantur ad bonum,* ita de infirmis pronuntiatur ac stultis, [d] *Omnia adversa viro insipienti;* nec enim prosperis rebus proficit, nec emendatur adversis. Ejusdem namque virtutis est tristia fortiter tolerare,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Patientiam Job egregie describit D. Cyprianus lib. de bono Patientiæ, et Chrysostomus homil. 28 in primam ad Corinthios.

[b] Pulchre id explicat D. Augustinus in enarratione psalmi XCIII his verbis : Si *traditio Judæ, et non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Judas quod fecit Deus Pater, de quo scriptum est : Quia proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum* (*Rom.* VIII). *Hoc fecit Judas, quod fecit ipse Dominus Christus, de quo scriptum est : Qui seipsum tradidit pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Et iterum : Christus dilexit Ecclesiam suam, et seipsum tradidit pro ea* (*Ephes.* V). *Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui unico Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; gratias agimus ipsi Filio, qui seipsum tradidit pro nobis, et in eo voluntatem Patris implevit : et detestamur Judam, de cujus facto tantum nobis beneficium præstitit Deus, et recte dicimus : Reddidit ei Dominus secundum iniquitatem ejus, et secundum malitiam ejus disperdidit eum. Non enim ille pro nobis tradidit Christum, sed pro argento quo vendidit eum, quamvis traditio Christi sit nostra redemptio. Sic et illi, qui martyres persecuti sunt, persequendo in terra, in cœlum mittebant; et scientes quidem præsentis vitæ damnum inferebant, nescientes autem futuræ vitæ lucrum conferebant. Quicumque tamen perseveraverunt in odio injusto justorum, reddidit eis Dominus secundum iniquitates ipsorum, et secundum malitiam eorum disperdidit eos. Sicut enim malis obest bonitas justorum, sic bonis prodest iniquitas impiorum.* Similis apud eodem locus est tractatu septimo in primam Epistolam Joannis : *Facta est, inquit, traditio a Patre, facta est a Filio, facta est a Juda. Quid ergo discernis inter eos? Quia hoc fecit Pater, et Filius in charitate, Judas in proditione.* Et concludit : *Diversa ergo intentio diversa facta facit, cum tamen sit una res ex diversis intentionibus.* Ita Augustinus.

[c] Malum scilicet peccati, ut superius expressit, quia nemo, nisi volens, peccat. Est autem hæc præclara SS. Patrum, speciatim vero D. Joannis Chrysostomi doctrina (*Apophtheg.*), cujus supra (*Cap.* 4) mentionem fecimus, licet prima fronte videatur paradoxa : *Neminem lædi, nisi a semetipso.* In cujus confirmationem scripsit peculiarem tractatum cum in exsilio agens, et multis ærumnis oppressus, tam seipsum quam amicos consolaretur : et quidem hujusmodi, ut hic inter tantos tanti doctoris labores satis esse possit, ad absolutissimum Christianum efformandum, et quemlibet afflictionum abysso submersum consolatione erigendum ac spiritali lætitia perfundendum (*Baronius tomo V, anno Christi* 407). Novissimus sane tanti Patris partus, ideoque dignissimus, qui semper præ manibus habeatur, volvatur, foveatur. Porro simile argumentum egregie tractavit Boetius Severinus in suo libello de Consolat. Philosophica. In quem exstat Commentarius Thomæ cujusdam Anglici, D. Thomæ Aquinati (ut hoc obiter moneam) falso ascriptus. Cum enim inter Anglicum et Angelicum magna esset vocis similitudo, paulatim effectum est, ut, per incuriam et errorem, Thomæ Anglici scripta Thomæ Angelici titulo notarentur, qui Thomæ Aquinati a theologis merito attribuitur.

[d] Ita ex Græco : πάντα ἐναντία ἀνδρὶ ἄφρονι. At Latinus et vulgatus interpres : *Filio doloso nihil erit boni : servo autem sapienti prosperi erunt actus, et* dirigetur via ejus.

cujus etiam secunda moderari, et eum qui in uno eorum superatur, neutrum sufferre certissimum est. Facilius tamen quis elidi potest prosperis quam adversis. Hæc enim interdum etiam invitos retinent atque humiliant, et compunctione saluberrima vel minus peccare faciunt, vel emendant; illa vero mollibus mentem ac perniciosis extollentia blandimentis, securos felicitatis suæ proventu ruina majore prosternunt.

CAPUT X.

De virtute viri perfecti, qui ambidexter figuraliter nuncupatur.

Isti sunt ergo qui figuraliter in Scripturis sanctis [a] ἀμφοτεροδέξιοι id est, ambidextri nuncupantur, ut ille [b] Aoth in libro Judicum fuisse describitur, *qui utraque manu utebatur pro dextera* (*Judic.* III). Quam virtutem ita poterimus nos quoque intellectualiter possidere, si ea quæ prospera sunt dexteraque censentur, et ea quæ adversa sunt ac sinistra dicuntur, bono rectoque usu ad partem fecerimus dexteram pertinere, ut quæcumque fuerint illata, fiant nobis, secundum Apostolum, *arma justitiæ* (II *Cor.* VI). Duabus namque partibus et (ut ita dixerim) manibus [c] interiorem hominem nostrum subsistere pervidemus : nec quisquam sanctorum carere hac sinistra quam dicimus potest, sed in hoc virtus perfecta discernitur, [d] si utramque in dexteram bene utendo convertat. Et ut manifestius hoc quod dicimus possit intelligi, habet vir sanctus dexteram, successus videlicet spiritales, in qua tunc consistit quando fervens spiritu desideriis et concupiscentiis omnibus dominatur, quando ab omni diabolica impugnatione securus absque ullo labore ac difficultate vitia carnis vel respuit vel abscindit, cum sublimatus a terra, universa præsentia atque terrena velut inanem fumum umbramque vacuam contemplatur, et ut mox transitura contemnit, cum futura per excessum mentis, non solum ardentissime concupiscit, verum etiam clarius intuetur, cum efficacius spiritalibus pascitur theoriis, cum lucidius sibi reserata conspicit cœlestia sacramenta, cum orationes purius atque alacrius emittit ad Dominum, cum ita spiritus ardore succensus ad ea quæ invisibilia sunt et æterna tota animi alacritate transmigrat, ut nequaquam se jam credat in carne consistere. Habet similiter et sinistram, cum tentationum turbinibus implicatur, cum ad desideria carnis incentivorum æstibus inflammatur, cum ad iracundiæ furorem perturbationum igne succenditur, cum superbiæ seu cenodoxiæ elatione pulsatur, cum tristitia mortem operante deprimitur, cum machinis acediæ et impugnatione concutitur, cumque, omni spiritali fervore subtracto, quodam tepore atque irrationabili mœrore torpescit, ut non solum cogitationibus rectis ac ferventibus deseratur, sed etiam psalmus, oratio, lectio, remotio cellæ simul horreant, et intolerabili quodam tetroque fastidio universa sordeant instrumenta virtutum, quibus cum pulsatur monachus, sinistris partibus se cognoscat urgeri. Quisquis igitur in illis quæ dextræ partis esse prædiximus, minime fuerit subintrante gloria vanitatis elatus, et in istis quæ sinistræ partis sunt, viriliter dimicans, nulla desperatione conciderit, ac potius de contrariis arma quædam patientiæ ad exercitium virtutis assumpserit, utraque manu utetur pro dextra, et in utroque actu triumphator effectus, tam de sinistro statu quam de dextro palmam victoriæ consequetur. Qualem beatum Job legimus meruisse, qui utique per dexteram coronabatur, quando septem filiorum pater opulentus ac dives incedens quotidiana pro eorum purificatione sacrificia Domino offerebat, non tam sibi eos quam [e] Deo susceptos ac familiares cupiens exhibere, quando janua ejus omni advenienti patebat, quando erat pes claudorum, et oculus cæcorum, quando de velleribus ovium ejus, humeri calefiebant infirmorum, quando erat orphanorum pater et vir viduarum, quando nec

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ἀμφοτεροδέξιος, seu ambidexter, ait Suidas, qui lævam pro dextra habet, seu qui sinistra utitur ut dextra, qui et ἀμφιδέξιος dicitur contractiore vocabulo; quo præter alios usus est Gregorius Nazianzenus in oratione funebri in S. Basilium, ubi eos qui aut vita tantum aut eruditione dumtaxat excellerent, nihil a luscis differre dicit : qui verò parem in utroque laudem consecuti essent, eos ἀμφιδέξιους id est, ambidextros, ac numeris omnibus absolutos esse. Budæus in Commentariis : *Apud Platonem*, inquit, (*Lib.* VII *de Legibus*), ἀρτίποδες, καὶ ἀρτίχειρες *dicuntur, qui utroque pede et utraque manu æque utuntur, ut sunt* ἀμφιδέξιος *nullo per dissuetudinem utendi debilitato.*

[b] Nominatur hic inter Judices populi Israelitici post Josue tertius : De quo in lib. Judic. cap. III ita scribitur : *Suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Gemini, qui utraque manu pro dextra utebatur.* Unde ἀμφοτεροδέξιος dictus est; a D. autem Hieronymo (*Lib. in Jovinian. c.* 17) ἀμφιδέξιος, qui interfecit regem Eglon pinguissimum.

[c] Id est, mentem, sive animam. Sic sæpe apud Paulum.

[d] His admodum consentanea scribit Hieronymus in illum versiculum Psal. XC : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. Ab eo*, inquit, *qui habitat in adjutorio Altissimi, cadent a latere ejus mille, et decem millia a dextris ejus. Dextera sancti dicitur; sinistra non dicitur, sed latus. Videte enim quod dicitur : Et decem millia a dextris tuis. Et quomodo dixeras : Cadent a latere tuo mille? Quando enim dextera dicitur, et sinistra non nominatur, pro sinistra latus nominatur. Non enim poterat justum esse, ut justus haberet sinistram. Qui te, inquit, percusserit in dexteram maxillam, præbe ei et alteram* (*Matth.* VI); *non dixit, et sinistram. Non enim est sinistra quæ præbetur, sed dextera altera. Ergo simpliciter dico quoniam justus duas dexteras habet. Denique et ille Aioth, qui scribitur in Judicum libro, propterea duas dexteras habere dicitur, quia justus erat, et interfecit illum pinguissimum regem.* Hæc moraliter et tropologice D. Hieronymus.

[e] Manuscripti nonnulli : *Deo subjectos*. Dionysius legit *acceptos* (*Libr.* X *Instit.* 6). Sed verior nostra lectio, ut communior. Susceptos autem intellige in curam seu clientelam receptos. Suscepti enim olim dicebantur clientes, quos patroni tuendos susceperant, ut alias notavimus. Hinc D. Ambrosius serm. 93 : *In tantum vicina præsentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti.*

in corde quidem suo super inimici sui ruina gavisus est (*Job.* I). Idemque rursus per sinistram partem sublimiore virtute de adversitatibus triumphabat, cum septem filiis uno orbatus momento, non ut pater acerbo luctu conficiebatur, sed ut verus Dei famulus super Creatoris sui voluntate gaudebat (*Ibid.*): cum ex locuplete pauperrimus, nudus ex divite, ex valido tabidus, ex inclyto et glorioso ignobilis atque despectus, incorruptam animi fortudinem retentabat; cum denique omni substantia atque opibus destitutus sterquilinii erat factus habitator, et velut quidam corporis sui severissimus carnifex, testa radebat saniem profluentem, atque ex omni parte membrorum glebas vermium, digitis mersis in profunda vulnerum, detrahebat. In quibus cunctis in nullam desperando prolapsus est blasphemiam, nec adversus Creatorem suum in aliquo murmuravit; quinimmo, nequaquam tentationum mole atque acerbitate conterritus, ipsum quoque quod ex omni pristina facultate suo corpori superfuerat indumentum, quodque solum, quia ipso vestiebatur, a diaboli potuerat vastatione salvari, rescindens atque abjiciens, adjecit super illam quam durissimus [*Lips. in marg.* dirissimus] prædo intulerat spontaneam nuditatem. Comam quoque capitis, quæ sola de prioris gloriæ reliquiis intacta remanserat, vexatori suo projecit abcissam, et amputans etiam id quod sæviens reliquerat inimicus, illa cœlesti adversus eum voce tripudiat et insultat : *Si bona suscepimus de manu Domini, mala cur non sustinebimus? Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Dominus dedit. Dominus abstulit, quomodo Domino placuit sic factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job.* II). Ambidextrum merito dixerim et Joseph, qui in prosperis gratior patri, religiosior fratribus, acceptior Deo; in adversis castus, domino fidelis, carceris mitissimus vinctus, injuriarum immemor, beneficus inimicis, invidis, et quantum in ipsis fuit interfectoribus fratribus non solum pius, sed etiam munificus invenitur. Hi ergo eorumque consimiles recte ambidextri nuncupantur; utraque enim manu utuntur pro dextra, et inter hæc quæ Apostolus dinumerat transeuntes, pariter dicunt : *Per arma justitiæ quæ a dextris sunt et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam* (II *Cor.* VI), etc. De qua dextra vel sinistra ita Salomon ex persona sponsæ loquitur in Cantico Canticorum : *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* (*Cantic.* II). Quas licet utrasque utiles significet, tamen illam sub capite suo ponit, quia subjacere debent adversæ partes principali cordis. Ad hoc siquidem tantum utiles sunt, ut pro tempore nos exerceant et erudiant ad salutem, ac perfectos ad patientiam reddant; dexteram vero ad confovendam se ac perpetuo conservandam salutari amplexu sponsi sibimet cohærere atque insolubiliter ei optat innecti. Erimus igitur ambidextri, quando nos quoque rerum præsentium copia vel inopia non mutarit et nec illa nos ad voluptates noxiæ remissionis impulerit, nec ista ad desperationem attraxerit et querelam, sed similiter Deo gratias in utroque referentes parem fructum de secundis adversisque capiamus; qualem se ille verus ambidexter Doctor gentium fuisse testatur, dicens : *Ego enim didici in quibus sum sufficiens esse; scio et humiliari, scio et abundare; ubique et in omnibus institutus sum, et saturari et esurire, et abundare et penuriam pati; omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV).

CAPUT XI.

De duplici genere tentationum, quæ triplici modo inferuntur.

Ergo licet dixerimus bipartitam esse tentationem, id est, in rebus vel prosperis vel adversis, sciendum est tamen omnes homines triplici ratione tentari [a]. Plerumque ob probationem, nonnumquam ob emendationem, interdum ob merita delictorum. Et ob probationem quidem beatum Abraham, ut Job, multosque sanctorum tribulationes innumeras legimus pertulisse; vel illud quod in Deuteronomio dicitur ad populum per Moysen, *Et recordaberis cuncti itineris illius, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non* (*Deuter.* VIII). Et illud quod in psalmo dicitur : *Probavi te apud aquam contradictionis* (*Psal.* LXXX). Ad Job quoque : *An putas me tibi aliter locutum, quam ut appareres justus?* Ob emendationem vero, cum justos suos pro parvis quibusdam levibusque peccatis, seu pro elatione suæ puritatis humilians diversis tentationibus tradit, ut omnem sordem cogitationum, et, ut verbis prophetæ dicam, scoriam quam in occultis eorum pervidet esse concretam, excoquens in præsenti, velut aurum purum futuro transmittat examini, nihil in eis residere permittens quod scrutans post hæc judicii ignis pœnali cruciatu expurgaturus inveniat (*Isa.* I), secundum illud : *Multæ tribulationes justorum* (*Psal.* XIII): et, *Fili, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo increparis : quem enim diligit Dominus, corripit : flagellat autem omnem filium quem recipit, quis enim est filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulterini, et non filii estis* (*Hebr.* XII). Et in Apocalypsi : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III). Ad quos etiam sub figura Jerusalem ex persona Dei ita per Jeremiam sermo dirigitur : *Faciam enim consummationem in omnibus gentibus in quibus dispersi te; te autem non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio, ut non tibi videaris innoxius* (*Jerem.* XXX). Pro qua salutari emendatione

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Scilicet a Deo; de ea enim tentatione hic loquitur quam Scriptura disciplinam, eruditionem, probationem, *castigationem,* percussionem vocat : cujus triplex, immo quadruplex causa sive ratio hic redditur.

orat David, dicens : *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum* (*Psal.* XXV). [a] Jeremias quoque, utilitatem hujus tentationis intelligens, *Corripe,* inquit, *me, Domine, verumtamen in judicio, et non in furore tuo* (*Jerem.* X). Et iterum : *Confitebor tibi. Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus et consolatus es me* (*Isa.* XII). Pro merito autem peccatorum plaga tentationis infertur, ut ibi plagas populo Israeli immissurum se Dominus comminatur, dicens : *Dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, et frustra percussi filios vestros, disciplinam non recepistis* (*Deut.* XXXII). In psalmis quoque : *Multa flagella peccatorum* (*Psal.* XXXI). Et in Evangelio, *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat* (*Joan.* V). Invenimus sane et quartam rationem, qua ob manifestandam solummodo gloriam et opera Dei inferri quibusdam aliquas passiones Scripturarum auctoritate cognoscimus, secundum illud Evangelii : *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in ipso* (*Joan.* IX). Et iterum : *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per ipsam* (*Joan.* XI). Sunt et alia ultionum genera quibus nonnulli qui malitiæ supergressi sunt cumulum, percutiuntur ad præsens, ut Dathan et Abiron, et sicut Chore legimus fuisse damnatos (*Num.* XVI), et vel maxime illos de quibus Apostolus dicit : *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ et in reprobum sensum* (*Rom.* I), quod etiam cæteris pœnis gravius judicandum est. De ipsis namque Psalmista : *In laboribus*, inquit, *hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* LXXI). Non enim merentur salvari visitatione Domini, nec temporalibus plagis consequi medicinam, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis erroris, in immunditiam, quique obduratione cordis, et usu ac frequentia delinquendi purgationem brevissimi hujus ævi et ultionem vitæ præsentis excedunt. Quibus etiam per prophetam sermo divinus exprobrat : *Subverti vos, sicut subvertit Deus Sodomam et Gomorrham, et facti estis sicut torris raptus de incendio, et nec sic redistis ad me, dicit Dominus* (*Amos* IV). Et Jeremias : *Interfeci et perdidi populum meum, et tamen a viis suis non sunt reversi* (*Jerem.* XV). Et iterum : *Percussisti eos et non doluerunt, attrivisti eos et renuerunt accipere disciplinam, induraverunt facies suas super petram, noluerunt reverti* (*Jerem.* V). Erga quorum curationem omnem temporis istius medicinam videns propheta incassum fuisse consumptam, desperans quodammodo jam de eorum salute proclamat : *Defecit sufflatorium in igne, frustra conflavit conflator; malitiæ enim vestræ non sunt consumptæ, argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit illos* (*Jerem.* VI). Hanc salutarem ignis purgationem circa eos qui prædurati sunt sceleribus suis, inaniter se Dominus adhibuisse sub persona Jerusalem concretæ profunda rubigine peccatorum ita conqueritur : *Pone*, inquiens, *ollam æneam super prunas vacuam ut incalescat, et liquefiat æs ejus, et compleatur in medio ejus inquinamentum ejus, multo labore sudatum est et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem immunditia tua exsecrabilis, quia mundare te volui, et non es mundata a sordibus tuis* (*Ezech.* XXI). Quamobrem peritissimus medicus, expensis omnibus salutaribus curis, nec ullum jam remedii genus quod infirmitati eorum possit aptari Dominus superesse conspiciens, quodammodo iniquitatum magnitudine superatur, ac discedere ab illa clementi sua castigatione compellitur, itaque ei denuntiat, dicens : *Jam non irascar tibi, et zelus meus recessit a te* (*Ezech.* XVI). De aliis vero quorum non præduravit cor frequentia peccatorum, nec illa severissima et (ut ita dixerim) [b] caustica [*Lips. in marg.* castigatione] ignis indigent medicina, sed eruditio salutaris verbi sufficit ad salutem, dicitur : [c] *Emendabo eos in auditu tribulationis suæ* (*Ose.* VII, *sec.* LXX). Non ignoramus alias quoque animadversionum sive ultionum causas quæ inferuntur his qui gravissime deliquerunt, non ad expianda eorum crimina, nec ad abolenda merita peccatorum, sed ad emendationem metumque viventium, quæ evidenter in Jeroboam filium Nabath, Baasa quoque filium Achia, et Achab atque Jezabel, illata cognoscimus, ita pronuntiante divina censura : *Ecce, ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et novissimum in Israel : et dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabath, et sicut domum Baasa filii Achia, quia egisti ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel; canes etiam comedent Jezabel in agro Jezrahel : si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes; si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli* (III *Reg.* XXI). Et illud quod pro ingenti comminatione denuntiatur : [d] *Non inferetur cadaver tuum in sepulcrum patrum tuorum* (III *Reg.* XIII) : non quod vel illius tam profana commenta qui vitulos aureos ad perpetuam prævaricationem plebis impiamque a Domino separationem primus instituit, vel illorum tam innumera tamque nefaria sacrilegiorum crimina hæc

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sunt enim Jeremiæ verba, non Isaiæ, cum tamen manuscripti plerique, Cuychio teste, legant Isaiam. At Dionysius pro Isaia substituit Jeremiam.

[b] Id est, rigida, pungente, austera. Ita lib. X Institut. cap. 5 caustica dixit medicamenta, de quibus ibidem actum.

[c] Vulgata versio, *Cædam eos secundum auditionem cœtus eorum*. Notat Ciaconius apud Origenem, homil. 16 in Numeros, vitiose legi : *Terret Deus ut corripiat hominem in auditionis tribulatione*, pro *in auditione tribulationis;* vel ut est apud eumdem hom. 1 in Ezechielem : *Arguam eos in auditu angutinæ eorum.*

[d] Dictum hoc est, non regi Achab, ut videtur hic Auctor, prioribus hæc connectens, indicare; sed prophetæ illi qui missus fuerat in Bethel ad increpandum Jeroboam, et a falso propheta seductus comedit contra præceptum Domini; quamobrem a leone occisus est, et peregrinæ traditus sepulturæ (III *Reg.* XII).

excoquere brevis ac momentanea pœna sufficeret, sed ut cæteris quoque qui futura vel negligentes, vel penitus non credentes, consideratione tantummodo præsentium frangebantur, terror istarum quas metuebant ultionum incuteretur exemplo, nec apud illam summi numinis majestatem esse humanarum rerum et quotidianæ dispensationis incuriam documento hujus severitatis agnoscerent, ac retributorem Deum cunctorum actuum per hæc quæ gravissime formidabant manifestius perviderent. [a] Invenimus sane etiam pro levioribus culpis nonnullos eamdem mortis ad præsens excepisse sententiam, qua sunt et illi puniti quos prædiximus exstitisse sacrilegæ prævaricationis auctores, ut factum est in illo qui sabbato ligna collegerat (*Num.* XV), vel in Anania et Sapphira, qui parum quiddam de substantia sua infidelitatis errore servaverant (*Actor.* V) : non quod æqualia fuerint pondera peccatorum, sed quia reperti novæ transgressionis præsumptores, debuerunt præbere cæteris, quemadmodum peccati, ita etiam pœnæ ac terroris exemplum, ut quisquis eadem deinceps affectare tentasset, nosset sibi secundum eamdem formam qua illi damnati sunt, etiam si in præsenti supplicium differatur, in futuri judicii examinatione reddendum. Et quia videmur excessum quemdam, dum genera tentationum vel ultionum percurrere volumus, a proposita narratione fecisse, qua dicebamus virum perfectum in utraque tentatione manere semper immobilem, ad eamdem nunc iterum revertamur.

CAPUT XII.

Quomodo vir justus non ceræ, sed adamantino signatorio debeat esse consimilis.

Itaque mens viri justi non debet esse similis ceræ, vel alterius cujusquam materiæ mollioris, quæ semper characteri signantium cedens pro ejus forma atque imagine figuratur, quamque in se tamdiu retinet, donec alio rursus impresso signaculo reformetur, atque ita fiet ut, numquam in sua qualitate persistens, ad formam eorum quæ imprimuntur semper convertatur ac transeat : quin potius debet velut quoddam esse [b] adamantinum signatorium, ut inviolabilem mens nostra figuram sui semper custodiens characteris, universa quæ incurrerint sibi ad qualitatem sui status signet atque transformet ; ipsa vero insigniri nullis incursibus possit.

CAPUT XIII.

Interrogatio, si possit mens in una atque eadem qualitate jugiter durare.

Germanus : Potestne mens nostra unum statum jugiter retinere, et in eadem semper qualitate persistere ?

CAPUT XIV.

Responsio ad interrogantis propositionem.

Theodorus : Necesse est ut, secundum Apostolum, aut *renovatus quis spiritu mentis suæ* (*Ephes.* IV) per singulos dies proficiat, *ad ea quæ in ante sunt se semper extendens* (*Philipp.* III) ; aut si neglexerit, [c] consequens est ut retro redeat atque in deterius relabatur. Et idcirco nullo modo mens poterit in una atque eadem qualitate durare, velut si quis contra aquas fluminis violenti navem subigere remorum impulsione conetur, necesse est eum aut virtute brachiorum torrentis alvei impetum desecantem ad superiora conscendere, aut remissis manibus ad præceps prono amne revocari. Quapropter istud erit evidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus nos nihil amplius acquisisse ; nec dubitemus retrorsum nos omnimodis revocatos, qua die non senserimus ad superiora progressos, quia, ut dixi, nec in eodem statu mens hominis potest jugiter permanere, nec in hac carne consistens, ita virtutum apicem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] In eamdem sententiam Isidorus Pelusiota ad Orionem monachum ita rescripsit (*Lib.* I *epist.* 181) : *Non credulitatis, atque amentiæ fuit, vir studiosissime, quod sapientissimus Petrus eos qui peccaverant morte affecit* (*Act.* V), *verum præscientis doctrinæ multa hominum peccata præsanantis. Nam cum tunc Evangelii sementem facere incœpissent, ac statim enata zizania conspexissent, sapienti consilio ea confestim evulserunt ne una cum tritico aucta futuro igni ad exustionem servarentur. Ad eumdem modum divinus quoque Moyses legem ab initio statim violatam perspiciens, etsi ob exiguum peccatum, saxis tamen eum obrui jussit, qui die sabbati ligna collegerat, Deum videlicet hanc sententiam tulisse scribens.* Hæc Isidorus (*Lib.* VII *Instit.* c. 14). Porro de Ananiæ et Sapphiræ interitu alias egimus.

[b] Hoc est, sigillum ex adamante lapide, cujus durities, teste Plinio (*Lib.* XVII *Hist. nat. cap.* 4), tanta est, ut nec ferro cedat, nec igni, nec umquam incalescat. Unde proverbium natum, quo quidquid durum, indomitum, inexpugnabile, adamantinum vocamus. Hinc Origenes Adamantius dictus ob infatigabilem in scribendo legendoque naturam, cognomento ab invincibili adamantis lapidis vi imposito (*D. Hieron. epist.* 18).

[c] Locus communis de profectu spirituali, quem nonnullis SS. Patrum sententiis juvat illustrare et confirmare. August. in psalm. LXIX : *Quantumcumque,* inquit, *hic vixerimus, quantumcumque hic profecerimus, nemo dicat : Sufficit, justus sum. Qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse* (*Philipp.* III). *Et rursum dicit : Qui se putat scire, nondum scit, quemadmodum eum oporteat scire* (I *Cor.* VIII). *Unum autem quæ retro sum oblitus, in ea quæ ante sunt, extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philipp.* III). *Ille ergo currit, tu hæsisti? Ille dicit se nondum perfectum, tu de perfectione gloriaris?* S. Leo pontifex in serm. 2 de Quadragesima : *Natura nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis, etsi ad summa quæque virtutum studia provehatur ; semper tamen sicut potest habere quo recidat, ita potest habere quo crescat. Et hæc est perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant se esse perfectos ; ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.* D. Bernardus in quadam epistola (*Epist.* 255) : *O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in quod perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest. Quid enim stat in hoc sæculo? et certe de homine specialiter dictum est : Fugit velut umbra et numquam in eodem statu permanet* (Job. XIV.) Vide eumdem, epist. 341.

possidebit quisquis ille sanctorum, ut immobilis perseveret. Necesse est enim aut aliquid adjici illis semper aut minui, nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subjaceat passioni, secundum illud quod in libro beati Job legitur : *Quid est homo, ut immaculatus sit et justus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus* (*Job.* XV). Solum namque Deum immutabilem confitemur, quem tantummodo sancti illius prophetæ ita compellat oratio : *Tu autem idem ipse es* (*Psal.* CI). Et ipse de se : *Ego sum,* inquit, *Deus, et non mutor* (*Malach.* III), quia scilicet ipse sit solus naturaliter, semper bonus, semper plenus, semperque perfectus, cui nihil nec adjici possit aliquando, nec minui. Ideoque debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsisque nos jugiter exercitiis occupare; ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur. Ut enim diximus, in uno mens eodemque statu manere non prævalet, id est, ut nec augmenta virtutum capiat, nec detrimenta sustineat. Non acquisisse enim ejus minuisse est, quia desinens proficiendi appetitus non aberit a periculo recedendi.

CAPUT XV.

Quod detrimentum sit discedere e cella.

Ideoque jugis cellæ commoratio retentanda est. Toties enim etiam reversus quis velut novus in ea et incipiens habitator, titubabit atque turbabitur, quoties ab eadem fuerit evagatus. [a] Illam namque quam in cella residens acquisierat animi intentionem, si fuerit relaxata, recuperare rursus non sine labore poterit ac dolore, et per hoc reductus retro non de amisso cogitabit profectu quem superadjicere potuit, si e cella non fuisset excussus, sed gaudebit potius si illum statum de quo recidit semetipsum senserit recepisse. Nam sicut amissum ac præteritum tempus ulterius revocari non potest, ita ne illa quidem quæ perierunt possunt emolumenta restitui. Quantumlibet enim post hæc animi intentio fuerit operata, instantis diei profectus et præsentis temporis quæstus est, non lucri semel perditi recuperatio.

CAPUT XVI.

De mutabilitate supernarum cœlestiumque virtutum.

Mutabilitati autem etiam supernas potestates, ut diximus, subjacere, declarant illi qui de eorum numero corruptæ voluntatis vitio corruerunt. Unde [b] neque illi immutabilis naturæ esse putandi sunt, qui in illa qua creati sunt beatitudine perseverant, eo quod in contrariam partem non fuerint similiter depravati. Aliud namque est immutabilis naturæ esse, aliud virtutis industria bonique custodia per immutabilis Dei gratiam non mutari. Quidquid enim per diligentiam vel acquiritur vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire. Ideoque dicitur : [c] *Ne beatifices hominem ante exitum suum* (*Eccli.* XI), quod videlicet adhuc in [d] colluctatione quisque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quantum profectui spirituali noceat, quantum detrimenti afferat frequens ac libera monachi evagatio, et excursus extra monasterium, vel ex hoc capite discas licet. Hinc apud Patres frequens et vulgata illa sententia : *Quod aqua piscibus, hoc cella monachis* (16, *q.* 1, *c. Placuit*) : quia sicut piscis extra aquam diu vivere non potest, ita monachus extra monasterium vitæ spiritalis dispendium facile incurrit. Quod aliis verbis dicere solebat magnus Antonius, teste Sozomeno (*Lib.* I *Histor. c.* 13) : *Aquam videlicet piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamentum : atque illos cum terram attingunt, vitam amittere; hos autem cum urbes adeunt, monasticam vitam perdere solere.* Similiter etiam in Vitis Patrum legitur, quod *quidam frater cum expetisset sermonem ab abbate Moyse, dicit ei senex : Vade, et sede in cella tua. Cella autem tua omnia te potest instruere, si ibi permanseris. Sicut enim piscis ex aqua eductus statim moritur, ita et monachus perit, si foris cellam suam voluerit tardare.* Hæc ibi. Hinc SS. Patres (*Athanas. in Vita S. Antonii*), præsertim vero D. Benedictus (*Cap.* 51 *et* 58 *Regulæ*), stabilitatem loci suis monachis tantopere inculcant et commendant. Hinc et sacri canones in monachos vagantes graviter et sæpe decernunt (*Apud Gratian. ubi supra*), de quibus alibi dicendum.

[b] Angelos immutabilis esse naturæ, seu natura immutabiles, duobus modis intelligi potest; et uno modo Patres negant, altero affirmant : primo, ut omnino immutabiles dicantur, id est, omnis mutationis expertes et incapaces, quomodo certum est neque angelos, neque ullam aliam creaturam esse immutabilem, et incorruptibilem; tum quia secundum naturam a Deo dependent, a quo si vel ad momentum desererentur, continuo in nihilum decidерent; tum quia aliis mutationibus et motibus subjacent, nam et voluntate mutantur, et cognitione, et loco. Qua ratione a Patribus (*Dionys. Areop. de Divin. nomin. c.* 4, *Nazianz. orat.* 35) dicuntur immortales aut immutabiles non natura, sed gratia. Ita sexta synodus art. 11, Ambrosius lib. III de Fide, Hieronymus adversus Pelagianos lib. II cap. 3, Damascenus lib. II de Fide Orthod. cap. 3. Alio autem modo dicuntur angeli, sicut et animæ hamanæ, natura immutabiles, et immortales, et incorruptibles, quia nullum habent suæ corruptionis et interitus principium sibi internum et intrinsecum. Unde D. Augustinus passim angelos vocat substantias immortales (*Lib.* XV cap. 17).

[c] Vulg. editio : *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.* Prætermisit hunc locum Ciaconius in indice locorum Scripturæ secundum LXX.

[d] Ita legendum, ut bene observavit Ciaconius, vel, ut alii codices habent : *In colluctationum scammate,* non *caumate,* ut Dionysius, vel *schemate, stemmate, stammate,* ut alii. Et enim σκάμμα Græcis stadii arena, sive locus, in quo athletæ certabant, ita dictum a verbo σκάπτειν, quod est fodere, quod fovea valloque circumseptus esset, e quo certantes egredi non liceret. Vox est Græcis auctoribus et Chrysostomo præcipue frequens. Utitur ea, metaphorice tamen, ut fere alii, Tertullianus in libro ad Martyres sic eos alloquens (*Cap.* 3) : *Epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritu unxit, et ad hoc scamma produxit.* S. Hieronymus epist. 61 contra errores Joannis Jerosolymitani : *Cur ita,* inquit, *omissis super quibus pugna est, de scammate et loco certaminis egrediens, in peregrinis et longe alienis disputationibus immoraris?* Apud eumdem in Commentariis Espistolæ ad Galatas cap. V vitiose legitur : *Videns plerosque de Scripturis inter se contendere; et athleticum stemma Dei facere sermonem,* cum plane legendum sit *scamma.* Æque vitiose apud S. Ambrosium lib. I Offic. cap. 16 : *Quid epulari gestis antequam stadium solvatur? Adhuc po-*

et (ut ita dixerim) scammate constitutus, quamvis A vincere soleat, ac frequens palmas victoriæ consequatur, non potest tamen a metu ac suspicione incerti proventus esse securus. Et idcirco [a] Deus solus immutabilis [b] vel bonus dicitur, qui bonitatem non industriæ studio, sed naturaliter possidens non potest aliud quid esse quam bonus. Nulla igitur virtus potest immobiliter ab homine possideri; sed ut parata jugiter teneatur, necesse est eam semper illa qua acquisita est sedulitate atque industria custodiri, [c] et, quod magis verum est, juvantis gratiæ beneficio custodiri.

CAPUT XVII.

Quod nemo ruina subitanea collabatur.

Lapsus vero quispiam nequaquam subitanea ruina B corruisse credendus est, sed aut pravæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, et per hoc sensim vitiis increscentibus casu miserabili concidisse. [d] *Ante contritionem enim præcedit ruina, et ante ruinam mala cogitatio* (*Proverb.* XVI); quemadmodum domus numquam subitaneo ad ruinam procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidiis primum parvissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vestustam negligentiam in majorem modum patefactis atque collapsis, ubertim post hæc influit pluviarum imbriumque tempestas. *In pigritiis enim humiliabitur contignatio, et in segnitie manuum stillabit domus* (*Eccles.* X). Quod animæ spiritalier evenire idem Salomon aliis verbis ita designat: [e] *Stillicidia*, inquiens, *ejiciunt hominem in die hiemali de domo sua* (*Prov.* XXVII). Eleganter ergo mentis incuriam domati comparavit tectoque neglecto, per quam primo quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si velut parva ac levia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, et post hæc influunt imbre largissimo vitiorum; per quem in die hiemali, id est, in tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspecta diligentia se retinens, velut in domo propriæ possessionis requieverat. His itaque compertis infinitam spiritalis cibi percepimus voluptatem, ita ut ex hac collatione majore animi gaudio repleremur, quam ante tristitia super nece sanctorum fueramus affecti. Non solum enim de quibus hæsitabamus edocti sumus, verum etiam illa quæ pro tenuitate sensus nostri inquirere non noveramus, sub illius quæstionis interrogatione cognovimus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

pulus spectat, adhuc athletæ in stemmate (pro *scammate*) *sunt, et tu jam cibum petis?* Aliis vero locis apud eum integre legitur, ut lib. de Elia et Jejunio cap. 13: *In scammate, si quis de manu levat, exsors quidem palmæ, sed immunis injuria*, etc. Et cap. 21: *Progressus in scamma necesse est ut excipias pulverem.* Et rursus: *Luctator in scammate, et pulvis in stadio.* Paulinus in epist. 2 ad Severum: *Noli*, inquit, *interim dum in scammate sumus*, etc.

[a] Solus Deus omnimode et absolute immutabilis est, juxta illud Malachiæ III: *Ego Dominus, et non mutor*; et I ad Tim. VI: *Qui solus habet immortalitatem.* Nam perfecta immortalitas est omnimoda immutabilitas. Unde D. Bernardus serm. 81 in Cantica: *Vera*, inquit, *et integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem, quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est; ut esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas? Apud Deum autem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jacob.* I. S. *Thom.* I *part. q.* 9). Dicitur etiam Deus solus immutabilis et immortalis, nimirum ex se et natura sua, ut qui sit essentialiter ipsa vita, nullum habens ullius mutationis principium, neque internum, neque externum; angeli vero et animæ rationales participative tantum, et, ut Patres loquuntur, per gratiam sunt D immortales, incorruptibiles, ut superius dictum est (*S. Thom.* I *part. q.* 9).

[b] Qua ratione dicitur Deus solus immutabilis et immortalis, scilicet per essentiam; eadem et solus bonus dicitur per essentiam, quia est ipsa bonitas. Hinc Matth. XIX dicitur: *Unus est bonus Deus*; et C Lucæ XVIII: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, scilicet ex se et per naturam.

[c] Notavit Cuychius, in antiquioribus librisexcusis desiderari hæc verba, quæ tamen, inquit, in octo mss. codicibus et apud Dionysium reperiuntur. Proinde merito retinenda, quia sana et opportuna.

[d] Vulgata et Clementina lectio: *Contritionem præcedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus.* D. Hieronymus, lib. III adversus Rufinum cap. ult., ita citat: *Ante contritionem præcedit contumelia, et ante ruinam mala cogitatio.*

[e] Ita enim citat D. Hieronymus lib. I in Jovin. LXX secutus, qui sensum adagii paraphrastice exposuerunt, quod in Hebræo ita sonat: Stillatio *jugis in die imbris, et mulier contentionum, æquata est.* Pro quo noster interpres vertit: *Tecta perstillantia in die frigoris et litigiosa mulier comparantur.* Et brevius itidem Proverb. XIX: *Tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier.* Ubi tamen LXX multum ab Hebræo et nostra versione discrepant. Partem itaque sententiæ hic truncavit Auctor, alteram duntaxat suo instituto servientem allegans.

COLLATIO SEPTIMA,

Quæ est prima Sereni abbatis.

DE ANIMÆ MOBILITATE ET SPIRITALIBUS NEQUITIIS.

CAPUT PRIMUM.

Summæ sanctitatis et continentiæ virum nomi- A nisque sui speculum [a] abbatem Serenum, quem singulari sumus veneratione præ cæteris admirati,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hæc eadem de Sereno abbate et iisdem verbis referuntur in Vitis Patrum lib. IV c. 50, unde etiam

studiosorum mentibus insinuare cupientes, alias arbitramur desiderium nostrum nos explere non posse, quam si collationes ejus nostris libellis tentaverimus inserere. Cui supra omnes virtutes quæ non solum in ejus actu vel motibus, sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, ut etiam se ne ipsis quidem naturalibus incentivis inquietari vel in sopore sentiret. Ad quam tamen carnis præcipuam puritatem quemadmodum gratia Dei adminiculante pervenerit, quoniam supra conditionem naturæ videtur esse humanæ, necessarium reor primitus explicare.

CAPUT II.

Præclarum miraculum de puritate corporis adepta, et interrogatio prædicti senis super statu cogitationum nostrarum.

Hic igitur pro interna cordis atque animæ castitate nocturnis diurnisque precibus, jejuniis quoque ac vigiliis infatigabiliter insistens, cum vidisset orationum suarum obtinuisse se vota, cunctosque æstus in corde suo concupiscentiæ carnalis exstinctos, velut suavissimo gustu puritatis accensus, in majorem sitim zelo castitatis exarsit, et intentioribus cœpit jejuniis atque obsecrationibus incubare, ut mortificatio passionis hujus quæ interiori homini suo dono Dei fuerat attributa, ad exterioris hominis etiam puritatem eatenus perveniret, ut ne ipse quidem vel illo simplici ac naturali motu qui etiam in parvulis atque lactantibus excitatur, ulterius pulsaretur, [a] indepti scilicet muneris experimento, quod se noverat non laborum merito, sed Dei gratia consecutum, ardentius animatus ad hoc quoque similiter obtinendum; credens multo facilius hos stimulos carnis radicitus Deum posse convellere, quos etiam humanæ artis industria nonnumquam solet quibusdam poculis vel medicamentis, seu ferri A sectione detrahere, quandoquidem illam spiritus puritatem quæ sublimior est, quamque impossibile est humano labore vel studio comprehendi, suo munere contulisset. Cumque petitioni cœptæ supplicatione jugi ac lacrymis indefessus insisteret, adveniens ad eum angelus in visione nocturna ejusque velut aperiens uterum, quamdam ignitam carnis [b] strumam de ejus visceribus avellens ac projiciens, suisque omnia, ut fuerant, locis intestina restituens: Ecce, inquit, incentiva carnis tuæ abscissa sunt, et obtinuisse te noveris hodierna die, [c] perpetuam corporis puritatem, quam fideliter poposcisti. Hæc de gratia Dei, quæ memorato viro peculiariter attributa est, breviter dixisse sufficiat. Cæterum de illis virtutibus, quas cum reliquis summis viris communiter possidebat, aliquid commemorari superfluum B puto, ne specialis super nomine hujus ista narratio aliis demere videatur id quod de isto singulariter prædicatum fuerit. Hunc igitur summo desiderio collationis ejus atque institutionis accensi, diebus [d] Quadragesimæ videre curavimus. Qui cum a nobis de qualitate cogitationum nostrarum et interioris hominis statu tranquillissima compellatione quæsisset, vel quid nobis ad ejus puritatem tanti temporis eremi habitatio contulisset, his eum querimoniis adorsi sumus.

CAPUT III.

Responsio nostra super animæ mobilitate.

Supputatio temporum ac solitudinis habitatio, cujus contemplatione conjicis interioris hominis C perfectionem nos consequi debuisse, hoc solummodo contulit nobis, ut disceremus quid esse nequeamus, non tamen fecit esse quod esse contendimus; nec enim aut desideratæ puritatis fixam stabilitatem aut robur aliquod firmitatis nos ac scientiæ novimus assecutos, sed tantummodo confusionis ac pudoris augmenta. Etenim cum omnium disciplinarum me-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

accepit Petr. Equilinus, et retulit in Catalogo (*Lib.* III, c. 148). Meminit et Photius tam hujus abbatis Sereni (*In Cassiani elogio; vide initio operis*), quem abbati Moysi vitæ genere et doctrina parem facit, quam hujus collationis cum eo habitæ, cujus summaria capita perstringit, eamque tertio loco post duas collationes illius Moysis recenset. Unde colligitur Græce scilicet fuisse translatas, ut alias monuimus.

[a] *Indepti*, pro adepti, quod Cassiano familiare, ut alibi notavimus (*Lib.* VI *Inst.* c. 13).

[b] Struma proprie tumor est cervicem præcipue infestans, cum circa guttur glandulæ quædam ex pure et sanguine concretæ oriuntur: Gallice *écrouelles* *Coll.* *Rhod. antiq. l.* X, *cap.* 26). Hic vero pro particula, aut frustulo, sive globulo carnis tumidæ et noxiæ sumitur. Cujus similitudine dicitur a Cicerone struma civitatis, pro peste aut pernicie. Sic enim in oratione pro Sextio: *Hi medentur reipublicæ, qui exsecant pestem aliquam, tamquam strumam civitatis.*

[c] Simile est, quod de S. Equitio commemorat D. Gregorius lib. I Dialog. cap. 4: *Hunc*, inquit, *cum juventutis suæ tempore, acri certamine carnis incentiva fatigarent, ipsæ suæ tentationis augustiæ eum ad orationis studium solertiorem fecerunt; cumque hac in re ab omnipotenti Deo remedium continuis precibus quæreret, nocte quadam assistente Angelo eunuchizari se vidit, ejusque visioni apparuit, quod omnem modum ex genitalibus ejus membris abscinderet; atque ex eo tempore ita alienus exstitit a tentatione, ac si sexum non haberet in corpore. Qua virtute fretus ex omnipotentis Dei auxilio, ut viris ante præerat, ita cœpit postmodum etiam feminis præesse; nec tamen discipulos suos admonere cessabat, ne se ejus exemplo in hac re facile crederent, et casuri tentarent donum, quod non accepissent.* Aliud item exemplum haud multum absimile singularis castimoniæ et puritatis divinitus et angelico adminiculo sive ministerio collatæ habes in S. Thoma Aquinate, qui cum scortum e cubiculo D titione arrepto fugasset, angeli duo ejus lumbos noctu constrinxere fascia (quæ adhuc Vercellis exstare dicitur), quo factum est ut nullis deinceps carnis stimulis pungeretur (*Leand. in ejus Vita*). Huc spectat quod sacerdos celebraturus, dum inter vestes sacras cingulum accipit, ita orat: *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in me humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis.*

[d] Nota antiquam Quadragesimæ observationem, de qua et alibi sæpius meminit Auctor, ut collat. 10 c. 2, collat. 21 c. 2 et sequent., quæ est de remissione Quinquagesimæ, quæ Quadragesimam subsequitur. Ubi plura de eadem notabimus *Cap.* 21 *et seq.*).

ditatio ad hoc quotidianis studiis exerceatur atque perficiatur, ut a tepidis rudimentis ad peritiam certam stabilemque perveniens, incipiat nosse quæ primitus vel ambigue noverat, vel penitus ignorabat, et firmo (ut ita dixerim) gradu in illius disciplinæ qualitate procedens, perfectæ in ea ac sine ulla jam difficultate versetur; [a] e contrario me in hujus puritatis studio laborantem id solummodo profecisse reperio, ut sciam quid esse non possim : ex quo nihil mihi aliud sentio quam luctum tanta cordis contritione conferri, ut numquam scilicet desit materia lacrymarum, nec tamen esse desinam quod esse non debeo. Et idcirco quid profuit didicisse quod summun est, si cognitum nequeat apprehendi? Nam cum directionem cordis ad destinatam contemplationem pertendere senserimus, insensibiliter mens inde revoluta ad priores evagationes impetu vehementiori prolabitur, et ita quotidianis distentionibus occupata innumeris captivitatibus incessanter abducitur, ut propemodum jam desperetur a nobis desiderata correctio, et superflua hæc observantia videatur. Siquidem [b] per momenta singula lubricis discursibus animus evagatur. Cumque ad timorem Dei, vel contemplationem reducitur spiritalem, priusquam firmetur in ea, rursus fugacius evanescit. Cumque eum velut expergefacti deprehenderimus ab intentione proposita deviasse, atque ad illam theoriam, unde discesserat, reducentes, voluerimus tenacissima cordis intentione, velut quibusdam vinculis obligare, in ipso conatu nostro ocius quam anguilla de recessibus mentis elabitur. Ob quam rem quotidianis hujusmodi observationibus æstuantes, nec tamen ex ipsis aliquod nostro cordi stabilitatis robur accessisse cernentes, ad hanc opinionem fracti desperatione transducimur, ut non nostro jam, sed naturæ vitio has animæ pervagationes humano generi inesse credamus.

CAPUT IV.

Disputatio senis de statu animæ ac virtute ejus.

Serenus : Periculosæ præsumptionis est, necdum rebus recte discussis, nec certa ratione collecta, de natura cujuslibet rei proponere, definire, ac de fragilitatis suæ consideratione capere conjecturam, nec de statu et qualitate ipsius disciplinæ vel de aliorum experientia proferre sententiam. Nec enim si quis ignarus natandi, sciens pondus corporis sui ferre aquarum liquorem non posse, experimento suæ voluerit imperitiæ definire neminem penitus posse liquidis elementis solida carne circumdatum sustineri, idcirco vera ejus opinio judicanda est, quam secundum experientiam suam visus est protulisse, cum hoc non solum non esse impossibile, sed etiam perfacile ab aliis fieri, ratione certissima et oculorum fide non dubia comprobetur. Νοῦς itaque, id est, mens, ἀεὶ κινητὸς, καὶ πολὺ κινητὸς, id est, semper mobilis, et multum mobilis definitur. Quod etiam in sapientia, quæ dicitur Salomonis, scriptum est, Γηΐνον οἴκημα βαρύνει νοῦν πολὺ φροντίζοντα, id est, [c] *Terrenum habitaculum aggravat mentem multa cogitantem* (*Sap.* IX). (*Vid. lib.* VIII *Institut. c.* IX.) Hæc igitur pro conditione naturæ numquam potest otiosa consistere, sed necesse est eam, nisi provisum habuerit ubi suos exerceat motus, et in quibus jugiter occupetur, propria mobilitate discurrere, et per omnia volitare, donec longo exercitio, usuque assuefacta diuturno, quod vos incassum dicitis laborare, experiatur et discat quas memoriæ suæ materias debeat præparare, erga quas circumagat indefessos volatus, et immorando robur acquirat, et ita prævaleat adversas inimici suggestiones, quibus distrahebatur, extrudere, atque in illo quem desiderat statu et qualitate durare. Non ergo hanc evagationem cordis nostri vel naturæ humanæ, vel Deo creatori ejus, debemus ascribere. Vera est enim Scripturæ sententia, quia *Dominus hominem fecit rectum, et ipsi quæsierunt cogitationes* [d] *malas* (*Eccle.* VII). [e] A nobis ergo earum qualitas pendet. Quia *cogitatio bona*, inquit, *scientibus eam appropinquat, vir autem prudens inveniet eam*. Quidquid autem ut inveniri possit nostræ prudentiæ industriæque subjectum est, si non fuerit inventum, sine dubio nostræ desidiæ vel imprudentiæ, non naturæ vitio reputandum est. Cui sensui Psalmista quoque congruit, dicens : *Beatus vir cujus est auxilium abs te, Domine, ascensiones in corde suo disposuit* (*Psal.* LXXXIII). Videtis ergo in nostra ditione consistere, ut sive ascensus, id est, pertingentes ad Deum cogitationes, sive descensus, ad terrena scilicet et carnalia corruentes, in nostris cordibus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Imperfectionem suam et fragilitatem ingenue agnoscit Cassianus; et quidem eo majoris modestiæ argumento, quod in singulari numero loquens seipsum tantummodo, non socium aut alium incuset aut taxet.

[b] Mentis humanæ mobilitatem sive inconstantiam graphice depingit, quæ huic collationi occasionem et argumentum dedit : cui deinde conjuncta est altera de spiritualibus nequitiis, id est, spiritibus nequam sive malignis tractatio, quod illi istiusmodi levitatis et inconstantiæ præcipue sint auctores et architecti, quam D. Augustinus volubilitatem mentis et cogitationes volubiles solet appellare.

[c] Textus Vulgatæ editionis : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Ubi Ciaconius : Hic locus, inquit, in Vatic. codic. Cassiani, ut in libris etiam Græcis Sapient. IX sic legitur : τὸ γεῶδες σκῆνος βρίθει νοῦν πολυφροντίδα. In impressis vitiose : γήϊνον οἴκημα βαρύνει νοῦν πολὺ φροντίζοντα. Hæc Ciaconius. Basileensis editio Græca omisit, ut et Dionysius Manuscripti quos legere quidem potui, ita corrupti, et mendosi, ut nihil certi ex eis haberi possit. Itaque Biblia regia, dum consulo, sic inveni : Φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, καὶ βρίθει το γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφροντίδα.

[d] Ita etiam Dionysius. Ciaconius vero ex Græco correxit, *cogitationes multas*; Græce enim habetur : λογισμοὺς πολλοὺς, et vulgata lectio magis respondet : *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Dominus hominem rectum, et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*.

[e] Lege septimam annotationem Cuychii ad finem operis positam.

disponamus. Quæ si non in nostra potestate consisterent, nec pharisæos Dominus increpasset : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX)? Nec per prophetam præcepisset, dicens : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (*Isa.* I). Et : *Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ* (*Jerem.* IV)? Nec in die judicii earum qualitas, quemadmodum operum exigetur a nobis, ita per Isaiam Domino comminante, *Ecce ego*, inquit, *venio ut congregem opera et cogitationes eorum cum omnibus gentibus et linguis* (*Isa.* LXVI). Sed nec condemnari quidem earum testimonio vel defendi in illo terribili atque metuendo examine, secundum beati Apostoli sententiam; meremur, ita dicentis, *Inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum* (*Rom.* II).

CAPUT V.

De perfectione animæ ad similitudinem evangelici centurionis assumptæ.

Hujus [a] ergo perfectæ mentis figura per illum evangelicum centurionem pulcherrime designatur, cujus virtus atque constantia, qua non quibuslibet ingruentibus cogitationibus abducebatur, sed pro suo judicio vel admittebat bonas, vel contrarias absque ulla difficultate pellebat, hac tropica significatione descripta est : *Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et alii, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit* (*Matth.* VIII). Si igitur nos quoque viriliter adversus perturbationes et vitia dimicantes potuerimus ea ditioni nostræ discretionique subjicere, ac militantes in carne nostra exstinguere passiones, vel instabilem cogitationum nostrarum cohortem rationis imperio subjugare, ac Dominicæ crucis salutari vexillo dirissimas adversariarum potestatum turbas a terminis nostri pectoris propulsare, pro tantorum meritis triumphorum, ad spiritalis hujus centurionis ordinem provehemur, quem in Exodo quoque per Moysen mystice legimus designatum : [b] *Constitue tibi chiliarchas et centuriones, et quinquagenarios et decanos* (*Exod.* XVIII). Et ita nos quoque dignitatis hujus apice sublimati, habebimus hanc imperandi potestatem atque virtutem, qua non quibus nolumus cogitationibus abducamur, sed his quibus spiritaliter delectamur immorari vel inhærere possimus, malis quidem suggestionibus imperantes, Abite, et abibunt; bonis vero dicemus : Venite, et venient. Servo quoque nostro, id est, corpori, ea quæ castitatis vel continentiæ sunt similiter injungemus, et sine ulla contradictione deserviet, non jam suscitans nobis adversos concupiscentiæ stimulos, sed omnem exhibens spiritui famulatum. Hujus centurionis qualia arma sint, vel ad quæ præliorum exercitia præparentur, audi beatum Apostolum prædicantem : *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia* [c] *Deo*. Dixit qualia sint, id est, *non carnalia* nec infirma, sed spiritalia et *potentia Deo*. Deinde ad quos sint exercenda [*Lips. in marg.* exerenda] conflictus consequenter insinuat : *Ad destructionem munitionum* [d] *cogitationes purgantes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivantes omnem intellectum in obedientiam Christi, et præparati ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit primum vestra obedientia* (II *Cor.* X). Quæ quidem quia sigillatim percurrere sicut necessarium, ita etiam alterius temporis est. Armorum tantummodo volo vobis genera proprietatesque patefacere, quibus nos quoque si volumus bella Domini præliari, et inter centuriones evangelicos militare, accincti jugiter debemus incedere : *Sumite*, inquit, [e] *scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere.* Ergo fides est scutum quæ excipiens ardentissima libidinum tela, metu futuri judicii et cœlestis regni credulitate mortificat. *Et loricam*, inquit, *charitatis* (*Ephes.* VI). Ipsa nempe est quæ vitalia pectoris nostri circumdans atque communiens, lethalibus perturbationum objecta vulneribus, contrarios retundit ictus, nec ad interiorem hominem nostrum jacula diaboli penetrare permittit. *Omnia* enim *suffert, omnia patitur, omnia sustinet* (II *Cor.* XIII). *Et galeam spem salutis.* Galea capitis est munimem. Quia ergo caput nostrum est Christus, debemus istud semper spe futurorum bonorum velut inexpugnabili galea in cunctis tentationibus ac persecutionibus communire, et principaliter fidem ejus illæsam atque integram cu-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Eadem phrasi utitur collat. 1 cap. 8 ut ibi notatum. Dionysius paulo clarius : *Mens ergo perfecta pulcherrime figuratur per illum evangelicum centurionem.* Evangelicus centurio dicitur ille, cujus eximiam fidem et constantiam Christus ipse admiratus legitur (*Matth.* VIII) : cujus exemplum monachis imitandum hic proponitur, ut et ipsi veri et spiritales centuriones efficiantur : quomodo inferius etiam S. Apostolum evangelicum centurionem nuncupat.

[b] Textus vulgatus habet : *Constitue ex eis tribunos, et centuriones, et decanos* (*Exod.* XVIII), etc. Dionysius exponit : *Constitue tibi chiliarchos, sive tribunos, et centuriones.* Χιλιαρχος enim vel χιλιάρχης in militia dicitur qui mille hominibus præest, qui apud Romanos tribunus militum dicebatur, sicuti centurio, qui centum peditibus. Nam ut refert etiam Josephus, *ordo in militia Romanorum hic erat, ut milites ad centuriones, illi ad tribunos, quos Græci chiliarchos vel chiliarchas vocant, mane convenirent salutatum.*

[c] Id est, per Deum, seu per Dei auxilium ita valida, ut principis hujus mundi, id est, diaboli, munitiones omnes et machinamenta destruere possint, et convellere.

[d] Textus vulg. *Consilia destruentes.* Ambrosius et Hieronymus legunt, *cogitationes destruentes.*

[e] Quinque species armorum spirituali centurioni et ascetæ assumendas sub nomine πανοπλίας, id est, omnis armaturæ, enumeravit Apostolus, quæ hic pleraque eleganter exponuntur : 1° *scutum fidei*; 2° *loricam charitatis*, vel justitiæ; 3° *galeam*, id est, *spem salutis*; 4° *gladium spiritus, quod est verbum Dei*; 5° *calceamenta in præparatione Evangelii pacis*, id est, affectus bene mortificatos, sicque dispositos et præparatos ad currendam viam mandatorum Dei; 6° cingulum, sive balteum militarem; quo castitas designatur. *State succincti lumbos vestros* (*Vide notam ad cap.* 19 *lib.* VII *Instit.*).

stodire. Aliis enim membris truncatum quempiam licet debilem, possibile tamen est utcumque superesse. Sine capite vero nemini vel brevis vitæ spatium prorogatur. *Et gladium spiritus quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI). *Penetrabilius* namque *est omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque et medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* IV), dividens scilicet et abscindens quidquid in nobis carnale terrenumve repererit. Quibus armis quisquis fuerit communitus, ab hostium semper telis ac depopulatione defensus, non ut captivus ac subditus ad hostilem cogitationum terram constrictus deprædantium vinculis abducitur, nec audiet per prophetam, *Quare inveteratus es in terra aliena* (*Baruch.* III)? sed quasi triumphator ac victor in illa qua voluerit cogitationum regione consistet. Vis etiam ipsum robur ac fortitudinem centurionis hujus, quibus hæc arma, quæ prædiximus, *non carnalia*, sed *potentia Deo* gestat, agnoscere? Audi ipsum regem viros fortes ad spiritalem militiam congregrantem,[a] quo eos delectos signet ac probet. *Infirmus*, inquit, *dicat : Quia fortis sum ego; et qui patiens est, sit pugnator* (*Joelis* III). Videtis ergo bella Domini præliari, nisi patientes infirmosque non posse : illa proculdubio infirmitate qua fundatus ille noster evangelicus centurio cum fiducia loquebatur : *Cum enim infirmor, tunc potens sum*. Et iterum, *Virtus autem in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). De qua infirmitate unus prophetarum, *Et erit*, inquit, *qui infirmatur in vobis sicut domus David. Patiens etiam hæc bella præliabitur* (*Zach.* XII). Nempe illa patientia de qua dicitur, *Patientia vobis necessaria est, ut, voluntatem Dei facientes, recipiatis remunerationem* (*Hebr.* X).

CAPUT VI.

De perseverantia erga cogitationum custodiam.

Debere tamen ac posse nos Deo cohærere, et experientia propria deprehendimus, si mortificatas voluptates ac desideria mundi hujus habeamus abscissa; et illorum auctoritate docebimur, qui Domino colloquentes fiducialiter dicunt, *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII); et, *Adhesi testimoniis tuis, Domine* (*Psal.* CXVIII); et, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII); et, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI). Non ergo debemus his evagationibus animæ fatigati ab hoc studio relaxari : [b] *Qui* enim *colit terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, replebitur egestate* (*Prov.* XXVIII). Nec ab intentione hujus observantiæ perniciosa despe- B ratione frangamur, quia [c] *In omni sollicito inest amplius. Nam qui suavis et sine dolore [est, in egestate erit* (*Prov.* XIV). Et iterum : [d] *Vir in doloribus laborat sibi, et vim facit perditioni suæ* (*Prov.* XVI). Nec non etiam *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (*Matth.* XI). Nulla namque virtus sine labore perficitur, nec ulli possibile est ad istam quam cupitis stabilitatem mentis sine ingenti contritione cordis conscendere : *Homo enim ad laborem nascitur* (*Job.* V). Qui ut *in virum perfectum* possit *occurrere in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV), majori intentione necesse est semper esse pervigilem, jugique sollicitudine desudare. [e] Ad cujus tamen mensuræ plenitudinem nemo perveniet alias in futurum, nisi qui præmeditatus et imbutus ea C fuerit in præsenti, eamque adhuc in hoc sæculo positus prælibaverit, Christique membrum pretiosissimum designatus, [f] arrham compaginis illius per quam corpori ejus valeat copulari in hac carne pos-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Magnam hic in mss. exemplaribus lectionum varietatem observavit D. Cuychius. Nam alii legunt : *Quo eos dilecti signet*; alii : *Qua eos dilectione signet*; alii : *Quo eos dilectos signet*; alii : *Quomodo eos dilectos signet*; postremo alii : *Qui eos dilectos signet*. Atque hæc, inquit, ex omnibus mihi maxime probatur, cui maxime accedit ea lectio Plantini quæ hic in margine notatur.

[b] Vulgata lectio : *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectabitur otium, replebitur egestate*. Cui similis sententia Proverb. XII : *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est*; et Eccles. XX : *Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum*. Quod et poetice expressit Venantius Fortunatus hoc versu : D

Qui sua rura colit, solet horrea plena tenere.

[c] Ita LXX, ut notavit Ciaconius in suo indice. Vulgatus textus : *In omni opere erit abundantia; ubi autem sunt verba plurima, ibi frequenter egestas* (*Prov.* XIV).

[d] Vulgata editio : *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum* (*Prov.* XVI).

[e] Id est, ad quam perfectionem, et Christi similitudinem, de qua superius dixerat.

[f] Arrha, vel arrhabo, vel sine aspiratione, arra, arrabo, id proprie dicitur quod datur in confirmationem contractus. (*A. Gell. Noct. Attic. lib.* XXVII, *c.* 2), Gallice, *Denier à Dieu*. Alludere autem videtur. Auctor ad illud Apostoli Ephes. I : *Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ*, etc. (II *Cor.* I *et* V). Ubi pignus Latinus interpres pro arrhabone posuit, teste D. Hieronymo; sicut et alibi, cum dicit *Deum dedisse pignus spiritus in cordibus nostris*. Interest autem inter pignus et arrhabonem, quod pignus detur in mutuo, arrhabo vero in contractu emptionis et venditionis, locationis, et hujusmodi. Deinde pignus restituitur recepto mutuo; arrha autem non redditur accepto pretio, cum sit ipsa pars pretii (*Vide S. Thomam in Commentario*). Hinc D. Augustinus etiam annotavit quosdam codices habere : *Qui est arrha hæreditatis nostræ*; et fortasse melius quam qui, *pignus hæreditatis*; et Græce legi *arrhabonem*, non *pignus*; quemadmodum etiam legit Irenæus lib. V cap. 8. Quia tamen utrumque pro certitudine et securitate contractus ponitur, ideo interpres alterum pro altero usurpavit, pignus pro arrhabone. Hoc igitur modo arrham compaginis, id est, unionis cum Christo, vocat Auctor gratiam Spiritus S. et perseverantiam in amore Dei, quæ est veluti arrha et pignus futuræ immortalitatis et gloriæ, in qua perfecte unientur sancti Christo Domino, ut membra gloriosa capiti glorioso, et hæreditatem capient æternæ hæreditatis, ad quam vocati et adoptati sunt : *cujus gloriæ*, ait D. Hieronymus (*Epist.* LX), *jam in isto sæculo sancti arrhabonem et portiunculam susceperunt*.

sederit, unum dumtaxat desiderans, unum sitiens, ad unum omnes non solum actus suos, verum etiam cogitationes semper intendens, ut illud quod in futurum dicitur de beata conversatione sanctorum, [a] jam subarrhatum teneat in præsenti, id est, [b] sit ei Deus omnia in omnibus.

CAPUT VII.

Interrogatio de mobilitate animæ et impugnatione nequitiarum cœlestium.

Germanus : Posset forsitan hæc volubilitas mentis aliquatenus coerceri, si eam non tantus adversariorum numerus circumvallans ad ea quæ non vult, immo quo illam quoque suæ naturæ mobilitas rapit, indesinenter impelleret. Quam cum tam innumerabiles, tam potentes, tamque terribiles circumagant inimici, resisti illis ab hac præsertim frągili carne impossibile crederemus, nisi ad hanc opinionem vestris sententiis velut cœlestibus animaremur oraculis.

CAPUT VIII.

Responsio super adjutorio Dei et liberi arbitrii potestate.

Serenus : Adversarios nobis quidem jugiter insidiari, quicumque interioris hominis experti sunt pugnas, dubitare non possunt, Sed ita dicimus hos nostris profectibus adversari, ut eos tantummodo [c] incentores malorum, non etiam impulsores esse credamus. Cæterum nullus hominum posset omnino vitare peccatum quodcumque illi in cordibus nostris inurere [*Lips. in marg.* ingerere] voluissent, si eis quemadmodum ad suggerendum, ita et ad compellendum facultas violenta suppeteret. Quamobrem [d] sicut in illis est instigationis copia, ita et in nobis virtus respuendi sive acquiescendi libertas est attributa. Quorum tamen potentiam et impugnationes si pertimescimus, etiam protectiones atque adjutoria Dei econtrario conferamus, de quo dicitur, [e] *Major est* enim *qui in nobis est, quam qui in hoc mundo* (1 *Joan.* IV). Cujus auxilia multo vehementiore militant virtute pro nobis, quam adversum nos eorum multitudo confligit. Nam bonarum rerum non tantum suggestor, sed etiam fautor atque impulsor est Deus; ita [f] ut nonnumquam nos etiam invitos et ignorantes attrahat ad salutem. Constat ergo neminem posse a diabolo decipi, nisi illum qui præbere illi maluerit suæ voluntatis assensum. Quod Ecclesiastes his verbis evidenter expressit: *Quia enim non fit contradictio ab his qui faciunt malum cito, ideo repletum est cor filiorum hominum in ipsis ut faciant malum* (*Cap.* VIII). Ergo manifestum est hinc unumquemque delinquere, quod ingruentibus cogitationibus pravis non confestim repulsam contradictionis objiciat. Nam [g] *resistite ei,* inquit, *et fugiet a vobis* (*Jac.* IV).

CAPUT IX.

Interrogatio super animæ ac dæmonum conjunctione.

Germanus : [h] Quod istud, quæso, est animæ cum istis spiritibus nequam tam indiscretum permixtumque consortium, quo sic eidem non dicam jungi, sed uniri possint, et alloqui eam insensibiliter, et inseri, atque inspirare illi quæcumque voluerint, et ad ea quæ placuerint eam valeant instigare, ejusque cogitationes ac motus videant atque perlustrent : tanta-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, sub arrhabone, vel instar arrhabonis impartitum, vel oppignoratum. Sic B. Agnes apud S. Ambrosium (*In Vita S. Agnetis*). *Annulo suo subarrhavit me Dominus meus Jesus Christus,* id est, sibi obstrinxit, obligavit, despondit.

[b] De intellectu hujus sententiæ apostolicæ, alibi dictum est (*L.* V *Instit. cap.* 4) ex D. Hieronymo.

[c] Incentores, melius quam incensores, ut alias dictum. Dicuntur autem dæmones incentores malorum, non impulsores, seu compulsores, quia ad peccandum seu consentiendum peccato incitare hominem potest diabolus per modum suadentis, allicientis, blandientis, et delectabilia proponentis, ait S. Thomas (1-2, *q.* 80, *art.* 3); cogere autem neminem potest. Qua de re plura alibi notavimus (*Collat.* 11 *cap.* 19). Hoc ipsum notavit etiam Photius inter alia hujus collationis capita ita scribens : *Fieri nimirum non posse, quin turbetur a dæmonibus mens humana, quamquam compelli atque necessario cogiut in malum incidat numquam queat; nostrum enim esse morbum illum motumque vel depellere vel admittere.*

[d] Consule annotationem octavam Cuychii ad calcem operis.

[e] Christus, qui in cordibus piorum habitat per gratiam, major est et fortior diabolo, qui in mundo, id est in hominibus mundanis, dominatur : unde et princeps hujus mundi nominatur. Id docet parabola illa evangellica Luc. XI : *Cum fortis armatus custodit atrium suum,* etc.

[f] Hinc Ecclesia in quadam secreta orat : *Ut ad se nostras etiam rebelles compellat propitius voluntates* (*Domin.* 4 *post Pentec.*). Facit autem hoc Deus, qui suaviter omnia disponit, non cogendo, non vim aliquam aut necessitatem inferendo voluntati, sed efficaciter, etsi suaviter persuadendo illustrando intellectum, auferendo impedimenta, immittendo terrorem divini judicii, damnationis æternæ et pœnarum inferni, et aliis modis, quibus novit ex nolentibus, invitis, nihil minus cogitantibus, immo et rebellibus, volentes, promptos, obsequentes et currentes facere. *Voluntas enim hominis sic est in potestate Dei, ut quocumque voluerit, et quando voluerit, faciat eam inclinari,* ait D. Augustinus; sed plane suaviter, et quomodo par est Deum agere cum voluntate libera, ut libertatem arbitrii non destruat. Sic enim dicitur Deus homines trahere : *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum.* Quomodo dicimus : ille me in suam sententiam traxit; et Poeta : *Trahit sua quemque voluptas.* Sed de his plenius alio loco.

[g] Scite D. Gregorius diabolum comparat leoni simul et formicæ. Unde et Myrmicaleonem vocat, quasi ex formica et leone compositum : *Recte,* inquit (*Lib.* V *Moral. c.* 17). *Myrmicaleon, id est, leo et formica dicitur; formicis enim leo est, volatilibus formica : quia nimirum antiquus hostis, sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim ejus suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquam potest; si autem resistetur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spiritales vero infirmitatem illius pede virtutis calcant.*

[h] Quia superiori capite dictum fuerat neminem a diabolo posse decipi, nisi qui suum ei præbuerit assensum, objicit contra Germanus tantam videri subinde conjunctionem animarum et spirituum, sive dæmonum, ut utrorumque motus, gestus, actus, vix queant a se invicem discerni. Verum hoc argumentum dilucidius et explicatius proponitur cap. undecimo.

que inter ipsos ac mentem unitas fiat, ut sine Dei gratia, quid ex illorum incitamento, quid ex nostra voluntate procedat, discerni pene non possit?

CAPUT X.

Responsio in quem modum spiritus immundi humanis mentibus copulentur.

Serenus : [a] Non mirum est posse spiritum spiritui insensibiliter conjugari, et occultam [b] suadendi vim ad ea quæ libita fuerint exercere. Est enim inter eos sicut inter homines quædam substantiæ similitudo atque cognatio. Siquidem [c] definitio quæ de natura animæ assumitur, non incongrue etiam illorum substantiæ similitudini coaptatur. [d] Altrinsecus vero eos sibi inseri vel uniri, ita ut capax alter alterius esse possit, omnimodis impossibile est. [e] Hoc

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Obscuræ quæstioni obscura responsio. Sed utrumque elucidatur in sequentibus. Porro spiritus spiritui, id est, dæmon animæ rationali insensibiliter, id est, invisibiliter copulatur, dum in corpore energumeni simul existunt et illud inhabitant : sed anima informando, et vivificando; dæmon occupando, possidendo, movendo.

[b] Suadendi, inquit, non cogendi, aut compellendi, ut superius dictum est (*Cap.* 8). Facit autem hoc diabolus duobus modis, ut alibi etiam notatum est, vel per appetitum sensitivum, concitando passiones ejus ad res illicitas; vel per phantasiam, fingendo in ea phantasmata, quæ hominem moveant ad malum.

[c] Id est, pars definitionis animæ potest etiam illis spiritibus adaptari; vel, ut Dionysius planiore stylo : *nam et definitio, quæ de natura animæ* (scil. rationalis) *datur, illis etiam aliqualiter adaptatur*. Sunt enim substantiæ intellectuales et immortales, sicut anima rationalis; sed anima est forma corporis et substantia imperfecta; Angeli boni aut mali sunt substantiæ perfectæ, et non sunt formæ corporum. Unde inter errores Origenistarum numeratur, quod animas ex angelis et ex animabus rursus angelos fieri existimarint, ex sententia Platonicorum (*Hieron. ep.* 59 *et* 61; *Aug. de Civ. lib.* IX *c.* 11).

[d] *Altrinsecus*, id est, mutuo, sive invicem, sed quod *intrinsecus* potius legendum sit, patet; non enim aliud vult Auctor, quam animas hominum et spiritus, id est, dæmones in energumenis non intrinsece, id est, secundum substantiam, sed secundum proximitatem quamdam sibi uniri, id est, coexistere, et simul in uno corpore cohabitare, eo præsertim quod locum non occupent, nec se mutuo propellant; at non intrinsece, ut in se mutuo immeent et influant, quod soli Deo proprium, ut clarius sequenti nota exponitur.

[e] In mentem, seu animam hominis illabi, eamque penitus et intime penetrare, ac pervadere solius Dei esse, non item angeli aut dæmonis, communis est tum veterum Patrum, tum sequentium theologorum, sententia : quam ante alios egregie tractavit Didymus in libris de Spiritu sancto, ubi probat Spiritum sanctum esse verum Deum, Patri et Filio ὁμούσιον id est, consubstantialem, quod animas sanctorum vere et secundum se inhabitet, easque sua divinitate impleat et occupet; qua ratione dicantur pleni, aut repleti Spiritu sancto, cum nulla creatura animam seu mentem hominis capere vel ingredi secundum suam substantiam queat, sed hoc solummodo Deitati conveniat (*Lib.* I *a principio*). Et libro III, sub finem, solvit duo argumenta seu exempla quæ contra hanc doctrinam objici possent e Scriptura : alterum Ananiæ adquem Petrus in Actis dixisse legitur (*Act.* V) : *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?* Sic enim habent Græca : ἐπλήρωσεν τὴν καρδίαν σοῦ pro quo noster interpres vertit : *Cur tentavit Satanas cor tuum?* alterum Judæ proditoris, de quo legitur Joan. XIII : *Intravit Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes.* Ad utramque objectionem ita respondet Didymus : *Respondendum*, inquit, *ad id quod scriptum est : Quare implevit Satanas cor tuum? quod Satanas mentem alicujus et principale cordis impleat, non ingrediens in eum, et in sensum ejus atque, ut ita dicam, adytum cordis introiens* (*siquidem hæc potestas solius est Trinitatis*), *sed quasi callidus quidam, et nequam, ac fallax fraudulentusque deceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahit, per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus ipse plenus est. Denique et Elymas magus filius diaboli, juxta malitiam nequitiamque subsistens, plenus omni dolo et omni malitia scribitur, Satana patre ejus hanc ei voluntatem, quasi ex consuetudine vitiorum, in naturam vertente. Arguens itaque eum apostolus Paulus atque corripiens ait : O plene omni iniquitate et omni dolo, fili diaboli, inimice justitiæ Dei* (*Act.* XIII) *! Quia enim versipellis et callidus omnem in se dolum fraudulentiæ susceperat, appellatur filius diaboli; quia implebat ipse omne principale illius fraude et nequitia, et omni malitia, in tantum illiciens eum atque decipiens, ut ipse Satanas implesse animam ipsius, et habitare in eadem putaretur, quem ad omnes suæ perversitatis dolos ministrum sibi ac famulum præparaverat. Ad id vero quod secundum posueramus exemplum, quia in Judam introierat Satanas, hoc dicendum est : Observans diabolus, quibusdam motibus et operationum signis, ad quæ potissimum Judæ cor esset vitia proclivius, deprehendit eum patere insidiis avaritiæ, et reperta cupiditatis janua, misit in mentem ejus quomodo desideratam pecuniam acciperet, et per occasionem lucri proditor magistri et Salvatoris sui existeret, argentum proprietate commutans, et suscipiens pretium sceleris a Pharisæis atque Judæis. Hæc ergo cogitationis occasio locum tribuit Satanæ, ut in cor ejus introiens impleret eum pessima voluntate. Introivit ergo non secundum substantiam, sed secundum operationem, quia introire in aliquem increatæ naturæ est ejus quæ participatur ab omnibus.* Hactenus Didymus interprete D. Hieronymo. Ac demum ita concludit : *Non ergo, ut quidam putant, participatione naturæ sive substantiæ implet quempiam diabolus, aut ejus habitator efficitur; sed per fraudulentiam, et deceptionem, et malitiam inhabitare in eo creditur quem replevit.* Hæc ille, et alia quæ sequuntur in eamdem sententiam. Gennadius, seu quis auctor lib. de Dogmatibus Eccles. cap. ult. : *Dæmones*, inquit (*Tom.* III *Oper. D. August.*), *per energicam operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione, et oppressione uniri. Illabi autem menti illi soli possibile est, qui creavit.* Venerabilis Beda exponens illud : *Cur tentavit Satanas cor tuum? Notandum*, inquit, *mentem hominis per substantiam nihil implere posse, præter creatricem Trinitatem. Implet vero Satanas cor alicujus, non quidem illud ingressus; sed callida et fraudulenta deceptione in malitiæ affectum animum trahens per cogitationem, vitiorumque incentiva, quibus ille per diem perque noctem scatet. Igitur. Ananiæ cor Satanas implesse narratur, quia malitiæ suæ virus ei infudit.* His accedit D. Bernardus serm. 5 in Cantica, ubi ait : *Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet, nullo mediante nostri suive corporis instrumento, ita nobis immisceatur et infundatur, quo ejus participatione docti sive doctores, vel boni sive meliores efficiamur; nullus angelorum, nullus animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax, nec ipsi angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde hæc prærogativa summo ac incircumscripto Spiritui*, etc. Denique hunc illapsum in animam hominis soli Deo tribuunt scholastici cum Magistro Sentent. lib. II distinct. 8. Ex quibus intel-

namque solummodo deitati, quæ sola incorporea simplexque natura est, rectissime tribuitur.

CAPUT XI.

Objectio, utrum possint spiritus immundi eorum quos suppleverint animabus inseri vel uniri.

Germanus : Huic rationi satis arbitramur esse contrarium illud [a] quod videmus in arreptitiis fieri, cum afflati spiritibus immundis loquuntur et agunt ça quæ nesciunt. Quomodo ergo animas illorum spiritibus illis non credamus uniri, quorum videmus illas velut organum factas, et, derelicto naturali statu, ad illorum motus affectusque transire, ita ut jam non suas, sed illorum voces et gestus voluntatesque depromant ?

CAPUT XII.

Responsio quemadmodum energumenis immundi spiritus dominentur.

Serenus : Prædictæ definitioni nostræ non est contrarium, id quod dicitis in [b] energumenis fieri, cum spiritibus immundis arrepti loquuntur, vel agunt ea quæ nolunt, vel ea quæ ignorant proferre coguntur. Non enim uno modo istam eos infusionem spirituum sustinere certissimum est. Quidam enim sic afflantur, ut nequaquam ea quæ gerunt vel loquuntur intelligant, quidam vero norunt et postea recordantur. Quod fieri per infusionem spiritus immundi non ita putandum est, ut in animæ ipsius penetrans substantiam, et velut unitus ei, et quodammodo indutus ea, sermones ac verba per os patientis emittat. Nullo namque modo istud ab eis fieri posse credendum est. Nec enim per aliquam animæ diminutionem, sed per corporis debilitatem hoc evenire manifesta ratione deprehenditur, cum scilicet in illis membris in quibus vigor animæ continetur, immundus spiritus insidens, eisque importabile atque immensum pondus imponens, obscuritate teterrima intellectuales ejus obruit et intercipit sensus. Quod nonnumquam etiam vini febrisque vitio, seu nimii frigoris, aliisque valetudinibus extrinsecus superrenientibus videmus accidere. Quod ne beato Job diabolus, qui carnis ejus acceperat potestatem, moliretur inferre, præcepto Domini prohibetur, dicentis : *Ecce trado eum in manus tuas,* [c] *tantum animam ejus custodi* (Job. II), id est, tantummodo eum amentem ne facias, debilitato animæ domicilio, et intellectu invaso, aut rationis organo, per quam eum tibi resistere necesse est, sauciato : neque obruas intellectum ac sapientiam resistentis, [d] principale scilicet cordis ejus tuo pondere præfocans.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.


ligimus aliud esse ingredi animas seu illabi mentibus, aliud intrare seu ingredi corpora; et dæmonem ingredi quidem posse corpora, Deo permittente ; non autem ingredi animas, nisi improprie et metaphorice, dum in peccatum aliquod mortale per suggestionem inducit, aut in eo statu impœnitentes detinet : quomodo dicitur Satanas intrasse in Judam, et implesse cor Ananiæ, et immundi spiritus habitare in homine, et ab eo exire. Neque tamen ita corpus hominis dæmon ingreditur, ut ei tamquam forma uniatur, aut in illo sit, quomodo in corpore Deus intime et essentialiter inest, ut in omnibus rebus per essentiam, præsentiam et potentiam ; sed est ibi solummodo ut in loco, vel ut motor in suo mobili, vel tortor in eodem carcere cum reo (S. *Thom.* 1 *p., q.* 6, *art.* 3).

[a] Qui a diabolo secundum corpus possidentur, Latinis quidem arreptitii, Græcis vero dæmoniaci, vel ἐνεργούμενοι vocantur, quasi acti ab aliquo inexistente, intrinsecus agente dæmone. In eis enim, et per eos ut experientia notum est, varia et miranda operantur dæmones, perturbando scilicet eorum sensus interiores et exteriores, et appetitum illorum in hæc aut illa impellentes, ac omnibus eorum membris et organis pro sua voluntate utentes, ut vel loquelam vel auditum eis adimant, vel quæ volunt per eos eloquantur. Quæ quidem fieri ab inhabitante dæmone, et non extra hominem constituto, patet tum ex eo quod in Evangelio toties in curatione dæmoniacorum dicatur Salvator dæmones expulisse jubendo ut ab hominibus exirent, tum quod plerumque in dæmoniacis fiant quæ non possunt fieri nisi a dæmone inexistente, ut inflationes, et alia quæ in possessis cernuntur. Unde communis theologorum distinctio hoc discrimen statuit inter obsessos et possessos, quod in his sit dæmon ut erat in statuis idolorum nonnumquam : illos vero extrinsecus tantummodo divexet, obsideat, aut comitetur.

[b] De energumenis modo dictum est (*Cap. precedenti*), quorum duæ species hic exprimuntur.

[c] Animam tam de vita corporali quam de mentis sanitate exponunt Patres. Potuisset enim diabolus ut vitam, ita et mentem, id est, mentis sanitatem, et judicium Job eripere, si Deus permisisset, quorum utrumque verbis illis inhibuit.

[d] Mente scilicet abalienata, aut in furorem et insaniam redacta, aut penitus suffocata. Mentem enim apud veteres dici principale cordis, superius ex Didymo didicimus, qui mentem et principale cordis et adytum cordis nuncupat. Nec minus aperte Origenes Didymo antiquior homil. 9 in Exodum : *Potest,* inquit, *intra se agere pars illa, quæ in eo est pretiosissima omnium, quod quidam principale cordis appellant, alii rationalem sensum aut intellectualem substantiam, vel quomodocumque appellari potest in nobis portio nostri illa per quam capaces esse possimus Dei.* Et homil. 2 in Cantic. I, interprete D. Hieronymo, ad illud : *In medio uberum meorum commorabitur. Quis,* inquit, *ita beatus, ut habeat hospitem in principali corde, in medio uberum, in pectore suo sermonem Dei?* Ubi legendum *in principali cordis,* recte monet Ciaconius. Nam et S. Hieronymus lib. 1 contra Jovinianum cap. 17 ita legit : *Fratruelis meus mihi, et ego illi; in medio uberum meorum commorabitur, in principali cordis, ubi sermo Dei habet hospitium,* alludens ad verba Origenis. Ideo autem mens, sive ratio principale cordis dictum videtur, quod cum Platonici principale animæ, quod vocabant τὸ ἡγεμονικὸν, in cerebro esse censerent, Christiani e diverso illud potius in corde collocandum putarent. Unde Hieronymus in epist. ad Fabiolam, ubi agit de veste sacerdotali : *Quæritur,* inquit, *ubi sit animæ principale? Plato in cerebro, Christus monstrat in corde. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* ; et : *De corde procedunt cogitationes malæ* : et : *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris* (*Matth.* V, IX, XV)? Idem docent Tertullianus lib. de Anima cap. 15, Theodoretus orat. 3 de Providentia, Gregorius Nyssenus orat. 1 de Resurrectione Christi, quibus principale dicitur principatus, vel ut Tertulliano *principalitas,* id est, præcipua sedes animæ. Solus Lactantius (*Lib. de Opific. Dei c.* 16) in dubio ponit an in corde an cerebro sit sedes mentis. Verum posterius hoc D. Hieronymus nominatim impugnat ubi supra;



et iterum : [a] *Seminatur corpus animal, exsurgit corpus spiritale* (I *Cor.* XV). Quibus manifeste colligitur nihil esse incorporeum, nisi solum Deum, et idcirco psi tantummodo posse penetrabiles omnes spiritales atque intellectuales esse substantias, eo quod solus totus et ubique et in omnibus sit, [b] ita ut et cogitationes hominum et internos motus atque abdita mentis universa inspiciat atque perlustret. De ipso siquidem solo pronuntiavit beatus Apostolus dicens : [c] *Vivus est enim sermo Dei efficax, et acutior super omnem gladium ancipitem, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus, compagum quoque ac medullarum, ac discretor cogitationum et intentionum cordis, et non est creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda et aperta sunt* A *oculis ejus* (*Hebr.* IV). Et B. David inquit : *Qui fingit sigillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII). Et iterum : *Ipse enim novit occulta cordis* (*Psal.* XXXIII). Job quoque : *Qui solus nosti corda filiorum hominum.*

CAPUT XIV.

Objectio qua dæmones credi debent cogitationes hominum pervidere.

Germanus : Hac ratione qua dicis ne cogitationes quidem nostras intueri isti spiritus possunt. Quod existimare valde putamus absurdum, dicente Scriptura, [d] *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te* (*Eccles.* X). Et iterum, [e] *Cum diabolus misisset in cor Simonis Iscariotis ut traderet Dominum* (*Joan.* XIII). Quomodo ergo credi potest non patere eis cogitationes nostras, quarum [f] seminarium [g] pro

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Animale corpus dicitur a sensitiva et vegetativa parte animæ, quarum potentiarum actionibus, hic dum vivimus, corpus indiget. *Resurget autem corpus spiritale*, id est incorruptibile. Corpora vero justorum spiritualia speciali ratione, utpote quatuor dotibus, quas vocant theologi, nempe impassibilitate, subtilitate, agilitate et claritate prædita et ornata. Cæterum hæc ad probandam angelorum aut animarum corpoream substantiam nihil faciunt.

[b] Solum Deum corda hominum cogitationesque cognoscere tota Scriptura testatur. Præter loca hic citata habes I Paralip. XXVIII : *Omnia corda scrutatur Dominus, et universus mentium cogitationes intelligit.* II Paralip. VI : *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*, Job. X : *Ecce in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis.* Psalm. VII : *Scrutans corda et renes Deus*, Isa. I : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Jerem. XVII : *Pravum est cor hominis et inscrutabile ; et quis cognoscet illud? Ego Dominus probans corda, et scrutans renes.* Ubi pravum dicitur cor hominis, non tam quia malum, quam quia abstrusum, et reconditum, et difficile ut penetretur. Unde et LXX Interp. verterunt, *profundum super omnia.* Rom. VIII : *Qui scrutatur corda scit quid desiderat spiritus* ; et alibi passim.

[c] Possunt hæc tam de Verbo Dei increato, id est, Dei Filio, quam de Verbo creato intelligi. Proprie tamen hoc loco sermo Dei pro Verbo increato, et Dei Filio sumitur, ut hic abbas Serenus et alii Patres exponunt. Est enim hoc Verbum, de quo Joannis I dicitur : *In principio erat Verbum.* Et I Epist. V : *Pater, Verbum, et Spiritus sanctus.* Et Apocal. 19 : *Nomen ejus Verbum Dei*, quibus locis Græce legitur, λόγος. Quod indifferenter interpretes modo verbum, modo sermonem transferunt. Unde Ambrosius lib. IV de Fide cap. 3 legit : *Vivum enim est Verbum Dei*, etc. Habent autem hic singula verba suam emphasim et energiam. *Vivus enim et efficax Dei sermo*, seu Verbum dicitur propter vivificantem ejus operationem, et *penetrabilior omni gladio ancipiti*, id est, utrinque sciudente, quia Deus et Dei Filius oculis suæ cognitionis intima quæque penetrat, et pervadit, multo magis quam gladius utrinque acutus penetrare queat. *Pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus*, ubi per animam potentias animales, seu partem animæ sensitivam, quam cum brutis animalibus habemus communem : per spiritum vero partem rationalem seu intellectivam facultatem intelligunt. Itaque sermo Dei Christus usque ad divisionem animæ ac spiritus pertingit, dum animales et spirituales cogitationes discernit. *Compagum quoque ac medullarum*, supp. usque ad divisionem pertingit, non quia compages a medullis dividit, sed quia interna et externa nostra discutit et explorat. Nam compagum nomine, quæ sunt externæ colligationes membrorum, externa opera ; medullarum autem, B quæ intus latent, internas intelligit cogitationes ; quod explicat verbis sequentibus *Et discretor cogitationum, et intentionum cordis*, id est, non solum quid quisque cogitet in corde suo, verum etiam qua intentione cogitet ac velit, exactissime novit ac judicat.

[d] D. Hieronymus in hunc locum : *Principem*, inquit, *mundi hujus, et rectorem tenebrarum harum, cujus et Apostolus meminit* (*Ephes.* VI), *nunc Scriptura significat. Quod si in cor nostrum ascenderit, et animus malæ cogitationis vulnus acceperit, non debemus ultro locum tribuere, sed pugnare contra cogitationem pessimam, et liberari a peccato maximo, ne scilicet cogitationem opere compleamus ; quia aliud est cogitatione, aliud opere peccare.* Paulo post subdit hanc Symmachi interpretationem : *Si spiritus principis irruerit tibi, de loco tuo ne recedas, quia pudicitia comprimit peccata multa : id est, si titillaverit mentem tuam diabolus, et te ad libidinem concitaverit, ne sequaris cogitationem pessimam et blandientem voluptatem ; sed sta fortis et rigidus frigore castitatis, flammam voluptatis extingue.* C

[e] D. Augustinus tract. 55 in Joannem : *Si quæris quid missum sit in cor Judæ? hoc utique ut traderet eum. Missio ista spiritualis suggestio est, et non fit per aurem, sed per suggestionem. Diabolicæ enim suggestiones immittuntur, et humanis cogitationibus immiscentur. Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immissionem diabolicam, ut traderet discipulus magistrum.*

[f] Alibi *principium*. Siquidem abbas Moyses, collat. c. 19, tria cogitationum nostrarum dixit esse principia, quoniam ex Deo, ex diabolo, et ex nobis proficiscuntur. *Ex diabolo*, inquit, *cogitationum nascitur series, cum subvertere nos tam vitiorum oblectatione quam etiam occultis conatur insidiis, subtilissima calliditate mala pro bonis ostentans*, etc.

[g] Provide dictum, quasi diceret *non in totum*. Non enim omnes cogitationes, etiam pravæ, ex diabolica immissione et suggestione proveniunt. Nam D. Hieronymus ex illa sententia Matthæi XV : *De corde exeunt cogitationes malæ*, eos redarguit qui cogitationes omnes a diabolo immitti putant, et non ex propria nasci voluntate. Et Gennadius de Eccles. Dogmat. cap. 82 : *Non omnes*, inquit, *malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex nostri arbitrii motu emergunt.* Unde merito queri sibi visus est diabolus apud sanctum Antonium, quod sibi omnia peccata a Christianis, præsertim vero a monachis, imputarentur. Sic enim Antonius, referente Athanasio : *Pulsavit aliquando dæmon monasterii ostium. Egrediens video hominem enormi sublimitate porrectum caput usque ad cœlum. Cum ab hoc quisnam esset, inquirerem, ait : Ego sum Satanas. Et ego, Quid, inquam, hic quæris? respondit : Quid mihi frustra imputant monachi? cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? Et ego, Juste* D

parte maxima ipsis immittentibus atque instigantibus sentimus oboriri?

CAPUT XV.

Responsio quid possint dæmones in cogitationibus hominum, quidve non possint.

Serenus : Nulli dubium est [a] quod possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est, ex nostris dispositionibus aut verbis et studiis in quæ propensius conspexerint nos inclinari. Cæterum illas quæ necdum de internis animæ prodierunt, adire omnimo non possunt. Ipsas quoque co-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

faciunt, tuis enim frequenter molestantur insidiis. At ille ait : Nihil ego facio, se invicem turbant. Nam ego miserabilis factus sum : en nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem, jam mihi nulla sunt arma, cunctasque provincias Christi personat nomen; solitudines quoque monachorum stipantur choris. Ipsi se tueantur et observent, et me sine causa non lacerent, nec mihi immerito dira imprecentur. Tunc ego Dei gratiam cum alacritate admiratus, sic ad eum locutus sum : Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam novam et inauditam ascribo sententiam. Nam cum fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. Hæc ibi. Verum quo certius et distinctius constet quid hac de re sentiendum sit, audiendus hic D. Thomas (1-2, *q.* 80. *art.* 4), qui proposita hac quæstione, *Utrum omnia peccata hominum sint ex suggestione diaboli,* ita respondet : *Dicendum quod occasionaliter quidem et indirecte diabolus est causa omnium peccatorum nostrorum, in quantum induxit primum hominem ad peccandum : ex cujus peccato in tantum vitiata est humana natura, ut omnes ad peccandum proclives simus : sicut diceretur esse causa combustionis lignorum, qui ligna siccaret, ex quo sequeretur quod facile incenderentur. Directe autem non est causa omnium peccatorum humanorum, ita quod singula peccata persuadeat. Quod Origenes* (*Lib.* III *Periar. cap.* 7) *probat ex hoc, quod etiamsi diabolus non esset, homines haberent appetitum ciborum, et venereorum, et similium, qui posset esse inordinatus; quod subjacet libero arbitrio.* Hæc S. Thomas.

[a] Quæstio pervulgata hic discutitur : An angeli et dæmones cognoscant cogitationes cordium. Quamvis vero ex dictis constet solum Deum illabi mentibus humanis eique soli patere cogitationes hominum et consilia cordium, tamen haud parvæ difficultatis est intelligere qua ratione spirituales illæ substantiæ, sive spiritus illi incorporei natura subtilissimi et perspicacissimi, cogitationes et affectiones nostras perspicere et penetrare nequeant, eas præsertim quas ipsi nobis inspirare, suggerere et immittere dicuntur, cum nullo obice, aut impedimento, tam ex parte sua quam nostra ab hoc prohiberi videantur. Pro cujus rei explicatione, et pleniori elucidatione eorum quæ hic a Sereno hac de re disseruntur, notandum primo duplex esse genus operationum intellectus et voluntatis. Quædam enim sunt naturales, quædam liberæ. Naturales sunt quæ determinatæ ad unum, vel quæ præveniunt judicium et deliberationem, ut sunt primi motus, cogitationes, et affectiones subitaneæ, evagationes involuntariæ. Liberæ et voluntariæ quæ ex judicio et spontanea voluntate concipiuntur, nec sunt determinatæ ad unum. Ista autem duo genera operationum sic se habent, ut liberæ sint superioris cujusdam ordinis quam naturales : proinde ex cognitione naturalium non sequitur cognitio liberarum, quatenus liberæ sunt, id est, quantum ad affirmationem et negationem, electionem et fugam, assensum et dissensum.

Secundo, fatendum posse angelos et dæmones videre cogitationes et affectiones nostras naturales, etiam partis superioris et intellectivæ; naturales, inquam, quæ scilicet rationem et deliberationem præveniunt, nec sunt proprie actiones humanæ. Nam angeli perfecte cognoscunt omnes substantias, et potentias, et actus earum naturales, nec id in quæstionem vertitur. Naturæ enim actio nata est se manifestare, et sicut ejus substantia abscondi non potest, ita nec ejus effectus; voluntaria autem sicut libere producitur, ita libere occultatur et manifestatur.

Tertio pro certo tenendum est neque angelos neque dæmones virtute sua naturali posse cognoscere cogitationes et affectiones liberas et spontaneas, ut sunt in intellectu et voluntate, sine alterius manifestatione. 1° Quia hoc Deo tribuitur, ut proprium, ut ex multis Scripturæ locis superius ostensum, quibus accedit illud apostoli I Corinth. II : *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Ubi annotavit D. Thomas (*In commentario*) signanter dici : *Quis hominum, ne ab horum cognitione etiam Deus videatur excludi, qui secretorum cordis solus est cognitor. Manifesta autem est ratio, quare homo ea quæ in alterius corde latent scire non potest, quia cognitio hominis a sensu accipitur : et ideo ea quæ sunt in corde alterius, homo cognoscere non potest, nisi quatenus per signa sensibilia manifestantur, secundum illud I Regum* XVI : *Homo videt quæ foris patent, Deus autem intuetur cor. Sed nec angelus bonus, nec malus, ea quæ in corde hominis latent scire potest, nisi in quantum per aliquos effectus manifestantur : cujus ratio accipi potest ex ipso verbo Apostoli, qui dicit ea ratione spiritum hominis cognoscere quæ in corde hominis latent, quia in ipso homine est: Angelus autem neque bonus, neque malus, illabitur menti humanæ, ut in ipso corde hominis sit et intrinsecus operetur, sed hoc solius Dei proprium est.* Ita sanctus Thomas 2° Quia Patres uno ore ita docent, probantque Christi divinitatem ex cogitationum secretarum cognitione, toties in Evangelio manifestata, Ambrosius in V cap. Lucæ. Hieronymus in cap. XVII Jerem. et cap. IX Matthæi, Chrysostomus homil. 30 in Matthæum, Cyrillus lib. II in Joannem, et alii. 3° Ratione fundamentali D. Thomæ (I *p.*, *q.* 57, *art.* 4) : *Quia, inquit voluntas rationalis creaturæ soli Deo subjacet, et ipse solus in eam operari potest, ut principale ejus objectum et ultimus finis. Et ideo ea quæ ex voluntate sola dependent, vel quæ in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota.* Cum igitur interne voluntas nostra, præterquam a Deo, a nemine moveri possit, ejusque nutui voluntatis motus immediate subsit, Deo tantum et ipsi homini cogitanti et volenti proprius animus notus esse potest. 4° His accedit Joannis Climaci non illepida narratio, gradu 51, ubi de discretione agens, scribit monachos interdum de industria fefellisse dæmonem, dum aliud foris præ se ferrent, aliud mente et cogitatione versarent : *Qui vicerit,* inquit, *vitia, dæmones vulnerat, ac perid quod se habere vitia simulat, inimicos fallit, perduratque inexpugnabilis. Quidam ex fratribus aliquando ignominia affectus est, et cum omnino corde motus non fuisset, in mente secretius oravit, atque ita in ignominiis lamentari cepit hac ficta perturbatione, tranquillitatem suam sapientissime abscondens. Alius item ex fratribus cum primam sessionem omnino non cupit, hanc se appetere avidissime finxit. Illius vero castitatem quibus verbis eloquar, qui quasi peccandi causa lupanar ingressus, meretricem ipsam ad pœnitentiam traxit? Quidam item solitario cum primo mane uvæ botrum attulisset, jamque is qui attulerat, profectus ab illo esset, summo quodam ac celeri impetu illum devoravit absque appetitu ullo, per hoc seipsum gulæ addictum dæmonibus indicans, atque illos ludens. Alius item cum modicas amisisset palmas, tota die se mœrentem finxit.* Subdit porro idem Climacus hanc cautelam : *Summa istis vigilantia fuit, ne forte* (*dum hostes*

gitationes quas ingerunt, utrum susceptæ vel quemadmodum susceptæ sint, non per ipsius animæ naturam, id est, per illum interiorem motum in medullis, ut ita dixerim, latitantem, sed ex motibus atque indiciis exterioris hominis deprehendunt, utputa cum suggesserint gastrimargiam, si viderint monachum ad fenestram aut ad solem oculum curiosius erexisse, vel de hora sollicitius inquisisse, cognoscunt desiderium gulæ fuisse susceptum. Si fornicationem ingerentes senserint eum patienter telum libidinis suscepisse, seu viderint carne commotum, aut certe non ut oportuit adversus suggestionis immundæ suspirasse lasciviam, intelligunt in penetralibus animæ libidinis jaculum fuisse defixum. Si in incitamenta tristitiæ, si iræ, si furoris admoverint, utrumnam cordi insederint gestu corporis et sensibili commotione dignoscunt, cum scilicet eum vel infremuisse tacitum, vel cum quadam indignatione suspirasse, si vultum consideraverint quodam pallore aut rubore mutasse, et ita subtiliter cuinam quis sit vitio deditus deprehendunt. Illo namque unumquemque nostrum delectari certa ratione cognoscunt, ad cujus instigationem mox quodam nutu vel motu corporis consensum convenientiamque ab eo præstitam fuisse perviderint. Quæ ab illis aereis virtutibus ita deprehendi non mirum est, cum hoc a prudentibus quoque viris sæpissime fieri videamus ut scilicet interioris hominis statum de figura et vultu seu qualitate exterioris agnoscant. Quanto ergo certius hæc ab his poterunt deprehendi, quos utique, ut spiritalis naturæ, multo subtiliores ac sagaciores hominibus esse non dubium est!

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ludere nituntur) *illis magis ipsi ludibrio fuerint. Ili enim revera illi sunt de quibus ait Apostolus : Ut seductores, et veraces* (II *Cor.* VI). Postremo, etiam gentiles lumine naturali ducti aguoverunt et fassi sunt cogitationes humanas soli Deo cognitas, cæteros latere, Socrates apud Xenophontem lib. IV, Apollonius Tyanæus orat. ad Domitianum, Julianus Apostata apud Ammian. lib. XXV, Pacuvius apud Gellium lib. XIV cap. 6.

Quarto. Possunt tamen internæ cogitationes et animi affectiones ex signis exterioribus, v. g., ex vultus, vel alterius membri motu, aut mutatione, aut alio extrinseco signo deprehendi, et multo peritius et solertius ab angelis et dæmonibus quam a solertissimis et peritissimis etiam medicis deprehenduntur, ut docet hoc loco abbas Serenus, cui et alii Patres suffragantur. D. Hieronymus in cap. XV Matthæi : *Diabolus,* inquit, *adjutor et incentor malarum cogitationum esse potest, auctor esse non potest. Sin autem semper in insidiis positus levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammarit, non debemus opinari eum cordis quoque occulta rimari, sed ex corporis habitu et gestibus æstimare quid versemus intrinsecus ; verbi gratia, si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit cor amoris jaculo vulneratum.* D. Augustinus (*Tom.* III) libro de Divinatione dæmonum cap. 5 : *Aliquando,* inquit, *et hominum dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt; atque hinc etiam multa futura prænuntiant, aliis videlicet mira, qui ista disposita non noverunt. Sicut enim apparet concitatior animi motus in vultu, ut ab hominibus quoque aliquid forinsecus cognoscatur, quod intrinsecus agitur; ita non debet esse incredibile, si etiam leviores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quæ obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt.* Hæc Augustinus : quæ tamen videtur quodammodo retractare lib. II Retract. cap. 30, ubi ait : *Rem dixi occultissimam audaciore asseveratione quam debui, nam pervenire ista ad notitiam dæmonum per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia; an alia vi, et ea spiritali, ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inveniri.* Gennadius loco superius citato (*Eccles. Dogmat. c. ult.*) : *Internas animæ cogitationes diabolo non videri certi sumus, sed motibus eas corporis, ab illo et affectionum indiciis colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille novit, ad quem dicitur : Tu solus nosti corda filiorum hominum* (II *Paralip.* II). Denique D. Thomas veteres secutus : *Cognoscitur,* inquit, *cogitatio nterdum non solum per actum exteriorem, sed etiam per immutationem vultus, secundum illud Poetæ :* O quam difficile est animum non prodere vultu! *Et etiam medici aliquas affectiones animi per pulsum cognoscere possunt; multo magis angeli, vel etiam dæmones, quanto subtilius hujusmodi immutationes corporales perpendunt!*

Quinto. Addo et istud postremum, posse dæmonem, si Deus permittat, adeo vehementer phantasmatibus immissis hominem turbare ac distinere, ut vix queat alia de re cogitare, seu ad aliud advertere, quam quod ab eo suggestum fuerit : unde fit ut videatur divinare quid homo tunc cogitet. Cujus importunitatis et molestissimæ impugnationis complura suppetunt SS. Patrum testimonia et exempla. De S. Antonio fidem facit ejus Vitæ scriptor Athanasius, quam frequentes et importunas omnis generis tentationes expertus sit. De Hilarione D. Hieronymus : *Titillabat diabolus sensus ejus, et pubescenti corpori solita voluptatem incendia suggerebat. Cogebatur tiruculus Christi cogitare quod nesciebat, et ejus rei pompam animo volvere, cujus experimenta non noverat. Iratus itaque sibi, et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere,* etc. Et de seipso idem Hieronymus epist. 22, de Custodia virginitatis, ubi hæc inter alia : *Quoties ego ipse in eremo constitutus, et in illa vasta solitudine, quæ æsta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis! Ille ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius et ferarum, sæpe choris intererumpuellarum ; pallebant ora jejuniis, et meus desideriis æstuabat in frigido corpore; et ante hominem sua jam carne præmortuum; sola libidinum incendia bulliebant. Memini me clamantem diem junxisse cum nocte, nec prius a pectoris cessasse verberibus, quam rediret, Domino increpante, tranquillitas.* Hæc et alia ibidem D. Hieronymus, quæ alibi opportunius erunt recitanda. Similia exempla apud Palladium in Moyse Æthiope, apud D. Gregorium lib. II Dialog, cap. 2, in sanctissimo patriarcha nostro Benedicto. Et in Vitis Patrum lib. III, et alibi sæpius. Cæterum etsi possit dæmon hujusmodi cogitationes importunas immittere, si Deus sinat, non tamen ullam coactionem aut necessitatem voluntati afferre, nec de voluntatis assensu aut dissensu certam habere notitiam, sed probabilem dumtaxat ex signis exterioribus, ut dictum est. Neque vero sivit eum Deus vires suas intentando exercere, quantum ille vellet et posset, sed quantum fert humana fragilitas, quam numquam sufficienti auxilio destituit. Nam, ut ait Apostolus I ad Corinth. 10 : *Fidelis est Deus qui non patitur nos tentari supra id quod possumus, sed facit etiam cum tentatione proventum,* id est, augmentum gratiæ auxilii.

CAPUT XVI.

Similitudo, qua spiritus immundi cogitationes hominum doceantur agnoscere.

[a] Quemadmodum enim nonnulli latrones in his domibus quas furtim aggredi cupiunt, occultas hominum solent explorare substantias, qui per tetras noctis tenebras caute [cauta] spargentes manu minutias arenarum, reconditas opes quas visu pervidere non possunt, tinnitu quodam vel strepitu ad arenarum lapsum respondente deprehendunt, ac sic ad certissimam rei vel metalli cujusque notitiam quadam elicitæ vocis proditione perveniunt; ita hi quoque ut thesaurum nostri cordis explorent, velut arenas quasdam, suggestiones nobis noxias inspargentes, cum secundum earum qualitatem affectum corporeum viderint emersisse, velut quodam de intimis conclavibus prodeunte tinnitu, quid sit reconditum in abditis interioris hominis recognoscunt.

CAPUT XVII.

Quod non singuli quique dæmones universas hominibus ingerant passiones.

Hoc tamen nosse debemus, [b] non omnes dæmones universas hominibus inurere passiones, sed unicuique vitio certos spiritus incubare, et alios quidem immunditiis ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ, furorique peculiaribus imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia superbiaque mulceri, et unumquemque illud vitium humanis cordibus, quo ipse gaudet, inserere; sed nec cunctos pariter suas ingerere pravitates, sed vicissim, prout temporis, vel loci, vel suscipientis opportunitas provocaverit.

CAPUT XVIII.

Interrogatio, an inter dæmones impugnationis ordo ac vicissitudinis disciplina servetur.

Germanus : Ergo credendum est inter eos ordinatam et (ut ita dixerim) disciplinatam esse nequitiam, ut quidam vicissitudinis ab eis ordo servetur, ac rationabilis geratur impugnationis incursio; eum constet nec modum nec rationem nisi inter bonos atque honestos posse subsistere, secundum illam Scripturæ sententiam : [c] *Quæres sapientiam apud malos, et non invenies* (*Prov.* XIV, *sec.* LXX), et : [d] *Inimici nostri insensati* (*Deuter.* XXXII, *sec.* LXX). Illud etiam : [e] *Non est sapientia, non est fortitudo, nec est consilium apud impios* (*Proverb.* XXI, *sec.* LXX).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Abstrusa admodum et obscura comparatio, cui elucidandæ fere OEdipus advocandus, aut ejus generis de quo agitur quispiam latrunculus. Dionysii paraphrasis paulo planior et explicatior, quæ sic habet : *Quemadmodum quidam latrones et fures, in domibus quas furtim ingrediuntur, explorant divitias hominum quas non vident, spargentes manu minutas arenas in noctis caligine, ut opes in domo repositas tinnitu ad lapsum arenarum percipiant, sicque perveniant ad certissimam notitiam rei, aut cujuscumque metalli, productione soni eliciti; sic dæmones spargunt in cordibus nostri suggestiones iniquas, tamquam arenarum minutias, ut explorent cordis nostri thesaurum, cum juxta qualitatem suggestionum viderint exurgere affectum corporum,* etc.

[b] Dionysius elucidator : *Non omnes dæmones quaslibet inferunt tentationes aut passiones, sed certi certis vitiis serviunt et intendunt. Nam alii delectantur immunditiis,* etc. Similia habet D. Hieronymus in Epist. ad Ephesios cap. VI : *Sunt enim,* inquit, *quidam dæmones amoribus et amatoriis canticis servientes, ut propheta quoque commemorat dicens : Spiritu fornicationis seducti estis. Nam et barbara quædam eorum nomina esse dicuntur* (*ut sæpe confessi sunt hi, quos vere vulgus maleficos vocat*), *et incantationes, et preces, et colores varii, et diversa vel metallorum genera, vel ciborum ad quæ invocati assistere dæmones et infelices animas capere memorantur; alii vero iracundias, et furores, et bella immittere; alii præesse inimicitiis, et inter homines odia concitare.* Hæc D. Hieronymus. Porro meminisse oportet, quod alias ex D. Thoma notavimus (*Lib.* XII c. 4), vitia, sive peccata dæmonibus dupliciter attribui : *Uno modo,* inquit, *secundum reatum, alio modo secundum affectum. Et secundum reatum quidem omnia peccata in dæmonibus esse contingit, quia dum homines ad omnia peccata inducunt, omnium peccatorum reatum incurrunt. Secundum affectum vero illa, solum peccata in malis angelis esse possunt, ad quæ contingit affici spiritualem naturam; spiritualem autem naturam affici non contingit ad bona quæ sunt propria corpori,* etc. Ex quibus concludit secundum affectum non aliud peccatum in dæmonibus esse posse, quam superbiam et invidiam, *quæ sunt spiritualia* peccata, et quæ ab illis derivantur. Quod et confirmat D. Augustinus XIV de Civitat. Dei cap. 3 : *Etsi,* inquiens, *diabolus fornicator, vel ebriosus, vel quid aliud hujusmodi mali est quod ad carnis pertinet voluptates, non potest dici, cum sit etiam talium peccatorum suasor et instigator occultus, et tamen maxime superbus et invidus. Quis enim illo est inimicior sanctis? Quis adversus eos contentiosior et animosior, et magis æmulus atque invidus invenitur?* Ita Augustinus. Deum igitur hic legis vel audis dæmones alios quidem immunditiis et libidinum sordibus oblectari, alios iræ furorique peculiarius imminere, alio pasci tristitia, etc., non sic accipe, quasi hæc ipsi in seipsis exerceant, aut ad hujusmodi vitia afficiantur, et eorum delectatione capiantur; sed quod alii libidine, alii iracundia, alii tristitia, alii aliis modis homines vexandi ac tentandi magis delectantur, sicuti etiam probabile est esse quosdam qui ament homines quos possident mutos reddere, vel surdos; alios, qui, ut ait D. Hieronymus, *Lunæ mutationes observent, ut homines vexent, et Dei creaturam infament.* Id colligitur ex Matthæi XVII et Marci IX, ubi Christus ait : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio et oratione,* quasi ipsorum naturæ hoc attribuens. Ex hac autem tentationum et vexationum diversitate fit ut et diversas appellationes et nomenclaturas sortiantur : et alius dicatur spiritus immundus, vel spiritus fornicationis, alius spiritus superbiæ, alius spiritus vertiginis, alius pater mendacii, alius homicida ab initio, etc. Quod ad hæc vitia frequentius et propensius inclinent et instigent. Et eadem ratione, apud Lucam (*Lucæ* XI), ipsum dæmonium mutum appellatur. Verum de his plura infra (*Collat. seq.*)

[c] Ita ex Græca translatione ζητήσεις σοφίαν παρὰ κακοῖς. Vulgata autem editio : *Quærit derisor sapientiam, et non invenit.*

[d] Vulg. : *Et inimici nostri sunt judices* (*Deuter.* XXXII). Male in quibusdam libris, etiam editionis Plantinianæ, hoc testimonium conjunctum erat superiori, quod ex Proverbiis citatur, ut notavit Ciaconius.

[e] Vulgo edit. *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

CAPUT XIX.

Responsio, in quem modum concio dæmonum super vicissitudinis impugnatione subsistat.

Serenus : Non esse inter malos perpetuam in omnibus consensionem, nec posse perfectam stare concordiam etiam in illis ipsis vitiis quibus communiter oblectantur, certa definitio est; numquam enim poterit, quemadmodum divistis, in rebus indisciplinatis disciplina modusque servari. In nonnullis tamen, ubi scilicet vel operationis communio, vel necessitas exigit, seu cujusdam lucri invitat consortium, necesse est eos [a] temporalem commodare consensum. Quod esse in hac militia nequitiæ spiritalis manifestissime pervidemus, ut non solum tempora inter se vicissitudinesque custodiant, sed etiam [b] locis quibusdam specialiter inhærere, eaque jugiter obsidere noscantur. Nam quia necesse sit eos immutatis tentationibus certisque vitiis atque A temporibus exercere impugnationes suas, hinc liquido comprobamus quia nullus potest simul cenodoxiæ vanitate deludi, et concupiscentia fornicationis exuri; nec potest tumida inflari elatione superbiæ spiritalis, et carnalis gastrimargiæ pariter humilitate submitti. Nec potest quis cachinnis fatuis risuque dissolvi, et iracundiæ sub eodem tempore stimulis incitari, seu certe edacis tristitiæ mœrore suppleri, sed necesse est unumquemque spiritum ita sigillatim impugnationem mentis arripere, ut cum aut victus abscesserit, alii eam spiritui cedat acrius impugnandam, aut certe si victor exstiterit, alteri nihilominus tradat similiter illudendam.

CAPUT XX.

Quod non sint unius fortitudinis contrariæ potestates, nec tentandi facultas in eorum sit arbitrio collocata.

Illud etiam nequaquam ignorare debemus, [c] non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hoc est, ad tempus saltem inter se convenire et concordare, ut solent fures et prædones mutuo consentire in perniciem et damnum aliorum. *Si enim Satanas in seipsum divisus esset, quomodo staret regnum ejus* (*Matth.* XII)? Qua de re ita D. Thomas (1 *part.*, *q.* 109, *a*, 2) : *Concordia*, inquit, *dæmonum, qua quidam aliis obediunt, non est ex amicitia quam inter se habeant, sed ex communi nequitia, qua homines oderunt et Dei justitiæ repugnant. Est enim proprium hominum impiorum ut eis se adjungant et subjiciant ad propriam nequitiam exsequendam quos potentiores viribus vident.* Et in respons. ad tertium argumentum : *Dæmones*, inquit, *non sunt æquales secundum naturam; unde in eis est naturalis prælatio, quod in hominibus non contingit, qui natura sunt pares. Quod autem superioribus inferiores subdantur, non est ad bonum superiorum, sed magis ad malum eorum; quia cum mala facere maxime ad miseriam pertineat, præesse in malis est esse magis miserum.* Hæc S. Thomas. Ex quibus intelligimus in dæmonibus esse gradus ordinum, non ratione gratiæ aut gloriæ, sed ratione naturæ : proinde alios superiores, alios inferiores, alios præesse et dominari, alios subesse et obedire. Quem enim ordinem sive naturæ, sive præeminentiæ et superioritatis ante lapsum habuerunt, eumdem et post lapsum retinent, *naturalia enim in dæmonibus integra permanserunt*, ait B. Dionysius Areopagita (*De Divinis Nominibus* c. 4). Verum ut boni angeli suis superioribus sponte et alacriter obtemperant, sic e contrario cacodæmones superioribus suis, ut prava mancipia duris dominis, aut imbecillior tyrannus potentiori, non nisi inviti et malo domiti obsequuntur. Sed de his amplius collatione octava.

[b] Sunt enim quædam loca aliis magis infesta, et a dæmonibus occupari et infestari solita : quod quidem non ex locorum natura et conditione, sed pro Dei nutu et dæmonum voluntate contingit, ut accurate docet Petrus Thyræus peculiari libro hac de re edito, ubi recenset quinque aut sex genera locorum hujusmodi (*De Locis Infest.* c. 14 *et seq.*). Primo loco sunt desertæ et incultæ solitudines. Quod insinuare videtur Isaias propheta cap. XXXIV quando desertas Idumææ civitates docet futuras domicilia lamiarum, dæmonum, onocentaurorum, pilosorum. Et Joannes in Apocalypsi cap. XVIII, dum desertam Babylonem habitationem vocat dæmoniorum. Et evangelista Matthæus cap. IV, ubi narrat Christum in deserto tentatum a diabolo. Quod etiam non raro experti SS. anachoretæ, ut videre est in Vita S. Antonii apud Athanasium, Macarii Ægyptii apud Palladium, Pauli et Hilarionis apud Hieronymum. Hinc idem Hieronymus eremum dicit monstrosorum animalium feracem. Cyrillus vero in cap. XXXIV Isaiæ : *Spiritus mali*, inquit, *libenter dicuntur in desertis locis habitare.* Secundo loca humida et paludosa. Quod insinuatum videtur Lucæ XI, ubi spiritus immundus ab homine ejectus dicitur in locis aridis et inaquosis non invenire requiem, et idcirco ad priorem sedem reverti. Tertio specus subterraneæ, præsertim ubi metalla et alia usibus hominum necessaria effodiuntur; unde dæmones metallici dicti. Cujus rei exemplum exstat in Vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium, tomo II. Quarto vastæ et amplæ arces, aut vetusta et ruinosa ædificia. Hoc idem expertus S. Antonius, qui, ut refert S. Athanasius, cum in solitudine se in castellum quoddam desertum et serpentibus plenum annis viginti reclusisset, gravissimas a dæmonibus passus est molestias et infestationes : *nam multis*, inquit, *cum videndi desiderio et studio requirendi ante ostium ejus pernoctantibus, audiebantur, ut vulgi voces adversus Antonium tumultusque dicentium : Quid te nostris ingeris habitaculis? quid tibi et deserto? Abscede a finibus alienis : non potes hic habitare, nec nostras insidias sustinere*, etc. Quinto loca homicidiis aut aliis enormibus peccatis insignia : cujus rei exempla suppeditat Palladius in Lausiacis. Et Joannes Diaconus in Vita B. Gregorii testatur fundum quemdam Barbilianum propter scelera incolarum a dæmonibus fuisse infestatum, et multos incolas ab iis interfectos. His postremo addit Thyræus loca sanctorum, præsertim monachorum, quibus dæmones maxime invident et insidiantur, et quas possunt, Deo non prohibente, molestias inferunt : quod probat ex cap. 23 hujus collationis, ubi refert abbas olim in ipsis cœnobiis in quibus degebant octo vel decem monachi, ita dæmones grassatos fuisse, et tam frequentes et visibles aggressus excitasse, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alii vigilias celebrantes psalmis et orationibus, et lectionibus inhærerent. Idem etiam manifestum ex vitis SS. Patrum Antonii, Macarii, Benedicti et aliorum.

[c] Huic consentanea etiam B. Antonii sententia : *Diversa*, inquit, *eorum et partita nequitia est. Quidam enim ad summum nocendi verticem pervenere; alii ex comparatione pejorum videntur esse leniores; atque omnes pro possibilitate virium diversa contra singulas causas sumpsere certamina.* Hæc ipse. Enimvero sicut inter angelos alii et naturæ et gratiæ donis aliis præstant et excellunt, ita inter dæmones alios et naturæ viribus potentiores, et malitia nequiores, et ad nocendum promptiores et ferociores esse docet parabola illa evangelica, in qua dicitur spiritus immundus *assumere septem* (id est, multos) *alios spir-*

esse omnes ejusdem ferocitatis et desiderii, sed ne unius quidem fortitudinis atque nequitiæ; et incipientibus quidem atque infirmis non nisi infirmiores spiritus in certamine comparari, et his nequitiis spiritalibus superatis, gradatim semper adversus athletam Christi robustior pugna succedet. Pro comparatione siquidem virium ac profectus humani, etiam difficultas colluctationis augetur. Nullo enim modo quilibet sanctorum sufficeret talium tantorumque hostium sufferre nequitiam, vel insidiis eorum posset occurrere, sed nec crudelitatem quidem ac sævitiam sustinere, si non certamini nostro clementissimus arbiter atque [a] agonotheta præsidens Christus, et exæquaret colluctantium vires, et immoderatos eorum repelleret ac refrenaret incursus, faceretque cum tentatione [b] exitum, ut sustinere possimus.

CAPUT XXI.

Quod dæmones cum hominibus non sine suo labore confligant.

Hanc autem [c] colluctationem illos non sine suo credimus labore conficere. Habent namque etiam ipsi in suo conflictu quamdam anxietatem et tristitiam, et maxime cum fuerint validioribus æmulis, id est, viris sanctis perfectisque congressi. Alioquin jam non conflictus nec colluctatio, sed simplex tantum, et, ut ita dixerim, secura illis esset hominum attributa deceptio. Et quomodo staret illud Apostoli quod dicit, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Et illud: *Sic pugno non quasi aerem verberans* (I *Cor.* IX). Et iterum, *Bonum agonem certavi* (II *Tim.* IV). Ubi enim [d] agon dicitur, et certamen, et pugna, seu colluctatio, necesse est et utrimque sudor, et labor, et sollicitudo subeatur, et æqualiter illos vel super dejectione maneat dolor atque confusio, vel de victoria gaudium consequatur. Ubi vero alio cum sudore luctante, alius cum otio ae securitate confligit, et ad dejiciendum æmulum sola pro viribus utitur voluntate, non pugna dicenda est, nec colluctatio, neque certamen, sed iniqua quædam et irrationabilis oppugnationis oppressio. Sed plane laborant et ipsi non minus impugnantes humanum genus, et desudant ut prævaleant de unoquoque illam quam cupiunt obtinere victoriam, et retorquetur in eos illa confusio quæ nos manebat si ab ipsis fuissemus elisi, secundum illud: *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal.* CXXXIX). Et, *Convertetur dolor ejus in caput ejus* (*Psal.* VII): Et iterum: *Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio quam abscondit, apprehendat eum et in laqueum cadat* (*Psal.* XXXIV), in ipsum scilicet quem super hominum deceptione molitur. Dolent igitur etiam ipsi non minus; et quemadmodum nos elidunt, ipsi quoque similiter eliduntur, nec victi sine confusione discedunt. Quas eorum ruinas atque conflictus ille qui sanos interioris hominis oculos possidebat quotidie cernens, vidensque eos supergaudere ruinis et casibus singulorum, ac timens ne de se quoque eveniret eis ista lætitia, Dominum deprecatur: *Illumina*, inquiens, *oculos meos, ne umquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Qui tribulant me, exsultabunt, si motus fuero* (*Psal.* XII). Et: *Deus meus, ne supergaudeant mihi, ne dicant in cordibus suis, Euge, euge animæ nostræ; nec dicant, Devorabimus eum* (*Psal.* XXXIV); et: *Frenduerunt super me dentibus suis. Domine, quando respicies* (*Ibid.*)? insidiatur enim in abscondito, ut leo in cubili suo, insidiatur ut rapiat pauperem. Et, *Quærit a Deo escam sibi* (*Psal.* CIII). Qui rursum cunctis conatibus expensis, cum deceptionem nostram non potuerint obtinere, super cassato labore suo, necesse est ut confundantur et erubescant qui quærunt animas nostras, ut auferant eas, *induantur confusione et pudore qui cogitant nobis mala* (*Ps.* XXXIV). Jeremias quoque, *Confundantur*, inquit, *illi, et non confundar ego; paveant illi, et non paveam ego; induc super eos iram furoris tui, et duplici contritione contere eos* (*Jerem.* XVII). Nulli etenim dubium *nequiores se, et fieri novissima hominis illius pejora prioribus* (*Matth.* XII). Vide hac de re lepidum exemplum apud Cæsarium Cisterciensem lib. V de Dæmonibus cap. 36, quo ostendit non omnes dæmones æque malos et noxios esse. Palladius item in Vita Pauli Simplicis refert S. Antonium non potuisse expellere dæmonem quemdam principalem (sic eum vocat), eumque ad Paulum remisisse expellendum. Vide cap. 31 hujus collationis.

[a] De hac voce alias dictum est (*Lib.* VI, *c.* 9). Qua usus est etiam Tertullianus, ita *martyras* exhortans (*Lib. ad Martyras cap.* 3): *Bonum agonem subituri estis, in quo agonothetes Deus unus est, xystarches Spiritus sanctus, corona æternitatis bravium, angelicæ substantiæ politia in cœlis, gloria in sæcula sæculorum. Itaque epistates vester Christus Jesus, qui vos spiritus unxit, et ad hoc scamma produxit,* etc.; ubi exponitur a Rhenano agnothetes qui certamen instruit præmio proposito; xystarches xysti præses, loci, inquam, in quo per hiemem exercebantur athletæ; epistates athletarum magister (*Vide supra collat.* 6 *c.* 16). S. Hieronymus epist. 28 ad Lucinium: *Non est,* inquit *invidus agonotheta noster; nec alterius palma alteri parat ignominiam: omnes athletas suos desiderat coronari.*

[b] Ita passim legit *exitum*, quia Græce ἔκβασιν, ut sit sensus: si tentatio ingruerit, faciet ut statim ea evolet, superetur, evanescat (*Vide notas ad collat.* 3 *cap.* 17).

[c] Videri possit prima fronte de labore corporali intelligere. Cum enim superius (*Cap.* 13) dixerit dæmones non esse prorsus incorporeos, sed habere corpus, licet multo tenuius quam nos, consentaneum esse videtur eos nobiscum colluctando laborare, et labore corporis posse fatigari. Verum cum hujusmodi colluctatio spiritalis sit, non corporalis, et ipsos dæmones plane incorporeos et spirituales esse abunde demonstratum sit, non alium imaginari possumus laborem dæmonibus convenire, quam naturæ eorum congruentem, id est, spiritualem; quem postmodum interpretatur anxietatem, tristitiam, dolorem, confusionem, contritionem, etc., quæ in dæmonibus passiones sunt spirituales, non corporales.

[d] Agon, id est, certamen: unde agonista, qui in agone contendit, certator, pugil, gladiator. Tertullianus de Spectaculis cap. 11.

bium est, cum a nobis fuerint superati, contritione eos duplici conterendos : primum quod hominibus expetentibus sanctitatem, illi eam possidentes amiserint, causaque exstiterint perditionis humanæ; deinde quod spiritales substantiæ fuerint a carnalibus terrenisque devictæ. Has igitur ruinas hostium suasque victorias intuens unusquisque sanctorum cum exsultatione proclamat : *Persequar inimicos meos, et comprehendam eos, et non convertar donec deficiant : confringam eos nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos* (*Psal.* XVII). Contra quos etiam orans idem Propheta, *Judica,* inquit, *Domine, nocentes me; expugna impugnantes me; apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi, effunde framcam, et conclude adversus eos qui persequuntur me, dic animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV). Quos cum, subditis et exstinctis universis passionibus, vicerimus, merebimur illam benedictionis vocem consequenter audire, *Exaltetur manus tua super hostes tuos, et omnes inimici tui peribunt* (*Mich.* V). Hæc igitur omnia et his similia sacris inserta voluminibus legentes sive canentes, nisi [a] contra istas nequitias spirituales quæ nobis insidiantur diebus ac noctibus acceperimus fuisse conscripta, non modo ex eis ædificationem ullam lenitatis et patientiæ consequemur, sed etiam dirum quemdam atque contrarium evangelicæ perfectioni concipiemus affectum. Non solum enim docebimur non orare pro inimicis nostris, nec diligere eos, sed etiam detestari illos implacabili odio provocabimur, [b] maledicere eis atque orationem adversus eos indesinenter effundere. [c] Quæ tali spiritu prolocutos fuisse viros sanctos et amicos Dei intelligere perquam scelestum est ac profanum, quibus ante adventum Christi idcirco non est lex posita, eo quod transcendentes mandata ejus, evangelicis parere præceptis et apostolicæ perfectioni studere, prævenientes dispensationem temporis, maluerunt.

CAPUT XXII.

Quod non sit potestas nocendi in arbitrio dæmonum collocata.

[d] Non habere autem eos potestatem quemquam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Potest hoc et alterum hujus abbatis paradoxon censeri, quod omnes illas sententias, tam ex Psalmis quam ex Prophetis productas, putet intelligi debere adversus dæmones, non adversus homines esse prolatas. At non tantum de dæmonibus, id est, hostibus invisibilibus, sed etiam de visibilibus et corporalibus intelligi posse, ut omnes interpretes intelligunt et exponunt, nemini dubium esse debet. Neque inde sequitur quod iste bonus abbas concludit, unde doceamur non orare pro inimicis nostris, nec diligere eos, sed etiam detestari, etc. Non enim ex odio et malevolentia, sed potius ex charitate aut certe ex zelo justitiæ voluntati divinæ consentaneo prolatæ intelliguntur. Sunt enim hujusmodi loquendi formulæ in Scripturis, præsertim in Psalmis et Prophetis perquam usitatæ, quibus nihil aliud agitur quam ut a Deo cohibeantur impii, nec peccata peccatis cumulent, aut in iis perseverent, aut bonos ulterius persequantur, vel ut pœnis temporalibus puniantur, ne in æternum pereant; quemadmodum ait Apostolus I Corinth. X : *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur; cum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Vel certe non tam imprecationes, quam comminationes, aut prædictiones sunt divini Spiritus per os prophetarum loquentis et prænuntiantis pœnas improbis destinatas.

[b] Maledicere idem est quod malum dicere. Id autem fit tripliciter : primo enuntiative indicando et exponendo malum alterius, quod fit per contumeliam, irrisionem, detractionem; secundo imperative, jubendo alteri malum irrogari; tertio optative, optando, scilicet, aut imprecando malum alteri : *In istis autem duobus modis,* inquit S. Thomas, *quibus malum dicitur per modum imperantis, vel per modum optantis, eadem ratione est aliquid licitum et illicitum. Si enim aliquis imperet, vel optet malum alterius, in quantum est malum, quasi ipsum malum intendens, sic maledicere utroque modo erit illicitum; et hoc est maledicere per se loquendo. Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando, sub ratione duplicis boni, quandoque quidem sub ratione justi, et sic judex licite maledicit illum cui præcipit justam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando; sicut et prophetæ in Scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ, licet hæ imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque vero dicitur aliquod malum sub ratione utilis, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.* Hæc sanctus Thomas quæ ad locum hunc elucidandum abunde sufficiunt. Verum hic auctarii loco occurrit quod narrat divus Gregorius lib. III Dialog. (*Cap.* XV), terribile exemplum quatuor monachorum qui Ursum cuidam Florentio servo Dei famulantem occiderant : quam ob causam ejus secuta imprecatione, morbo elephantino correpti interierunt : *Quod factum,* inquit, *vir Dei Florentius expavit, seque ita fratribus maledixisse pertimuit. Omni enim vitæ suæ tempore flebat, quia exauditus fuerat, se crudelem, se in eorum morte clamabat homicidam. Quod idcirco omnipotentem Dominum fecisse credimus, ne vir miræ simplicitatis quantolibet dolore commotus, intorquere ultra præsumeret jaculum maledictionis.* Petro deinde interroganti : *Num quidnam valde grave esse credimus, si fortasse cuilibet, exagitante iracundia, maledicamus?* respondet Gregorius : *De hoc peccato cur me percunctaris an grave sit, cum Paulus dicat : Neque maledici regnum Dei possidebunt* (I *Corinth.* V). *Pensa igitur quam gravis culpa est, quæ separat a regno cœlestis vitæ.* Petro rursus interrogante : *Quid si homo non fortasse ex malitia, sed ex linguæ incuria maledictionis verbum jaculatur in proximum?* respondet Gregorius : *Si apud districtum Judicem otiosus sermo reprehenditur, quanto magis et noxius! Pensa ergo quantum sit damnabilis qui a malitia non vacat, si et ille sermo pœnalis est qui a bonitate utilitatis vacat.*

[c] Ex dictis satis intelligi potest quo spiritu, id est, mente, seu intentione et affectu viri sancti et amici Dei, nempe prophetæ, sententias illas et similes prolocuti fuerint. Sed hujus rei tractatio accuratior ab interpretibus petenda.

[d] Docuit hoc S. Antonius multiplici experimento prius edoctus, audacter et sæpius ipsos dæmones his aut similibus verbis provocans, et seipsum eis objiciens : *Ecce ego hic sum Antonius : non fugio vestra certamina, etiamsi majora faciatis, nullus me separabit a charitate Christi. Psallebatque dicens : Si consistant adversum me castra, non timebit* cor meum

hominum lædendit exemplum beati Job manifesta A ratione demonstrat (*Job.* II), ubi non amplius eum tentare audet inimicus quam divina ei dispensatione conceditur, et confessio eorumdem spirituum evangelicis monumentis inserta testatur dicentium, *Si ejicis nos, mitte nos in gregem porcorum* (*Matth.* VIII). Qui multo magis credendi sunt in nullum hominum qui ad imaginem Dei creati sunt introire pro arbitrio suo posse, cum in animalia immunda ac muta ingrediendi absque Dei permissu non habuerint potestatem. Cæterum nemo posset, non dicam juvenum quos videmus in hac eremo constantissime commorari, sed nec perfectorum quidem tantis taliumque hostium agminibus circumseptus in eremo singularis habitare, si in ipsis esset pro voluntate B sua nocendi vel attentandi facultas atque libertas. Quod evidentius etiam Domini ac Salvatoris nostri confirmat sententia, quam pro humilitate hominis assumpti protulit ad Pilatum, ita dicens : Non haberes in me ullam potestatem, nisi datum tibi fuisset desuper (*Joan.* XIX).

CAPUT XXIII.

De imminuta dæmonum potestate.

Satis tamen nobis et experientia nostra et seniorum relatione compertum est, non eamdem vim habere nunc dæmones quam anteriore tempore inter anachoretarum dumtaxat principia, in quibus adhuc raritas monachorum in eremo commanebat. Tanta namque erat eorum feritas, ut vix pauci et admodum stabiles atque ætate provecti tolerare habitationem solitudinis possent. Siquidem [a] in ipsis cœnobiis in quibus commorabantur octo vel decem, ita eorum atrocitas grassabatur, et frequentes ac visibiles sentiebantur agressus, ut non auderent omnes pariter noctibus obdormire, sed vicissim aliis degustantibus somnum, alii vigilias celebrantes, psalmis et orationibus, seu lectionibus, inhærebant. Cumque *illos* ad soporem naturæ necessitas invitaret, expergefactis aliis ad eorum qui dormituri erant custodiam similiter excubiæ tradebantur. Unde dubitari non potest unum e duobus, hanc nunc securitatem vel confidentiam non solum nobis, qui videmur pro experientia senectutis aliquatenus roborari, sed etiam junioribus ætate conferri; aut [b] virtute crucis etiam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

(*Psalm.* XXVI). Et rursus : Si *virium aliquid haberetis sufficeret unus ad prælium.* Itemque : *Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum, decorate concessum. Si vero non potestis, quid frustra nitimini? signum enim crucis et fides in Dominum inexpugnabilis nobis murus est.* Denique inferius objectioni occurrens : *At dicit aliquis : Cur diabolus aggrediens beatum Job omnem in ruinam impulit domum? Cur ejus opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subvertens, unum numerosæ sobolis concerravit sepulcrum? Cur ipsum ad extremum diri vulneris novitate perussit? Qui hoc opponit, audiat e diverso non diabolum potuisse hoc, sed Dominum, a quo potestas adversum nos dupliciter datur, vel ad gloriam si probamur, vel ad penam si delinquimus. Quin potius ex hoc animadvertat ne contra unum quidem hominem diabolum quidquam potuisse, si non potestatem accepisset a Domino. Nullus enim quod suæ ditionis est ab alio deprecatur. Sed quid Job memoro, quem nec expetitum potuit vincere? sed nec contra jumenta quidem ejus nec contra oves, nec contra sues, sine concessu Dei proprium robur exeruit; sicut in Evangelio scriptum est : Dæmones autem rogabant eum dicentes : Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum* (*Matth.* VIII). *Quomodo igitur qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei hominem et tam charum Conditori animal suo valebunt jure pervertere?* Sic S. Antonius (*Athanas. in Vita S. Antonii*); et D infra rursus ex ipsiusmet diaboli confessione, quam supra retulimus, monachos adhortans et animans : *En ipse*, inquit, *diabolus, qui hujusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Jam curæ Christianorum et monachorum sit ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos et nostras cogitationes reperierint; tales se nobis præstare consueverunt, et si quod in pectoribus malæ mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, captos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem premunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, et futurorum bonorum cupiditate succensi, si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere*, etc. His subscribit D. Augustinus lib. VII de Civit. Dei cap. 35 dicens : *Non possunt* (dæmones) *quod non sinuntur efficere. Sinuntur autem alto Dei summi justique judicio, pro meritis eorum quos ab eis vel affligi tantum, vel etiam subjici ac decipi justum est.* Et lib. II contra adversar. legis cap. ult. : *Satanas*, ait, *cum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam non potest, nisi ab Omnipotente acceperit potestatem. Quid aliud non solum in libro Job, sed etiam magis in Evangelio declaratum est, ubi spiritus immundi nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Salvator petentibus, quos certe in abyssum posset relegare, concederet; rem necessariam edocere nos volens, ut scilicet noverimus multo minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscumque potuerunt.* Similia habet D. Gregorius lib. III Dialog. cap. 21 et lib. I. Moral. cap. 9 et sequentibus.

[a] Vides hic etiam cœnobia, sive monasteria, hoc est, loca sancta, et a viris sanctis culta, a dæmonibus subinde, Deo permittente, infestari, ut superius dictum est (*Cap.* 19). Ita maximas quoque a dæmonibus molestias sustinuisse monachos Romæ, ubi S. Gregorius suum oratorium habebat, refert in ejus Vita Joannes Diaconus (*Lib.* IV, *c.* 89). Alia exempla vide apud Cæsarium et Petrum Cluniacensem (*Cæsar. l.* V, *Petrus Cluniac. lib.* I *de Miracul. cap.* 12).

[b] Clarum antiquitatis testimonium de crucis virtute et efficacia ad profligandos et comprimendos dæmones : cujus rei innumera sunt omnis ætatis exempla, e quibus pauca dumtaxat ad illustrandum hunc locum attingamus. D. Basilius lib. de Spiritu Sancto (*De spiritu S. cap.* 1 *et sequent.*) docet hanc apostolicam traditionem in Ecclesia receptam, ut fideles tam in sacris quam in cæteris rebus quibus benedicerent, manu ducta, crucis signum exprimerent, quo remedio saluberrimo ad pellendos dæmones potissimum uterentur, atque in omnibus rebus illud adhiberent. Cyrillus Hierosolymorum episcopus : *Non pudeat vos*, inquit, *Crucifixum confiteri : sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, et in aliis omnibus crux fiat : in panibus comedendis, et in poculis bibendis, et in egressu, et in ingressu, ante somnum, recumbendo et surgendo, eundo et quiescendo. Magna hæc est custodia quæ propter pauperes gratis datur, sine labore propter infirmos, cum a Deo sit hæc gratia, et timor dæmonum; triumphavit enim de illo hoc signo. Ostenta illi audacter;*

deserta penetrante, et ubique ejus gratia coruscante, retusa est nequitia dæmonum, aut negligentia nostra illos ab impugnatione pristina reddit lentiores, dum dedignantur adversum nos illa intentione confligere, qua tunc contra illos probatissimos Christi milites sæviebant, hac scilicet nos fraudulentia invisibilium tentationum dirius elidentes.' In tantum enim teporem videmus corruisse nonnullos, ut necesse sit eos etiam remissioribus monitis adpalpari, modo ne desertis cellulis suis ad perniciosiores inquietudines revolvantur, et circumeuntes ac vagi crassioribus (ut ita dixerim) vitiis implicentur; magnusque fructus ab eis obtineri credatur, si solummodo se etiam cum qualibet ignavia valeant in solitudine continere, ac pro ingenti remedio soleat eis a senioribus dici, Sedete in cellulis vestris, et quantum libitum fuerit manducate atque bibite et dormite, dummodo in eis jugiter perduretis.

CAPUT XXIV.

Qua ratione dæmones sibi in eorum corpora quos arrepturi sunt aditum parent.

[a] Constat ergo immundos spiritus non aliter posse in illos quorum obtenturi sunt corpora penetrare, nisi prius eorum mentes cogitationesque possederint. Quos cum timore ac memoria Dei vel spiritali meditatione nudaverint, velut exarmatos onni præsidio ac munitione divina, post facile vincendos audenter invadunt,' domicilium deinceps in eis velut in possessione sibi tradita præsumentes.

CAPUT XXV.

Quod miserabiliores sunt hi qui vitiis quam qui ab ipsis dæmonibus possidentur.

Licet multo illis gravius constet vehementiusque vexari hos qui cum corporaliter ab ipsis [b] suppleri minime videantur, animo tamen perniciosius possidentur, eorum scilicet vitiis vel voluptatibus involuti; secundum apostoli namque [c] sententiam, *a quo quisque superatur, ejus servus efficitur* (II *Petr.* II). Nisi quod in hoc isti desperatius ægrotant. quod cum sint eorum mancipia, nec impugnari se abrillis, nec dominatum eorum ferre cognoscunt. Cæterum [d] corporaliter traditos Satanæ, vel infirmitatibus magnis etiam viros sanctos novimus pro levissimis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cum enim viderint crucem, recordantur Crucifixi, metuunt enim eum qui contrivit capita draconis. Hæc Cyrillus, ex antiqua nimirum institutione fidelium. De qua etiam Tertullianus lib. de Corona militis (*Cap.* 3-4). In singulis quoque cubiculis et aliis habitaculis cruces esse pingendas S. Nilus ad Olympiadorum proconsulem scribens admonuit (*Concil. Nicæn.* II, *articulo* 4). Huc spectant et illi versus Prudentii (*Cathemer. hymno* 6) :

> Crux pellit omne crimen :
> Fugiunt crucem tenebræ.

Ut autem ad exempla veniamus, crucis Dominicæ signum Alexandriæ, teste Rufino (*Lib.* XI *c.* 29), unusquisque in postibus, in ingressibus, in fenestris, in parietibus, columnisque depingebat. Lactantius lib. IV cap. 27 scribit, præsente Christiano, qui frontem cruce signaverat, non potuisse aruspices gentilium diabolo sacrificantes ab eo responsa elicere; et hanc sæpe causam præcipuam fuisse Christianos persequendi. Epiphanius hæresi 30 narrat quemdam Josephum nondum Christianum signo crucis dæmones expulisse, et deinde Christianum effectum eodem signo incantationes Judæorum destruxisse. Gregorius Nazianzenus, oratione prima in Julianum, scribit ipsum Julianum Apostatam in quodam delubro dæmones invocantem, eorum aspectu territum, crucis signo seipsum muniisse, et mox spectra omnia evanuisse (*Theodoret. Histor. lib.* III *cap.* 16). S. Antonius solo crucis signo omnibus dæmonibus terribilis fuit, et contra omnes terrores jubebat solo crucis signaculo tutos et securos esse monachos. Idem de Paulo Eremita et Hilarione testatur D. Hieronymus. Daniel Stylites ad effugandos dæmones ubique crucem, ut arma inexpugnabilia (ait Metaphrastes), inferebat. Hoc itidem signo S. Remigius maximum incendium Rhemis a diabolo excitatum exstinxit, teste Hincmaro; et S. Vedastus maleficium aliud abolevit, fugans larvam, et liquore fuso, miraculo coruscavit, teste Albino Flacco Vitæ ejus scriptore. Denique Theodoretus lib. V cap. 21 passim in Historia Religiosa, nec non div. Gregorius libr. III Dialog. cap. 7, multa scribunt miracula signo crucis facta, ac potissimum in dæmonum expulsione.(*Vide Bellarminum libre* II *de Imaginib. cap.* 29, *Baronius tomo* I *Annal. an.* 60.) Quod si posteriorum temporum exempla et testimonia persequi ac recensere vellemus, nullus esset dicendi finis. Eadem enim sanctorum omnium semper de hoc signo et tropæo salutis nostræ sententia fuit, eadem sæculorum omnium experientia.

[a] Similes sententiæ apud D. Augustinum reperiuntur lib. IV de Civit. Dei cap. 34 : *Dæmones*, inquit, *nisi quos fallendo deceperint, possidere non possunt.* Et lib. X cap. 22 : *Potestas inimica vincit aut subjugat neminem, nisi societate peccati.* Idemque rursus serm. 197 de tempore, objectioni, quam ibi facit, ita respondet : *Dicit aliquis : Si ligatus est diabolus, ut est, quare adhuc prævalet? Verum est, fratres charissimi, quia multum prævalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tamquam canis catenis innexus, et neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortifera societate conjunxerit.* Ita D. Augustinus. Sic etiam apud Metaphrastem 1 Februar. dæmon interrogatus a Triphone viro sancto, cur puellam Gordiani imper. filiam intrasset, respondit, dæmones in illos habere potestatem qui opera iisdem grata exercent; *qualia sunt,* inquit, *simulacrorum servitus, blasphemiæ, adulteria, venificia, invidiæ, cædes,* etc. Verum observandum hujusmodi sententiis significari, non quid fieri possit et interdum accidat, sed quid ut plurimum contingat. Nam in moralibus spectatur non quod raro, sed quod communiter accidit, ut docet Aristoteles in Ethicis. Voluit itaque D. Augustinus, sicut etiam abbas Serenus, significare quid plerumque et ut plurimum contingat, nempe ut dæmones prius hominum mentes cogitationes que possideant, per culpam scilicet lethalem, quam eorum corpora penetrent et obtineant; alioquin sibi ipse contradiceret, cum manifestum sit ex sequentibus non semper eorum animas a dæmonibus possideri quorum corpora ab iis possidentur, et aliquando viros sanctos, et Dei amicos ob levem culpam, vel etiam absque culpa, Dei permissu, fuisse corporaliter a dæmone possessos, ut ex seq. patet.

[b] Suppleri pro occupari, corripi, vel si vis, repleri, frequens Cassiano (*Lib.* V *Inst. cap.* 13).

[c] Hanc sententiam alibi tractavimus.

[d] Contingit ergo, licet rarius, non solum ob lethales culpas, verum etiam ob leves et veniales a dæmone possideri, ut superius indicatum, quod exemplo

quibusque delictis, cum in illis ne tenuissimum quidem nævum aut maculam in illo judicii die patitur invenire divina clementia, omnem cordis eorum scoriam, secundum prophetæ, immo Dei sententiam, excoquens in præsenti, ut eos tamquam aurum vel argentum ignitum ad illam perpetuitatem, nulla indigentes pœnali purgatione, transmittat : *Et excoquam,* inquit, *ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum, et post hoc vocaberis civitas justi, urbs fidelis* (*Isaiæ* I). Et iterum : *Sicut probatur argentum et aurum in camino, ita eligit corda Dominus* (*Proverb.* XXVII). Et iterum: *Aurum et argentum probat ignis, vir autem probatur in fornace humiliationis* (*Eccles.* II). Et illud quoque : *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII).

CAPUT XXVI.

De nece prophetæ seducti, et infirmitate abbatis Pauli, quam pro sua emendatione promeruit.

Quod in illo propheta atque homine Dei in tertio Regum libro manifeste videmus impletum, qui pro culpa unius inobedientiæ quam tamen non de industria nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumventione contraxit, confestim a leone conteritur, ita de eo Scriptura narrante : *Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, et* [a] *tradidit eum Dominus leoni, et confregit eum juxta verbum Domini, quod locutus est* (III *Reg.* XV). In quo facto et solutionem delicti præsentis atque erroris incauti, et justitiæ merita pro quibus prophetam suum Dominus temporaliter tradidit vexatori, parcitas ipsa et continentia prædatoris ostendit, quia nihil penitus audet voracissima bestia de tradito sibi cadavere degustare. Cujus rei nostris quoque temporibus satis evidens contigit et aperta probatio in [b] abbate Paulo et Moyse qui habitavit [c] locum hujus solitudinis, qui Calamus nuncupatur. Nam prior commoratus est in eremo quæ adjacet [d] Panephysi civitati : quam solitudinem olim factam aquæ salsissimæ inundatione cognovimus, quæ quotiens flaverit spiritus aquilonis, de stagnis impulsa ac superfusa adjacentibus terris, ita omnem illius superficiem regionis contegit, ut antiquos ibidem vicos, qui olim hac ipsa de causa omni sunt habitatore deserti, faciat velut insulas apparere. Hic igitur abbas Paulus in tantam cordis puritatem quiete solitudinis silentioque profecerat, ut non dicam vultum femineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri. Nam cum eidem pergenti ad cujusdam senioris cellam una [e] cum abbate Archebio ejusdem solitudinis accola,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

abbatis Moysis probatur cap. seq., qui ob impatientiam et verbum durius prolatum a dæmone invasus et graviter vexatus fuit. Cui simile videtur, quod de quadam moniali ob leviorem gulam similiter a dæmone occupata narrat D. Gregorius lib. I Dialog. cap. 4 : *Quadam die,* inquit, *una Dei famula hortum ingressa lactucam conspiciens, concupivit eamque signo crucis benedicere oblita, avide momordit, sed correpta a diabolo protinus cecidit. Cumque vexaretur, eidem patri Equitio sub celeritate nuntiatum est, ut veniret concitus, et orando succurreret. Moxque ut hortum idem Pater ingressus est, cœpit ex ejus ore, quasi satisfaciens ipse qui hanc arripuerat, diabolus clamare dicens : Ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam : venit illa, et momordit me. Cui cum gravi indignatione vir Dei præcepit ut discederet, et locum in omnipotentis Dei famulam non haberet, protinus abscessit, nec eam ultra contingere prævaluit.* Hæc Gregorius. Neque huic absimile videtur exemplum illius feminæ quam cum præstigiator quidam suis præstigiis et dæmonis operatione mutam reddidisset, effecissetque ut equa, non femina, omnibus eam intuentibus appareret, sanctus Macarius Ægyptius aspersione aquæ benedictæ et facta oratione curavit, atque in pristinum statum restituit. Eam autem admonuit vir Dei sic dicens : *Numquam Ecclesiam deseras, numquam abstineas a communione Christi Sacramentorum. Hæc enim tibi acciderunt, quod jam quinque hebdomadis non accessisti ad intemerata nostri Salvatoris Sacramenta.* Ita Palladius (*Palladius Lausia.* 19 *et* 20). Ubi non alia redditur causa istius afflictionis et vexationis diabolicæ, quam intermissa ad tempus sacra communio per negligentiam quæ non videtur esse plus quam venialis culpa, sicuti nec morsus ille lactucæ neglecto crucis signo.

[a] Multa hic miracula et evidentissima divinæ providentiæ signa effulsere, 1° quod prophetam Deus occidi voluerit a leone propter inobedientiam et transgressionem divini præcepti, cum tamen ab alio propheta fuisset delusus et deceptus ; 2° quod hac pœna temporali voluerit ejus culpam punire, ne in æternum puniret ; 3° quod leo prophetam non discerpserit aut devoraverit, sed vel faucibus compressis vel ossibus, aut cervice confracta, ut videtur Scriptura innuere, absque alia lesione occiderit ; 4° quod eadem voracissima bellua ita se continuerit, ut nihil penitus de tradito sibi cadavere degustaret, nec sanguinem ejus funderet aut sorberet ; 5° quod juxta corpus stans cum asino, illud custodierit, donec inde asportaretur ; 6° quod nec ipsum asinum læserit aut fugarit ; 7° quod venientes ad tollendum corpus non terruerit, aut impedierit ; sed amoto corpore inde discesserit. Sed juvat hic B. Gregorium de hac prophetæ culpa simul et pœna audire disputantem. Is libro IV Dialogorum cap. 24 : *Vir Dei,* inquit, *contra Samariam missus, quia per inobedientiam in itinere comedit, hunc leo in eodem itinere occidit. Sed statim illic scriptum est quia stetit leo juxta asinum, et non comedit leo de cadavere. Ex qua re ostenditur quod peccatum inobedientiæ in ipsa fuerit morte laxatum ; quia idem leo quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum. Qui enim occidendi ausum habuit, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit ; quia is qui culpabilis in vita fuerat, punita inobedentia erat jam justus ex morte. Leo ergo qui prius peccatoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi.* Hic Gregorius.

[b] De abbate Paulo actum est lib. X cap. 24 et 25. De Moyse ibidem et collatione 1 et 2, quæ ejus nomine inscribuntur.

[c] Meminit ejusdem loci Cassianus collatione 3 cap. 5. Et rursus collat. 24 cap. 4 : *Qui in illa,* inquit, *Calami, sive Porphyrionis eremo commorantur.* Unde apparet Calamum alias Porphyrionem fuisse nuncupatum.

[d] De Panephysi Cassianus lib. IV cap. 30.

[e] De eodem egimus lib. V cap. 37. De quo rursus collat. 11 cap. 2 præclarum hoc exstat encomium : *Beatissimi atque præciqui viri Archebii episcopi, qui raptus de Anachoretarum cœtu, et episcopus Panephysi oppido datus, tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit.*

casu mulier obviasset, offensus occursu ejus, tanta fuga ad suum rursus monasterium (prætermisso, quod arripuerat, piæ visitationis officio) recurrit, quanta nullus a facie leonis vel immanissimi draconis aufugeret, ita ut ne memorati quidem abattis Archebii revocantis eum clamore ac precibus flecteretur, ut ad requirendum senem, quemadmodum proposuerant, cœpto itinere pertenderent. Quod licet zelo castitatis et puritatis ardore sit factum, tamen quia non secundum scientiam præsumptum est, sed observantia disciplinæ justæque discretionis excessus est modus (non enim solam familiaritatem, quæ vere est noxia, feminarum, sed ipsam quoque figuram sexus illius credidit exsecrandam), tali confestim correptione percussus est, ut ejus universum corpus paralyseos valetudine solveretur, nullumque in eo membrum penitus explere suum prævaleret officium. Siquidem non solum pedes ac manus, sed etiam linguæ motus, quo elocutio vocis exprimitur, ipsæque aures ita auditus proprii amiserunt sensum, ut in eo nihil amplius ex homine quam immobilis tantum atque insensibilis figura remaneret. Eo autem redactus est, ut infirmitati ejus nullo modo virorum diligentia deservire sufficeret, nisi sola ei muliebris sedulitas ministrasset. Nam delato ad cœnobium sanctarum virginum, cibus ac potus, quem ne nutu quidem petere poterat, femineo ingerebatur obsequio, explendisque omnibus naturæ necessitatibus, eadem illi diligentia per annos ferme quatuor, id est, usque ad vitæ suæ terminum serviebat. Qui cum tanta esset omnium membrorum debilitate constrictus, ut nulli in eo artus vivacem motum ac sensibilem retentarent, nihilominus tanta ex eo virtutum gratia procedebat, ut cum de [a] oleo quod [b] cadavere suo potius quam corpore contigisset ungerentur infirmi, confestim cunctis [c] valetudinibus curarentur; ita ut super hac ejus valetudine etiam ipsis infidelibus evidenter aperteque claresceret et debilitatem membrorum omnium dispensatione atque amore Domini contributam, et sanitatum gratiam pro testimonio puritatis ac manifestatione meritorum ei Spiritus sancti virtutæ præstari.

CAPUT XXVII.

De tentatione abbatis Moysis.

Secundus vero, quem diximus in hac eremo commoratum, cum ipse quoque singularis et incomparabilis vir esset, ob reprehensionem unius sermonis, quem contra abbatem [d] Macarium disputans paulo durius protulit, quadam scilicet opinione præventus, [e] tam diro confestim est traditus dæmoni, ut huma-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Oleo a se benedicto, aut contacto et præstito, viri sancti sæpenumero infirmos curarunt. Sic sanctus Hilarion læsos a serpentibus oleo sanabat; eodemque duos a morte suscitavit, teste D. Hieronymo (*In vita Hilarionis*). Sic abbas Benjamin apud Palladium (*Lausia.* 13), cuicumque manus imposuisset, aut quod benedixerat oleum dedisset, liberatur ab omni ægritudine: *Et tamen hic, qui tanta gratia dignus habitus fuerat, octo mensibus ante obitum fuit hydropicus, et ejus corpus usque adeo intumuit, ut propter dolores inveniretur alius Job. Cum autem laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur aliis qui tenebantur quibuscis ægritudinibus.* Quod plane congruit cum exemplo abbatis Pauli de quo hic agitur. Oleo etiam a S. Macario curata legitur paralytica, et dæmoniacus a dæmone liberatus, apud eumdem Palladium. Oleo itidem benedicto multos sanavit abbas Joannes. Idem de abbate Aphraate et de Simeone refert Theodoretus in Histor. SS. Patrum cap. 8 et 26 (*Lausia.* 20 *et* 43). Olei etiam unctione monachi Ægyptii paralyticum curarunt, Rufino et Sozomeno testibus (*Rufin. lib.* II *cap.* 4, *Sozom. l.* VI *cap.* 21). Denique abbas Machetes apud Cassianum hæc de se ipso refert: *Oleum etiam benedicere, ac supplicantibus dare, quod pro omnibus exsecrabar, utpote judicans illud ex magna cordis præsumptione descendere, circumdantibus me repente sæcularibus multis, ita constrictus sum, ut aliter eos nullatenus evadere possem, nisi a me summa vi et obtestatione extorsissent ut oblato ab eis vasculo manum meam impresso crucis signaculo superponerem; itaque se credentes benedictionis oleum consecutos, tandem me aliquando relaxarunt.* Sic ille. De eadem olei sanctificatione et usu ad impartiendas sanitates Severus in Vita S. Martini, et alii, qui res gestas sanctorum scripserunt, frequentissime meminere. Sciendum vero ejusmodi oleum et unctionis genus, licet aliqua benedictione sanctificatum, a Sacramento tamen extremæ unctionis, quod in Ecclesia catholica infirmis datur, fuisse longe diversum, ut scite monet Baronius (*Vide Baro. l.* I *Annal. an. D.* 63); quandoquidem non ad infirmorum dimittenda peccata et invisibilem gratiam consequendam fuerit institutum, et a quolibet Christiano in nomine Christi, et in quemlibet etiam a fide alienum, ad sanitatem corporis tribuendam sit solitum adhiberi. Ejusmodi plane erat, quod ad curandos morbos per Proculum Christianum administrari solitum scribit Tertullianus. (*Lib. ad Scapul. cap.* 4). Hæc et alia Baronius, additque solitum ejusmodi, sicut alias species ad humanum usum comparatas, precibus præscriptis sanctificari (nam et apud Clementem (*Constit. l.* VIII *c.* 35) scripta habetur benedictio aquæ et olei), sic ut signo tantum crucis illud benedixisse, et in nomine sanctissimæ Trinitatis sanctificasse atque ægrotantibus admovisse sufficeret.

[b] Quasi dicat non fuisse quidem cadaver (vivebat enim Paulus), sed instar cadaveris, hoc est, morbo pene emortuum: *Cadaver* enim, ait Isidorus, *a cadendo nominatum, quia jam stare non potest* (*Etymol. lib.* XI, *cap.* 2).

[c] Valetudo passim apud Cassianum ponitur pro invaletudine, seu infirmitate, ut alibi notatum.

[d] Vide quæ alias (*lib.* V, *cap.* XLI) notavimus de duobus Macariis sanctis anachoretis Ægyptiis et coætaneis, quorum alter Ægyptius, alter Alexandrinus cognominatus est. Videntur autem quæ hic de Macario traduntur, de Ægyptio intelligenda, quem Palladius et alii scribunt singulari dono et potestate adversus dæmones claruisse.

[e] Mirabile quidem videtur, virum sanctum ob levem culpam ita diro dæmoni fuisse traditum, et ab eo correptum et mente abalienatum, ut etiam humana stercora ori suo turpiter ingereret. At non adeo mirum videbitur, si consideremus interdum fieri ut homines, absque ulla sua culpa, non tamen sine magnis divinæ providentiæ rationibus a dæmonibus corripiantur et possideantur (*Joann. Chrysostom. lib. de Providentia Dei*). Quod pluribus exemplis et testimoniis compertum habetur. Primum D. Hieronymus epist. 25 de obitu Blesillæ: *Quid causæ est*, inquit, *ut sæpe bimuli, trimulique, ut ubera materna lactentes, a dæmone corripiantur, repleantur lepra, morbo regio devorentur?* Et addit postmodum: *Invisibilia hæc inscrutabili Altissimi judicio sunt re-*

nas egestiones ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gratia se Dominus intulisse, ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret, velocitate curationis ejus atque auctore remedii demonstravit. Nam continuo abbate Macario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit.

CAPUT XXVIII.

Quod sperni non debeant hi qui spiritibus traduntur immundis.

Ex quo manifeste perpenditur [a] non debere eos abominari vel despici, quos videmus diversis tentationibus, sive istis nequitiæ spiritibus tradi : quia duo hæc credere immobiliter nos oportet, primo quod sine Dei permissu nullus ab eis omnino tentetur : secundo quod omnia quæ a Deo nobis inferuntur, sive tristia ad præsens, seu læta videantur, velut a piissimo patre clementissimoque medico pro nostris utilitatibus irrogentur : et idcirco eos velut pædagogis traditos humiliari, ut discedentes ex hoc mundo, vel purgatiores ad vitam aliam transferantur, vel pœna leviore plectantur, qui, secundum Apostolum, [b] traditi sunt in præsenti *Satani in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi* (I *Cor.* v).

CAPUT XXIX.

Objectio cur hi qui spiritibus vexantur immundis a communione dominica separantur.

Germanus : Et quomodo non solum eos despici ab hominibus vel horreri, sed etiam a communione dominica in nostris provinciis perpetuo videmus abstinere, secundum illam Evangelii sententiam, *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos* (*Matth.* vii), cum de illis, quemadmodum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

linquenda. D. Augustinus lib. xxii De Civit. cap. 22: *Contra mille formes*, ait, *dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit, quandoquidem, ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus nihil est innocentius, aliquando sic vexant, ut in eis maxime, Deo sinente, ista monstretur hujus vitæ flenda calamitas, et alterius desideranda felicitas?* Ita Augustinus. His accedunt exempla, primum illius pueri apud Marcum evangelistam cap. ix, qui dæmonis gravissimam vexationem ab infantia sustinuit, quemadmodum pater ipsius Domino interroganti confessus est; secundum, alterius pueri, quem a sævissimo dæmone liberavit S. Macarius, teste Palladio in Vita Macarii ; tertium, puellæ Tolosanæ, a qua dæmonem expulit S. Remigius a B. Benedicto rogatus ; de qua in Vita S. Remigii Hincmarus (*Lib.* ii. c. 3) ; quartum, alterius item pueri, de quo in Vita D. Bernardi. Quintum exstat apud Cæsarium, lib. v. cap. 26, de puella quinquenni a dæmone possessa ad imprecationem patris. At ne quis hoc tantum in pueris vel infantibus, non etiam in adultis contingere existimet, refert Sulpitius (*In dialogo de virtut. S. Martini*) exemplum memorabile cujusdam anachoretæ sanctissimi, et virtute celerrimi, quem dicit a Deo postulasse et impetrasse ut, permissa in se quinque mensibus diabolo potestate, similis illis fieret quos ipse curaverat : hoc est, per quinque menses corpus ejus ab inhabitante diabolo affligeretur, ad evitandum superbiæ aut vanæ gloriæ periculum. Quod Sulpitius admirans et exaggerans subdit. *Ille præpotens, ille qui signis et virtutibus toto Oriente vulgatus, ille ad cujus limina populi ante confluxerant, ad cujus fores summæ istius sæculi se prostraverunt potestates, correptus a dæmone est, tentus in vinculis, omnia illa quæ energumeni solent ferre perpessus, quinto demum mense purgatus est, non tantum dæmone, sed, quod illi erat utilius atque optatius, vanitate.* Aliud exemplum abbatis Alexandri viri sancti legitur in Prato Spirituali (cap. 182). Is enim, Deo permittente, paulo ante mortem a dæmone arreptus, eidem suam imbecillitatem egregie exprobravit: *Ad vesperam*, aiebat, *venisti, miser. Hoc magnum non est; quoniam in lectulo devinctus sum, et moveri non possum ostendisti, miserrime, imbecillitatem tuam. Nam si potens et valens esses, ante hos quinquaginta vel sexaginta annos debueras appropinquare mihi: ego enim per confortantem me Christum ostendissem tibi infirmitatem tuam, ac dejecissem rugitum tuum atque confregissem rigidam illam tuam inflexamque cervicem Nunc autem non mea est imbecillitas, sed infirmitas est, quæ premit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens ostendam injuriam quam abs te passus sum, qui post tot annorum labores et fatigationem, circa exitum sic atrociter me invasisti. Ista et alia plurima horis singulis dicens, decima die cum omni quiete Domino Christo spiritum in pace reddidit.* Hæc ibi. Annotavit præterea Baronius (*Tomo* I *Annal. an. D.* 32), facinorosas quasdam mulieres, quæ, quantumvis postea pœnitentes ac Deo per omnia placentes, assecutæ fuerint suorum indulgentiam delictorum, nihilominus acerbioribus solere infestationibus dæmonum exagitari : quod qui res gestas, inquit, Pelagiæ pœnitentis, et Mariæ Ægyptiacæ et aliarum, legerit, plane intelliget. Hæc Baronius de Maria Magdalena disputans, fueritne ante vel post unctionem Domini a septem dæmoniis, ut evangelista ait, possessa.

[a] His consentit D. Joannes Chrysostomus : nam in libris quos de Providentia conscripsit, etiam in hoc divinam Providentiam agnoscit et commendat (*tomo* V), quod sanctiores homines subinde a dæmonibus corripiantur et vexentur, ne in peccata devolvantur. Qua ratione quoque Theodorum quemdam a dæmone possessum consolatur. Vide Petrum Thyræum de Dæmoniacis cap. 32.

[b] Tradidit apostolus Paulus Corinthium quemdam incestuosum Satanæ, I ad Corinthios, v. Tradidit et Hymenæum et Alexandrum hæreticos et blasphemos, I Timoth., i. Tradere autem Satanæ, id est, diabolo, ut alias notavimus (*lib.* ii *Institut., cap.* 16), secundum ecclesiasticum usum et doctrinam, nihil aliud est quam per excommunicationis sententiam extra Ecclesiam projicere, sive a corpore Christi præscindere. Cum enim regnum Christi sit Ecclesia, regnum autem diaboli extra Ecclesiam, consequens est eum qui extra Ecclesiam Dei projicitur, singulari ejus protectione destitui, atque adeo dæmonibus objici et exponi, tamquam lupis extra ovile Christi grassantibus. Porro monet Chrysostomus et Theodoretus in primitiva Ecclesia, quando alia facultas non erat rebelles coercendi et in officio continendi, sic excommunicatos et Satanæ traditos, statim fuisse a dæmone correptos et corporaliter vexatos, Deo ita disponente, tum ad comprobandam Ecclesiæ et prælatorum ecclesiasticorum potestatem eis a Christo collatam *super omnia dæmonia et super omnem potestatem inimici* (*Matth.* ix, *Lucæ* ix *et* x) ; tum ad coercendam et domandam improborum contumaciam : quod proprie ac germane significatum illis verbis, *tradere Satanæ in interitum carnis*, id est, mortificationem, vexationem, cruciatum corporalem. Cæterum hoc loco videtur abbas Serenus ejusmodi traditionem intelligere qua quis subinde vel ob levem culpam, vel etiam absque culpa, Deo permittente, a diabolo invaditur, occupatur et corporaliter vexatur ; ut hac vexatione purgatus, cautior deinceps et sanctior efficiatur ut ex præcedentibus colligitur.

dicis, ita credendum sit, quod eis purgationis vel utilitatis obtentu hujus tentationis humiliatio tribuatur?

CAPUT XXX.

Responsio super proposita quæstione.

Serenus : Si habuerimus hanc sententiam, immo fidem, quam superius comprehendi, ut et omnia per Dominum fieri, et pro utilitate animarum dispensari universa credamus, non solum nequaquam despiciemus eos, sed etiam pro eis tamquam pro membris nostris incessanter orabimus, eisque totis visceribus ac pleno compatiemur affectu ; cum enim *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (1 *Cor.*, XII) ; scientes nos absque illis utpote membris nostris omnimodis consummari non posse, quemadmodum legimus ne anteriores quidem nostros sine nobis repromissionis summam consequi potuisse, ita de illis Apostolo pronuntiante : *Et hi omnes testimonio fidei comprobati non acceperunt repromissiones ; Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis consummarentur* (*Heb.* XI). [a] Communionem vero eis A sacrosanctam a senioribus nostris numquam meminimus interdictam, quin immo si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censebant. Nec enim secundum Evangelii sententiam, quam incongrue huic sensui coaptatis, *Nolite sanctum dare canibus,* ad dæmonis escam sacrosancta communio, et non potius ad purgationem ac tutelam corporis animæque, pervenire credenda est ; quæ ab homine percepta, cum qui in membris ejus insidet spiritum, seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quoddam exurens fugat incendium. Hoc namque modo curatum et abbatem [b] Andronicum nuper aspeximus, aliosque quamplures. Magis namque ac magis inimicus insultabit obsesso, cum eum a cœlesti medicina viderit segregatum ; tantoque dirius ac frequentius attentabit, quanto eum a spiritali remedio longius senserit abdicatum. B

CAPUT XXXI.

Quod miseri sint hi qui subdi temporalibus istis tentationibus non merentur.

Cæterum [c] illi sunt vere miseri ac miserabiles ju-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Energumenis sive dæmoniacis non esse denegandam eucharistiæ communionem docet etiam D. Thomas (III *part.*, *q.* 80, *art.* 9 *ad* 1), et confirmat hoc Cassiani testimonio. Pro quo etiam facit quod in concilio Arausicano habetur Can. 3 (*apud Gratian.* 26, *q.* 6, *cap. Qui recedunt*). *Amentibus quæcumque pietatis officia conferenda sunt* (*Sotus in* 4 *Sent.*, *dist.* 12, *q.* 1 *Thyræus de Dæmon. part.* 1, *cap.* 28). Sed multo clarius id confirmatur exemplo quod a divo Prospero Aquitanico refertur his verbis (*de Promiss. et Prædic. dimid. temp. cap.* 6) : *Nostris temporibus, Asparete, v. c. consule Carthagini constituto, hoc signum diabolicum, monstruosumque quod illic accidit, quis illius patriæ civis ignorat? Quædam juvencula Araba natione, ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lavans simulacrum Veneris impudice respiceret, et seipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuit ; statim ille leo qui rugiens circuit, quem quærebat invenit. Meatus igitur gutturis ipsius occupans, nullum cibum, nullumque potum trajiciens, per septuaginta ferme dies totidemque noctes, jejunium sibi diabolus ex capto possessoque vase exhibuit. Hoc monstrum parentes puellæ per tot dierum spatia auferri posse sperantes, dum jugi malum ulterius tolerare non possent, simul cum filia sese ingesserunt sacerdoti, quæ acta erant fideliter intimantes. Hoc tantum puella fatebatur, avem quamdam noctis medio apparere, quæ sibi ori nescio quid infunderet. Stupor tunc inerat cunctis videre puellam nullis indiciis diuturni jejunii fœdatam, nullo pallore, seu tabe vel debilitate confectam, quin potius robustam succo viscerum, mole membrorum. Cumque incredibilia viderentur quæ dicebantur, habito consilio in monasterio puellarum, in quo reliquiæ S. Stephani sitæ sunt, sacerdos puellam simul et præposito commendavit. Illic prima tantum die apparuisse illam avem asseruit, seque increpasse quod neque fame neque siti compulsa, illum appeteret locum, quo sibi accedere non liceret. Per duas sane hebdomadas nihil cibi vel poculi sumens, in monasterio mansit. Accidit autem ut quintus decimus dominicus illucesceret dies, ascendente nobiscum sacerdote ut matutinum illic sacrificium solito offerretur, puellam præpositus ad altare perduxit, eo incessu et habitu quo solent rubore perfusæ ex epulis poculisque mulieres advenire. Sed ut se illa prostravit altari, clamore fletus sui cunctis astantibus gemitus lacrymasque induxit, quibus tantum malum auferendum præsens plebs Dominum exorabat. Peracto itaque sacrificio, cum eadem inter cæteras levem particulam corporis Domini tinctam a sacerdote perciperet, semihora mundus trajicere non valuit, nondum illo fugato de quo dicit Apostolus : Quæ consonantia Christi ad Belial? Et iterum : Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini participare et mensæ dæmoniorum* (1 *Cor.* X). *Manu igitur faciem ejus sustentante sacerdote, ne Sanctum projiceret, a quodam diacono suggestum est ut calicem salutarem gutturi ejus pontifex applicaret. Quod ut factum est, statim locum illum quem diabolus obsederat, Salvatoris imperio reliquit, Sacramentum quod ore gestabat cum laude Redemptoris transglutisse puella clamavit. Hinc lætitia, hinc voces in laudem Dei, quod post octoginta et duos dies diabolo expulso, puella de potestate fuerit erepta inimici,* etc. Hactenus D. Prosper. Porro quamvis dæmoniacis communionem sacram porrigi posse dixerimus, non tamen dicimus omnibus, nec quovis tempore porrigendam ; sed illis tantum qui mentis et judicii compotes sunt, ut hunc cibum ab alio valeant discernere, et ad eumdem cum devotione et reverentia se præparare, et quidem eo tempore quo dæmones molesti non sunt, nec ulla Sacramento timetur irreverentia (*Pet. Thyr. lib. de Dæmoniac. cap.* 28). Quocirca quod B. Dionysius (*Eccles. Hierarch. cap.* 3) dicit, energumenis non esse porrigendum hoc Sacramentum, de non baptizatis intelligendum est, ex sententia S. Thomæ (*ubi supra*). Vide infra annotationem decimam Cuichii. C

[b] De quo Andronico loquatur hic abbas ambiguum est. Fertur quidem Andronici et Tharasiæ conjugis ejus anachoretarum illustris historia, quorum etiam memoria in Martyrologio Romano celebris habetur 9 Octobris ; quippe qui mutuo consensu continentiam voventes, vitam anachoreticam elegerunt et sanctissime traduxerunt sub disciplina abbatis Danielis, quem illum esse existimo qui collatione 4 apud nostrum Cassianum disputat. Verum an ille sit Andronicus de quo hic agitur, lectori judicandum relinquo. D

[c] Passim id indicant sacræ paginæ, quæ felices Deoque dilectos prædicant quos ipse in hac vita castigat, ne in æternum puniat ; contra infelices et reprobos : *Quibus ipse non irascitur*, Ezech. XVI ; *Sed dimittit eos secundum desideria cordis eorum*, Psal. LXXX ; *Nec visitat super peccantes*, Ose. IV. In hoc genere præclara sunt, licet minus trita, verba auctoris lib. II Machab. cap. VI, ubi ait : *Obsecro autem*

dicandi; qui cum se universis criminibus flagitiisque contaminent, non solum nullum visibiliter in eis signum [a] diabolicæ suppletionis ostenditur, sed nec aliqua quidem operibus eorum condigna tentatio, nec ullum flagellum correptionis infertur. Non enim merentur celerem temporis istius expeditamque medicinam, quorum *duritia et impœnitens cor* pœnam vitæ præsentis excedens, *thesaurizat sibi ipsi iram et indignationem in die iræ et revelationis justi judicii Dei* (*Rom.* II), in quo *vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur* (*Isa.* LXVI). Contra quos propheta, velut anxius pro afflictione sanctorum, videns eos ærumnis variis ac tentationibus subjacere, et econtra peccatores non solum absque ullo humiliationis flagello cursum mundi istius pertransire, sed etiam affluentia divitiarum ac summa rerum omnium prosperitate gaudere, intolerabili zelo ac spiritus sui fervore succensus, exclamat : *Mei autem pene moti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns, quia non est respectus morti eorum, et firmamentum in plaga eorum, in labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur* (*Psal.* LXXII) : scilicet in futuro cum dæmonibus puniendi, qui in præsenti non meruerunt in sorte ac disciplina filiorum cum hominibus flagellari. Jeremias quoque cum Deo super hac impiorum prosperitate disceptans, licet nequaquam dubitare se de justitia Domini profiteatur, dicens : *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum* (*Jerem.* XII); causas tamen hujus tantæ inæqualitatis inquirens, subjungit et dicit : *Verumtamen justa loquar ad te. Quare via impiorum prosperatur? bene est omnibus qui prævaricantur et inique agunt. Plantasti eos, et radicem miserunt, proficiunt et faciunt fructum : prope es tu ori eorum et longe a renibus eorum* (*Jerem.* XII). Quorum ruinam deflente Domino per prophetam, et ad eorum curationem medicos atque doctores sollicite dirigente, et quodammodo eos ad planctum similem provocante ac dicente : *Subito cecidit Babylon, contrita est, ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur* (*Jerem.* LI). Respondent desperantes angeli, quibus salutis humanæ cura commissa est, vel certe propheta ex persona apostolorum seu spiritualium virorum atque doctorum videntium duritiam mentis eorum et impœnitens cor : *Curavimus Babylonem, et non est sanata; relinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam, quoniam pervenit usque ad cœlos judicium ejus, et elevatum est usque ad nubes* (*Ibid.*). De istorum igitur desperato languore ex persona Dei loquitur Isaias ad Jerusalem : *A planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas; vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo* (*Isa.* I).

CAPUT XXXII.

De diversitate studiorum ac voluntatum quæ in aereis potestatibus exercentur.

[b] Tot autem esse in immundis spiritibus quot in

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

eos qui librum hunc lecturi sunt ne abhorrescant propter adversos casus; sed reputent ea quæ acciderunt, non ad interitum, sed ad correptionem esse generis nostri. Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficii est indicium; non enim sicut in aliis notionibus Dominus patienter exspectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat : ita et in nobis statuit, ut peccatis nostris in finem devolutis, ita demum in nos vindicet. Propter quod numquam quidem a nobis misericordiam suam amovet; corripiens vero in adversis populum suum, non derelinquit. Hæc ille. In eamdem sententiam egregie Lactantius lib. V Divin. Instit. cap. 23, Senecam secutus, eumque allegans : *Si quis*, ait, *scire volet plenius cur malos et injustos Deus potentes, beatos et divites fieri sinat; pios contra, humiles, miseros, inopes esse patiatur, sumat cum Senecæ librum, cui titulus est : Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia? in quo ille multa, non imperitia seculari, sed sapienter ac pene divinitus elocutus est : Deus, inquit, homines pro liberis habet : sed corruptos et vitiosos luxuriose ac delicate patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem quos diligit, castigat sæpius et assiduis laboribus ad usum virtutis exercet, nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit. Unde nemini mirum videri debet, si pro nostris sæpe delictis a Deo castigamur; immo vero cum jactamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo Patri, quod corruptelam nostram non patitur ongius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus esse nos Deo curæ, quibus, quia peccamus, irascitur.* Hæc Lactantius ex Seneca. Quibus accedit clarissimus ille senator et philosophus Severinus Boetius libro quarto de Consolatione Philosophiæ, ubi egregie docet et probat feliciores esse improbos supplicia luentes, quam si eos nulla justitiæ pœna coerceat; et contra multo esse infeliciores si impune agant, quam si justa ultione puniantur. Quod huic loco optime quadrat.

[a] Id est, invasionis, possessionis, vexationis. Ita passim a Cassiano usurpatum, ut cætera ejusdem derivationis, *suppleri*, *suppletus*.

[b] Repetit quod superius aliis verbis docuit (*Cap.* 17 *ejusdem collat.*), *Non omnes dæmones universas hominibus inferre passiones, sed unicuique vitio certos spiritus incubare : et alios quidem immunditia ac libidinum sordibus oblectari, alios blasphemiis, alios iræ furorique peculiarius imminere, alios pasci tristitia, alios cenodoxia superbiaque mulceri : et unumquemque illud vitium humanis cordibus quo ipso gaudet inserere.* Atque hinc colligit dæmonum, ut varias operationes atque libidines, ita varia esse genera. Ubi notandum duas distinctiones dæmonum assignari solere, unam a locis quibus immorantur hominibusque insidiantur, alteram a vitiis ad quæ potissimum impellere et excitare nituntur. Priori modo veteres dixerunt quosdam dæmones cœlestes, sive aereos, aqueos, terrestres, subterraneos (*Cæl. Rhodig. lib.* II *cap.* 4 *et sequent.*; *Lud. Vives*). Sic Marcus apud Psellum lib. de dæmonum Natura (*In cap.* 9). Thomas Cantipratensis quatuor genera distinguit (*lib.* II, *cap.* 57). *Sunt enim*, inquit, *dæmones qui in aquis manent, et hos putæ Neptunos vocant; alii qui super terram, et hos incubos; alii in terra, sicut in speluncis montium, aut in silvis, et hos Drusios vocat Augustinus* (*Lib.* X *de Civit.*); *alii in aere, et hos spiritualia nequitiæ in cœlestibus Apostolus vocat* (*Ephes.* VI). Sic ille. Posteriore autem modo distinguuntur apud Cassianum lib. V Institut. et sequentibus, itemque collat. 5 spiritus gastrimargiæ, fornicationis, philargyriæ, iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ et superbiæ. Possunt enim hæ nomenclaturæ tam de ipsis vitiis quam de dæmonibus vitiorum auctoribus et

hominibus studia, non dubie comprobatur. Nam nonnullos eorum, quos etiam [a] Faunos vulgus appellat, ita seductores et joculatores esse manifestum est, ut certa quæque loca seu vias jugiter obsidentes, nequaquam [b] tormentis eorum quos prætereuntes potuerint decipere delectentur, sed de risu tantummodo et illusione contenti, fatigari eos potius studeant quam nocere; quosdam solummodo [c] innocuis incubationibus hominum pernoctare; [d] alios ita esse furori ac truculentiæ deditos, ut non sint contenti illorum tantummodo corpora quos supplenerint atroci dilaceratione vexare, sed etiam irruere super eminus transeuntes, atque afficere illos sævissima cæde festinent, [e] quales illi in Evangelio describuntur (*Matth.* VIII), ob quorum metum per viam illam transire jam nullus audebat, quos eorumque consimiles, bellis quoque et sanguinis effusione pro insatiabili ferocitate gaudere non dubium est. Alios ita eorum corda quos ceperant et inani quodam tumore videmus infecisse, quos etiam [f] Bacuceos vul-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

incentoribus accipi, ut alias dictum est. Atque hanc distinctionem explicat Auctor hoc cap. De qua etiam multa videre est apud Joannem Climacum gradu 15 et 21. Vide undecimam annotationem Cuychii.

[a] Fauni sive Satyri, apud ethnicos scriptores, maxime poetas, nominatissimi: de quibus etiam meminit D. Augustinus lib. XV de Civit. Dei cap. 23, quos et Silvanos vocatos ait, quod in silvis frequentius viserentur, et pro diis silvestribus seu agrestibus colerentur. Scribit S. Hieronymus (*In Vita Pauli eremitæ*) B. Antonio ad Paulum Eremitam per vastam solitudinem pergenti Faunum occurrisse, quem his notis depingit: *Inter saxosam convallem haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aspersa, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat; et nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quasi pacis obsides, offerebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, et quisnam esset, interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, et unus ex accolis Eremi, quos vario delusa errore gentilitas, Faunos, Satyrosque et incubos vocans, colit,* etc. Subdit deinde Hieronymus ad rem confirmandam: *Hoc, ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantino, universo mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istius modi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, et postea cadaver examine, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam, ut ab imperatore viseretur, allatum est.* Ita D. Hieronymus Faunum velut hominem et multis hominis notis depingens, quem tamen ibidem petulcum animal, portentum postea, bestiamque appellat. Unde colligit Marianus (*In scholiis*) monstruosum aliquod fuisse genus, præsertim cum tales hodie, toto jam orbe peragrato, homines non reperiantur. Cui consentire videtur Baronius (*Tom.* III *Annal. an.* 343), censens hanc historiam ab Hieronymo enarratam miraculo esse ascribendam; ut de multis aliis animalibus, rationis licet expertibus, sæpe legitur, ea velut ratione prædita et Dei nutu reddita pene rationalia, qualia solent homines, exhibuisse sanctis viris ministeria. Verum quidquid sit de Fauno illo qui S. Antonio obvius factus est, probabilius est Faunos illos et Satyros ab ethnicis, ut dictum est, pro silvarum numinibus habitos, fuisse dæmones in humana effigie, sed monstruosa, et in caprinam vel asininam desinente, apparentes, et hominibus illudentes, ut hic Auctor innuit, quos et pilosos hac ratione Scriptura nuncupat. Isaiæ XIII: *Pilosi saltabunt ibi.* Ut D. Hieronymus ibidem annotavit: *Pilosos,* inquiens, *vel incubones, vel Satyros, silvestres quosquam homines, quos nonnulli Faunos sicarios vocant, aut dæmonum genera intelligunt.* Item cap. 34 apud eumdem prophetam: *Occurrent dæmonia, onocentaurus et pilosus clamabit alter ad alterum.* Quamquam pilosi alia etiam ratione dæmones dicti censeantur, quod suis cultoribus in forma hirci hirsuti et pilosi plerumque appareant. Sed de his satis.

[b] Accipiendum id comparative, id est, non æque delectari atque alii crudeliores truculentioresque, de quibus postmodum. Verius enim est omnes omnino dæmones optare quam gravissima mala hominibus inferre, et si Deus sineret, reipsa illaturos. Docet D. Antonius, apud Athanasium, cunctis dæmonibus hostile odium in homines esse, gravius in Christianos, gravissimum in monachos et virgines Deo dicatas; singulis tamen, non nisi quantum Deus permittit, nocere. Si amplius non sinantur, gaudere hominum derisu et deceptione, ut hic dicitur; aut impulsu in aliquod saltem veniale peccatum, ut otiosæ spectationis, vel locutionis, risus solutioris, distractionis in oratione, dormitationis, et hujusmodi delictorum, in quæ etiam valde perfecti facile pertrahuntur. (*Vide Petr. Cluniacens. lib.* I *Mira.* c. 17.)

[c] Innocuas incubationes puto intelligi oppressionem illam nocturnam quæ voci spirituique meatum intercipit, et velut ingenti pondere quiescentes seu dormientes opprimit ac pene suffocat, quam Greci ἐφίαλτην (*Suidas* v. *Ephialtes*), incubum Latini, Galli *cauchemar* nuncupant: quæ quidem oppressio et suffocatio plerumque ex voracitate et eruditate ciborum, et stomachi indigerie, aut specie quadam morbi melancholici nascitur; interdum tamen a dæmonibus efficitur, unde etiam incubi, sive incubones dicti; præter illam rationem obscenæ incubationis et commixtionis cum strigibus, et sagis, de qua D. Augustinus ubi supra. Est itaque hic morbus subinde mala corporis affectio, alias nuda et mera dæmonis infestatio aut illusio.

[d] Tales illi qui Græcis Ἀλάστορες dicti: in quorum numero Nemesis, quam fingebant ultricem scelerum, seu deam ultionis. De qua Alciatus emblem. 27. Talis et ille exterminator, de quo in Apocalypsi: *Angelus abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce Apollyon, Latine habens nomen Exterminans* (*Apoc.* IX) Quibus omnibus linguis significatur dæmon omnia disperdens ac destruens. Ita etiam nonnulli interpretantur dæmonium meridianum psal. XC, quod scilicet non latenter et dolosis machinationibus, velut in tenebris, sed palam et aperta vi, ut in meridie, homines aggreditur. Hujus generis dæmones B. Antonius dicebat ad summam nocendi verticem pervenisse, et alios eorum comparatione videri leniores ac mitiores.

[e] Matth. VIII: *Cum venissent in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, sævi nimis; ita ut nemo posset transire per illam viam.* Addit Lucas de uno tantum eorumdem loquens, *neque vestimento induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis,* ad exprimendam eorum sævitiam, ob quam nemo auderet eis occurrere aut eos domo excipere, unde exclusi a communi hominum habitatione in sepulcra, scilicet camerata, sese reciperent.

[f] Bacuceos, vel Bacuteos, sive ut in mss. legitur, Bacucos, intelligit homines certo quodam dæmonum genere correptos, barbara voce a vulgo eis imposita. Quamvis autem de dæmoniacis proprie hic agatur, ut verba sonant, non de dæmonibus seorsum sumptis eorumve proprietatibus, tamen eisdem etiam separatis et extra corpora mortalium subinde apparentibus eamdem appellationem tribui solere non est improbabile. Quemadmodum D. Augustinus (*Lib.* XV

gus appellat, [a] ut semetipsos ultra proceritatem corporis erigentes, nunc quidem se in quosdam fastus gestusque sustollerent, nunc velut acclines ad quemdam se tranquillitatis et affabilitatis statum communes blandosque submitterent, seseque velut illustres et circumspectabiles omnibus æstimantes, nunc quidem adorare se potestates sublimiores corporis inflexione monstrarent nunc vero ab aliis se crederent adorari, et omnes motus quibus vera officia aut superbe aut humiliter peraguntur, explerent. Alios reperimus non solum studere mendaciis, sed etiam [b] blasphemias hominibus inspirare. Cujus rei etiam nos testes sumus, qui audivimus apertissime A dæmonem confitentem, per [c] Arium et Eunomium se impietatem sacrilegi dogmatis edidisse. Quod etiam in tertio Regum libro unum ex iisdem ipsis manifeste legimus prædicantem : *Egrediar*, inquit, *et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus* (III *Reg.* XXII *et* II *Par.* XVIII). De quibus Apostolus arguens illos qui ab ipsis decipiuntur, ita infert : *Attendentes spiritibus seductoribus, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium* (I *Tim.* IV, 1, 2). Esse autem et [d] alia dæmonum genera, id est, mutorum atque surdorum, Evangelia testantur (*Lucæ* XI, VII, *Marci* IX). [e] Incentores etiam libidi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

de Civit. c. 23) scribit quosdam esse dæmones quos B Galli Drusios nuncupabant : de quibus infra.

[a] Quod de dæmoniacis, id est, dæmonibus hominum corpora occupantibus hic dicitur, idem in ipsos separatos et extra humana corpora, in humana tamen specie sese exhibentes, congruit. Nam et gigantum et pumilionum sive homuncionum specie apparuisse leguntur, ut videre est in Vita S. Antonii apud Athanasium, Macarii apud Palladium (*Lausiac.* 20), Benedicti apud Gregorium Magnum (*Dialog.* 2, *cap.* 4).

[b] Hinc spiritus blasphemiæ dictus : quo homines etiam sancti et admodum religiosi subinde infestantur, ut etiam ea de Deo rebusque divinis cogitent inviti, quæ nec animo sentiunt, immo maxime aversantur : de quo Palladius in Evagrio (*Lausiac.* 86) : *Aliquando* inquit, *ei molestiam exhibuit spiritus blasphemiæ, et quadraginta diebus non est lectum ingressus*, etc. Et Joannes Climacus gradu 23 eum ita describit : *Neque enim quivis est inimicus, sed hostibus omnibus immanior et gravior. Et quod durius est, non facile spirituali medico enuntiari, aut confitendo denudari potest. Quocirca plurimis nonnumquam desperationis et diffidentiæ causa fuit, omni illorum consumpta spe, non secus quam a verme consumitur lignum. Iste igitur sceleratissimus, ut sæpe ad sanctam synaxim et ad ipsam horrendam sacrorum mysteriorum horam blasphemare Dominum, et ipsa quæ consummantur sacra, solet. Ex quo manifeste colligimus, non esse animam nostram quæ illa intus verba locuta sit impia et non ferenda, sed dæmonem, Dei bonorumque omnium adversarium, qui de cœlis dejectus est, quod illic quoque dum se per superbiam extollit, in Deum blasphemias et contumelias jaculari cæpisse sentiret, professus conscriptam in charta perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit, in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit senior, subrisit, fratremque erigens dixit : Pone, fili, manum tuam super oculum meum. Quod cum fecisset, ait illi senior : Super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnaverit vel oppugnaturum sit. Tu autem id observa, ut hæc jam floccipendas et nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est frater, ut non ante cella senis excederet, quam hujusmodi morbus evanesceret.* Hæc ille.

[c] Insignes et famosos hæresiarchas, quorum prior divinitatem Filii, alter Spiritus sancti præcipue impugnavit. Ille presbyter Alexandrinus docuit Filium Dei esse creaturam : proinde non esse coæternum, nec ὁμοούσιον, id est, consubstantialem Patri. Unde in magno concilio Nicæno damnatus, eum in ecclesiam intrare vellet, subito alvi motu in publicum secessum abire coactus cum excrementis intestina omnia et animam effudit. Eunomius monachus Aetii discipulus dissimilem per omnia Patri asserens Filium et Filio Spiritum S., ait D. Augustinus (*Aug. hæres.* 45 *et* 60).

[d] Dæmones muti aut surdi dicuntur qui mutos aut surdos reddunt quos possident, ut superius notatum. Mutus quippe fuit et surdus ille dæmoniacus quem Dominus curavit Lucæ XI, sed dæmonio operante, quod ideirco mutum et surdum appellatur. Ita sexennio usu linguæ privatam mulierem ab hoc genere dæmoniorum refert Palladius in Vita abbatis Possidonii (*Lausia.* 77).

[e] Ex hoc genere fuit ille qui S. Antonio in forma nigri pueruli apparuit, historiam ita narrante Athanasio : *Quadam die diabolus, cum videret se semper ab ejus cogitationibus repelli, secundum quod scriptum est, stridens dentibus et ululans, qualis est merito, talis apparebat, et cultu puer horridus atque niger, ad ejus se genua provolvens, humana voce flebat, dicens : Multos seduxi, plurimos decepi : nunc autem ut cæteris sanctis, ita et tuo sum labore superatus.* Quem cum interrogaret Antonius, *quisnam esset qui talia loqueretur, ait : Ego sum fornicationis amicus ; ego multimoda adversum omnes adolescentes turpitudinis arma suscepi : hinc et spiritus fornicationis vocor. Quantos pudice vivere disponentes fefelli, quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi! Ego sum propter quem propheta lapsos increpat dicens : Spiritu fornicationis seducti estis, et revera per meilli fuerunt supplantati. Ego sum, qui teipsum sæpe tentavi, et semper repulsus sum. Cum hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, et largiore adversus inimicum confortatus audacia, ait : Multum ergo despicabilis et contemptibilis es : nam et obscuritas tua et ætas infirmarum signa sunt rerum*, etc. Hujus etiam generis fuisse videtur dæmon ille Asmodæus dictus Tob. VI et VIII, qui Saræ septem conjuges libidinis ardore succensos, et excluso Dei timore in carnis desideria ruentes prima nocte necabat : quem angelus Raphael ligavit et ab-

num atque luxuriæ quosdam spiritus esse prophetæ commemorat: *Spiritus*, inquiens, *fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo* (*Ose.* IV). [a] Nocturnos quoque sive diurnos ac meridianos dæmones similiter Scripturarum auctoritas docet (*Psal.* XC). De quorum diversitate perlongum est, si volumus omnia Scripturarum volumina perscrutantes sigillatim percurrere, [b] qui per prophetam onocentauri, qui pilosi, qui sirenæ, qui lamiæ, qui ululæ, qui struthiones, qui ericii designantur (*Isa.* XIV), qui aspis, qui basiliscus in psalmo (*Ps.* XC), qui leo, qui draco, quive scorpius in Evangelio nuncupentur (*Luc.* X, *Joan.* XIV), qui princeps mundi hujus, qui rectores tenebrarum harum, quive spiritalia nequitiæ ab Apostolo nominentur (*Ephes.* VI). Quæ vocabula non casu nec fortuito indita illis debemus accipere, sed significatione istarum ferarum quæ apud nos vel minus noxiæ vel magis perniciosæ sunt, illorum ferocitates rabiesque distingui, et ex similitudine nequitiæ virulentæ seu principatus quem istis inter cæteras feras sive serpentes quænam excellentia malitiæ suæ confert, illos quoque eorum vocabulis nuncupari: ut scilicet alius quidem, ob vehementiam furoris et rabiem ferocitatis suæ, leonis appellegavit in desertum. Tales etiam illi dæmones quos S. Augustinus (*Ubi supra*) scribit a Gallis Drusios appellatos, hanc assidue immunditiam et tentare et efficere solitos. Tale *genus illud dæmoniorum quod Salvator asseruit non ejici, nisi in jejunio et oratione* (*Lucæ* XXII), quibus carnis luxuria maxime refrenatur. Talis et ille quem in S. Justinam virginem immittebat Cyprianus, tum magus, postea sanctus, apud Gregorium Nazianzenum orat. 18, et ille quem ad virginem aliam expugnandam Gazensis adolescens, magicis artibus, subter domus limen defixerat, *qui a S. Hilarione interrogatus, cur in adolescentem ipsum ingressus non esset? ut quid, respondit, intrarem in eum qui habebat collegam meum, Amoris dæmonem?* ut narrat S. Hieronymus in Vita ejusdem Hilarionis. Talis denique qui quemdam veluti amoris furorem et insaniam, pudicissimæ virgini, ut in Vita D. Basilii legitur, excitavit, quique apud Palladium Moysi Æthiopi et Evagrio, et apud Hieronymum ipsi Hilarioni maximas carnis molestias exhibuit.

[a] Spectat illud psalmi nonagesimi, *A sagitta volante in die; a negotio perambulante in tenebris; ab incursu et dæmonio meridiano.* Quem versum de variis dæmonum generibus interpretantur Basilius, Hieronymus, et alii; et nocturnos vocant, qui noctu præcipue homines infestare, tentare, aut vexare solent: unde et principes tenebrarum et potestas tenebrarum propria quadam ratione appellantur; poetis lucifugi, tenebriones, spectra, larvæ, umbræ, phantasmata; contra quos auctore Ambrosio canit Ecclesia:

> Procul recedant somnia,
> Et noctium phantasmata,
> Hostemque nostram comprime
> Ne polluantur corpora.

Diurnos ac meridianos, qui interdiu ac meridie potissimum grassari aut vires suas exercere hominesque acrius adoriri soliti; tum spirituali tentatione et impugnatione maxime luxuriæ et acediæ, quæ duo peccata urgent vehementius hominem cibis distentum et plenum, ut docent Euthymius et Theodoretus in eumdem psalmum, ut Cassianus noster lib. X Institut. cap. 2, tum etiam corporeis afflictionibus et molestiis, ut in Vita S. Antonii et alibi videre est. Cæterum non hæc ita accipienda sunt quasi dæmones vel a locis vel a temporibus dependeant, sed quia pro sua voluntate et Dei permissu, vel superiorum spirituum imperio, hæc vel illa tempora propensius aut frequentius deligant aut sortiantur.

Tribuuntur hæc et hujusmodi vocabula dæmonibus, vel communiter et promiscue omnibus, vel speciatim et peculiariter aliquibus et certis, idque duplici ratione: 1° per metaphoram, quatenus ejusmodi animalium, sive monstrorum proprietates et pravitates imitantur, ut inferius declaratur; 2° quia hujusmodi formas solent assumere et in eis spectabiles se præbere, ut ex Vita S. Antonii sæpius in hoc argumento citata, et citanda notum est. *Nam et bestiarum* (verba sunt Athanasii) *et serpentum formas induentes, cellam, ubi vir sanctus agebat, protinus replevere phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentum, scorpionum, necnon et pardorum, atque ursorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu et cornibus minabatur, serpentes sibilo personabant, luporum impetus inhiabat, pardus discolor auctoris sui callliditates varias indicabat: truces omnium vultus, voces horridæ, dirus auditus.* Hæc Athanasius. Qui et complures alias apparitiones dæmonum sub diversis et monstruosis formis ac spectris eidem Antonio factas refert: *Talem*, inquit, *a se visum diabolum asserebat Antonius, qualem et beatus Job, Domino revelante, cognovit. Oculi ejus ac si species Luciferi: ex ore ejus procedebant lampades accensæ: crines quoque incendiis sparyebantur; et ex naribus ejus fumus egrediebatur, quasi fornacis æstuantis ardore carbonum; halitus ejus ut prunæ; flamma vero ex ore ejus glomerabatur. Alio tempore vidit bestiam pube tenus humanum faciem præferentem, quæ exinde in asinum finiebatur.* Vidit idem Antonius teste Hieronymo (*In Vita Pauli Eremitæ*), hominem equo mixtum, cui opinio poetarum hippocentauro nomen dedit, de quo tamen dubitat D. Hieronymus an fuerit diabolus, qui sic ad terrendum simulaverit, an animal aliquod monstruosum, ut solet eremus hujusmodi monstrorum ferax esse. Simile est quod de Hilarione narrat idem Hieronymus, cum is in eremo ageret, *Quadam nocte coepisse infantum audire vagitus, balatus pecorum, mugitus boum, planctum quasi mulierum, leonum rugitus, murmur exercitus, et rursus variarum portenta vocum, ut ante sonitu quam aspectu territus, cederet*, etc. Similis itidem B. Gregorii (*Lib.* III *dialog. cap.* 4) de Datio Mediolanensi episcopo narratio, qui cum quamdam domum ab hominibus desertam, et a dæmonibus occupatam apud Corinthum hospitandi causa ingressus esset, intempestæ noctis silentio, cum vir Dei quiesceret, antiquus hostis immensis vocibus magnisque clamoribus cœpit imitari rugitus leonum, balatus pecorum, ruditus asinorum, sibilos serpentium, porcorum grunitus, stridores soricum. Tunc repente Datius, tot bestiarum vocibus excitatus, surrexit vehementer iratus, et contra antiquum hostem magnis cœpit vocibus clamare dicens: *Bene tibi contigit, miser: tu ille es qui dixisti: Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isaiæ* XIV). *Ecce per superbiam tuam porcis et soricibus similis factus es; et qui imitari Deum indigne voluisti, ecce, ut dignus es, bestias imitaris*, etc. Ubi causam habes expressam cu- Deus permittat Dæmones in hujusmodi formis bestiarum apparere, aut earum voces imitari, nimirum ad majorem ipsorum confusionem ignominiamque et superbiæ dejectionem. Plura alia videre licet apud Petrum Cluniacensem, Cæsarium Cistertiensem, Thomam Cantipratanum et alios recentiores (*Petr. Clun. lib.* I *de Miracul.*; *Cæsar. lib. de Dæmon.*; *Pet. Thiræ. de apparit. spirit. cap.* 9, *Delrio de magia lib.* 2 *q.* 27).

lationem ; alius basilisci, ob illud mortiferum virus quod priusquam sentiatur interimit ; alius vero, ob teporem malitiæ suæ, onocentauri, aut ericii nomen struthionisve sortitus sit.

CAPUT XXXIII.

Interrogatio, unde differentia nequitiarum cœlestium tanta processerit.

Germanus : Non quidem ambigimus illos quoque ordines quos Apostolus enumerat, ad istos referri, quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed *adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI) : volumus tamen nosse unde sit hæc tanta inter eos differentia, vel quemadmodum tanti nequitiæ exstiterint gradus, an ad hoc creati sint, ut hos ordines malitiæ sortirentur, et quodam modo huic nequitiæ militarent ?

CAPUT XXXIV.

Dilatio super absolutione propositæ quæstionis.

Serenus : Quamquam propositiones vestræ totum tempus nocturnæ quietis ita nostris furentur obtutibus, ut appropinquantis auroræ nequaquam viciniam sentiamus, et usque ab ortum solis insatiabiliter collationis hujus verba contexere provocemur ; tamen quoniam absolutio propositæ quæstionis cum cœperit indagari, in quoddam amplissimum ac profundissimum nos educet pelagus quæstionum, quod præsentis horæ brevitas non sinit transmeari : commodius reor ut eam futuræ noctis indagini reservemus, quo et mihi sub hujus quæstionis occasione de vestro propensiori colloquio, lætitia spiritalis ac fructus uberior conferatur, et propositarum quæstionum sinus, præbente nobis Spiritu sancto prosperos flatus, liberius penetrare possimus. Quamobrem soporis modicum degustantes discutiamus obrepentem oculis nostris, vicina jam luce, torporem, ac deinceps pariter ad ecclesiam procedentes, [a] quoniam nos hoc facere Dominicæ diei solemnitas commonet, reversi [b] post synaxin, ea quæ Dominus ad instructionem communem pro desiderio vestro largitus fuerit, duplicato gaudio conferamus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nempe ad ecclesiam procedere. Id enim solemne fuisse etiam priscis monachis et anachoretis, ut dominico die ad ecclesiam convenirent, jam pridem in libris Institutionum notavimus. Sozomenus lib. VI cap. 31 de Monachis Nitriæ agens : *Conveniunt*, inquit, *omnes in unum, et primo ac postremo die conventum celebrant. Quod si quis forte absit, cum abesse plane invitum constat, vel afflictatione aliqua vel morbo præpeditum*, etc. Cassianus item collation. 18 cap. 15 narrat in ipsa eremo Paphnutium cum cæteris monachis die dominico ad ecclesiam processisse e cella. Vide collationem 23 cap. 21, ubi de hac re plura.

[b] De synaxi diximus etiam alio loco (*Lib.* II *Instit. cap.* 10, *et alibi passim*). Potest autem hic accipi pro conventu seu congregatione monachorum ad orandum, divinasque laudes die dominico in ecclesia celebrandas : vel pro missæ sacrificio, et sacra communione, quam illi diebus dominicis percipere soliti, ut suo loco dicetur (*Collat.* 23 *cap. ult.*). Sic apud Palladium (*Lausia.* 59), *Abbas Hellos venit aliquando ad quosdam monachos, et cum esset dies dominicus dixit eis : Cur hodie non egistis synaxim ? responderunt : Eo quod non venerit presbyter.* Apud Græcos scriptores verbum συνάγειν, a quo synaxis, duplicem sortitur significationem. Nam interdum ponitur pro conventum agere, seu plebem rei sacræ causa in ecclesiam cogere ; interdum ad communionem admittere, quod observavit Jac. Billius lib. I Observat. Sacr. cap. 40.

COLLATIO OCTAVA,

Quæ est secunda abbatis Sereni.

DE PRINCIPATIBUS SEU POTESTATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Consummatis quæ diei solemnitas exigebat, et ecclesiæ congregatione dimissa, reversi ad cellam senis, refecti primum lautissime sumus. Nam [a] pro muria quæ superjecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, et olei quiddam solito propensius superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc unusquisque quotidie refecturus instillat, non ut ejus ex hoc gutturis quamdam percipiat suavitatem, quippe cujus tantus est modus, ut vix ipsius gutturis fauciumque meatus non dicam linire, sed pertransire sufficiat ; sed ut hoc usu jactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore blande solet ac latenter irrepere, et stimulos elationis obtundat : quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloque hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit. [b] Deinde apposuit salem frictum, olivas ternas, qui-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De muria hæc Isidorus (*Etymol.*) : *Liquamen dictum eo quod soluti in salsuginem pisciculi eumdem humorem liquant* [Al. *linquant*], *cujus liquor appellatur salsugo, vel muria. Proprie autem muria dicitur aqua, sale commixta, affectaque gustu in modum maris.* Hæc Isidorus, ex quo Ambrosius Calepinus paulo clarius : *Muria*, inquit, *genus liquaminis, quod ex thynno pisce conficiebatur. Dicitur etiam salsugo, hoc est, liquor ex sale resolutus, quam salmuriam vulgo dicimus : Gallice* saumure. Plinius lib. XXXI cap. 8 : *Muria, sive salsugo spissat, mordet, extenuat, siccat. Muriam Festus Pompeius ex Verannii sententia interpretatur salem sordidum, in pila pistum, et in ollam fictilem conjectum, ibique opertum, gypsatumque, et in furno percoctum.*

[b] Ita legunt vetustiores libri, quibus Dionysius

bus post hæc superintulit canistrum habens [a] cicer frictum quod illi [b] trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, [c] myxaria bina, [d] caricas singulas, hunc enim numerum in illa eremo quemquam excessisse culpabile est. Qua refectione transacta, promissam quæstionis absolutionem cum reposcere cœpissemus, Proferte, inquit senex, interrogationem vestram, cujus in hanc horam distuleramus indaginem.

CAPUT II.

Secunda propositio de diversitate nequitiarum cœlestium.

Tum Germanus : Unde, quæsumus, tanta varietas adversariarum potestatum contra hominem ac diversitas ista processit? quas B. Apostolus ita dinumerat : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates, adversus nundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Et iterum : *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII). Unde ergo tantæ malitiæ ænula nobis emersit adversitas? An ad hoc potestates istas a Domino conditas esse credendum est ut his contra hominem gradibus atque ordinibus militarent?

CAPUT III.

Responsio de multiplici esca Scripturarum sanctarum.

Serenus : Divinarum Scripturarum auctoritas, de his in quibus nos voluit erudire, quædam etiam his qui acumine ingenii carent tam lucide evidenterque effata est, ut non solum nulla occultioris sensus obscurentur seu velentur umbra, sed ne ullo quidem patrocinio interpretationis indigeant, et in superficie vocis ac litteræ suos intellectus ac sententias præferant. Quædam vero ita contecta et quibusdam obscurata mysteriis sunt, ut in eorum discussione et intellectu immensum nobis exercitii campum ac sollicitudinis reservarent. Quam rem multas [e] ob

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

assentitur, ut Cuychius observavit. At alii etiam veteres mss. sic habent : *Apposuit sale frictas olivas ternas.* Quæ lectio plausibilior et commodior videtur : quam et Lavardinus Gallice sit expressit : *Puis il nous appose à chacun trois olives frites avec du sel.* Alioquin interponenda fuerat conjunctio *et*, distinctionis causa. At quorsum sal seorsum frictus, ubi muria aderat salsissima?

[a] Cicer, ερεβινθος Græce, genus est leguminis, de quo Plinius lib. XVIII *cap.* 12. Ciceris natura est gigni cum salsilagine : ideo solum urit, nec nisi madefactum pridie seri potest.

[b] Τρωγαλία ut notavit Ciaconius, Latine bellaria, hoc est dulciaria, et gulæ delicias esse dicunt hi qui glossas scripserunt; sed in eremo Scythica cicer frictum monachis pro bellariis erat, et inde ita vocabant.

[c] Μύξαρια dicuntur pruna Damascenis minora, nucleo iatus triangulari. Plinius lib. XIII cap. 5 et lib. XV cap. 13, ubi tamen myxas et myxa vocat, non myxaria.

[d] Caricas, non carycas per *y* Græcum : est enim caryca condimentum ex sanguine et variis lautitiis confectum, ut habet Suidas, quod etiam ῥύακομα Græcis dicitur (*Cæl. Rhod. lib.* XXVII c. 23). Carica vero genus ficus, Syriæ peculiare. Plinius lib. XIII cap. 5 : *Syria peculiares habet arbores ficorum genere caricas, et minores ejus generis quæ cutana vocant.* Cicero lib. II De Divinatione : *Cum Marcus Crassus exercitum Brundusii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat.* Ceterum in Caria regione ficum ejusmodi copiose nasci atque inde nomen traxisse auctor est Strabo, ut notat Cuychius. Mirum porro quod hic dicitur singulas tantum caricas singulis monachis fuisse concessas, et hunc numerum excessisse culpabile, nisi junctim cum aliis cibis intelligatur. Nam D. Hieronymus pro magno miraculo et singularis abstinentiæ exemplo refert, etiam adhibito juramento, monachum quemdam quinque caricis in dies vixisse : *Jesum,* inquit (*In Vita Pauli Eremitæ*), *testor, et sanctos angelos ejus, in ea eremi parte quæ juxta Syriam Saracenis jungitur, vidisse me monachos, de quibus unus per tribinta annos clausus, hordeaceo pane et lutulenta aqua vixit : alter in cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant, quinque caricis per singulos dies sustentabatur.* Et in Vita Hilarionis scribit eumdem quindecim tantum caricas, idque post solis occasum comedisse. Hic porro animadvertat lector veterum monachorum lautitias, sive ferecula et obsonia quibus se suumque socium Germanum cum abbate Sereno hospite lautissime refectos Auctor asserit, quæ omnia compendio notasse juverit. Primum ferculum muria, quam vulgo salmuriam vocamus. Secundum, modicum olei, sive liquaminis, quod gutturis meatum vix pertransiret. Tertium, sal frictus. Quartum, olivæ ternæ, scilicet in singulos. Quintum, ciceris frieti pauca grana. Sextum, myxaria, id est, pruna bina in singulos. Septimum, caricæ, sive ficus singulæ singulis. Quibus serio consideratis, perpende quantum inter hæc et illa tempora et mores intersit. Qua de re vide D. Bernard. in apologia ad Guilielmum abbatem. Ubi inter alia sic exclamat : *O quantum distamus ab his qui in diebus Antonii exstitere monachi! Siquidem illi cum se invicem per tempus ex charitate reviserent, tanta ab invicem aviditate panem animarum percipiebant, ut corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum jejunis ventribus, sed non mentibus transigerent. Et hic erat rectus ordo, quando digniori parti prius inserviebatur. Hæc summa discretio, cum amplius sumebat quæ major erat. Hæc denique vera charitas, ubi animæ, quarum charitate Christus mortuus est, tanta sollicitudine refocillabantur. Nobis autem convenientibus in unum* (*ut verbis Apostoli utar*) *jam non est Dominicam cœnam manducare* (I *Corin.* XI). *Panem quippe cœlestem nemo est qui requirat, nemo qui tribuat. Nihil de Scripturis, nihil de salute agitur animarum; sed nugæ, et risus, et verba proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Interim autem fercula ferculis apponuntur, et pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces. Tanta quippe accuratione, et arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis depositis, prima non impediant novissima, nec satietas minuat appetitum.* Hæc Bernardus, de Cluniacensibus agens, qui tamen a carnibus abstinebant.

[e] Causas easdem tradunt alii Patres, cur Scripturam sacram voluerit Deus in multis partibus esse obscuram. D. Augustinus lib. II de Doctrina Christian. cap. 6 : *Magnifice,* inquit, *et salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscuritatibus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.* D. Greg.

causas Deum dispensasse manifestum est. Primum ne sacramenta divina nullum habentia spiritalis intellectus velamen obductum, cunctis hominibus, id est, tam fidelibus quam profanis, æquali scientia et notitia panderentur, et per hoc inter inertes ac studiosos nulla esset virtutis prudentiæque distantia; tum ut etiam [a] inter ipsos domesticos fidei, dum intellectuum spatia coram eis immensa tenduntur, in eis et desidiosorum argueretur ignavia, et studiosorum alacritas atque industria probaretur. Ideoque satis proprie [1] Scriptura divina agro opimo ac fertili comparatur, qui cum multa gignat ac proferat quæ ad hominum victum sine aliqua ignis coctione proficiant, quædam nisi prius flammæ calore mitigata atque mollita omnem asperitatem suæ deposuerint cruditatis, vel incongrua usibus humanis vel noxia sentientur. Nonnulla vero ita in utrumque modum usui apta noscuntur, ut nec incocta sua cruditate displiceant, vel offendant, et tamen ignis calore decocta salubriora reddantur. Plura quoque ad escam tantummodo irrationabilium jumentorum et animalium, vel ferarum ac volucrum proferuntur, cibis hominum minime profutura, quæ etiam in sua asperitate manentia absque ulla ignis confectione vitalem jumentis conferunt saturitatem. Quam rationem satis evidenter aspicimus in hoc uberrimo spiritalium Scripturarum paradiso contineri, in quo ita [c] quædam significatione litteræ plana ac luculenta

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

homil. 6 in Ezechielem : *Magnæ*, inquit, *utilitatis est ista obscuritas eloquiorum Dei, quia exercet sensum, ut fatigatione dilatetur, et exercitatus capiat quod capere non potest otiosus. Habet quoque adhuc majus aliud, quia si Scripturæ sacræ intelligentia in cunctis esset aperta, vilesceret; quæ in quibusdam locis obscurioribus tanto majori dulcedine inventa reficit, quanto majori labore fatigat animum quæsita*, etc.

[a] Id est, inter fideles, sive Christianos. Est enim hæc periphrasis Christianorum ab Apostolo tradita. Ad Galatas VI : *Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Dicuntur autem Christiani domestici fidei, secundum Thomam, quia non solum natura sunt similes; sed etiam fide, charitate et gratia uniti, uni Patri et Domino, in una domo quæ est Ecclesia, servientes. Unde idem Apostolus ad Ephes. II : *Non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei.*

[b] Eamdem comparationem egregie tractant D. Chrysostomus homil. 40 in Joannem, et rupertus lib. I de Spiritu sancto, c. 1 et 2.

[c] Ad hujus loci, et totius fere capitis, quod sane difficile est et obscurum, quo de Scripturarum sensibus agitur, intelligentiam, operæ pretium videtur de iisdem nonnulla summatim annotare. Primo, Scripturæ divinæ duplicem attribui sensum, non quod in omnibus ejus partibus aut sententiis plures sensus inveniantur, sed quod ei proprium sit ut sæpenumero contineat duos sensus, litteralem sive historicum, et spiritualem sive mysticum. Ita docent communiter Patres, locis hic ad marginem notatis, et aliis compluribus (S. *Thom.* I *part.*, *q.* 10, *a* 3; *Hier. epist.* 48 ; *Ambros. l.* I *de Paniten. cap.* 15; *August. de Vera Relig. cap.* 9, *de Doct. Christ. lib.* II *cap.* 3; *Gregor. homil.* 9 *in Ezech. et præfat. in Job.*). Secundo, litteralem sensum esse, quem verba immediate exprimunt, sive quem auctor Scripturæ sacræ Spiritus sanctus per verba sive propria et usitata, sive metaphorica, primo et immediate significare voluit; spiritualem, qui alio refertur quam ad id quod verba immediate præ se ferunt, seu qui per verba remote et mediate significatur, proxime vero per res ipsas verbis significatas. Unde colligitur litteralem sensum esse duplicem, nempe proprium sive simplicem, et figuratum, ut docet Bellarminus lib. III de Verbo Dei cap. 3. Simplex est qui verbis proprie acceptis, figuratus, qui verbis improprie et figurate acceptis, sive a propria significatione translatis, exprimitur, cujus tot sunt genera quot sunt genera figurarum apud rhetores. Tertio, sensum spiritualem a recentioribus Theologis distingui triplicem, nempe allegoricum, tropologicum, anagogicum. Sed de his non agitur in hoc capite. Quarto, sensum litteralem reperiri in omni parte Scripturæ, sive in omni sententia tam veteris quam novi Testamenti, spiritualem non item. Nam sensus litteralis est primarius et primo intentus ab auctore Spiritu sancto, estque fundamentum totius sensus mystici, ut docent Patres: Hieronymus in epitaphio Paulæ, et præfatione in Isaiam, Augustinus XV de Civit. Dei cap. 27, Gregorius homil. secunda in Ezechielem. Sensus spiritualis invenitur quidem tam in veteri quam in novo Testamento, at non in omni sententia veteris et novi Testamenti. Illud enim, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, etc., Deuteronom. XXVI et Matthæi XXII, et similia præcepta, non habent nisi unum sensum, scilicet litteralem, ut recte docet abbas Serenus hoc loco. Quinto, sensum figuratum, qui alias dicitur metaphoricus (quia metaphora complectitur omnes figuras et tropos), quamvis revera litteralis sit, genuinus et germanus, utpote primario, et immediate ab auctore intentus, et expressus, subinde tamen a Patribus dici spiritualem, mysticum, allegoricum, symbolicum, quia non accipitur ex propria significatione verborum, sed figurate et metaphorice translata (*Chrysost. homil.* 30 *in Joan.*; *Ambros. lib.* V *in Luc. c. de Missione discipul.*; *Greg. lib.* IV *Moral. c.* 1 *et* 2). Hinc Patres docent, ubi deficit littera, recurrendum esse ad mysterium, per litteram intelligentes litteralem sensum et proprium; per mysterium, seu mysticum sensum, litteralem, figuratum et tropicum; perinde ac si dicant, verba Scripturæ figurate ac tropice esse accipienda quando proprie et simpliciter accipi nequeunt, quod maxime pertinet ad hujus capitis elucidationem. Hoc enim modo sumit hic abbas sensum spiritualem, quam vocat allegoricam interpretationem, primo in illis verbis : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (Luc. XII), etc. Hoc enim secundum litteram et mentem Salvatoris proprie non intelligitur de lumbis corporis, sed de lumbis mentis, sicut et lucernæ de lucernis spiritualibus, id est, virtutibus et bonorum operum exemplis. Similiter istud : *Qui non accipit crucem suam quotidie* etc. (*Matt.* X), non intelligitur ad litteram de cruce materiali, sive lignea, ut illi simplices monachi intelligebant, sed de cruce spirituali, et interna, id est, mortificatione affectuum, et animi præparatione, seu prompta voluntate, ad mortem et omnem afflictionem pro Christi nomine et Dei gloria subeundam. Quemadmodum etiam illud Matthæi XIX: *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cælorum*, non intelligitur de castratione corporali, ut Origenes et alii stulte intellexerunt, sed de spirituali, quæ fit per votum continentiæ perpetuæ. Est igitur in hujusmodi sententiis litteralis quidem sensus; non tamen proprius, sed figuratus. Illa autem sententia secundo loco hic citata, *Qui non habet gladium, vendat tunicam, et emat gladium* (*Luc.* II), variam ac multiplicem recipit interpretationem, non modo spiritualem, sive allegoricam, aut figuratam, ut videtur Auctor insinuare, sed etiam litteralem et propriam, ut videre est apud interpretes (*Vide catenam auream D. Thomæ et Joann. Maldonat.*) Postremo, Scripturam sacram sub iisdem verbis ali-

resplendent, ut cum sublimiore interpretatione non egeant, simplici tantum litteræ sono abunde pascant ac nutriant audientes, ut est illud : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI). Et, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Ibid.*). Quædam autem si allegorica explanatione extenuata non fuerint, et spiritalis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum sine corruptionis clade pervenient, magisque ex eorum perceptione læsio quam utilitas aliqua subsequetur, ut est illud : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes* (*Lucæ* XII). Et, *Qui non habet gladium, vendat tunicam suam et emat sibi gladium* (*Lucæ* XXI). Et, *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* X). Quod quidam districtissimi monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, simpliciter intelligentes, [a] fecerunt sibi cruces ligneas, easque jugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cun-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quando plures habere sensus, etiam litterales ac germanos. Hoc demum docet abbas Serenus sub finem hujus capitis, productis aliquot Scripturæ locis tam hoc cap. quam sequenti : *Quæ*, ut ait, *ad utramque perceptionem*, id est, tam historicam quam allegoricam interpretationem, *commode, immo necessarie, capiuntur*. Cujus rationem ex D. Augustino insinuat D. Thomas scribens in hunc modum (1 *par. q.* 1 *art.* 10) : *Quia sensus litteralis est, quem auctor intendi* (*auctor autem sacræ Scripturæ Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit*), *non est inconveniens, ut dicit Augustinus lib.* XII *Confess. cap.* 31, *si etiam secundum litteralem sensum in una littera Scripturæ plures sint sensus.* Aliam rationem insinuat idem Augustinus lib. III de Doctrina Christiana : *Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis?* Ubi significat Augustinus ad ubertatem ac fecunditatem, adeoque ad dignitatem sacræ Scripturæ pertinere, quod in iisdem verbis plures sensus contineantur ac lateant. Quod autem ad loca Scripturæ hic producta attinet, primum illud, *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram*, potest ad litteram intelligi, ut verba sonant ; sed tunc non erit præceptum, sed consilium, ut scilicet percutienti unam maxillam præbeamus et alteram, pro nostra nimirum humiliatione et mortificatione, nulla alia causa id a nobis exigente. Nam si præceptum esset, et ad litteram servandam, Christus et apostolus Paulus (*Joann.* XVIII ; *Act.* XXIII) ad verbum utique servassent : quod non fecerunt, sed percussi graviter responderunt suis percussoribus. Si vero accipiatur ut præceptum, intelligendum est in præparatione seu promptitudine animi, ut docet D. Augustinus lib. II de Sermone Domini in monte cap. 36, id est, ut semper animo parati simus ad perferendam et remittendam potius injuriam, quam ad inferendam aut ulciscendam : ut hæc quæ præcipit Dominus, maxillam præbere, pallium dimittere, duo milliaria ire, sint hyperbolice dicta, quibus hoc tantum significetur, toleranda potius esse omnia quam ultionem seu vindicationem appetendam, eo scilicet modo, quam alias exposuimus (*In tractatu de Ira, lib.* VIII *Institut.*). Quod autem secundo loco affertur : *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, præter litteralem et vulgarem sensum, quem verba præ se ferunt, et de quo D. Augustinus in epist. 180 copiose disserit, aliam allegoricam, seu figuratam expositionem tradit Hilarius his verbis (*Can.* 10 *in Matt.*) : *Ex una in aliam fugam suadet, quia prædicatio ejus primum a Judæa effugata transit ad Græciam ; deinde diversis intra Græciæ urbes apostolorum passionibus fatigata, tertio in universis gentibus demoratur.*

[a] Mirum quod hujus rei apud alios scriptores Cassiano antiquiores (quos videre mihi contigit) nulla exstet memoria. At neque apud Card. Baronium hujusmodi antiquitatum scriptorem ac censorem accuratissimum, totis saltem primis sex aut septem sæculis, quibus id contigisse oportuit, ut a Cassiano narretur, qui sextum sæculum non attigit. Attamen nemini dubium aut incredibile videri debet, cum constet veteres illos monachos verbis Scripturæ nimium inhærentes, ex simplicitate vel ignorantia in multos alios similes et graviores errores incidisse, e quibus complures apud Cassianum observare licet (*Vide collat.* I *cap.* 20) : de calceamentis, velut interdictis divino præcepto. lib. I Institut. cap. 10 ; de mendacio licito et laudabili, lib. V cap. 37, et collat. 17 cap. 8 ; de humana effigie et membris Deo tribuendis, collat. 10 c. 2 et seq. ; de tentatione Dei, et spontanea sui nece, collat. 2 c. 5 et 6 ; de castratione aut circumcisione sui ipsius, collat. 2 c. 8 ; de bona voluntate gratiam Dei præveniente, collat. 13 cap. 9 et sequentibus ; de Quadragesimæ observatione, collat. 21 cap. 29, etc. Quin et D. Chrysostomus in quadam homilia (*Hom. de Adora. Crucis tomo* I) dictum errorem quorumdam sive monachorum sive aliorum de crucibus materialibus ac ligneis bajulandis insinuasse ac obiter refutasse videtur, dum verba Christi (*Matt.* X ; *Luc.* IX), quibus quemlibet crucem suam tollere jussit, docet non de materiali, sed de spirituali cruce esse intelligenda : *Quid vult sibi hoc verbum?* inquit ipse ; *an ut lignum unusquisque nostrum ferat? Certe non. Numquid enim omnes martyres, qui secuti sunt Dominum, crucifixi sunt cum Domino? Numquid omnes virgines, qui juxta Apocalypsim sequuntur Agnum Dei, crucifixi sunt ut sequantur? Numquid apostolus Paulus crucifixus fuerat, cum dicebat : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Gal.* VI ; vide Gretserum *lib.* IV *de S. Cruce c.* 1). *Hoc autem dicit, ut intelligas crucem non ligni esse patibulum, sed vitæ virtutisque propositum.* Ita D. Chrysostomus. Cæterum ne omnino improbanda aut aspernanda videatur illa simplicitas, quando ex pio zelo imitandi Christum et præceptis ejus obsequendi proficiscitur, cum Apostolus dicat : *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (I *Corint.* I), operæ pretium fuerit hic ascribere singulare et memorabile exemplum Nicolai Peregrini, viri sancti et staurophori, id est, cruciferi, de quo Petrus Equilinus narrat in hunc modum (*In Catalogo SS. lib.* V *c.* 78) : * *Nicolaus cognomento Peregrinus, confessor, natione Græcus, tempore Urbani papæ secundi claruit. Hic in annis adolescentibus in monasterio S. Lucæ, quod in Scyro Græciæ partibus situm est, angelicam vitam duxit. Cumque Dominica præcepta, quæ crucem tollendam sequique Dominum jubent sollicite audisset, non tantum spiritu, sed manibus corpoream crucem arripiens, monasterio discessit, et ut Christum liberius sequeretur, peregrinari cœpit : qui veniens Hydruntum Apuliæ civitatem, ibique aliquantulum commoratus, venit Tarentum, ubi aliqua miracula ostendens, a populo reverenter est habitus. Inde venit ad civitatem Trancnsem, ubi crucem ex more manibus bajulans, puerorum multitudinem congregavit, cum quibus sacra urbis loca circumiens, Kyrie eleison clamare non cessabat, puerosque subsequentes ut similiter clamarent concitabat, et ut ad se quotidie convenirent,*

* Refert eamdem historiam Matt. Raderus lib. de Simplicitate cap. ult.

ctis videntibus intulerunt. Nonnulla vero ad utramque perceptionem, id est, tam historicam quam allegoricam, ita commode ac necessarie capiuntur, ut utraque explanatio vitales animæ succos subministret, ut est istud, *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi et alteram* (*Matth.* v). Et, *Cum persequuntur vos in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth.* x). Et, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me* (*Matth.* x). Producit sane et fenum jumentis, quibus pabulis omnes Scripturarum repleti sunt campi, simplicem scilicet puramque narrationem historicæ lectionis, qua simpliciores quique ac minus capaces perfectæ et integræ rationis, et quibus dicetur, *Homines et jumenta salvabis, Domine* (*Psalm.* xxxv), secundum status ac mensuræ suæ conditionem, ad opus tantum et laborem actualis vitæ vegetiores robustioresque reddantur.

CAPUT IV.

De gemina sententia super intellectu Scripturarum sanctarum.

Quamobrem de his quæ aperta explanatione prolata sunt, nos quoque constanter possumus definire, audenterque nostram proferre sententiam. Ea vero quæ meditationi et exercitio nostro reservans obtecta sanctis Scripturis Spiritus divinus inseruit, quibusdam ea volens indiciis et opinionibus colligi, ita pedetentim debent cauteque conferri, ut sit eorum assertio seu confirmatio in disputantis vel suscipientis arbitrio collocata. Nonnumquam enim cum super una re diversa promatur sententia, potest utraque rationabilis judicari, et sine detrimento fidei vel fixe vel medie suscipi, id est, ut eis nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur, priorique sequens opinio derogare non debeat, cum neutra earum fidei inveniatur obsistere; quale est illud, [a] quod Elias venerit in Joanne, et iterum sit ante adventum Christi venturus (*Matth.* xi); et [b] de abominatione

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

et hoc diebus singulis iterarent, pueruli pomis et fructibus sibi datis alliciebat, quibusdam ex civibus eum insanum reputantibus, quibusdam vero altiora de eo sentientibus et columbinam præsumentibus simplicitatem. Nam pauperrimis indutus panniculis, nudis pedibus incedebat, sine intermissione orabat, diebus singulis non ante vesperam cibum sumebat, panem vero modicum et aquam semper comedebat. Cum autem ejus fama ad Byzantinum archiepiscopum pervenisset, eum ad se accersivit, et cur talia clamando per urbem circuiret scisciatus est. Cui sanctus vir præceptum Domini de cruce sumenda confestim allegavit, quam nedum animo, sed corpore se gestaturum quotidie disposuit, quod si episcopus in ejus sibi diœcesi denegaret, ad oppidum ipse mox aliud properaret. Præsul autem prudens, sancti confessoris rectam intentionem et columbinam simplicitatem attendens, ei prohibere noluit quin propositum adimpleret; quin immo rogavit, ut quotidie ad suam mensam refocillandus accederet. Cum autem Nicolaus archiepiscopi mandata adimpleret, et civitatem ex more Kyrie eleison clamans et crucem bajulans cum pueris peragraret, post dies modicos febre corripitur, et in hospitio cujusdam ex civibus nobilis maxima devotione refovetur. Qui ad extrema deveniens, pueros suos advocavit, et crucem suam eisdem tradens, eis in nomine Domini benedixit, sicque in pace spiritum Domino reddidit 4 *nonas Junii; statimque a civibus unanimiter ad eum confluentibus ad ecclesiam B. Mariæ deducitur, et a cunctis certatim irruentibus pedes ejus cum reverentia deosculantur. Sicque ab archiepiscopo et populo corpus Peregrini Nicolai in ipsa ecclesia honorifice tumulatur, ubi multis signis effulget.* Hæc Petrus Equilinus, qui et miracula nonnulla ad contactum corporis patrata recenset. Meminit ejusdem Nicolai Tranensis Baronius tomo undecimo Annalium (*An. C.* 1094, *in fine*).

[b] In numero quæstionum, de quibus salva fide dubitare liceat, et utramlibet partem sine detrimento fidei, ut ait, et alterius partis derogatione sequi, ponit duo exempla Scripturæ, alterum de Elia, alterum de abominatione desolationis, de qua tum apud Danielem, tum apud evangelistas agitur. Quod ad Eliam attinet, videtur in hoc, quæstionem facere problematicam, utrum Elias propheta ante secundum adventum Domini venturus sit. Nam venturum quidem promisit Deus, Malachiæ iv: *Ecce, ego mitto vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis, et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum.* At hunc locum videtur Christus exponere de Joanne Baptista, et hunc esse Eliam, qui juxta illud vaticinium exspectandus esset. Proinde Eliam jam venisse in Joanne, ut hic dicitur, non amplius venturum, nec exspectandum. Sic enim Matthæi xi de Joanne Baptista loquens: *Ipse est*, inquit, *Elias qui venturus est.* Rursus et expressius, Matthæi xvii, interrogantibus discipulis: *Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? Respondens ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia; dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum*, etc. Qua responsione merito ambigi potest, de quo Elia loquatur Dominus, de vero Elia Thesbite, qui creditur venturus ante secundum Christi adventum, an de mystico Elia, id est, Joanne Baptista præcursore Domini, qui dicitur Elias spiritu, *quia in spiritu et virtute Eliæ venit* (*Luc.* i), ante primum adventum Domini. Et fatetur Jansenius (*Concord. Evang. cap.* 77) de utroque posse intelligi. Cæterum etsi in verbis Domini nonnulla sit ambiguitas, constans tamen fuit orthodoxorum Patrum sententia, adeoque communis Christianorum opinio, Eliam prophetam, de quo in IV Reg. libro agitur, ante diem judicii et secundum Christi adventum reipsa esse venturum. Quod tam clare ac perspicue e Scripturis colligitur, ut citra temeritatem aliter opinari, aut id in dubium revocare non liceat. Nam in primis Malachiam de secundo adventu loqui manifestum est, dum ait: *Antequam veniat dies Domini magnus et terribilis.* Quemadmodum Joelis 2: *Sol convertetur in tenebras, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Unde et verba Malachiæ Patres omnes de vero Elia et de secundo adventu Domini communiter interpretantur (*Chrysost. hom.* 4 *in* II *ad Thessal.*; *Hier. in* c. xvii *Matt. August. tract.* 4 *in Joan.*; *Greg. lib.* ix *Moral. cap.* 4). Secundo, auctor Ecclesiastici cap. xliii de hoc Elia scribens, et ad Malachiæ testimonium alludens, post alia tandem subdit: *Qui inscriptus est in judiciis temporum, lenire iracundiam Dei, conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Jacob.* Tertio, Christus dicit in futuro Eliam venturum, et restituturum omnia, quod de Joanne nequit intelligi. Cum vero postmodum ait Eliam jam venisse, satis ostendit se non de eo Elia loqui quem dixerat esse venturum, sed de Joanne Baptista, qui in spiritu et virtute Eliæ jam venerat. Cætera argumenta vide apud interpretes.

[b] Altera quæstio, quam hic abbas etiam inter problematicas et utrimque probabiles statuit, hæc esse videtur, quantum ex verbis ipsius colligere li-

desolationis, quod steterit in loco sancto per illud simulacrum Jovis quod Jerosolymis in templo positum legimus, et iterum stare habeat in Ecclesia per adventum Antichristi (*Daniel.* IX): illaque omnia quæ in Evangelio sequuntur (*Matth.* XXIV), quæ et impleta ante captivitatem Jerosolymorum et in fine mundi istius intelliguntur implenda. E quibus neutra opinio impugnat aliam, nec sequentem prior intellectus evacuat.

CAPUT V.

Quod proposita quæstio inter illa quæ medie tenenda sunt debeat accipi.

Et idcirco proposita a vobis quæstio, licet non satis videatur nec frequenter inter homines ventilata, nec apud plurimos pateat, et ex hoc ipso apud aliquos ea quæ proferemus forsitan videantur ambigua; ita debemus nostram temperare sententiam, quoniam fidei Trinitatis nihil præjudicant ut inter illa habeantur quæ medie sunt tenenda, quamquam non tali opinione qualis suspicionibus tantum et conjecturis colligi solet, sed manifestis Scripturarum testimoniis omnia comprobentur.

CAPUT VI.

Quod nihil a Deo malum creatum sit.

[a] Absit ergo, ut Deum quidquam creasse confiteamur quod substantialiter malum sit, dicente Scriptura : *Omnia quæ fecit Deus, bona sunt valde* (*Genes.* I). [b] Si enim a Deo tales isti creati sunt, vel ad hoc facti, ut hos malitiæ gradus teneant, ac semper deceptionibus et ruinis hominum vacent, contra prædictæ Scripturæ sententiam, infamabimus Deum, velut creatorem atque inventorem malorum, quod scilicet pessimas voluntates ac naturas ipse condiderit, ad hoc eas creans, ut semper in nequitia perseverantes numquam transire possint in bonæ voluntatis affectum. Hanc igitur rationem diversitatis hujus, traditione Patrum de sanctarum Scripturarum fonte, percepimus.

CAPUT VII.

De initio principatuum, seu potestatum.

[c] Ante conditionem hujus visibiles creaturæ spi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cet, an abominatio desolationis a Daniele prædicta, fuerit impleta sub Antiocho rege Epiphane dicto, an sub Tito imperatore, et Hierosolymorum vastatione, quæ Christi mortem proxime secuta est; an demum sub Antichristi persecutione implenda; vel quæ sit illa abominatio desolationis. Qua de re vide opiniones varias apud Jansenium, Maldonatum et alios interpretes.

[a] Sæpe hoc inculcat S. Augustinus, nullam esse naturam malam, id est, nullam creaturam substantialiter malam, sed omnia esse bona. Cui consentiunt omnes nostræ religionis auctores, qui communiter exsecrantur Marcionem, Manichæum, et alios veteres hæreticos : qui duo principia, quasi duos deos finxerunt, unum bonum, bonorum auctorem; alterum malum, auctorem malmorum.

[b] *Isti*, nempe natura sua mali, principatus et potestates, id est, spiritus de quorum initio, natura, conditione, lapsu, proposita superius (*cap.* 2) hæc quæstio : *Unde tanta diversitas malignorum spirituum? An ad hoc potestates illas a Domino conditas esse credendum est, ut his contra hominem gradibus atque ordinibus militarent?* Cui quæstioni respondet primum hoc capite, ex certa fidei definitione et Scripturarum auctoritate, angelos omnes sive spiritus a Deo creatos esse bonos, non malos; nec ad malum finem, nempe ut semper in nequitia perseverarent vel homines ad peccandum sollicitarent : Deus enim non est auctor malorum, sed *omnia quæ fecit, bona sunt valde* (*Genes.* I). Porro non tantum angelos beatos, verum etiam dæmones in gratia justificante, seu gratum faciente conditos fuisse, ex Scripturæ auctoritate et SS. Patrum sententia comprobatur. Scriptura id indicat Isaiæ XIV : *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris?* Et Ezechielis XVIII : *Perfectus fuistia diebus conditionis tuæ.* Et rursus, *Plenus sapientia, et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti.* Patres idem confirmant. S. Antonius apud Athanasium : *Hoc primum*, inquit, *debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse, quod malum sit, nec ab ejus institutione dæmonum cœpisse principia; perversitas ista, non naturæ, sed voluntatis est vitium. Boni etenim, ut pote a Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cælis, ibique in cœni sordibus voluntati gentilitatis impias constituere culturas; atque universa mala commovere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus.* D. Hieronymus in cap. II Ose. dæmones scribit in magna pinguedine Spiritus Sancti creatos esse. D. Augustinus libro duodecimo de Civit. Dei capite nono : *Carendum est*, inquit, *ne voluntas bona bonorum angelorum non facta, sed Deo coæterna esse credatur. Cum enim et ipsi facti sint, quomodo illa non esse facte dicetur? Porro quia facta est, utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium quod ab illo facta sit, a quo et ipsi; simulque ut facti sunt, ei a quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhæserunt: eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quo a bono defecerunt, a quo non deferissent si utique voluissent.*

[c] Angelos ante mundum hunc corporeum conditos fuisse, præter hunc abbatem, opinati sunt etiam alii graves auctores, et fere Græci omnes : unde D. Thomas (I *par.* *q.* 61, *a.* 3) hanc dicit esse doctorum Græcorum sententiam. Gregorius Nazianzenus oratione 42 dicit Deum primum excogitasse angelos, et cœlestes virtutes, ejusque cogitationem opus fuisse. Basilius homil. 1 in Hexaemeron dicit spirituales et invisibiles naturas, rationum vi maxime præditas ante mundum exstitisse. Damascenus lib. II Orthod. fid. cap. 3 sententiam Gregorii Nazianzeni commendans, eidem se accedere profitetur. E Latinis idem sentire videntur D. Ambrosius lib. : Hexaem. cap. 5 : *Angeli*, inquit, *dominationes et potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus.* D. Hieronymus, in cap. I epist. ad Titum : *Sex millia*, inquit, *nondum nostri temporis complentur annorum, et quanta tempora, quantasque sæculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus angeli, throni, dominationes, cæterique ordines Deo servierunt!* Denique Isidorus lib. I de Summo Bono capite duodecimo : *Ante omnem creaturam mundi creati sunt angeli.* Porro D. Augustinus lib. XI de Civit. cap. 33 quæstionem hanc velut ancipitem et problematicam in medio relinquit : *Dum tamen*, inquit, *angelos sanctos in sublimibus cæli sedibus, non quidem Deo coæternos, sed tamen de sua sempiterna et vera felicitate securos et certos esse nemo ambigat.* Cæterum longe probabilior, immo fere certa censetur aliorum Patrum sententia communiter a theologis recepta, angelos videlicet primo die simul cum cœlo et terra fuisse creatos (*Lib.* I *Decretal. cap. Firmiter, tit. de summa Trin. et fide cath.*). Probatur primo auctoritate Scripturæ. Genes. I : *In*

ritales cœlestesque virtutes Deum fecisse, quæ pro hoc ipso quod scirent se ad tantam beatitudinis gloriam beneficio Creatoris ex nihilo fuisse productas perpetuas ei gratias referentes indesinenter ejus laudibus inhærerent, nemo fidelium dubitat. [a] Nec enim existimare debemus creationis et opificii sui principia ab hujus mundi constitutione Deum primitus inchoasse, quasi in illis anterioribus atque innumeris sæculis ad omni providentia et dispensatione divina fuerit otiosus, ac tamquam non habens in quos bonitatis suæ exerceret beneficia, solitarius, atque ab omni munificentia alienus fuisse credatur, quod de illa immensa ac sine principio et incomprehensibili majestate satis humile est incongruumque sentire, ipso Domino de illis potestatibus hæc dicente : [b] *Quando facta sunt simul sidera, laudaverunt me voce magna omnes angeli mei* (*Job.* XXXVIII). [c] Qui ergo intersunt

A creationi siderum, ante istud principium in quo factum dicitur cœlum et terra, creati fuisse manifestissime comprobantur, quippe qui pro istis omnibus visibilibus creaturis, quas videbant ex nihilo processisse, Creatorem magna voce referuntur et admiratione laudasse. [d] Ante istud ergo temporale principium quod a Moyse ponitur, quodque mundi hujus secundum historicum, immo Judaicum sensum signat ætatem (salvo scilicet nostro sensu, quo nos interpretamur omnium rerum Christum esse principium, in quo omnia creaverit Pater, secundum illud (*Joann.* 1) : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*); ante istud, inquam, Geneseos temporale principium, omnes illas potestates cœlestesque virtutes Deum creasse non dubium est. Quas B Apostolus per ordinem dinumerans ita describit :

[e] *Quia in Christo creata sunt omnia, sive quæ in*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

principio creavit Deus cœlum et terram. (*Nam hoc verum non esset, si quid creasset antea,* ait sanctus Thomas). Item Exodi XX : *Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et requievit in die septimo.* Secundo auctoritate concilii Lateranensis, ubi dicitur : *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam.* Tertio auctoritate Patrum, qui ita docuerunt, Epiphanii hæresi 65, Augustini lib. XI de Civit. Dei cap. 9, Theodoret. quæst. 3 super Genesim, Gregorii lib. XXXII Moral. cap. 10 (*Vide Sixtum Senens. lib.* V *Biblioth. annot. quinta*). Quæ quidem auctoritates, quamvis hanc sententiam solide confirment; et plusquam probabilem reddant, pie tamen et sapienter admonet S. Thomas contrarium non esse reputandum erroneum, *Præcipue*, inquit, *propter sententiam Gregorii Nazianzeni, cujus tanta est in doctrina Christiana auctoritas, ut nullus umquam ejus dictis calumniam inferre præsumpserit, sicut nec Athanasii documentis, ut Hieronymus dicit.*

[a] Immo sic existimare debemus, salva hujus abbatis reverentia, sicut existimarunt et probarunt SS. Patres modo citati, angelos dici primum opificium Dei, non quod ante mundi hujus constitutionem exstiterint; sed quod primo die simul cum cœlo, et in cœlo, ut eorum dignitati congruebat, sint creati, ut nobilissimæ partes et creaturæ totius universi.

[b] Ita quidem septuaginta Interpretes, quo etiam modo citant Epiphanius et Augustinus ubi supra : unde etiam colligunt et probant angelos primo die fuisse conditos. Porro Vulgata lectio sic habet : *Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei* (*Job.* XXXVIII). Unde hoc tantum colligi potest angelos ante hominem fuisse creatos; de quo nulla est controversia. Certe D. Gregorius libro XXVIII Moral. cap, 14 dicit angelos vocari astra matutina, quia fuerunt conditi in ipso mane primi diei.

[c] Respondent Epiphanius et Theodoretus, astra fuisse creata quarto die, ut docet Scriptura : proinde angelos, qui erant creati primo die, potuisse interesse creationi siderum, et in ea laudare Deum.

[d] Prima illa sententia libri Geneseos : *In principio creavit Deus cœlum et terram*, tripliciter exponitur, ut docet S. Thomas (*par.* 1, *q.* 4, *ar.* 3), idque ad excludendum tres errores : *Quidam enim posuerunt mundum semper fuisse, et tempus non habere principium et ad hoc excludendum exponitur, In principio, scilicet temporis. Quidam vero posuerunt duo esse creationis principia, unum bonorum, alterum malorum, et ad hoc excludendum exponitur, In principio, id est, in Filio. Sicut enim principium effecti-*

vum appropriatur Patri, propter potentiam; ita principium exemplare appropriatur Filio, propter sapientiam (Vide *Aug. lib.* XII *Confess. c.* 23). *Alii vero dixerunt, corporalia esse creata a Deo, mediantibus creaturis spiritualibus; et ad id excludendum exponitur, In principio creavit Deus cœlum et terram, id est, ante omnia. Quatuor enim ponuntur simul creata, scilicet cœlum empyreum, materia corporalis, quæ nomine terræ intelligitur, tempus, et natura angelica.* Ita S. Thomas.

[e] Absit ut sic existimemus Deum anterioribus illis et innumeris sæculis (si sic loquendum sit), quæ scilicet mundum præcesserunt, hoc est, ab omni æternitate fuisse otiosum, aut solitarium, aut ab omni munificentia alienum. Æternas in Deo agnoscimus actiones, quas theologi vocant immanentes, hoc est, in ipso Deo manentes, et internas, quas Deus ante mundi constitutionem in seipso tractabat, C agitabat, exercebat, puta æternam suæ divinitatis suorumque attributorum et perfectionum contemplationem, æternam Filii a Patre generationem, æternam Spiritus sancti a Patre et Filio processionem; æternum de mundi creatione et gubernatione, de Filii incarnatione et œconomia, de angelorum et hominum electione et reprobatione, de omnibus rebus ad divinam Providentiam spectantibus consilium et decretum; quibus Deus ante mundi constitutionem occupatus, si ita loqui liceat, otiosus certe dici non potuit, neque solitarius, aut immunificus. Summa enim æterni Patris munificentia fuit suam essentiam Filio, ac deinde cum Filio eamdem ipsam Spiritui sancto communicare, ut unus semper fuerit Deus in essentia, et trinus in personis. Quod si hoc argumentum vim ullam haberet, concluderet certe angelos non solum esse hoc mundo anteriores et antiquiores, sed etiam Deo coæternos, ne Deum anterioribus et innumeris sæculis æternitatis otiosum aut solitarium fateri cogeremur. Verum hic locum D habet illa Sapientis admonitio : *Qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*; Et illa Apostoli : *Noli altum sapere, sed time*; Et, *Non plus sapere, quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit* (*Prov.* XXV; *Rom.* XII)? etc. Libet tamen hic D. Augustinum de hac aut simili quæstione, quamvis prolixius, tamen apposite ad hunc locum elucidandum audire disserentem lib. undecimo Confess. cap. 12 : *Ecce*, inquit, *respondeo dicenti : Quid faciebat Deus antequam faceret cœlum et terram? respondeo, non illud, quod quidam respondisse perhibetur joculariter eludens quæstionis violentiam : Alia, inquit, scrutantibus gehennas parabat. Aliud est videre aliud redire*

cælis, sive quæ in terra sunt, visibilia et invisibilia, sive angeli, sive archangeli, sive throni, sive dominationes : sive principatus, sive potestates : omnia per ipsum, et in ipso creata sunt (*Colos.* 1).

CAPUT VIII.

De lapsu diaboli et angelorum.

[a] De istorum itaque numero nonnullos principes A fuisse collapsos lamentatio Ezechielis sive Isaiæ manifestissime docet, in quibus principem Tyri, aut illum Luciferum qui mane oriebatur, flebili planctu ab eis cognoscimus lamentari. Et de illo quidem ita Dominus ad Ezechiel : *Fili hominis, leva planctum super principem Tyri, et dices ei : Hæc dicit Dominus Deus :* [d] *Tu signaculum similitudinis, plenus sapien-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Hæc non respondeo. Libentius enim responderim, Nescio, quod nescio, quam illud unde irridetur qui alta interrogavit, et laudatur qui falsa respondit. Sed dico te, Deus noster, omnis creaturæ creatorem. Et si cæli et terræ nomine omnis creatura intelligitur, audenter dico, Antequam faceret Deus cælum et terram, non faciebat Deus aliquid ; si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et utinam sic sciam quidquid utiliter scire cupio, quemadmodum scio quod nullam faciebat creaturam antequam fieret ulla creatura ! Aut si cujusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum, et te Deum omnipotentem, et omnicreantem, et omnitenentem, cæli et terræ artificem, ab opere tanto, B antequam id faceres, per innumerabilia sæcula cessasse miratur ; evigilet atque attendat quia falsa miratur. Nam unde poterant innumerabilia sæcula præterire, quæ ipse non feceras, cum sis omnium sæculorum auctor et conditor ? aut quæ tempora fuissent, quæ abs te condita non essent ? aut quomodo præteriissent, si numquam fuissent? Cum ergo sis operator omnium temporum, si fuit aliquod tempus antequam faceres cælum et terram, cur dicitur quod ab opere cessabas? Idipsum enim tempus tu feceras, nec præterire potuerunt tempora antequam faceres tempora. Si autem ante cælum et terram nullum erat tempus, quid quæritur quid tunc *faciebas ? Non enim erat* tunc, *ubi non erat tempus, nec tu tempore tempora præcedis ; alioquin non omnia tempora præcederes. Sed præcedis omnia tempora præterita celsitudine semper præsentis æternitatis, et superas omnia futura, quia et illa futura sunt, et cum venerint præterita erunt. Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI). *Anni tui nec eunt, nec C veniunt.* Hæc D. Augustinus, et quæ sequuntur. In quibus duo sunt maxime notanda : 1° Deum ante cœlum et terram nihil omnino fecisse, non tamen fuisse otiosum, quia aliud est facere, quod est opus externum producere ; aliud agere, actione scilicet immanente, de qua supra ; 2° ante creationem cœli et terræ nullum præteriisse sæculum, si sæculum proprie sumatur, cum sit pars aut spatium aliquod temporis, quod ante mundum non exstabat ; proinde, incongrue et inepte quæri quid Deus faciebat tunc, id est, anterioribus illis sæculis, etc.

[a] Id est, de tota angelorum sive cœlestium spirituum multitudine, quorum plures ordines ex Apostolo paulo ante recensuit ; nonnullos principes, id est, de ordine principatuum, vel de primis ordinibus angelorum. Ad cujus rei intelligentiam, in primis notandum a SS. Patribus, præsertim Dionysio Areopagita et Gregorio Magno (*Dionysius Cæle. Hiera. cap.* 6 ; *Gregor. homil.* 34 *in Evang.*), distingui tres angelorum sive spirituum hierarchias, et in singulis hierarchiis tres ordines sive choros collocari, e quibus primus ordo est supremus, secundus medius, tertius infimus. In prima enim hierarchia, quæ est Deo proxima, sunt seraphim, cherubim et throni ; in secunda dominationes, virtutes et potestates ; in tertia principatus, archangeli et angeli. De quibus late disserit S. Thomas prima parte, quæst. 108. Secundo notandum de lapsu primi angeli, de quo præcipue hic agitur, duplicem esse sententiam : alteram Damasceni (*Lib.* II *cap.* 3), primum angelum peccantem, qui et aliis fuit causa peccandi, fuisse de infima hierarchia angelorum et postremo ordine spirituum ; alteram D. Gregorii, quam et alii Patres et theologi communiter sequuntur, primum angelum lapsum, qui nomine Luciferi exprimitur, fuisse supremæ hierarchiæ supremum, et primum angelum ; quod aliis verbis dicit S. Thomas, supremum angelum inter peccantes fuisse supremum inter omnes : quam sententiam alibi ex D. Gregorio multis argumentis confirmavimus (*Lib.* XII *Inst.* c. 4), quæ hic libet paucis repetere. Tertio notandum ex eadem hac sententia probabiliter colligi, quod ex omni ordine cujusque hierarchiæ cœlestis aliqui ceciderint, 1° quia ad omnes angelorum ordines aliqui homines assumuntur in reparationem aut supplementum ruinæ angelicæ, ut docet S. Antonius apud Athanasium, Hieronymus lib. I in Lamentat. Jerem. cap. ult., Augustinus Enchiridii cap. 29, Gregorius homil. 34 in Evangelia. 2° Per hoc magis comprobatur libertas arbitrii, quia in omni creatura rationali seu intellectuali flecti potest ad malum. 3° Videmus diabolum vocari Cherub. Ezechiel. XXVIII : *Tu Cherub extentus et protegens.* Et Dominus Lucæ XI vocat Beelzebub *principem dæmoniorum*, et Apostolus ad Ephes. VI dæmones vocat *principes et potestates.* Et I Corint. XV : *Cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem.* Cur autem non vocentur seraphim aut throni, rationem reddit S. Thomas his verbis (I *p.*, *q.* 63, *art.* 9) : *In sacra Scriptura nomina quorumdam ordinum, ut seraphim et thronorum, dæmonibus non attribuuntur, quia hæc nomina sumuntur ab ardore charitatis et ab habitatione Dei, quæ non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina cherubim, potestatum et principatuum, quia hæc nomina sumuntur a scientia et potentia, quæ bonis malisque possunt esse communia.*

[b] Inter alios Scripturæ locos qui, ut superius indicatum est, plures possunt admitterre sensus, etiam litterales et germanos, duo sunt in hoc argumento, quo de lapsu angelorum agitur, celebres et vulgati ; alter ex Ezechiele, alter ex Isaia pariter in hoc capite citati. Ezechielis locus est cap. XXVIII, qui tam de rege Tyri quam de diabolo ejusque superbia et casu sub nomine et typo regis Tyri intelligitur. Alter Isaiæ XIV, qui similiter et de rege Babylonis Nabuchodonosore et de Lucifero dæmoniorum principe promiscue et indifferenter a Patribus exponitur. Cujus rei auctor Spiritus sanctus ita sermonem de utrisque intermiscuit ac temperavit, ut quædam proprie et historice, quædam non nisi improprie et figurate tam dæmonibus quam illis regibus conveniant, ut notavit D. Hieronymus (*In cap.* IV *Isaiæ*). Quod ad priorem locum attinet, ex quo noster Serenus probat ex numero spirituum nonnullos principes seu principatus collapsos esse, seu a Deo defecisse, et in barathrum dejectos fuisse, eumdem locum D de dæmone et dæmonum principe interpretantur Tertullianus libro secundo adversus Marcionem cap. 10, Cyrillus libro tertio in Joannem cap. XXIX, Hieronymus in psal. LXXXI, Augustinus lib. XI de Civit. Dei cap. 15, Gregorius lib. 33 Moral. cap. 24 et 25. Alterum itidem locum hic citatum ex Isaiæ XIV : *Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris*, etc., plerique interpretes de principe dæmoniorum, id est, primo angelo prævaricatore exponunt, cujus typus Nabuchodonosor exstitit ; et fatetur D. Hieronymus multa ibidem de Lucifero dici quæ regi Babylonis non nisi figurate et hyperbolice tribui possint, ut verba ipsa satis indicant. Videtur autem hic abbas hunc locum Isaiæ de alio dæmone vel principe dæ-

tia, perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti. Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus. Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die qua conditus es præparata sunt. Tu cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in viis tuis, a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti, et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o cherub protegens, in medio lapidum ignitorum. Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam a decore tuo, in terram projeci te, ante faciem regum dedi te, ut cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ, polluisti sanctificationem tuam (*Ezech.* XXVIII). Isaias quoque de alio: *Quomodo cecidisti de cælo, Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isaiæ* XIV). Quos tamen non solos ex illo beatissimæ stationis apice ruisse Scriptura commemorat, dicens [a] tertiam partem stellarum draconem illum secum pariter pertraxisse (*Apoc.* XII). Unus quoque apostolorum evidentius dicit: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt domicilium suum, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine servavit* (*Judas in Epistol. canonic.*). Illud etiam, quod ad nos dicitur, *Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI), quid aliud quam multos principes cecidisse significat? Quibus indiciis [b] ratio diversitatis hujus ita colligitur, has differentias ordinum, quas instar sanctarum cœlestiumque virtutum adversæ potestates habere dicuntur; vel ex illius anterioris ordinis gradu, in quo unaquæque creata fuerat, nunc etiam retentare, vel de cœlestibus devolutas ad similitudinem illarum virtutum quæ ibidem perseverant, pro nequitiæ suæ merito, in qua unaquæque in malum crevit, hos inter se gradus et ordinum vocabula in parte contraria vindicasse.

CAPUT IX.

Objectio, quod ruina diaboli a deceptione Evæ principium sumpserit.

Germanus: Nos hactenus credebamus causam initiumque ruinæ seu prævaricationis diabolicæ, qua de angelica statione dejectus est, invidiam specialiter exstitisse, quando Adam et Evam livida calliditate decepit.

CAPUT X.

Responsio de initio lapsus diaboli.

Serenus: [c] Non esse istud initium prævaricationis illius seu dejectionis, Geneseos lectio manifestat, quæ, ante illorum deceptionem, serpentini nominis eum nota credidit inurendum, ita dicens: [d] *Serpens*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

monum intelligere ab illo, de quo supra; nimirum ut probet plures ex principibus, id est, superioribus ordinibus, vel ex ordine principatuum cecidisse, cujus occasione hanc collationem de principatibus seu potestatibus inscripsit. Sed Patres ad unum eumdemque diabolum utramque sententiam referunt, quamquam nihil vetat ad diversos referri aut adaptari.

[a] Ex hac sententia colligit D. Thomas primum angelum prævaricatorem fuisse aliis causam peccandi, non quidem cogendo, sed exhortando, et persuadendo, et veluti cauda sua adblandiendo et implicando: *cujus signum*, inquit, *ex hoc apparet, quod omnes dæmones illi supremo subduntur, ut manifeste appareat per illud quod dicit Dominus Matth.* XXV: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Habet enim hoc ordo divinæ justitiæ, ut cujus suggestioni aliquis consentit in culpa, ejus potestati subdatur in pœna, secundum illud* II *Petri* II: *A quo quis superatus est, huic servus addictus est. Ex eadem etiam colligitur plures angelos stetisse et perseverasse in bono, quam defecisse et corruisse. Nam si tertiam tantummodo partem traxit draco, id est, diabolus, ergo duas tertias integras reliquit. Quod et confirmatur dicto Elisæi* IV *Reg.* VI: *Plures nobiscum sunt, quam cum illis. Quod exponitur de bonis angelis, qui sunt nobiscum in auxilium, et de malis qui nobis adversantur.* Ita S. Thomas (*Ubi supra, a.* 9). Cui consentaneum est, quod in Vitis Patrum legitur ex Rufino (*Lib.* VI *libello* 18), quod abbas Moyses cum aliquando graviter impugnaretur a fornicatione, perrexit et indicavit hoc abbati Isidoro; qui cum eum in cellam suam accepisset, dixit ei: Attende ad Occasum. Et attendens vidit multitudinem dæmonum, et hi erant confusi et turbantes se ad oppugnandum. Et dixit ei iterum Isidorus: Respice ad Orientem. Et attendit multitudinem innumerabilem angelorum in gloria. Dixit ergo abbas Isidorus: Ecce isti sunt qui missi sunt ad auxiliandum; qui vero ad Occasum ascendunt, hi sunt qui impugnant nos. Plures ergo qui nobiscum sunt quam qui adversum nos sunt. Et ita agens gratias Deo abbas Moyses sumpsit *fiduciam*, et reversus est in cellam suam.

[b] Duplicem assignat causam diversitatis ordinum in dæmonibus: alteram ratione naturæ, seu naturalis distinctionis, in qua primum a Deo conditi sunt; alteram ratione nequitiæ, qua deinceps alii aliis plus proficiunt in malum. Priorem causam agnoscit D. Thomas (*Ibid.*); posteriori illi doctrinæ innititur, qua superius dictum est ex sententia veterum dæmones alios aliis esse nequiores et nocentiores (*Collat.* 7 *cap.* 20).

[c] In hujus capitis elucidationem vix operæ pretium videtur aliquid addere ad censuram Dom. Cuychii, qua non minus erudite quam copiose singulas pene difficultates hic occurrentes explicatas reliquit: præsertim cum alias (*Lib.* XII *Instit. cap.* 14) satis superque demonstratum sit, primum peccatum diaboli fuisse, nec aliud esse potuisse, quam superbiam; ex qua deinde consecuta est invidia, quæ sola vitia in spiritalem et intellectualem creaturam proprie cadere possunt.

[d] Certum est hæc verba secundum litteram de vero serpente intelligi, quæ tamen hic abbas de diabolo interpretatur; quemadmodum et maledictionem serpentis, non ad verum serpentem, sed ad diabolum refert consequenter. Dicitur autem serpens sapientior sive callidior cunctis bestiis terræ, non quod fuerit rationis et intelligentiæ facultate præditus, ut Josephus Judæus sensisse videtur, lib. I Antiquit. cap. 1, sed quia animal est maxime vafrum, insidiosum et subdolum, et, ut ait Diodorus Tharsensis, ad decipiendum aptissimum instrumentum: ideoque non temere a diabolo præ cæteris animalibus electum atque assumptum, quo tamquam organo

autem erat sapientior, sive, ut Hebraici exprimunt libri, *callidior cunctis bestiis terræ quas fecit Dominus Deus* (*Genes.* III). Intelligitis ergo quod ante illam circonventionem primi hominis, de angelica discesserat sanctitate; ita ut non solum nominis hujus insigniri mereretur infamia, sed etiam in nequitiæ tergiversatione cæteris præferretur bestiis terræ. Non enim tali vocabulo Scriptura bonum angelum designasset, nec de his qui in illa beatitudine perseverant diceret, *Serpens autem erat sapientior omnibus bestiis terræ*. Nam hoc cognomen non solum Gabrieli, sive Michaeli, nullo modo posset aptari, sed ne bono quidem cuiquam homini conveniret. Apertissime itaque et serpentis vocabulum, et comparatio bestiarum, non sonat angeli dignitatem, sed prævaricatoris infamiam. Denique livoris ac seductionis materia, qua ut hominem deciperet instigatus est, de anterioris ruinæ exstitit causa, quod scilicet de limo terræ nuperrime figuratum ad illam eum gloriam cerneret evocandum, unde, cum esset unus de principibus, se meminerat corruisse. Et idcirco [a] priorem ejus lapsum, quo superbiendo corruerat, quo etiam serpens meruerat nuncupari, secunda ruina per invidiam subsecuta est : quæ inveniens eum adhuc aliquid in sese rectum habentem, ita ut etiam cujusdam colloquii atque consilii cum homine posset habere consortium, [b] sententia Domini utiliter in ima dejectus est; ut non jam, sicut ante, sublime aliquid intuens excelsus incideret, sed ut solo cohærens reperet, et humiliatus super ventrem terrenis vitiorum escis et operibus pasceretur, occultum deinceps publicans inimicum, ac ponens inter ipsum et hominem utiles inimicitias salutaremque discordiam; ut dum cavetur tamquam hostis noxius, amicitiis fraudulentis ulterius homini nocere non posset.

CAPUT XI.

De ejus qui decipit, sive decipitur, pœna.

In quo tamen et illud nos præcipue debet instruere, ut a malis consiliis declinemus; quod licet deceptionis auctor congrua pœna et condemnatione plectatur, ne ille quidem qui seducitur, supplicio careat, licet aliquantulo leviore quam ille qui auctor deceptionis exstiterit. [c] Quod hic expressum plenissime cernimus : Adam namque [d] qui seductus est,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

uteretur, ad humanum sermonem effingendum et decipiendam mulierem. Hinc D. Augustinus XIV De Civit. cap. : *Diabolus*, inquit, *colubrum in paradiso corporali* (*ubi cum duobus illis hominibus, masculo et femina, animalia etiam terrestria cætera, subdita et innoxia versabantur*), *animal scilicet lubricum et tortuosis anfractibus mobile, et operi suo congruum, per quem loqueretur, elegit*; *eoque per angelicam præsentiam præstantioremque naturam spirituali nequitia sibi subjecto, et tamquam instrumento abutens ad fallaciam, sermocinatus est feminæ*. Idem lib. XI De Genesi ad litteram cap. 27 dicit per hoc solum animal permissum esse tentare, ut intelligeret mulier venenosum animal non nisi venenum afflaturum.

[a] Vide tertiam decimam annotationem Cuychii post finem operis.

[b] Sententiam Domini, qua maledixit serpenti, refert hic abbas, ut dictum est, non ad verum et naturalem serpentem, sed ad ipsum diabolum, qui in serpente loquebatur : quæ quidem etiam aliorum Patrum fuit sententia, Augustini lib. XI de Genesi ad litteram cap. 36, Bedæ, Ruperti, Hugonis Victorini, et aliorum complurium in illum locum Geneseos. At vero similius et narrationi Moysis congruentius aliis visum est illam serpentis maledictionem secundum sensum historicum ad verum serpentem pertinuisse; secundum autem sensum mysticum, a Deo tamen principaliter intentum, ad diabolum esse referendum : sicut quæ de serpente æneo narratio habetur Numer. XXI præcipue ad Christum Dominum pertinet, ipsomet interprete (*Joan.* III), sed allegorice; litterali autem sensu ad illum æneum serpentem spectat quem Moyses erexit in deserto.

[c] Notat tres gradus pœnarum, quibus peccata Adami, Evæ et serpentis diversimode a Deo punita leguntur. De qua itidem diversitate Rupertus hæc præclare scripsit (*Lib.* II *de Victor. Verbi* c. 15) : *Profecto*, inquit, *neque mulieri Maledicta es, neque viro Maledictus es, dixit, sed tantum hoc, Maledicta terra in opere tuo. Cujus videlicet terræ maledictio non aliud est quam multimoda et frequens afflictio, qua per varios eventus terræ ex eo correptæ et deterioratæ affligitur homo. Soli serpenti dixit : Maledictus es : Quo videlicet dicto firma et immutabilis intelligenda sententia æternæ damnationis. Quamvis enim ita littera sonet, ut de animante serpente possit intelligi, nihilo tamen minus et multo amplius de serpente diabolo totum oportet intelligi. Alioquin quomodo pro maledicto vel pœna maledicti reputabitur illi quod dictum est ei, Super pectus tuum gradieris, cum hoc ipsum prius a natura habuerit quam diabolus eo usus fuit ad perditionem hominis? Magis ergo illi serpenti antiquo hoc positum est in maledicto, ut supra pectus suum gradiatur, et terram comedat cunctis diebus, id est, super eos homines tantum qui ita terra sunt, ut non desiderent aut respiciant cœlum, quærat et devoret odio insatiabili, corde impœnitenti; ita datus in reprobum sensum, ut contra intentionem suam semper bonum Dei circa electos, dum impedire nititur, magis expediat et adjuvet propositum : quod est miro modo gradi super pectus suum. Porro ad mulierem et ad virum quæcumque dicta sunt, etiam ipsa mors corporis, quam imponens misericors Deus, Quia pulvis es, ait, in pulverem reverteris, verba sunt corripientis et salvare cupientis, et jam tunc vias hominis aversi sapientis spinis, ut saltem sola vexatio det intellectum auditui, memoremque faciat hominem suæ conditionis, ut humiliatus corrigi possit et salvari.* Ita Rupertus.

[d] Quomodo Adam seductus aut non seductus fuerit, aptissime explicat D. Augustinus his verbis (XIV *de Civit.* c. 11) : *Sicut Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus; nec Salomonem credibile est errore putasse idolis esse serviendum, sed blanditiis femineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum : ita credendum est illum suæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tamquam verum loquenti, credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus, Adam non est seductus, mulier autem seducta est, nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset, accepit; ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, sed sciens prudensque peccavit. Unde et Apostolus non ait, non peccavit, sed, Non est seductus. Nam utique ipsum peccasse ostendit, ubi dicit, Per unum hominem intravit peccatum in mundum. Hos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt non putant esse peccatum : ille autem scivit. Alioquin quomodo verum erit : Adam non est seductus? Sed inexpertus divinæ severita-*

immo, ut Apostoli verbis eloquar (I *Tim.* II), qui seductus non est, sed seductæ acquiescens, in exitialem videtur accessisse consensum, sudore vultus ac labore tantummodo condemnatur, qui tamen illi, non per suam, sed per terræ maledictionem sterilitatemque decernitur. Mulier vero, quæ hujus rei persuasor exstitit, multiplicationem gemituum ac dolorum atque tristitiæ promeretur, perpetuo pariter jugo subjectionis addicta. Serpens autem, qui primus incentor hujus offensæ est, perenni maledictione mulctatur. Quamobrem summa sollicitudine et circumspectione cavendum est a consiliis pravis, quia sicut auctorem puniunt, ita deceptum nec peccato faciunt carere, nec pœna.

CAPUT XII.

De constipatione dæmonum et inquietudine quam in hoc aere semper exercent.

[a] Tanta vero spirituum densitate constipatus est aer iste, qui inter cœlum terramque diffunditur, in quo non quieti nec otiosi pervolitant, ut satis utiliter humanis aspectibus eos Providentia divina absconderit atque subtraxerit. Aut enim terrore concursus eorum, vel horrore vultuum, in quos se pro voluntate sua, cum libitum fuerit, transformant atque convertunt, intolerabili formidine homines consternarentur atque deficerent, nequaquam valentes hæc carnalibus oculis intueri, aut certe nequiores quotidie redderentur exemplis eorum jugibus et imita-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

tis in eo falli potuit, ut veniale crederet esse commisum. Ac per hoc in eo quidem quo mulier seducta est, non est ille seductus : sed eum fefellit quomodo fuerat judicandum quod erat dicturus : Mulier, quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit, et manducavi. Etsi ergo credendo non sint ambo decepti; peccando tamen ambo capti sunt, et diaboli laqueis implicati. Hactenus Augustinus.

[a] Tria in hoc capite continentur paradoxa, quæ falso illo nituntur principio ac fundamento, quod dæmones sint corporei, aut, ut scholastici loquuntur, quod habeant corpora sibi naturaliter unita, sive aerea, sive alterius subtilioris substantiæ : quod erroneum esse et a veritate alienum superius ostendimus. *Primum paradoxum.* Aerem istum inferiorem magna dæmonum numerositate ac densitate constipari; quod certe consequeretur si dæmones essent corporei, sicut videmus aerem ex vaporibus multiplicatis conerescere et condensari in nubes. At qui ex vera et Christiana philosophia didicit angelos et dæmones secundum substantiam esse plane spirituales, incorporeos et immateriales, satis intelligit nulla eorum quamvis innumerabili et infinita multitudine aerem posse condensari et constipari, proprie loquendo. *Secundum paradoxum.* Deum proinde utiliter eos subtraxisse humanis aspectibus. Quod sane, si corporei essent, sine miraculo, eoque perpetuo, non fierot. *At non sunt excogitanda aut multiplicanda miracula absque necessitate, aut evidenti ratione,* ut docet D. Augustinus lib. II de Genesi ad litteram. *Tertium.* Alioquin, si dæmones in aere volitantes conspicui essent atque visibiles, *intolerabili formidine consternarentur homines atque deficerent, aut certe nequiores quotidie redderentur exemplis eorum assiduis et imitatione vitiati,* etc. Hoc posterius ad illorum errorem spectat, qui quod in Genesi legitur (*Genes.* VI), *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant,* etc., de angelis, sive spiritibus, non de hominibus intellexerunt; de quo inferius agendum erit (*Cap.* 10 et 21). Porro his erroribus seu paradoxis exclusis, illud pro certo tenendum est, quod magno consensu docent theologi, magnam dæmonum multitudinem in hoc aere inferiori assidue versari et vagari, ad probationem et exercitium hominum, usque ad diem judicii. Id in primis colligitur ex illis verbis Apostoli Ephes. VI : *Adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Id est, spirituales nequitias; *in cœlestibus,* quia dæmones, qui sunt spirituales et nequissimi, in hoc turbulento aere nobis propinquo, quod cœlum appellatur, habitant, ut expenit Petrus Lombardus. Secundo, Patres idem expresse docent. D. Hieronymus in eum locum Apostoli (*Lib.* II *d.* 6) : *Hæc,* inquit, *omnium doctorum opinio est, quod aer iste, qui cœlum terramque medius dividens, inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.* Et in cap. II ejusdem Epistolæ : *Princeps,* inquit, *aeris et spiritus potestatis, qui in aere isto est, diabolus intelligitur, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Non quo diabolus et satellites ejus, qui per mundum istum vagantes peccata hominibus insinuant, in cælo versari queant, de quo ob sua merita corruerunt : sed cœlum dicitur aer iste, qui supra nos est, juxta illud Salvatoris elogium, Considerate volatilia cœli,* etc. *Manifestum quippe est quod volatilia non per cœlum volitent, sed per aerem,* etc. S. Antonius apud Athanasium : *Divinæ,* inquit, *vocis præceptum est, ut jugi custodia tueamur animas nostras, quia exercitatos ad supplantandum habemus inimicos, dæmones scilicet, contra quos nobis, secundum Apostolicam contestationem, pugna sine intermissione est. Ait enim : Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus et potestates hujus mundi, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Ingens eorum turba istum pervolat aerem, non procul a nobis hostium caterva discurrit.* S. item Augustinus lib. III de Genesi ad litteram cap. 10 dicit : *quod aer iste caliginosus est quasi carcer dæmonibus usque ad tempus judicii.* Ex quibus colligit D. Thomas, quod dæmonibus duplex locus est attributus, alter temporarius, videlicet aer iste caliginosus, usque ad diem judicii et consummationem sæculi; alter sempiternus, scilicet infernus, post diem judicii : *Sicut enim angelis bonis ratione suæ beatitudinis assignatus est locus in cœlo empyreo, ratione autem ministerii et subsidii erga nos versantur nobiscum in hoc mundo; ita et dæmonibus ratione suæ damnationis destinatus est locus in inferno; ratione nostræ exercitationis in hoc aere caliginoso, licet eorum aliqui etiam nunc in inferno sint ad torquendum eos quos ad malum induxerunt, sicut et aliqui boni angeli sunt cum animabus sanctis in cœlo. Quamvis autem dæmones aliqui ad tentandum homines ex inferno egressi versentur in aere, pœnas tamen inferni ubique patiuntur, et gehennæ ignem secum portant,* ut habet Glossa *Epistolæ Jacobi* III, *et quocumque eant, ut scribit Strabus in cap.* III *Epistolæ ad Philippenses, sua secum supplicia circumferunt : sicut et bonis angelis non minuitur gloria, propterea quod ad nos juvandos et custodiendos mittantur, cum scriptum sit, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Quanquam non sit omnino negandum dæmones minus hic puniri et torqueri quam in inferno, quia et vagandi per mundum hunc et hominibus nocendi potestatem habent, quam non sunt in inferno, præsertim post judicii diem, habituri. Unde et Lucas cap. VIII scribit rogasse dæmones Christum ne sibi imperaret *ut in abyssum irent.*

tione vitiati; et per hoc inter homines et immundas atque aereas potestates fieret noxia quædam familiaritas atque perniciosa conjunctio, quia hæc flagitia quæ nunc inter homines admittuntur, vel parietum septis, vel locorum intervallo, et quædam verecundiæ confusione celantur; quæ si aperta visione jugiter conspicerent, ad majorem furoris incitarentur insaniam, nullo scilicet interveniente temporis puncto quotab istis sceleribus eas cernerent desinentes, quippe quas nulla lassitudo carnalis seu occupatio familiaris rei, sollicitudo quotidiani victus, quemadmodum nos a cæptis intentionibus etiam invitissimos nonnumquam cessare compellunt.

CAPUT XIII.

Quod impugnationem quam erga homines impendunt angeli, etiam adversum se commoveant.

Has namque impugnationes, quibus homines impetunt, etiam contra se invicem ipsos affectare certissimum est. Nam discordias atque conflictus super nonnullis gentibus pro quadam sibi nequitiæ vernacula familiaritate susceptis, indefesso certamine similiter exercere non desinunt. Quod etiam in visione Danielis prophetæ manifestissime legimus figuratum, angelo Gabriele ita narrante : *Noli timere, Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum. Veni autem ut decerem te quæ ventura sunt populo tuo in novissimis diebus* (*Daniel.* x). [a] Quem principem regni Persarum adversariam potestatem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vetus et vulgata quæstio est de principe Persarum, qui apud Danielem cap. x dicitur restitisse Gabrieli archangelo causam Judæorum agenti, viginti et uno diebus, fueritne ille bonus angelus an malus, et quid contentionis ac dissidii inter ipsos intercesserit. Quam quæstionem accurate et copiose tractavit Benedictus Pererius lib. XII Commentar. in Danielem, quem proinde lectori plenius de hac difficultate consulendum moneo : mihi vero sufficere visum est aliquot annotationes summarias ad hunc locum explicandum huc afferre. 1° : angelum fuisse memoratum principem Persarum, non hominem, Patres fere consentiunt, et sacer contextus satis indicat : sed hic quæritur an fuerit bonus angelus, an dæmon aliquis de ordine principatuum, vel alio. Fuisse malum angelum seu cacodæmonem sensit hic Auctor, seu Cassianus, seu potius abbas Serenus, cui hæc collatio et disputatio a Cassiano ascribitur. Quam sententiam etiam secutus videtur Rupertus abbas Tuitiensis in lib. IX de Victoria Verbi ita scribens : *Principes istos Persarum et Græcorum, quales sint, unus de doctoribus eximiis D. Hieronymus breviter innuit : Isti sunt,* inquit, *principes de quibus Paulus scripsit : Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum hujus sæculi cognovit; si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (1 Cor II). *Profecto etsi hujus doctoris auctoritas deesset, prudens tamen auditor principes illos angelos malos intelligere non dubitaret, scilicet contra quos bonis principibus preliandum erat, qui contradicebant precibus sanctorum hominum et legationi sanctorum angelorum. Si quidem mundi princeps diabolus a Domino dictus est, cum de toto constet, de partibus quis dubitet? Si totius princeps mundi diabolus, nonne consequenter partium mundi, scilicet Persarum atque Græcorum principes malæ potestates majori principi diabolo ministrantes recte intelliguntur? non enim Persæ et Græci Dei cultores erant, sed potius creaturæ quam Creatori serviebant, nec Deum, sed pro Deo dæmonium colebant; Persæ quidem, solem quem Apollinem dicebant; Græci autem sub nomine vel obtentu sapientiæ suæ Minervam; aliæque gentes aliorum dæmonum portenta; gens unaquæque suum præ cæteris singularem, omnes autem universaliter, sub nomine Jovis, principem dæmonum, principem mundi diabolum colebant, et hujusmodi malis spiritibus eorum simulacris suis se prosternebant. Ergo quorum dii fuerunt, multo magis principes eorum recte sunt appellati. Et boni semper principes sibi quidem consentiunt : mali autem et semper bonis, quoad possunt, resistunt, et sibimet semper dissentiunt, et semper inter eos sunt jurgia, quia superbi sunt.* Hæc Rupertus, initio quidem D. Hieronymum velut suæ opinionis citans auctorem et patronum. Verum D. Hieronymus ita ambigue locum illum Danielis exposuit, ut de ejus sententia nihil certi constare queat. Primum enim dicit : *Videtur mihi hic princeps Persarum, esse angelus, cui Persis credita est.* Ubi videtur bonum angelum intelligere : postmodum vero subdit quod Rupertus retulit : *Isti sunt principes, de quibus Paulus loquitur* I *ad Corinth.* II : *Sapientiam loquimur inter perfectos, quam nullus principum hujus sæculi cognovit,* etc. Ubi proculdubio sermo est de malis angelis, e quorum numero significare videtur principem illum Persarum exstitisse. Porro objectiones nonnullas, aut difficultates, quæ contra hanc opinionem moveri possent, Rupertus ipse etiam proponit, et solvit in hunc modum : *Unde malo angelo virtus pugnandi adversus bonum atque resistendi? Ex hominum vel populorum peccatis. Ubi fit ista pugna inter bonos et malos angelos? In campo justitiæ, in conflictu judicii, ipso spectatore ac judice Deo. Sed quomodo boni et mali angeli pugnant inter se? Malus pugnat accusando, bonus defendendo. In quantum est magna et vera accusatio mali angeli, in tantum est tarda et invalida defensio boni. Exempli causa, angelus malus, qui aderat regno Assyriorum, quo ductæ sunt in captivitatem decem tribus Israel, validissime eas accusabat, quod numquam recessissent a peccatis Jeroboam, quod reges omnes sceleratos et impios habuissent, denique quod pertinaciter et incorrigibiliter peccassent. Et quia hæc accusatio gravissima erat, propterea inefficax fuit apud Deum defensio boni angeli qui curam gerebat illarum tribuum. Quapropter numquam illæ tribus captivitate sunt liberatæ. Similiter malus angelus, qui aderat Persis, et vocatur hic princeps regni Persarum, vehementer obsistebat ne tribus Juda captivitate liberaretur. Hoc autem faciebat quatuor modis. Primum instigando et inducendo Judæos ad gravissima scelera, quo liberatione ex captivitate apud Deum indigniores efficerentur; tum dissuadendo Judæis reditum in patriam, exaggerandis bonis quæ in captivitate certe possidebant, et amplificandis malis atque incommodis quæ in reditu perpessuri erant; contra vero minuendis bonis quæ in reditu in patriam sperare poterant. Ad hæc, alienando animum Cyri regis a Judæis, ut reversis in Judæam minime faveret, et eos qui apud ipsum remanserant nullo modo dimitteret, suadens id majorem in modum incolumitati, tranquillitati, securitati et diuturnitati imperii sui expedire. Præterea gravissimam coram Deo Judæorum accusationem afferebat, exponens eorum scelera, propter quæ, secundum legem divinæ justitiæ, nullo modo liberari deberent. Hæc ille malus angelus adversus tribum Juda. Cujus accusatio fuit illa quidem gravis, sed non tam efficax, ut adversus tribus Israel. Peccavit quidem etiam illa, sed non tam pertinaciter : habuit enim multos reges, qui vel pœnitentiam egerunt, ut Manasses;*

esse, quæ favebat genti Persarum, inimicam populo Dei, minime dubitandum est; quique ad impediendam utilitatem quam videbat [a] per absolutionem quæstionis pro qua propheta Dominum exoraverat ab archangelo ministrandam, lubens semetipsum, ne ocius ad Danielem salutaris angeli consolatio perveniret, Deique populum (cui Gabriel archangelus præerat) confortaret, objecit. Qui tamen ait, ne tunc quidem ob impugnationis illius vehementiam se ad eum pervenire potuisse, et nisi in adjutorium sibi Michael archangelus advenisset, et occurrens principi regni Persarum, seseque conflictui ejus interserens et opponens, eumque ab ipsius impugnatione defendens, ad instructionem prophetæ post vigesimum et unum diem pervenire fecisset. Et post pauca : *Et ait,* inquit angelus : *Numquid scis quare venerim ad te? Et nunc revertar, ut prælier adversus principem Persarum. Cum enim ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens : verumtamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis. Et nemo est adjutor meus in his omnibus nisi Michael princeps vester (Ibid.).* Et iterum : *In tempore illo consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui* (*Dan.* XXX). Legimus ergo Græcorum quoque principem similiter alium nuncupari, qui utique favens genti sibi subditæ, tam populo Israeli quam nationi Persarum videbatur adversari. Ex quo liquido pervidetur quod discordias gentium et conflictus atque simultates quas inter se,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

rel etiam pii ac justi fuerunt, ac populum correxerunt, ut Josaphat, Ezechias, et Josias. Proinde ait Gabriel : Princeps Persarum restitit mihi. Et subaudiendum est : Sed non usquequaque resistere mihi potuit, quia videlicet causa vestra, modusque peccati et principi vestro Michaeli, qui solus adjutor meus est, in his omnibus, locum facit juste defendendi, quod non debeatis perpetua captivitate teneri; quia non in perpetuum a Domino recessistis, etc. Hactenus ex Ruperto, quæ licet prolixiora, tamen huic loco explicando visa sunt necessaria, et lectori studioso minime ingrata futura. 2° Altera sententia, eaque multo probabilior est, tam principes Persarum quam Græcorum, qui dicto loco Danielis nominantur, bonos fuisse angelos, qui a Deo illis regnis et gentibus præfecti fuerant; et omnem, quæ ibidem memoratur, inter istos principes, et Gabrielem, ac Michaelem, contentionem et disceptationem, non nisi inter bonos angelos contigisse. Hujus sententiæ auctores præcipui sunt D. Basilius lib. III in Eunomium, Theodoretus in cap. X Danielis, Gregorius lib. XVII Moralium cap. 7, quem instar et vice omnium audisse suffecerit ad nostrum institutum aptissime disserentem : *Inter hæc,* inquit, *libet inquirere si pax in sublimibus summa retinetur, quid est quod per angelum Danieli dicitur, Princeps regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus : et ecce Michael venit in adjutorium mihi, et nunc revertar, ut prælier adversus principes regni Persarum. Quid itaque alios principes gentium, nisi angelos appellat, qui sibi resistere euntí potuissent? Quæ igitur esse pax in sublimibus potest, si inter ipsos quoque angelicos spiritus prælíandi certamen agitur, qui semper conspectui Veritatis assistunt? Sed quia certa angelorum ministeria dispensandis quibusque gentibus sunt prælata, cum subjectorum mores adversum se vicissim præpositorum spirituum opem merentur, ipsi qui præsunt spiritus, contra se venire referuntur. Is namque angelus qui Danieli loquebatur, captivis Judæis in Perside constitutis prælatus, agnoscitur; Michael vero Judæis qui in terris Judææ remanserant, præpositus invenitur. Unde et ab hoc ipso angelo dicitur Danieli : Nemo est adjutor meus nisi Michael princeps vester. Et rursus, Michael unus, de principibus primis, venit in adjutorium mihi. Qui dum non simul esse, sed in adjutorium venire dicitur, aperte ei populo prælatus agnoscitur, qui captivus in alia parte tenebatur. Quid est ergo angelum dicere : Ego veni propter sermones tuos, sed princeps Persarum restitit mihi, nisi sua subditis opera nuntiare? ac si aperte dicat Danieli, Precum quidem tuarum merita exigunt ut populus tuus a jugo suæ captivitatis exuatur sed est quod adhuc, in eo populo, Persarum dominio purgari debeat : unde ereptionem illius Persarum princeps mihi jure contradicit, quamvis preces tuæ, eorum quoque lacrymæ, qui in Judæa relicti sunt, hanc ereptionem adjuvent. Prophetæ igitur preces angelus exaudit; sed Persarum princeps resistit, quia etsi jam vita justi deprecantis ereptionem populi exigit, ejusdem tamen populi vita adhuc contradicit : ut quia necdum hi qui in captivitatem fuerunt ducti, plene purgati sunt, jure adhuc eis Persæ dominentur. Recte ergo dicitur quod contra se angeli veniunt, quia subjectarum sibi gentium merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentilibus principantes, nequaquam pro injusta agentibus decertant, sed eorum facta recte judicantes examinant; cumque uniuscujusque gentis vel culpa, vel justitia ad supremæ curiæ consilium ducitur, ejusdem gentis præpositus vel obtinuisse in certamine vel non obtinuisse perhibetur. Quorum tamen omnium una victoria est, sui super se Creatoris voluntas; quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt. Bene igitur dixit Job : Qui facit concordiam in sublimibus* (*Job.* XXV). Hæc D. Gregorius. Ex quibus colligitur : 3° Angeli sancti tunc inter se dissidere et prælíari dicuntur, cum de contrariis et inter se pugnantibus hominum meritis divinam Sapientiam consulunt, ejusque decretum exspectant suam utrimque causam agentes; non quod voluntate absoluta discordent inter se, sed quia Dei voluntate et sententia nondum ipsis manifestata, populorum sive hominum quibus præsunt diversa merita vel demerita exponunt coram Deo, et diversos ab ipso effectus postulant. Cum primum autem patefacta ipsis est Dei voluntas et sententia, cessat omnis illorum dissensio, summaque concordia ipsum omnes sentiunt et volunt quod divinæ voluntati consentaneum esse agnoscunt. Ita Pererius, et colligitur ex verbis div. Gregorii modo recitatis, et accuratius declaratur a S. Thoma (1 par., *q.* 113, *art.* 8). Sic igitur ille princeps Persarum, id est, angelus custodiæ regni illius deputatus, dicitur restitisse Gabrieli viginti et uno diebus : quia cum Gabriel toto hoc tempore preces Danielis Deo offerret, et Judæorum ereptionem e captivitate Babylonica, Michaele ei suffragante, procuraret, ille ex adverso populi Judaici impietatem, ingratitudinem, aliasque rationes et impedimenta proponebat, quibus illam libertatem et ereptionem dissuaderet, verbi gratia, quod Persis multum emolumenti spiritualis accederet ex commercio et consuetudine populi illius in Perside commorantis; poterant enim Persæ fieri proselyti et ad Judæorum religionem cultumque veri Dei, eorum exemplo et hortatu adduci, bonos mores doceri, malos dedoceri. Et certe videtur hæc ratio plausibilior quam quod princeps Persarum Dei proponeret populi impietatem, ingratitudinem, etc. Id enim diaboli seu accusatoris officium est potius quam boni angeli, cujus est omnibus bene velle et precari, et omnium salutem, quantum in se est, procurare ac promovere.

[a] Id est, decisionem, seu terminationem litis et disceptationis de libertate et ereptione Judæorum, de qua inter Gabrielem, Judæorum patronum, et principem Persarum, id est, huic genti præfectum, certabatur.

istis instigantibus, gerunt, etiam contra se adversæ exerceant potestates, et illarum vel gaudeant victoria, vel diminutione crucientur, et ob hoc non possint illæ inter se esse concordes, dum unusquisque pro his quibus præest contra alterius gentis præsulem inquieta semper æmulatione contendit.

CAPUT XIV.

Unde factum sit ut potestatum seu principatuum nomina spiritales nequitiæ sortirentur.

Nos ergo, præter illas quas superius exposuimus opiniones, etiam idcirco dici principatus vel potestates evidenti possumus ratione colligere [a], quod scilicet vel diversis gentibus dominentur ac præsint, vel certe quod in inferiores spiritus atque dæmonia (de quibus etiam Evangelia, legiones esse propria ipsorum confessione (*Luc.* VIII) testantur) suos exerceant principatus. Non enim dominationes dici possunt, nisi habeant in quos dominationis suæ dictionem exerceant; nec potestates aut principatus vocari queunt, nisi fuerint super quos sibi vindicent principatus. Quod etiam in Evangelio designari blasphemantibus Pharisæis manifestissime reperimus: *in Beelzebub principe dæmoniorum hic ejicit dæmones* (*Matth.* XII). Nam et *rectores tenebrarum* legimus appellari (*Ephes.* VI), et alium *mundi hujus principem* nuncupari (*Joan.* XIV). Quos tamen gradus beatus Apostolus in futurum, cum omnia Christo fuerint subjecta, asserit evacuandos: *Cum tradiderit*, inquiens, *regnum Deo et Patri*, [b] *cum evacuaverit omnem principatum, potestatem et dominationem* (1 *Cor.* XV); quod utique non aliter fiet, nisi fuerint de ipsorum ditione sublati, supra quos in hoc sæculo potestates seu dominationes vel principatus administrare noscuntur.

CAPUT XV.

Quod non sine causa sanctis cœlestibusque virtutibus angelorum sive archangelorum nomina sint indita.

[c] Nam quia bonæ parti eadem ordinum [d] vocabula non sine ratione causave sint indita, et officiorum, vel meritorum, seu dignitatum sint nomina, nulli dubium est. Etenim de officio nuntiandi, [e] angelos,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Non quod eum principatum et potestatem a Deo dæmones acceperint, sed quod eum habeant ob improbitatem et impietatem eorum quibus imperant et dominantur, quique illis per peccatum se subjiciunt. Hinc D. Augustinus serm. 8 de Verbis Domini in monte, exponens cujus mundi rectores sint dæmones: *Ne male*, inquit, *intelligas, exponit quid sit mundus, cujus sunt illi rectores, rectores mundi tenebrarum harum. Quid est mundi? tenebrarum harum. Quibus est rector? Dilectoribus suis et infidelibus, quibus plenus est mundus. Hos appellat Apostolus tenebras.* Ita Augustinus. Porro, cum diabolus vocetur a Christo Domino *princeps mundi hujus* (*Joan.* XIV), et ab Apostolo *Deus et princeps hujus sæculi* (*I Cor.* II), et *rector tenebrarum harum* (*Ephes.* VI), quid mirum ejus ministros malos angelos diversorum regnorum principes et præsides nominari? ut Rupertum superius ratiocinantem audivimus. His accedit quod mali angeli ex omnibus ordinibus angelorum aliquit ceciderunt, ut superius dictum est (*Cap.* 8); sicut igitur Deus ex ordine principatuum statuit bonos spiritus, qui regnis et provinciis præsunt, ita nihil incommodi est si dicamus diabolum destinare itidem aliquos ex ordinibus principatuum, potestatum et dominationum, perturbandis, decipiendis et depravandis gentibus et populis qui sunt sub diversis regnis et provinciis.

[b] Eodem modo D. Chrysostomus hæc de dæmonibus interpretatur, et rectius quidem et congruentius quam qui de bonis angelis exponunt (*S. Thom.*, 1 *part.*, *q.* 108, *a.* 7).

[c] Vetusti codices legunt: *Nam quia in bonam partem horum ordinum vocabula*, etc. Ciaconius: *Nam quia bonæ parti eorumdem ordinum vocabula*, etc. At verior, ut communior, videtur hæc Plantiniana lectio, cui consonat Dionysii paraphrasis: *Nulli quoque dubium est quod eadem ordinum nomina non sine ratione imposita sunt bonis spiritibus, et quod sunt nomina officiorum, vel meritorum, vel dignitatum*, etc. Ex qua paraphrasi colligo voculam *nam* non habere hoc loco vim conjunctionis causalis, sed poni pro *autem*, vel *porro*, vel simili particula discretiva; et bonam partem angelorum hic intelligi bonos spiritus quibus illa vocabula sunt imposita ratione officiorum quibus a Deo deputantur; vel meritorum, id est, bonorum actuum quibus majorem gloriam promeruerunt; vel dignitatum quibus in alios inferiores præeminent.

[d] Duplex enim ratio horum nominum seu vocabulorum angelicis spiritibus inditorum ex diverso respectu et consideratione generatim assignatur, altera a B. Dionysio Areopagita, altera a D. Gregorio pontifice; Dionysius enim in expositione horum nominum spectavit proprietates et perfectiones intrinsecas singulorum ordinum, ex quarum convenientia dicit hujusmodi nomina illis imposita: *Dicimus*, inquit (*Cap.* 7 *Eccl. Hierarch.*), *primo omne sanctorum spirituum cognomen insinuationem atque indicium præferre divinæ cujuslibet ipsorum proprietatis. Ac sanctorum quidem seraphim appellationem, ii qui Hebrææ linguæ periti sunt, incendentes, sive calefacientes; cherubim vero multitudinem scientiæ, sive sapientiæ effusionem significare aiunt.* Gregorius autem in explanatione horum nominum (*Hom.* 34 *in Evangel.*) magis attendere videtur exteriora ministeria, ait S. Thomas (*part.* I, *q.* 108 *art.* 5): *Dicit enim quod angeli qui dicuntur minima nuntiant; archangeli, qui summa; virtutes, per quas miracula fiunt; potestates, quibus adversæ potestates arcentur et repelluntur; principatus, qui ipsis bonis spiritibus præsunt.*

[e] Angelus non naturæ, sed ministerii nomen est, teste D. Hieronymo. Hinc psalmo CIII: *Qui facit angelos suos spiritus*, id est, eos qui natura spiritus sunt facit esse angelos suos, injungendo eis officium nuntiandi. *Qui enim Græce dicitur ἄγγελος, quod nomen Latina declinatione angelus perhibetur, Latina lingua nuntius interpretatur*, ait D. Augustinus (*Lib.* XV *de Civit. c.* 23; *Hilar. l.* V *de Trinit.*; *Prosper in sent.* 103; et D. Gregorius ubi supra: *Sciendum*, inquit, *quod angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ: nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt, quia tunc solum sunt angeli, cum per eos aliqua nuntiantur. Unde et per Psalmistam dicitur: Qui facit angelos suos spiritus; ac si patenter dicat: Qui eos quos semper habet spiritus, etiam, cum voluerit, angelos facit.* Hæc Gregorius. Sumitur autem hoc nomen duobus modis: primo ut commune omnibus spiritibus; secundo ut proprium postremo et infimo ordini. Hinc D. Thomas: *Angelus*, inquit, *nuntius dicitur. Omnes ergo cœlestes spiritus, in quantum sunt manifestatores divinorum, angeli vocantur. Sed superiores angeli habent quamdam excellentiam in hac manifestatione, a qua superiores ordines nominantur. Infimus autem angelorum ordo nullam excel*

id est, nuntios appellari manifestum est, et [a] archangelos eo quod ipsis angelis præsint, nominis ipsius proprietas docet. [b] Dominationes etiam ab eo quod quibusdam dominentur; [c] principatus quoque, quod habeant quorum sint principes. [d] Et sedes, quod ita scilicet Deo cohæreant, et domesticæ sint ei ac familiares, ut in ipsis velut in quadam sede divina majestas peculiarius requiescat, et quodammodo in eis firmius reclinetur.

CAPUT XVI.

De subjectione dæmonum, quam suis principatibus præbent.

[e] Regi autem immundos spiritus a nequioribus potestatibus, eisque subditos esse, præter illa Scripturarum testimonia quæ in Evangeliis quoque calumniantibus Pharisæis, Domini legimus responsione descripta : *Si ego in Beelzebub principe dæmoniorum ejicio dæmones* (*Matth.* XII); etiam perspicuæ visiones et experimenta sanctorum multa nos edocent. [f] Nam cum unus ex fratribus nostris in hac solitudine iter ageret, advesperascente jam die, antrum quoddam reperiens, ibidem substitit, [g] vespertinam volens in eo synaxim celebrare. Ubi dum psalmos ex more decantat, tempus mediæ noctis excessit. Cumque finita solemnitate refecturus lassum corpus paululum resedisset, repente cœpit catervas dæmonum undique confluentium innumerabiles intueri, quæ infinita constipatione atque ordine longissimo procedentes, aliæ præibant principem suum, aliæ sequebantur. Qui tandem aliquando et magnitudine procerior cunctis, et aspectu terribilior, advenit, ac posito solio cum in tribunali quodam sublimissimo consedisset, uniuscujusque actus diligenti cœpit examinatione discutere, illosque qui necdum se circumvenire æmulos suos potuisse dicebant, velut inertes ignavosque a conspectu suo cum nota et injuria jubebat expelli, spatia tanti temporis et opus inaniter expensum cum fremitu furoris exprobrans. Illos vero, qui se nuntiabant consignatos sibimet decepisse, summis laudibus cum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

tiam supra communem manifestationem addit; et ideo a simplici manifestatione nominatur : et sic nomen commune remanet infimo ordini, quasi proprium, ut dicit Dionysius cap. 5 Cælest Hierarchiæ; vel potest dici quod infimus ordo specialiter dicitur ordo angelorum, quia immediate nobis annuntiant.

[a] Archangeli secundum Dionysium (*Dionys. Areop. Cælest. Hierarch.* c. 9) medii sunt inter principatus et angelos. Medium autem comparatum uni extremo videtur alterum, in quantum participat naturam utriusque : sicut tepidum respectu calidi est frigidum; respectu vero frigidi est calidum. Sic et archangeli dicuntur quasi prrincipes angeli, quia respectu angelorum sunt principes; respectu vero principatuum sunt angeli. Secundum Gregorium autem dicuntur archangeli ex eo quod principantur soli ordini angelorum, quasi magna nuntiantes. Est tamen hoc peculiare B. Michaeli archangelo, quod Archangelus dicitur, non quod sit de ordine archangelorum, sed quia omnium angelorum caput et princeps in locum Luciferi sublimatus; unde et Ecclesiæ Dei protector habetur (*Molan. lib.* III *de Pictur, cap.* 39).

[b] Primus ordo secundæ hierarchiæ, Dionysio et Gregorio in hoc consentientibus, sed ejus appellationis rationem non unam eamdemque assignantibus. Sic enim Dionysius cap. 8 Cœlest. Hierarch. : *Sanctorum dominationum pleno mysterii nomine significari arbitror celsiorem intelligentiam quamdam totius servitutis ignaram, omnique submissione infima liberam, nullique tyrannicæ dissimilitudini ullo modo seipsam subjicientem*, etc. Sic Dionysius, rationem nominis petens ab ipsa interna perfectione hujus ordinis, ut dictum est. Gregorius vero ab exteriore ministerio : *Dominationes*, inquit, *vocantur, qui etiam potestates principatus dissimilitudine alta transcendunt. Nam principari est inter reliquos priorem existere; dominari vero est etiam subjectos quosque possidere. Ea ergo angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, pro eo quod eis cætera ad obediendum subjecta sunt, Dominationes vocantur.*

[c] Primus hic ordo tertiæ hierarchiæ, ut dictum est, secundum Dionysium, non secundum Gregorium. Nam Dionysius collocat virtutes sub dominationibus et supra potestates; principatus autem sub potestatibus et supra archangelos. Gregorius vero ponit principatus in medio dominationum et potestatum; virtutes vero in medio potestatum et archangelorum. Nominis autem rationem ita exponit : *Principatus vocantur, qui ipsis quoque bonis angelorum spiritibus præsunt : qui subjectis aliis dum quæque sunt agenda disponunt, eis ad explenda divina ministeria principantur.* Quid porro discriminis sit inter hæc vocabula dominationum, potestatum et principatuum in angelis, vide, si lubet, apud sanctum Thomam (*q.* 108, *a.* 5 *ad* 3).

[d] Alias throni, qui postremum supræme hierarchiæ ordinem complent; de quibus Dionysius cap. 7 Cœlest. Hierarchiæ : *Altissimarum*, inquit, *et elevatarum sedium nomine illas ab omni terreni affectus humilitate longissime remotas esse, sursumque ad ardua inviolabili studio ferri edocemur; dum illæ ab infimis omnibus jugi intentione distinctæ, ac circa illum qui vere excelsus est totis viribus inconcusse stabiliterque locatæ, divinum adventum absque ullius perturbationis impedimento suscipiunt; Deumque ferentes obsequii devotione ad ipsius percipiendos fulgores semper patent.* Gregorius vero : *Throni*, inquit *illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda judicia semper Deus omnipotens præsidet. Quia enim thronos Latino eloquio sedes dicimus, throni Dei dicti sunt hi qui tanta divinitatis gratia replentur, ut in eis Dominus sedeat et per eos sua judicia decernat : unde et per Psalmistam dicitur : Sedes super thronum, qui judicas æquitatem* (*Psal.* IX).

[e] Esse enim in dæmonibus quosdam superiores et alios inferiores, superius indicatum est (*Cap.* 8), ejusque inæqualitatis et distinctionis duplex ratio assignata : prior ex ipsorum natura, quam non habent omnes æqualem, sed alii aliis perfectiorem, quare necesse est inferiores a superioribus regi eisque subditos esse; altera ex ipsorum malitia et nequitia, quæ postulat ut inter ipsos ordo quidam et concordia servetur, ut hominibus noceant; ut docuit auctor collatione præcedenti (*Cap.* 9). Neque his adversatur quod apud inferos *nullus dicitur esse ordo, sed sempiternus horror* (*Job.* IX). Ordo inter ipsos nullus est qui ad æternam felicitatem spectet, aut aliquid conferat; est nihilominus ordo potestatis, qui et naturæ inæqualitatem consequitur, et quem ad bonos exercendos et malos torquendos Deus opt. max. illis attribuit.

[f] Habes hoc exemplum in Vitis Patrum lib. IV cap. 54 novæ editionis, aliudque simile lib. V libello 5, et apud D. Gregorium lib. III Dialog. cap. 7.

[g] Id est, vespertinum officium, seu orationem, alias vespertinam solemnitatem : de qua vide notam ad lib. II Instit. cap. 10. Vesperas modo vocamus una cum Completorio.

exsultatione ac favore cunctorum, ut fortissimos bellatores ad exemplum cunctorum gloriosissimos coram omnibus emittebat. In quorum numero cum quidam nequissimus spiritus, utpote quemdam triumphum sublimissimum delaturus, lætior advenisset, nomen monachi optime cogniti designavit, asserens se post quindecim annos, quibus eum jugiter obsedisset, tandem aliquando prævaluisse, ut eum eadem ipsa nocte ruina fornicationis elideret : nam cum quadam sacra puella non solum impulisse ut stupri crimen incurreret, sed etiam persuasisse ut eam sibi jure conjugii retentaret. Super cujus relatione cum immane cunctorum gaudium fuisset exortum, summis a principe tenebrarum laudibus elevatus, magnisque præconiis coronatus abscessit. Aurora itaque superveniente, cum omnis hæc ab oculis evanuisset dæmonum multitudo, dubitans frater de assertione spiritus immundi, magisque iratus quod inolita consuetudinis suæ fallacia sibi voluisset illudere, et innocenti fratri inurere crimen incesti, memor Evangelicæ sententiæ, quod *in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; cum loquitur mendacium, de propriis* A *loquitur quia mendax es, et pater ejus* (*Joan.* VIII); [a] Pelusium petiit, ubi illum quem spiritus immundus asseruit esse dejectum, noverat commorari. Erat siquidem illi etiam notissimus frater. Quem cum requisisset, reperit quod eadem nocte qua terrimus ille dæmon ruinam ejus suæ cohorti vel principi nuntiaverat, monasterio pristino derelicto vicum petiisset, et cum designata puella fuisse lapsu miserabili devolutus.

CAPUT XVII.

Quod singulis hominibus duo semper angeli adhæreant.

Nam [b] quod unicuique nostrum duo cohæreant angeli, id est, bonus et malus, Scriptura testatur. De bonis quidem Salvator : *Ne contemnatis*, inquiens, B *unum ex pusillis istis; dico enim vobis, quod angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Illud quoque : *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos* (*Psal.* XXXIII). Nec non etiam quod in actibus Apostolorum de Petro dicitur quia *Angelus ejus est* (*Actor.* XII). De utrisque vero [c] liber Pastoris ple-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Pelusium oppidum in extrema Ægypti ora, a quo et extremum Nili ostium, quo Ægyptus ab Asia terminatur, Pelusium seu Pelusiacum appellatur. Huic Dominus apud Ezechielem, gravem suæ indignationis effusionem comminatur (*Ezech.* XXX); ubi D. Hieronymus : *Effundam*, inquit, *indignationem super Sain. Quam nos in Pelusium vertimus, et robur appellatur Ægypti, eo quod portum habeat tutissimum, et negotiationes maris ibi vel maxime exerceantur. Unde et poeta Pelusiacum appellat lentem; non quod ibi genus hoc leguminis gignatur vel maxime, sed quod e Thebaide et omni Ægypto per januam Nili illic plurimum deferatur.* Hæc Hieronymus. Ex hoc oppido oriundus ille Isidorus Pelusiotes dictus, sanctitate et doctrina conspicuus, D. Joannis Chrysostomi discipulus, et nostri Cassiani condiscipulus, ut alias dictum est, et celebris inter scriptores ecclesiasticos Græcos, temporibus Theodosii junioris.

[b] De bono angelo nulla est inter catholicos dubitatio. Id enim non solum perpetua traditione, sed plusquam probabilibus Scripturæ testimoniis semper est creditum, singulos homines singulos angelos bonos habere custodes, quorum curæ commissi sunt. Quod præcipue colligitur ex Matth. XVIII, ubi Christus de parvulis agens, docet eos non esse offendendos, vel contemnendos, quia *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*. Quibus verbis aperte significavit singulis etiam parvulis, et pari ratione cæteris hominibus suos esse angelos tutelares a Deo deputatos. Unde D. Hieronymus eo loco exclamat : *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis suæ in custodiam sui angelum delegatum*. Quod et alio simili Scripturæ loco confirmat, quia Act. XII cum Rhode puella nuntiaret Petrum pro foribus adesse, alii angelum ipsius esse credebant, ex communi nimirum persuasione, quæ de angelis singulorum hominum custodibus habebatur. Porro alterum illud assertionis membrum de malo angelo, non eamdem, sed longe minorem habet certitudinem aut probabilitatem, quod scilicet singuli homines malum angelum sive dæmonem habeant assiduum insidiatorem aut impugnatorem. Fuit tamen hæc antiquissima traditio, non Christianorum modo, sed etiam Hebræorum, ut notat Maldonatus in illum locum Matthæi. Quam traditionem ex antiquo libro Pastoris, de quo infra, quem constat olim, inter Græcos præsertim, in magno pretio et auctoritate fuisse, veteres auctores probare solent, ut Origenes homil. 10 in Lucam, abbas Serenus hoc loco, itemque abbas Cheræmon collatione 13 cap. 12, Gregorius Nyssenus in Vita Mosis, denique Petrus Lombardus lib. II Sentent. dist. 11, quibus et ratio suffragari videtur. Siquidem credibile est diabolum dæmoniorum principem, ut Dei simiam, in administratione sui regni Deum imitari, et quemadmodum Deus singulis hominibus singulos angelos proponit, ita eum opponere singulos dæmones. Cæterum C hæc sententia a plerisque rejicitur, 1° quia non habet solidum aliquod fundamentum in Scriptura, nempe in Patribus (*Lud. Vives ad lib.* IX *de Civit. cap.* 11, *Cæl. Rhodig. Antiq. Lect. lib.* II, *cap.* 3); 2° quia liber iste pastoris non tantum a D. Hieronymo in Prologo Galeato, verum etiam a div. Gelasio pontifice inter apocrypha recensetur; 3° quia notatur etiam Cassianus hoc nomine a div. Prospero (*In Catalogo scrip. eccles.*), quod illius libri auctoritate suam sententiam confirmare nisus sit, qui nullius auctoritatis inter catholicos haberetur; postremo quia favere videtur errori gentilium de duobus geniis cuique hominum a natali die attributis, altero bono, altero malo,; de quibus vide Alexandrum ab Alexandr. lib. VI Genial. cap. 4. Vide annotationem decimam quartam Cuychii.

[c] Hujus libri auctor Hermes, vel, ut aliis placet, Hermas, apostoli Pauli creditur fuisse discipulus (*Vide infra coll.* 13 *cap.* 12 *et coll.* 21 *cap.* 29). De quo div. Hieronymus : *Hermas, cujus apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit : Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis fratres sunt. Asserunt auctorem esse libri qui appellatur Pastor, et apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo scriptorum veterum usurpaverunt testimonia : sed apud Latinos pene ignotus est.* Hæc Hieronymus. Porro de libri hujus auctoritate vide Baronium tomo II Annalium ad annum 159, Sixtum Senensem (*Bibliot. lib.* II), Bellarminum (*De Script. Eccles.*) et alios (*Pamel. in Symbolum, Rufin. inter opera Cypriani, Possev. in Apparatu Sacro, S. Antoninus* II *par. Histor. tit.* 15 § 7). Verum ad hujus cap. lucem ampliorem, ne quid lector desideret, ascribenda hic videtur annotatio Petri Maturi e So-

nissime docet. Si autem consideremus et illum qui beatum Job expetiit, apertissime instruemur illum fuisse qui semper insidiatus ei, numquam eum ad peccatum potuerit incitare, et idcirco potestatem a Domino poposcisse, velut qui non virtute illius, sed Domini defensione, qui illum semper protexerat, vinceretur. De Juda quoque dicitur, *Et diabolus stet a dextris ejus* (*Psal.* CVIII).

CAPUT XVIII.

Differentiam nequitiæ quæ malis spiritibus inest duorum philosophorum testimonio confirmat.

De differentiis sane dæmonum etiam [a] per illos duos philosophos qui quondam magicis artibus vel inertiam eorum vel fortitudinem sævamque nequitiam fuerant frequenter experti, multum cognitionis accepimus. Hi namque despicientes beatum Antonium velut imperitum ac sine litteris virum, volentesque eum (si nihil amplius lædere potuissent) saltem de cella sua magicis præstigiis et circonventione dæmonum perturbare, spiritus ei nequissimos immiserunt, ad impugnationem hanc morsu livoris adducti, eo quod maxime hominum turbæ ad eum famulum Dei quotidie convenirent. Cumque illo nunc quidem imprimente pectori suo frontique signaculum crucis, nunc vero orationi suppliciter incumbente, ne approximare quidem dirissimi dæmones eidem prorsus auderent, atque ad eos qui illos direxerant, absque ullo reverterentur effectu; et alios illi in nequitiam vehementiores rursus immitterent, itidemque ipsis incassum suarum nequitiarum expendentibus vires atque inaniter redeuntibus, potentiores nihilominus adversus militem Christi victorem iterum destinati, nihil penitus prævalerent; eo profecerunt tales tantæque eorum insidiæ, tanta magica artæ quæsitæ, ut per hæc evidentissime comprobarent, magnam professioni Christianorum inesse virtutem, quibus illæ [b] tam sævæ tamque potentes umbræ, [c] quas æstimabant solem lunamque, si ad eas directæ fuissent, obducere potuisse, hunc non solum nihil lædere, sed ne ad punctum quidem de monasterio suo valuerint perturbare.

CAPUT XIX.

Quod dæmones nihil adversus homines prævaleant, nisi obsederint eorum prius mentes.

Cumque pro hac admiratione confestim venientes ad abbatem Antonium impugnationum suarum magnitudinem, et causas atque insidias patefecissent livoris occulti, Christianos se fieri protinus poposcerunt. Requisito autem ab illis proditæ impugnationis die, asseruit se amarissimis cogitationum stimulis tunc fuisse pulsatum. Quo experimento sententiam nostram, quam hesterno die in collatione protulimus, probabit ac definivit beatus Antonius, [d] nullatenus dæmones posse mentem cujusquam vel corpus invadere, nec habere facultatem in cujuslibet animam penitus irruendi, nisi eam primo destituerint omnibus cogitationibus sanctis, ac spirituali contemplatione vacuam nudamque reddiderent. Sciendum tamen [e] duobus modis spiritus immundos homini-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cietate Jesu theologi ad hunc locum Cassiani a S. Antonio Florentino compendio relatum, quæ sic habet: *Non ex illo modo libro Pastoris probat Cassianus duos unicuique homini angelos assistere, bonum et malum, sed ex aliquot sacræ Scripturæ locis; præsertim autem ad comprobandam boni angeli et nostri tutelaris assistentiam, utitur hac certissima et verissima Christi sententia Matth.* XVIII: *Videte, inquit, ne contemnatis unum ex his pusillis, dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Sicut et jam D. Hieronymus, in commentariis in hunc locum, unicuique nostrum ab ortu suæ nativitatis in sui custodiam angelum datum esse ex hoc loco concludit. Idem facit Chrysostomus homil.* 60 *in Matth. et hom.* 3 *ad Coloss. Idem auctor Oper. Imperf. hom.* 40. *In eamdem quoque sententiam Theophylactus, Œcumenius, Euthymius, Basilius lib.* III *contra Eunomium, Hilarius can.* 18 *in Matth., et multi alii veteres usurpant. Qui omnes importunissimum illud Calvini os confundunt, qui inter cætera impietatis suæ deliramenta hanc singularem propriorum angelorum custodiam deridere non erubuit. Vide contra eum Fevardentium lib.* I *advers. Hæres. de angelis hæresi* 3. Hæc ille, ex quo etiam alia notatu digna inferius depromemus.

[a] Hanc historiam paulo aliter refert S. Athanasius in Vita ipsius Antonii, de quo hic agitur. Nihil enim habet de dæmonum immissione et impugnatione, sed de dæmoniacis ad ipsum adductis, quos signo crucis frontibus eorum impresso curavit, spectantibus et stupentibus philosophis, post longam disputationem cum ipsis habitam.

[b] Hoc nomine aliisque synonymis dæmones sæpe appellatos tam profanis quam sacris auctoribus superius annotavimus (*Collat.* 7 *cap.* 52). Umbras tamen etiam dixere animas defunctorum subinde viventibus apparentes, juxta illud Virgilii.

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ
Visa illi ante oculos, et nota major imago.

[c] Ita plerique legunt, *obducere*; nonnulli tamen, *abducere*. Et quidem *obducere*, id est, obtenebrare, sive operire, vel, ut Dionysius exposuit, *quadam caligine obducere*, sicut Cicero dixit in Academicis: *Clarissimis rebus tenebras obducere*. Sin vero Cassianus *abducere*, vel *deducere*, non obducere, scripsit, imitatus videtur Virgilium, qui dixit:

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

Nam de magicis artibus et carminibus utrobique agitur, ut recte Ciaconius. Cui simile est illud ejusdem poetæ, de quadam femina, quæ simili arte pollebat:

Hæc se carminibus promittit solvere mentes.
Queis velit: ast aliis duras emittere curas.
Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro.

[d] Hoc quomodo intelligendum sit, etiam alibi indicavimus (*Collat.* 7 *cap.* 24).

[e] Duplici ratione dæmones hominibus subjiciuntur, auctoritate scilicet divina et diabolica. Divina, id est, a Deo collata et instituta, primum quidem omnibus fidelibus, sed præcipue apostolis et Christi discipulis, eorumque successoribus Ecclesiæ ministris. Illis enim *dedit Christus potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos.* Matthæi X; Marci III; Lucæ IX. Discipulis vero septuaginta duobus dixit; Lucæ X: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit.* Hinc illa eorumdem discipulorum de hac potestate, ejusque effectu consecuto communis exsultatio: *Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Eamdem vero potestatem non solis apostolis et discipulis sed omnibus credentibus.

bus obedire : aut enim sanctitati fidelium divina gratia ac virtute subduntur, [a] aut sacrificiis impiorum seu quibusdam carminibus deliniti, velut familiaribus adulantur. Qua opinione Pharisæi quoque decepti, arbitrati sunt etiam Dominum Salvatorem hac arte dæmoniis imperasse, dicentes, *In Beelzebub principe dæmoniorum hic ejicit dæmones* (*Matth.* XII); secundum illam scilicet consuetudinem, qua norant suos magos vel maleficos per invocationem nominis illius ac ritum sacrificiorum quo eum delectari et gaudere cognoscunt, velut domesticos ejus, habere etiam in dæmones ei subditos potestatem.

CAPUT XX.

Interrogatio de apostatis angelis, qui in Genesi cum filiabus hominum concubuisse dicuntur.

Germanus : Quia Geneseos lectio paulo ante in medium de dispensatione prolata est, quæ nos opportune commonuit ut id quod semper discere cupiebamus, nunc possimus congrue sciscitari, [b] quid

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

id est, Ecclesiæ generatim et in communi promisit (*Luc.* X) Christus in cœlum ascensurus illis verbis apud Marcum cap. XVI : *Signa, eos qui crediderint, hæc sequentur* : *In nomine meo dæmonia ejicient*, etc. Quæ quidem promissio ad omnes Christi fideles spectat ; non quod singulis hujusmodi potestas communicata fuerit, sed quibus conveniebat ut ea uti possent, quando et quamdiu expediret ad Dei gloriam promovendam, ad communem Ecclesiæ utilitatem, ad propagandam et stabiliendam fidem. Est autem hujusmodi facultas in Ecclesia duplex : altera privata, altera publica ; privata, id est, quibusdam hominibus sanctis in testimonium sanctitatis collata ex peculiari Dei dono et gratia, quam vocant gratis datam. Cujusmodi dono SS. illos patres et anachoretas, licet privatos homines, Antonium, Hilarionem, Paulum simplicem, Macarium et alios claruisse constat. Unde Div. Hieronymus in Vita Hilarionis : *Latebat*, inquit, *in Cypro insula Hilarion. Cæterum vix ad plenum viginti transiere dies, cum per omnem insulam, quicumque immundos habeant spiritus, clamare cæperunt venisse Hilarionem servum Dei, et ad eum se debere properare. Hoc Salamina, hoc Curium, hoc Lapetha et urbes reliquæ conclamabant. Inter triginta igitur, nec multo amplius dies, ducenti ferme tam viri quam mulieres ad eum congregati sunt, qui omnes ab eodem curati.* Hæc Hieronymus. Altera potestas publica, quæ solis Ecclesiæ ministris competit, in quibus est ordo exorcistarum, quorum proprium munus est dæmones adjurare, et e corporibus obsessis sive possessis expellere. Qua de re Turtullianus ad Scapulam cap. 2 : *Dæmones*, inquit, *non tantum respuimus, verum etiam revincimus, et quotidie traducimus, et de hominibus expellimus ; sicut plurimis notum est, Oh ! si audire velles et videre quando a nobis adjurantur et torquentur spiritualibus flagris, et verborum tomentis de obsessis corporibus ejiciuntur; quando ejulantes, et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes venturum judicem confitentur ! Veni et cognosce vera esse quæ dicimus.* Ita S. Cyprianus. In concilio quarto Carthaginensi (*Cap.* 7), cui D. Cyprianus ad Demetrianum Africæ proconsulem : D. Augustinus interfuit, ita inter cæteros ordines de exorcista ordinando traditur. *Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo : Accipe et commenda memoriæ, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum* (id est, agitatum a dæmone), *sive baptizatum: sive catechumenum.* Eratque adeo in usu tunc temporis (sicut et nunc) istius muneris functio, ut idem Augustinus in proverbio etiam usurpaverit, referens Donatistarum in collatione Carthaginensi tergiversationes, ne ibi quædam acta, quæ eorum schisma confunderent, legerentur : *O magna*, inquit, *sed non miranda confusio ! quando enim dæmon si exorcistam timeret, quomodo timuerunt Donatistæ, ne ista legerentnr ?* At de ordine et antiquitate exorcistarum vide plura apud Baronium tomo primo Annalium (*Sub anno Christi* 56).

[a] Alter modus subjiciendi dæmones, aut iis imperandi, quem diximus potestatem diabolicam, qua utuntur magi et malefici, dæmonum cultores, eos invocando, immo adorando et sacrificando, ut hic dicitur. Cæterum hic notandum, primo, magos nihil habere potestatis aut virium in dæmones, nisi ex pacto vel ipsorum simulatione : proinde non posse ipsos invitos cogere ad aliquid faciendum vel omittendum, nisi ficte et simulate. *Fingunt enim dæmones se a magis cogi, quibus sponte obtemperant et famulantur, quo magis eos et alios irretiant, et irreticos retineant,* ut docet D. Augustinus lib. II de Civit. Dei cap. 6. Hinc præclara cujusdam non obscuri theologi sententia : *Dæmon simulat se captum, ut te capiat ; se vinctum, ut te vinciat ; se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat ; a te inclusum, ut te finaliter concludat ; fingit se tua arte imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducat* (*Alphons. a Castro, lib.* I *de Justa Hæret. Punit.*). Porro cum dæmones alii aliis sint potentiores, quia superiores, ut dictum est, consequens est, si magus pactum habeat cum dæmone superiore, posse per ipsum sibi ex pacto famulantem alios inferiores cogere et suo obsequio subjicere. Quomodo legitur Apollonius magus inter alia mirabilia etiam dæmones ejecisse (*Philostratus in ejus Vita*). Et divus Gregorius lib. I Dialogorum cap. 10, narrat nobilem quamdam feminam magicis incantationibus a dæmonio liberatam ; sed postmodum ab integra dæmonum legione fuisse occupatam. *Miro enim Dei omnipotentis judicio*, inquit, *dum arte perversa unus ab ea repelli tur, in eam subito legio intravit, cæpitque ex hoc illa tot motibus agitari, tot vocibus et clamoribus perstrepere, quot spiritibus tenebatur.* Sed de his plura apud Petrum Thyræum, Martinum Delrium et alios qui de dæmonibus et dæmoniacis scripserunt.

[b] Hæc difficultas perantiqua ortum habuit ex diversa versione, et intellectu illius sententiæ, quæ habetur Genes. cap. VI : *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Et infra : *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi.*) Ubi septuaginta Interpretes in editione vetustiori, quam Philo Judæus, Eusebius et alii secuti sunt (*Philo lib. de Gigantibus ; Joseph. lib.* I *Antiq. c.* 5 ; *Eusebius lib.* V *Evangel. Præpar.* ; *Clemens Alexandr. lib.* III *et* V *Strom.*), pro filiis Dei verterunt οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, *angeli Dei*, quomdo citat etiam D. Augustinus lib. XIV de Civit. Dei cap. 23. Peperit autem hæc angelorum appellatio perperam posita maximas difficultates, et in varias sententias, immo etiam errores mentes hominum distraxit. Quidam enim putarunt angelorum nomine significari angelos sanctos, qui tum primum cum mulieribus peccarint, et ob id e cœlo exclusi et proscripti sint. Sic Lactantius lib. II Divin. Instit. cap. 15 : *Cum*, inquit, *numerus hominum cæpisset increscere, providens Deus ne fraudibus suis diabolus, cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet, vel disperderet homines quos in exordio fecerat, misit angelos ad tutelam cultumque generis humani, quibus præcepit ante omnia ne terræ contagione maculati, substantiæ cælestis amitterent dignitatem. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fa-*

etiam de illis apostatis angelis sentiendum sit, optamus agnoscere, qui se cum filiabus hominum miscuisse dicuntur (*Genes.* VI), utrum hoc possit spirituali naturæ secundum litteram convenire. Illud quoque Evangelii testimonium, quod de diabolo paulo ante dixisti: *Quia mendax est, et pater ejus* (*Joan.* VIII), similiter desideramus audire quinam ejus pater intelligendus sit.

CAPUT XXI

Solutio propositæ quæstionis.

[a] Serenus : Duas quæstiones non mediocres pariter proposuistis, de quibus, quantum possum, eodem quo proposuistis ordine respondebo. I Nullo modo credendum est spiritales naturas coire cum feminis carnaliter posse. Quod si aliquando hoc secundum litteram fieri potuisset, [c] quomodo nunc quoque idipsum vel non raro contingeret, et absque semine vel coitu viri aliquos nasci similiter de mulieribus conceptu dæmonum cerneremus? [d] cum præsertim constet eos libidinum sordibus admodum delectari, quas proculdubio per semetipsos exercere plus quam per homines mallent, si illud ullo modo potuisset impleri; Ecclesiaste quoque idipsum pronuntiante (*Cap.* I) : *Quid est quod fuit? idipsum quod est; et quid est quod factum est? idipsum quod fiet* ; et : *Non est omne recens sub sole quod loquatur et dicat : Ecce hoc novum est, non fuit in sæculis quæ fuerunt ante nos.* Sed ita quæstio propositionis hujus absolvitur. Post necem Abel justi, ne a fratricida et impio omne hominum genus exordium sumeret, in locum fratris exstincti nascitur Seth, qui non solum posteritati sed etiam fraternæ justitiæ pietatique succederet. Cujus progenies secuta patris justitiam, a societate et conjunctione cognationis illius, quæ ex Cain sacrilego descendebat; semper divisa permansit, sicut etiam genealogiæ descriptio manifeste declarat, ita dicens (*Genes.* V) : *Adam genuit Seth, Seth genuit Enos, Enos genuit Cainan, Cainan autem genuit Malaleel, Malaleel autem genuit Jareth, Jareth autem genuit Enoch, Enoch autem genuit Mathusalem, Mathusalem genuit Lamech, Lamech genuit Noe.* Item genealogia Cain ita divisa describitur (*Genes.* IV) : *Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irath, Irath genuit Maviael, Maviael genuit* [e] *Mathusael, Mathusael genuit Lamech, Lamech genuit Jubal.* Itaque illa generatio quæ de Seth justi propagine descendebat, [f] suæ lineæ jugiter et agnationi permixta. [g] in patris atque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

lacissimus consuetudine ipsa paulatim ad vitia pellexit, et mulierum congressibus inquinavit ; tum in cælum ob peccata quibus se immerserant non recepti ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites ac ministros. Vide Lactantium. Et ante eum idem senserunt Justinus Martyr in utraque Apologia; Clemens Alexandrinus lib. III et V Stromatum; denique Tertullianus pluribus in locis (*Vide Pamelium in paradox. Tertulliani*), qui idcirco angelos desertores vocat, quos noster Cassianus apostatas. Alii vero existimarunt angelos apostatas, sive dæmones, statim ab orbe condito de cœlo dejectos, qui coeuntes cum feminis gigantes genuerint. Sic Eusebius Cæsariensis lib. II Præparat. Evangel., cujus verba brevitatis studio prætermitto. At prodiit postea emendatior, ut Hebreo textui conformior editio Septuaginta, ubi non ἄγγελοι, sed υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, id est, *filii Dei* leguntur : quam versionem ut legitimam etiam Ambrosius et Augustinus agnoverunt, et vulgata Latina a concilio Tridentino approbata secuta est. Ex quibus cuivis catholico constare debet, per filios Dei eo loci non angelos, id est, spiritus cœlestes neque dæmones intelligi, sed filios et posteros Seth veri Dei cultores, quemadmodum noster Serenus sequenti capite docte exponit; ubi plura de hac subnotabimus.

[a] Lege decimam quintam annotationem Cuychii.

[b] Videtur mihi hæc sententia satis enucleate explicata a dom. Cuychio, nec ampliori explicatione indigere. Si quis tamen plura desiderat; videat Abulensem in cap. VI Geneseos quæst. 6. et in cap. VII Exodi quæst. 12; Sixtum Senensem lib. V Biblioth. annot. 73 et 77: ac postremo P. Martinum Delrium lib. II de Magia, quæst. 15, ex quo duas tantummodo conclusiones quæstionis summariam decisionem et explicationem continentes hic annotasse suffecerit. *prima conclusio.* Dæmones, licet incorporei et spiritales, possunt assumere corpora defunctorum, vel ex aere de novo sibi efformare ad carnis similitudinem palpabilia, et in hujusmodi corporibus cum feminis actum venereum exercere, ut solent cum strigibus et sagis ; atque etiam ex tali concubitu prolem procreare. Est communis sententia Patrum, theologorum et philosophorum, comprobata plurimorum sæculorum et nationum experientia. *Secunda conclusio.* Attamen nequeunt dæmones vi sua, ex propria substantia, more hominum seu animantium generare, puta ex virtute proprii seminis, quod nullum habent, nec habere ex se possunt, omnis materiæ necnon animæ vegetatricis expertes. Et hoc tantum voluerunt D. Chrysostomus homil. 22 in Genesim, Cassianus, sive Serenus, hoc loco; Philastrius libro adversus hæreses cap. 108.

[c] Contigisse multoties etiam ante Cassiani et Sereni hujus tempora, multi auctores sunt, ut vel impudentiæ vel amentiæ sit hac de re dubitare, D. Augustino teste; nec illis tantum temporibus, sed et posterioribus, et nostro etiam sæculo contigisse nimis certa, et explorata, et contestata comprobat experientia, ut dictum est : non quidem, ut absque semine viri aliquis nasceretur de mulieribus coitione dæmonum ; sed per semen alicujus hominis mutuatum : quo fit ut qui inde nascatur non sit filius dæmonis dicendus, sed illius hominis cujus est semen acceptum, ut docet D. Thomas ex Augustino (I *part.* *q.* 51, *a.* 3, *ad* 5, *libi* III *de Trin. c.* 8 *et* 9).

[d] At unde id constat? An quia immundi spiritus passim vocantur? At non idcirco quod ipsi per se immundi sint, aut immundis delectationibus in se afficiantur, aut delectentur concubitu, sed quod ad res immundas homines incitent, et gaudeant ab hominibus Deum offendi, et genus humanum hujusmodi libidinum sordibus fœde contaminari. Est igitur hoc paradoxon ex eodem principio et fonte manans, quo cætera, de quibus supra (*Cap.* 12).

[e] Mathusael, non Mathusalem; nam hic alius a Mathusalem, qui de stirpe Seth, de quo supra.

[f] Id est, sibi mutuo sociata et matrimonio juncta, ut Dionysius exponit, in eadem videlicet familia et stirpe Seth.

[g] Nempe Seth, primi ejus familiæ parentis et progenitoris. Permansit enim in ea familia et atirpe vera religio et veri Dei cultus, usque ad conjunctionem cum progenie Cain, cujus contagione secuta est religionis mutatio et morum corruptio quæ diluvii causa exstitit. Porro Dionysius et alii, quos secutus Ciaconius, legunt: *In patrum atque avita sanctitate,* etc.

atavi sanctitate longa ætate duravit, nequaquam scilicet sacrilegiis ac malitia nequissimæ prolis infecta, quæ in semet impietatis germen velut [a] atavi [avita, *vel* antiqua] traditione retinebat insertum. Donec ergo perseveravit inter illas generationes eorum ista discretio, semen illud Seth, utpote de optima radice procedens, [b] pro merito sanctitatis, angeli Dei, sive, ut diversa exemplaria continent, filii Dei vocati sunt; et econtrario illi propter impietatem vel suam vel patrum suórum et opara terren, filii hominum nuncupantur. Cum esset ergo inter ipsos usque ad illud tempus hæc utilis bonaque divisio, videntes post hæc filii Seth, qui filii Dei erant, filias eorum qui de Cain progenie nascebantur, desiderio pulchritudinis earum accensi, acceperunt sibimet de ipsis uxores, quæ viris suis infundentes nequitias patrum suorum, ab illa eos ingenita sanctitate ac simplicitate paterna protinus corruperunt. Ad quos satis congrue directum est illud eloquium (*Psal.* LXXXI) : *Ego dixi, dii estis, et filii Excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus de principibus cadetis.* Quique [c] ab illa vera physicæ philosophiæ disciplina tradita sibi a majoribus exciderunt, quam primus homo ille, qui universarum naturarum institutionem evestigio subsecutus est, potuit evidenter attingere, suisque posteris certa ratione transmittere. Quippe qui mundi ipsius infantiam adhuc teneram, et quodammodo palpitantem rudemque conspexerat, et in quem tanta fuit non solum sapientiæ plenitudo, sed etiam gratia prophetiæ, divina illa insufflatione transfusa, ut universis animantibus nomina rudis adhuc mundi hujus habitator imponeret (*Genes.* II), ac non solum omnigenum bestiarum atque serpentium furores virusque discerneret, sed etiam virtutes herbarum, arborum quoque, lapidumque naturas, ac temporum nondum expertorum vicissitudines partiretur, ita ut potuerit efficaciter dicere (*Sap.* VII) : [d] *Dominus dedit mihi eorum quæ sunt, scientiam veram, ut sciam dispositiones orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem, et medietatem temporum, annorum cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, et vim spirituum, et cogitationes hominum, differentias arborum, et virtutes radicum, et quæ sunt abscondita et in promptu cognovi.* Hanc ergo scientiam omnium naturarum per successiones generationum semen Seth paterna traditione suscipiens, donec divisum a sacrilega propagine perduravit, quemadmodum sancte perceperat, ita etiam vel ad Dei cultum, vel ad utilitatem vitæ communis exercuit. Cum vero fuisset simpiæ generationi permixtum ad res profanas ac noxias quæ pie didicerat, instinctu quoque dæmonum derivavit, [e] curiosasque ex ea maleficiorum artes atque præstigias ac magicas superstitiones audacter instituit, docens posteros suos, ut sacro illo cultu divini nominis derelicto, vel elementa hæc, vel ignem, vel aereos dæmones venerarentur et colerent. Hæc igitur quam diximus curiosarum rerum notitia quomodo in diluvio non perierit, ac supervenientibus sæculis innotuerit, licet hoc minime absolutio propositæ quæstionis exposcat, tamen quia nos occasio hujus expositionis admonuit, perstringendum breviter puto. Quantum itaque antiquæ traditiones ferunt, [f] Cham filius Noe, qui su-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Atavi nomine videtur ipsum Cainum intelligere, cujus genealogiam paulo superius expressit : a quo ejus posteri impietatem et idololatriam, velut hæreditarium susceperunt. Quidam mss. cum Dionysio legunt *Velut antiqua traditione.* Alii vero, quos secutus Plantinus : *Velut avita traditione,* ut notavit Cuychius.

[b] Solutio prioris quæstionis a Germano propositæ : Cum in Genesi dicitur filios Dei ingressos ad filias hominum, illasque genuisse gigantes, non oportere id de angelis sive bonis sive malis intelligi, quasi illi concubitum mulierum appetierint et experti sint; sed de filiis, seu posteris Seth ; qui dicuntur angeli Dei, vel potius filii Dei, quia ad illud usque tempus in veri Dei cultu perseveraverant ; qui ad filias hominum ingressi perhibentur, quando cum filiabus Cain consuetudinem habere cœperunt, easque sibi in conjugium et copulam asciverunt. Sed operæ pretium videtur D. Augustinum de his subtilius et accuratius audire disserentem (*Lib.* XV *de Civit. cap.* 23) : *Non illos ita fuisse angelos Dei, ut homines non essent, sicut quidam putant ; sed homines proculdubio fuisse, Scriptura ipsa sine ulla ambiguitate declarat. Cum enim præmissum esset quod videntes angeli filias hominum, quia bonæ sunt, sumpserunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant ; mox adjunctum est : Et dixit Dominus Deus : Non permanebit spiritus meus in hominibus his in æternum, propter quod caro sunt. Spiritu quippe Dei, fuerunt facti angeli Dei, et filii Dei ; sed declinando ad inferiora homines dicuntur nomine naturæ, non gratiæ : dicuntur et caro, desertores spiritus, et deserendo deserti. Et septuaginta quidem Interpretes et angelos Dei dixerunt istos, et filios Dei ; quod quidem non omnes codices habent ; nam quidam non nisi filios Dei habent. Aquila autem, quem interpretem Judæi cæteris anteponunt, non angelos Dei, nec filios Dei, sed filios deorum interpretatus est. Utrumque autem verum est. Nam et filii Dei erant, sub quo patre suorum patrum etiam fratres erant ; et filii deorum, quoniam a diis geniti erant, cum quibus etiam ipsi dii erant, juxta illud Psalmi : Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes ; merito enim creditur septuaginta Interpretes accepisse propheticum spiritum, ut si quid ejus auctoritate mutarent, atque aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neque hoc divinitus esse dictum dubitaretur : quamvis hoc in Hebræo esse perhibeatur ambiguum : ut et filii Dei, et filii deorum posset interpretari.* Hæctenus D. Augustinus.

[c] Id est, perfecta rerum naturalium cognitione.

[d] Hæc de seipso prædicat Salomon rex sapientissimus, Dei beneficium singulare sibi collatum commemorans, quæ his Auctor Adamo accommodat. Uter vero sapientior fuerit, et hæc verba verius usurpare potuerit, Adamus an Salomon, vide apud Pererium lib. IV Commentariorum in Genesim q. 3.

[e] Hinc libri curiosarum artium dicti. Græco textu, βιβλοὶ περίεργοι, id est, *libri curiosi*, de quibus in Actis Apostolorum (*Cap.* IX) legitur quod, Paulo apud Ephesum dæmonia ex obsessis corporibus ejiciente, *multi ex his qui fuerant curiosa sectati*, id est qui curiosas artes exercuerant, *contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis eorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.*

[f] Chamus, qui et Zoroastes, vel Zoraster dictus est, magicæ artis inventor et propagator dæmonis instinctu et magisterio ; de quo D. Clemens lib. IV Recognit., ubi de angelis prævaricatoribus agens

perstitionibus istis et sacrilegis fuit artibus ac profanis infectus, sciens nullum se posse super his memorialem librum in arcam prorsus inferre, in qua erat una cum patre justo ac sanctis fratribus ingressurus, [a] scelestas artes ac profana commenta diversorum metallorum laminis, quæ scilicet aquarum inundatione corrumpi non possent, et durissimis lapidibus insculpsit. Quæ, diluvio peracto, eadem qua celaverat curiositate perquirens, sacrilegiorum ac perpetuæ nequitiæ seminarium transmisit in posteros. Hac itaque ratione illa opinio vulgi, qua credunt angelos vel maleficia vel diversas artes hominibus tradidisse, in veritate completa est. [b] De illis ergo, quemadmodum diximus, filiis Seth et filiabus Cain, nequiores filii procreati sunt, qui fuerunt robustissimi venatores, violentissimi ac truculentissimi viri, qui pro enormitate corporum vel crudelitatis ac malitiæ, gigantes nuncupati sunt (*Genes.* VI). Hi namque finitimos populari ac rapinas inter homines exercere primi cœperunt, præda potius exigentes vitam suam, quam sudore operis sui ac labore contenti ; et quorum usque adeo scelera supercreverant, ut nisi mundatione diluvii alias mundus expiari non posset. Ita ergo filiis Seth libidinis instigatione transgressis illud mandatum quod ab exordio mundi hujus naturali instinctu diutissime fuerat custoditum, necesse fuit per litteram legis postea reparari : *Filiam tuam non dabis filio ejus uxorem, nec de filiabus eorum accipies filio tuo, qui seducent corda vestra, ut discedatis a Deo vestro, et sequamini deos earum, ac serviatis eis* (*Deut.* VII).

CAPUT XXII.

Objectio quemadmodum generi Seth cum filiabus Cain profana commixtio ante interdictum legis potuerit imputari.

Germanus : Merito potuisset illis ex hac præsumptione conjugii crimen transgressionis ascribi, si data fuisset illis ista præceptio ; at cum sejunctionis istius observantia necdum aliqua fuisset constitutione præfixa, quemadmodum illis permixtio generis ad noxam debuit imputari, quæ nullo fuerat interdicta mandato ? [c] Lex enim non præterita solet crimina, sed futura damnare.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

(*Vide Plinium Hist. lib.* XXX, *cap* 1) : *Docuerunt,* ait, *homines quod dæmones artibus quibusdam obedire mortalibus possent, ac velut ex fornace quadam, et officina malitiæ totum mundum, subtracto pietatis lumine, impietatis fumo repleverunt. Pro his et aliis nonnullis causis diluvium mundo introductum est, et omnes qui erant super terras, deleti sunt, excepta Noe familia, qui cum tribus filiis eorumque uxoribus superfuit, ex quibus unus Cham nomine cuidam ex filiis suis, qui* Misraim *appellabatur, a quo Ægyptiorum, et Babyloniorum, ac Persarum genus, male compertam magicam tradidit disciplinam. Hunc gentes quæ tunc erant, Zoroastrem appellaverunt, admirantes primum magicæ artis auctorem, cujus nomine etiam libri plurimi super hoc habentur.* Hæc Clemens pontifex. Porro Zoroastes vel Zoroaster non unus, sed multi fuere, ut ex Arnobio et aliis refert M. Delrius lib. I de Magia (*Cap.* 3). Primus ille Chaldæus, de quo hic agitur, filius Noe, alias Ham, sive Cham dictus, magiæ inventor, de quo Clemens Romanus supra ; a quo sæpe in sacris litteris (*Psal.* CIV *et* CV) Ægyptus terra Cham nuncupatur, auctore D. Hieronymo in Quæst. Hebraicis. Secundus Bactrianus, seu Bactrianorum rex, qui cum Nino rege Assyriorum bellum gessit, a quo et victus et regno pulsus est ; quem tamen Suidas cum priore confundere videtur. De eodem Plinius et Justinus historici (*Plin. l.* XXX *c.* 1 ; *Just. lib.* I : *Clem. l.* I *Stromat.*). Tertius Pamphilius genere, qui et Erus dictus, de quo Clemens Alexandrinus. Quartus denique Armenius Hostanis nepos.

[a] Videntur hæc ex Hebræorum non admodum certa et authentica traditione accepta : cum nec D. Hieronymus, nec alius antiquorum scriptorum meminerit. Horum tamen similia scribit auctor Historiæ Scholasticæ (*In Genes. cap.* XXXIX) : *Ninus,* inquit, *vicit Cham, qui adhuc vivebat, et regnabat apud Bactrianos ; vel, ut placet aliis, in Thracia, et appellabatur Zoroaster, inventor magicæ artis ; qui et hanc et septem liberales artes quatuordecim columnis scripsit ; septem æneis et septem lateritiis contra duplex orbis excidium, quod futurum audierat, alterum per aquam, alterum vero per ignem.* Hæc ille, imitatus, ut apparet, Josephum qui hæc eadem aut similia de Seeth ejusque nepotibus refert his verbis (*Lib.* I *Antiq. c.* 4. *ex vers. Rufini*) : *Disciplinam rerum cœlestium et ornatum earum primitus invenerunt : et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eis inventa fuerant aut antequam venirent ad cognitionem, deperirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, unam ignis virtute, alteram aquarum vi ac multitudine fore venturam ; duas facientes columnas, aliam ex lapidibus, aliam ex lateribus ; ambabus, quæ invenerant, conscripserunt; ut si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens hominibus discendi copiam faceret ; et quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet.* Ita Josephus, Quam historiam insigni poemate expressit et illustravit Guilielmus Salustius poeta Gallus (2 *Hebd. ult. poem.*). Tali igitur exemplo, sed perversa æmulatione et solertia (ut sunt filii hujus sæculi non minus prudentes, immo prudentiores filiis lucis) credibile est et Chamum illum impium et magicis artibus deditum suas artes scelestas et profana commenta, ut hic habetur, ne diluvio perirent, diversorum metallorum laminis et durissimis lapidibus impressisse, insculpsisse, et post diluvium docuisse posteros suos, sicque per orbem disseminasse.

[b] Ex nefando concubitu posterorum Seth et Enos (in quorum familiis colebatur Deus) et posterorum Cain, qui idolis dudum serviebant, prodiere gigantes, homines immanis magnitudinis ac proceritatis. Atque ex istiusmodi hominum disparis cultus ac religionis conjunctione cognitio Dei prorsus extincta est (I *Petr.* III), præterquam in familia Noe, id est, octo animabus, *quæ per arcam salvæ factæ sunt,* id est, a diluvio ereptæ. Cæterum D. Augustinus docet etiam gigantes exstitisse, antequam familiæ Seth et Cain connubiis jungerentur (I *De Civ. Dei c.* 23).

[c] Id est, punire ; præterita, id est, ante legem latam commissa. Quod aliis verbis ait Jurisconsultus: *Legem ad præterita non extendi* (*L. Legem, c. de Legibus, lib.* I *Decretal. tit.* 2). Quod axioma etiam jure canonico expressum est sub tit. *De constitutionibus* cap. 2 : *Quoties novum quid statuitur, ita solet futuris formam imponere, ut dispendiis præterita non condemnet, ne detrimentum ante prohibitionem incurrant ignorantes, quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere.* Et cap. fin. ibidem : *Cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi debent, nisi nominatim de præteritis in eis caveatur.* Porro manifestum est hujus-

CAPUT XXIII.

Responsio quod naturali lege ab initio homines judicio seu pœnæ fuerunt obnoxii.

Serenus : [a] Deus hominem creans, omnem naturaliter ei scientiam legis inseruit, quæ si fuisset ab homine secundum propositum Domini, ut cœperat, custodita, non utique necessarium fuisset aliam dari, quæ per litteram postea promulgata est. Erat enim superfluum extrinsecus offerri remedium, quod adhuc intrinsecus vigebat insertum. Sed [b] quia hæc, ut diximus, penitus corrupta jam fuerat libertate usuque peccandi, velut hujus exactor et executor ac vindex, et, ut ipsis Scripturæ verbis eloquar, adjutrix apposita est Mosaicæ legis severa districtio, ut vel metu pœnæ præsentis non penitus bonum scientiæ naturalis extingueretur, secundum prophetæ sententiam dicentis, [c] *Legem dedit in adjutorium* (*Galat.* III), [d] quæ etiam secundum Apostolum pædagogus velut parvulis data fuisse describitur, erudiens scilicet eos atque custodiens, ne ab illa disciplina, in qua naturaliter fuerant instituti, quadam oblivione discederent (*Isa.* VIII). Nam quia sit hominis omnis scientia legis ab initio creationis infusa, hinc manifeste probatur quod [e] mandata legis absque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

modi dicta, sive axiomata non intelligi de lege æterna, quæ est ipsa Dei sapientia, aut de lege naturali, quæ homini innascitur in ipsa conditione naturæ (has enim leges non antecedunt crimina, quæ puniantur), sed de lege positiva, sive divina, sive humana, quæ ad præterita non extenditur, nisi id exprimat; etiam quando ratio legis antecessisset legem, ait doctor Navarrus (*In Relect. cap. Si quando*). Cujus rationem habes superius expressam.

[a] Naturaliter, id est, in ipsa naturæ institutione vel, ut habet infra, ab initio creationis, et cum ipsa natura.

[b] Lex naturæ humanis mentibus impressa, sive in cordibus hominum scripta, quæ nihil aliud est quam dictamen rectæ rationis, quatenus docet quid cuique agendum fugiendumve sit, quatenus corrupta, fuerit vel abolita per peccatum, scite exponit S. Thomas his verbis (1-2, *q.* 94, *a.* 6) : *Ad legem naturalem pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota; quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universum. Deletur tamen in particulari operabili, quatenus ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam vel aliquam aliam passionem. Quantum vero ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones, vel etiam propter pravas consuetudines et habitus corruptos; sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Romanos.* Hæc S. Thomas. Ex quibus exponenda relinquitur illa D. Augustini sententia lib. II Confess. cap. 4 : *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas.* De qua item lege ait Psalmista : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). De eadem Apostolus Roman. II : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Ubi Glossa : *Quia etsi non habent legem scriptam, habent tamen legem naturalem, qua quilibet intelligit et sibi conscius est quid sit bonum et quid malum.*

[c] Ita ex versione LXX νόμον γὰρ εἰς βοήθειαν ἔθαχεν. Vulgata versio obscurior : *Ad legem, magis, et ad testimonium* (*Isa.* VIII), supp. respicere debetis. Quibus verbis monebat Deus Judæos ut legem suam ante oculos semper haberent, et numquam ex eorum animis ejus excideret memoria.

[d] Ad Galatas III : *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Ubi eleganter D. Hieronymus : *Pædagogus*, ait, *parvulis assignatur, ut lasciviens refrenetur ætas, et prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia, et ad majores philosophiæ et regendæ reipublicæ disciplinas metu pœnæ coercita præparatur. Non tamen pædagogus magister et pater est; nec hæreditatem et scientiam pædagogi is qui eruditur exspectat; sed alienum custodit filium pædagogus, ab eo, postquam ille ad legitimum capiendæ hæreditatis tempus advenerit, recessurus. Denique et nomen pædagogi hoc ipsum sonat; et est compositum ab eo quod pueros agat, id est, ductet. Itaque et Moysis lex populo lascivienti ad instar pædagogi severioris apposita est, ut custodiret eos, et futuræ fidei præpararet : quæ postquam venit, et credidimus in Christum, jam non sumus sub pædagogo; tutor a nobis curatorque discedunt; et legitimum ætatis tempus ineuntes, veri filii Dei nominamur,* etc.

[e] Multis exemplis ostendit præcepta legis naturæ fuisse ab antiquis Patribus non solum ante legem scriptam, id est, Mosaicam, verum etiam ante diluvium observata. Primum exemplum Abel justi, qui naturali instinctu et ductu intellixit Deo offerenda esse optima quæque. Quare *obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum* : quod ipse Deus postea declaravit lege per Moysen lata, præcipiens sibi offerri primogenita, XIII Exod. Unde intelligi voluit quæ multis post sæculis per legem Mosis præscripta et præcepta sunt Hebræis, ea jam inde ab exordio mundi in usu fuisse apud veros Dei cultores (*Chrysost. hom.* 24 *in Genes.*). Secundum exemplum Noetii, qui etiam sub lege naturæ et scientia naturali, ut hic habetur, longe ante legem Mosaicam intellexit quæ immunda essent animalia. Censebantur autem immunda tempore legis naturæ ea quæ non licebat Deo offere; tempore vero legis Mosaicæ immunda dicta sunt quibus Judæi in Levitico vesci prohibebantur; quæ quidem verisimile est etiam Noaci seu Noetii tempore pro immundis habita fuisse, non quod immunda cencerentur ex natura sua (qui fuit error Manichæorum), sed propter figuram et significationem aliquam, sive allegoricam, sive tropologicam. De qua vide S. Thomam 1-2, q. 102; 1-2, p. 103, art. 1. Harum tamen rerum observatio non erat ante legem Mosis aliquo Dei præcepto aut lege, ut vocant, positiva, hominibus imperata : sed partim instinctu De , partim naturali rationis judicio; præcipue autem majorum traditione, in consuetudinem cultumque inducta. Tertium exemplum Enochi, qui dicitur ambulasse cum Deo Genes. v, quod nihil aliud est quam ambulare in via Domini, vel in præceptis ejus, hoc est, sancte et inculpate vivere, Dei voluntati et præceptis obtemperare; in summa, Deo placere, quemadmodum LXX Interpretes pro eo posuerunt : *Deo placuit*. Quartum exemplum Sem et Japhet filiorum Noe, qui etiam naturali lumine cognoverunt patris verenda non esse detegenda, immo nec aspicienda antequam lex diceret : *Turpitudinem patris tui non revelabis.* Quintum exemplum Abrahæ, qui etiam lumine naturali satis intellexit spolia Pentapolitarum ab hostibus recuperata veris dominis esse restituenda; decimas etiam jure naturæ sacerdotibus debitas. Sextum exemplum ejusdem Abrahæ et Loth nepotis ejus, qui etam sub lege naturæ hospitalitatem exercuisse et hospitibus humanitatis officia impendisse leguntur (S. *Thom.* 2-2, *q.* 87, *a.* 1. *et*

litteræ lectione ante legem, immo ante diluvium, omnes sanctos observasse cognoscimus. Quemadmodum enim scire potuit Abel (*Genes.* IV), nec dum lege mandante, quod offerre Deo de primitivis ovium suarum et de adipe ipsarum sacrificium debuisset, nihi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quemadmodum Noe (*Genes.* IX), quod mundum vel quod immundum esset animal discrevisset, nundum hæc legali distinguente mandato, [a] nisi scientia naturali fuisset instructus? Unde Enoch (*Genes.* V) didicit ambulare cum Deo, nullam [b] legis illuminationem ab aliquo consecutus? Ubi Sem et Japhet legerant, *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Levit.* XVIII), ut incedentes retrorsum, patris verenda velarent (*Genes.* IX)? Unde monitus Abraham spoliis hostium quæ sibi offerebantur, ne retributionem laboris sui consequeretur, abstinuit (*Genes.* XVIII); vel decimas sacerdoti Melchisedec, quæ Mosaica lege præcipiuntur, exsolvit (*Ibid.* XIV)? Unde idem ipse Abraham, unde Lot (*Genes.* XVIII, XIX), transeuntibus ac peregrinis humanitatis jura et ablutionem pedum, necdum evangelico coruscante mandato, suppliciter obtulerunt? [c] Unde Job tantam devotionem fidei, tantam castimoniæ puritatem, tantam humilitatis, mansuetudinis, misericordiæ, humanitatis scientiam consecutus est, quantam nunc ne ab illis quidem qui Evangelia memoriter tenent videmus impleri? [d] Quem sanctorum legimus ante legem ullum legis violasse mandatum? Quis illorum non custodivit : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus* [*Lips. in marg.* Deus] *unus est* (*Deuter.* IV)? Quis non implevit illorum : *Non facies tibi sculptile, neque ullam similitudinem eorum quæ in cælo sunt, sive quæ in terra vel eorum quæ sunt in aquis sub terra?* Quis eorum non observavit : *Honora patrem tuum et matrem tuam* vel illa quæ in Decalogo subsequuntur: *Non occides, non adulterabis, non facies furtum : non falsum testimonium dices, non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* XX) aliaque his multo majora, quibus non solum legis, sed etiam Evangelii prævenere mandata?

CAPUT XXIV.

Quod juste puniti sunt hi qui ante diluvium peccaverunt.

Ita ergo intelligimus ab initio Deum omnia creasse perfecta, nec fuisse quod ordinationi ejus principali velut improvidæ et imperfectæ necesse esset adjungi,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quodlib. 2, *a.* 8). Cæterum ex his nemo existimet verum esse, quod a quibusdam rabbinis Hebræorum proditum est, omnia legis Mosaicæ præcepta fuisse ante legem a probis et piis Dei cultoribus observata, cum e diverso certissime constet multa fuisse licita ante legem Mosis quæ postea per legem Judæis interdicta fuere; quod duobus dumtaxat exemplis (ne pluribus frustra consectandis longior sim) probasse sufficerit. Primum exemplum Genesis IX, ubi Noe et posteris concessit Deus esum omnium animalium absque ullo discrimine (*Perer. in c.* IX *Gen.*) At lex Mosis jussit a multis animalium generibus tamquam immundis abstinere Judæos, Levitic. XI et Deuter. XIV. Alterum exemplum Genes. XXIX, ubi Jacob legitur uxores duxisse, et simul habuisse duas sorores, Liam et Rachelem. At per legem Mosis tale conjugium Hebræis vetitum est, Levit. XVIII. Quod igitur ait hoc loco Serenus, sanctos Dei cultores mandata legis ante legem, immo ante diluvium observasse, non de omnibus generatim mandatis, sive præceptis, sed de moralibus præcipue, nec iis omnibus, sed de multis, iisque notioribus et communioribus, accipiendum est : quod ex doctrina D. Thomæ postmodum clarius fiet.

[d] Scientiam naturalem hic vocat, quam paulo ante dixit legem naturaliter insitam, seu legem naturalem. Naturalis autem scientia duobus modis intelligi potest : vel quia a creatione vel nativitate homini indita; naturale enim dicitur quidquid a nativitate habetur, quo sensu dicimur *natura filii iræ*, Ephes. II. Naturale autem hoc modo acceptum non opponitur supernaturali, cum tam naturalia quam supernaturalia dona possint haberi a nativitate, ut notum est (*Vide Bellarm. lib de Gratia primi hom. c.* 5). Proinde hæc scientia naturalis non excludit altiorem et supernaturalem scientiam quam habuerunt illi SS. patriarchæ ex revelatione vel inspiratione divina ante legem scriptam. Vel naturalis dicitur, quia naturæ consentanea, quippe quæ naturam non destruit, sed eam perficit et ornat. Qua significatione D. Augustinus dictum esse docet ab Apostolo : *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt observant*. At prior expositio hic solummodo spectatur : agitur enim hic de lege et scientia naturali, prout distinguitur a lege scripta, sive Mosaica. Porro qui vel quemadmodum potuerit Noe quod mundum vel quod immundum esset animal per hanc scientiam naturalem discernere, cum illi jussit Deus ut *ex omnibus mundis animalibus tolleret septena et septena, de animantibus vero immundis duo et duo* (*Gen.* VII); S. Thomas explicat in hunc modum : *Distinctio mundorum animalium et immundorum non fuit ante legem, quantum ad esum, cum dictum sit Gen.* IX : *Omne quod movetur et vivit erit vobis in cibum, sed solum quantum ad sacrificiorum oblationem, quia de quibusdam determinatis animalibus sacrificia offerebant. Si tamen quantum ad esum erat aliqua animalium discretio, hoc non erat quia esus illorum reputabatur illicitus, cum nulla lege esset prohibitus, sed propter abominationem vel consuetudinem : sicut et nunc videmus quod aliqua cibaria sunt in aliquibus terris abominabilia, quæ in aliis comeduntur.* Hæc S. Thomas, superius dictis consentanea.

[b] Legis, inquam, scriptæ, sive Mosaicæ, quæ hic distinguitur contra legem et scientiam naturalem, ut dictum est.

[c] Hæc satis clara et nota sunt ex historia Job.

[d] Servit huic loco elucidando similis item locus D. Thomæ, ubi docet omnia moralia præcepta ad legem naturæ aliqua ratione esse reducenda (1-2, *q.* 100, *a.* 1) : *Quoniam*, inquit, *moralia præcepta sunt de his quæ pertinent ad bonos mores, hæc autem sunt quæ rationi conveniunt, omne autem rationis humanæ judicium aliqualiter a naturali ratione derivatur, necesse est ut omnia præcepta moralia pertineant ad legem naturæ, sed diversimode. Quædam enim sunt quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis dijudicat esse facienda vel non facienda : sicut, Honora patrem tuum et matrem; et Non occides, non furtum facies; et hujusmodi sunt absolute de lege naturæ. Quædam vero sunt quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda. Et ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina qua minores a sapientioribus instruantur, sicut illud : Coram cano capite consurge, et honora personam senis; et alia hujusmodi. Quædam vero sunt ad quæ judicanda ratio humana indiget instructione divina, per quam erudimur de divinis, sicut est illud : Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Hæc S. Thomas.

vel quod ei addi post hæc oporteret, si in illo statu ac dispositione, qua ab ipso creata sunt universa, mansissent. Et idcirco in eos qui ante legem, immo ante diluvium, peccaverunt, justo judicio Deum animadvertisse probabimus, quia [a] transgressi naturalem legem, sine ulla meruerunt excusatione puniri. [b] Nec in illorum incidemus blasphemias calumniamque, qui ignorantes hanc rationem derogant Deo veteris Testamenti, ac detrahentes nostræ fidei subsannantesque respondent: [c] Quid ergo placuit Deo nostro, ut post tot annorum millia legem voluerit promulgare, tanta sæcula passus sine lege transire? Quod si postea melius aliquid adinvenit, apparet eum in primordio mundi inferiora vel deteriora sapuisse, et post hæc velut experimentis edoctum, cœpisse rectiora prospicere, ac principales ordinationes suas in melius emendare. Quod immensæ præscientiæ *Lips. in marg.* sapientiæ] Dei penitus convenire non poterit, nec sine ingenti blasphemia hæc de ipso ab

A

B

C

D

hæretica insania proferuntur, dicente Ecclesiaste: [d] *Cognovi quoniam omnia quæ fecit Deus ab initio, ipsa erunt in æternum. Super illa non est quod addatur, et ab illis non est quod auferatur* (*Eccle.* III, *sec.* LXX). Et idcirco, [e] *Justis non est lex posita, injustis autem et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis* (I *Tim.* I). Illi namque habentes naturalis atque insitæ legis sanam atque integram disciplinam, nequaquam lege hac extrinsecus adhibita litterisque descripta, quæque in adjutorium illi naturali data est, indigebant. Ex quibus apertissima ratione colligitur, nec legem istam præscriptam litteris ab initio dari debuisse, erat enim hoc superfluum fieri stante adhuc naturali lege nec ad integrum violata; nec evangelicam perfectionem tradi ante legis potuisse custodiam. Non enim poterant audire: *Qui te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* (*Matth.* V), [f] qui contenti non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Filii Seth, quos hic præcipue spectasse videtur Auctor, dicuntur transgressi legem naturalem, quando ingressi sunt ad filias hominum, id est, uxores sibi ex filiabus Cain infidelibus et idololatris acceperunt. Dictat enim ratio et lex naturalis non esse cum hominibus disparis cultus et religionis, id est, cum infidelibus matrimonium contrahendum, ob periculum apostasiæ seu defectionis ad infidelitatem et idololatriam. Quod etiam lege Mosaica multoties prohibitum fuit (*Exod.* XXXIV, *Deut.* V). Unde Esdras (*I Esdr.* XX) sacerdos hujusmodi conjugia Judæorum cum alienigenis inita separavit, dissolvit ac diremit (*Vide apud Gratianum* 28, *q.* 1, *c. Cave, et c. Sic enim*).

[b] Manichæorum et Marcionistarum, qui Deum auctorem veteris Testamenti, Deum malum et principem tenebrarum blasphemabant, et hujusmodi quæstiunculis suggillabant; ut videre est apud Epiphanium, Augustinum, et alios qui de hæresibus scripserunt.

[c] Adversus hujusmodi Manichæorum cavillationes et blasphemias S. Thomas triplicem rationem assignat tam ex Scriptura quam ex Patribus collectam, quare lex nova non debuerit dari a principio mundi: *Quarum prima est*, inquit, (I-II, *q.* 107, *art.* 3), *quia lex nova, sicut dictum est, principaliter est gratia Spiritus sancti: quæ abundanter dari non debuit, antequam impedimentum peccati ab humano genere tolleretur, consummata redemptione per Christum. Unde dicitur Joannis* VII: *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Et hanc rationem manifeste assignat Apostolus ad Rom.* VIII, *ubi postquam præmiserat de lege spiritus vitæ, subjungit: Deus, Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis. Secunda ratio potest assignari ex perfectione legis novæ. Non enim aliquid ad perfectum adducitur statim a principio, sed quodam temporali successionis ordine; sicut aliquis prius fit puer, et postmodum vir. Et hanc rationem assignat Apostolus ad Galat.* III: *Lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Tertia ratio sumitur ex hoc quod lex nova est lex gratiæ; et ideo primo oportuit quod homo relinqueretur sibi in statu veteris legis, ut in peccatum cadendo suam infirmitatem cognoscens, recognosceret se gratia indigere. Et hanc rationem assignat Apostolus ad Rom.* V *dicens: Lex subintravit, ut abundaret delictum; ubi autem abundavit delictum, superabundavit et gratia.* Hucusque S. Thomas. Spectavit autem hic Auctor præcipue secundam rationem superius assignatam, quæ ex perfectione novæ legis sumitur.

[d] Vulgatus textus: *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseverent in perpetuum. Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur* (*Eccles.* III, *sec.* LXX). Quæ sententia non uno modo ab auctoribus exponitur. Sed ad præsentem locum suffecerit hæc D. Thomæ expositio (I-II, *q.* 98, *a.* 2 *ad* 2): *Opera Dei perseverant in æternum, quæ sic Deus fecit, ut in æternum perseverent, et hæc sunt quæ sunt perfecta. Lex autem vetus reprobatur tempore perfectionis gratiæ, non tamquam mala, sed tamquam infirma et inutilis pro isto tempore. Dicit enim Apostolus Heb.* VII: *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem et imbecillitatem, quia nihil ad perfectum adduxit lex.* Et ad Galat. III: *Ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.*

[e] Vide hanc sententiam Apostoli alibi explicatam (*Collat.* 21 *cap.* 8).

[f] Lex talionis Judæis data Exodi XXI: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore,* supple, reddet, qui alterum læserit. Et in Levitico: *Qui irrogaverit maculam uni civium suorum sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet* (*Levit.* XXIV *et Deut.* XIX). Fuit autem ea lex Judæis indicta non propter vindictam, ut Pharisæi perperam interpretabantur, sed propter justitiam, idque triplici ratione, 1° ut esset judicibus et magistratibus regula, quam sequerentur in puniendis nocentibus, ne pœnæ modum excederent aut negligerent, sed pro mensura injuriæ illatæ reos punirent (*Vide Maldonat. in eum locum*); 2° ut homines metu pœnæ continerent, ne aliis manus inferrent, et quod pati nollent, aliis ne facerent; 3° ad reprimendam nimiæ vindictæ etiam apud judicem prosequendæ cupiditatem. Unde Augustinus XIX contra Faustum (*Cap.* 15): *Hoc quidem,* inquit, *ad reprimendas flammas odiorum in se invicem sævientium et immoderatos animos ita præceptum est. Quis enim facile contentus est tantum rependere vindictæ, quantum accepit injuriæ? Nonne videmus leviter læsos homines moliri cædem, sitire sanguinem, vixque invenire in malis inimici, unde satientur? Huic igitur immoderatæ ac injustæ ultioni lex justum modum figens, pœnam talionis instituit, hoc est, ut qualem quisque intulit injuriam, tale supplicium rependat; quod non fomes, sed limes furoris est: ut non*

erant talionis æqualitate injurias proprias ulcisci, sed lethales calces ac telorum vulnera pro alapa levissima rependebant, et pro uno dente percutientium animas expetebant. Sed nec dici poterat illis : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v), in quibus magnus fructus et utilitas ducebatur, ut amicos suos diligerent, declinarent vero ab inimicis, et solo ab eis odio desinerent, nec opprimere illos et interficere festinarent.

CAPUT XXV.

Quomodo intelligendum sit quod in Evangelio dicitur de diabolo, quia mendax est, et pater ejus.

Illud vero quod vos de diabolo moverat, [a] *quia mendax est, et pater ejus*, quod videlicet tam ipse quam pater suus mendax pronuntiari videatur a Domino (*Joan.* VIII), satis absurdum est hoc vel leviter opinari. Ut enim paulo ante diximus, spiritus spiritum non generat, sicut nec animam quidem potest anima procreare, licet concretionem carnis non dubitemus humano semine coalescere; ita de utraque substantia, id est, carnis et animæ, quæ cui ascribatur auctori, Apostolo manifestius distinguente. *Deinde patres*, inquit, *carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur, non multo magis subjiciemur patri spirituum et vivemus* (*Hebr.* XII)? Quid hac divisione clarius potuit definire, ut carnis quidem nostræ patres homines pronuntiaret, [b] animarum vero Deum solum esse patrem constanter exprimeret? Quamquam et in ipsa corporis hujus concretione [c] ministerium tantummodo homini sit ascribendum, summa vero conditionis Deo omnium creatori, dicente David : *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me* (*Ps.* CXVIII). Et beatus Job, *Nonne sicut lac*, inquit, *mulsisti me, et coagulasti me ut caseum, ossibus et nervis inseruisti me* (*Job.* X)? Et Dominus ad Jeremiam : *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I). Ecclesiastes vero utriusque substantiæ naturam atque originem, examinatione ortus atque initii, ex quo videlicet unaquæque processit, et consideratione finis ad quem unaquæque contendit, satis evidenter ac proprie colligens, pariterque de corporis hujus atque animæ separatione disputans, ita disserit : *Priusquam convertatur pulvis in terram sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum qui dedit eum* (*Eccles.* XII). Quid apertius potuit dicere, quam ut materiam carnis, quam pulverem nominavit, quia de hominis semine sumit exordium, ejusque videtur ministerio seminari, velut e terra sumptam, iterum reverti pronuntiaret ad terram; spiritum vero, qui non per commixtionem sexus utriusque procreatur, sed specialiter a Deo solo tribuitur, ad auctorem suum redire signat? Quod etiam [d] per illam Dei insufflationem, qua Adam primitus animavit (*Gen.* II), evidenter exprimitur. Itaque his testimoniis manifeste colligimus, patrem spirituum neminem dici posse nisi Deum solum, qui eos ex nihilo, cum voluerit, facit; homines vero carnis nostræ patres tantummodo nominari. Itaque et diabolus secundum hoc quod vel spiritus vel angelus bonus creatus est, patrem neminem habuit nisi Deum conditorem suum. Qui cum superbia fuisset elatus, et dixisset in corde suo, *Ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo* (*Isaiæ* XIV), factus est mendax, *et in veritate non stetit*, sed de proprio nequitiæ thesauro

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

id quod sopitum erat hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat ultra extenderetur; imposita est enim justa vindicta, quæ juste debetur ei, qui passus fuerit injuriam. Quod autem debetur, etsi benigne remittitur, non tamen inique repetitur. Ita Augustinus. Quæ ratio docet Judæos, talionis æqualitate minime contentos, ut hic dicitur, acceptas injurias gravioribus pœnis sæpe vindicasse, et pro alapa levissima lethales calces, id est, pedum ictus graves et periculosos, et telorum vulnera, id est, pro minimis injuriis maximas rependisse. Porro hanc talionis legem, aut certe pravam ejus interpretationem sustulit Christus Matthæi V, et pro ea perfectiorem charitatis, misericordiæ et patientiæ legem indixit, qua non solum docuit nos non expetere vindictam, verum etiam patienter injurias tolerare; nec tolerare modo, sed optare, et de iis gloriari; denique percutienti nos in una maxilla, alteram præbere; volenti nobis tunicam tollere, etiam pallium relinquere.

[a] Hæc altera difficultas superius a Germano proposita : quam eodem fere modo solvit D. Augustinus quod hic abbas Serenus : *In his verbis*, inquit (*Tract.* 24 *in Joan.*), *quidam diabolum putaverunt habere patrem, et quæsierunt quis esset diaboli pater? Hic est error. Manichæorum. Non enim omnis qui mentitur, pater mendacii sui est : si enim ab alio mendacium accepisti et dixisti, tu quidem mentitus es, sed pater mendacii non es. Ille vero quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tamquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii, sicut Deus pater est veritatis*. Ita Augustinus. Ex quo intelligimus diabolum dici patrem mendacii, quia primus auctor et inventor ejus fuit, et quodammodo illud peperit, ut Patres communiter exponunt.

[b] Animas rationales a solo Deo creari, et humanis corporibus in ipso generationis momento infundi, eaque ratione Deum dici patrem spirituum, seu animarum, docent, præter hunc Serenum, etiam alii Patres illum locum Apostoli interpretantes. *Vide* S. Thomam in commentario.

[c] Non tamen ut simplici instrumento, sed ut causæ particulari; homo enim hominem generat, et sol, secundum Philosophum; sed ut causæ secundæ et secundariæ, Deus autem ut prima et universalis causa.

[d] *Inspiravit enim in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem* (*Genes* II). Ubi per spiraculum vitæ intelligitur anima, simul cum ipsa productione seu formatione corporis a Deo inspirata et infusa. Monet tamen S. Thomas *inspirare non esse accipiendum corporaliter; sed idem est*, inquit, *inspirare, quod spiritum facere*. Porro Moyses volens significare creationem animæ rationalis, ejusque infusionem in corpus Adami, usus est vocabulo inspirationis, sive insufflationis, triplici ratione : 1° quidem, ut placet Theodoreto, quo intelligatur tam facilem Deo creationem esse animæ rationalis quam facile est homini flatum ex ore suo emittere; 2° ut inde colligeremus animam rationalem non educi de potentia materiæ, ut animæ brutorum, sed extrinsecus advenire, utpote a Deo creatam ex nihilo, ideoque immaterialem et immortalem esse; 3° ut significaret animam simul creari et infundi in corpus. Deus enim creando eam infundit, et infundendo creat, eodem puncto temporis, quamvis ordine naturæ prius sit animam creari quam infundi (*Vide Pererium in eum locum*).

mendacium proferens, non solum *mendax*, sed etiam *pater ipsius* mendacii factus est (*Joan.* VIII), quo deitatem homini repromittens ac dicens, *Eritis sicut dii* (*Genes.* III), *in veritate non stetit*, sed *ab initio* factus est *homicida*, vel Adam in conditionem mortalitatis inducens, vel Abel instigatione sua per manum fratris interimens. Sed jam disputationem nostram duarum ferme noctium lucubratione confectam subsequens aurora concludit, ac de profundissimo quæstionum pelago cymbam collationis hujus ad tutissimum silentii portum compendium nostræ rusticitatis attraxit. In quo quidem profundo quanto nos interius flatus divini Spiritus introduxit, tanto diffusior præcedens oculorum aciem semper aperietur immensitas, ac, secundum sententiam Salomonis, *longius* fiet a nobis *magis quam erat*; *et alta profunditas, quis inveniet eam* (*Eccles.* VII)? Quamobrem Dominum deprecemur, ut in nobis, vel timor ejus, vel charitas, quæ cadere nescit, immobilis perseveret, quæ nos et sapientes in hominibus faciat, et a diaboli telis protegat semper illæsos. His etenim custodibus impossibile est quempiam laqueos mortis incurrere; inter perfectos autem et imperfectos ista distantia est, quod in illis quidem fixa et (ut ita dixerim) maturior charitas tenacius perseverans firmius [*Lips. in marg.* stabilius] eos custodit, ac facilius facit in sanctitate durare; in his vero velut infirmius collata, ac facilius refrigescens, citius compellit eos peccatorum laqueis ac sæpius implicari. Quibus auditis, ita nos collationis hujus sermo inflammavit, ut cum majore mentis ardore, abeuntes a cella senis quam ante venientes, doctrinæ ejus plenitudinem sitiremus.

COLLATIO NONA,

Quæ est prima abbatis Isaac.

DE ORATIONE.

CAPUT PRIMUM.

De perpetua orationis atque incessabili jugitate, quod [a] in secundo Institutionum libro promissum est, collationes senis hujus quem nunc in medium proferimus, id est, [b] abbatis Isaac, Domino favente, complebunt. Quibus explicatis, et præceptis beatissimæ memoriæ papæ Castoris, et desiderio vestro, [c] o beatissime papa Leonti, et sancte frater

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic enim ejus libri cap. 9 : *Quia nos ad orationum canonicarum modum consequenter Institutorum ordo provexit, quarum pleniorem tractatum licet in collationes seniorum reservemus, ibidem plenius digesturi, cum de earum qualitate seu jugitate verbis eorum disserere cœperimus*, etc. Porro hic advertat lector, quod initio hujus operis monuimus, Institutionum libros communi vocabulo appellari duodecim libros Cassiani, qui Collationes antecedunt, eoque titulo Institutionum libros a libris Collationum communiter distingui. Quoad rem vero et utrorumque subjectum ac finem, hanc Cassianus eo loci indicat differentiam : *Siquidem*, inquit, *hi libelli* (scilicet Institutionum) *ad exterioris hominis observantiam et institutionem cœnobiorum competentius aptabuntur ; illi vero ad disciplinam interioris, ac perfectionem cordis, et anachoretarum vitam atque doctrinam potius pertinebunt*. Hæc ibi.

[b] Duo præcipui leguntur hujus nominis anachoretæ : alter Thebæus, sive in Thebaidis regione versatus, de quo frequens mentio in Vitis Patrum, et apud Sophronium in Patro Spirituali cap. 161 : alter in Scythica regione demoratus, de quo hic agitur. Nam decem primæ Collationes in Scythica sive Scetica eremo habitæ sunt, ut alias dictum est, et Leontio ac Helladio episcopis hic nominatis pariter dicatæ.

[c] De nomenclatura papæ et beatissimi vide notationem ad primam præfationem Auctoris initio operis. De Leontio nonnulla subnotavimus ad primam præfationem Collationum, ubi eodem honoris titulo eum exornat Cassianus, quemadmodum et Faustus Rheiensis episcopus in præfatione libri de Libero Arbitrio, ubi hæc inscriptio ; *Domino beatissimo ac reverendissimo Leontio papæ, Faustus;* et initio epistolæ : *Quod pro sollicitudine pastorali, beate papa Leonti*, etc. Verum magna ambiguitas est, et explicatu difficilis, de quo hic agatur Leontio. Tres enim reperiuntur ejusdem nominis episcopi, iique viri præclari, et ipsi inter se et nostro etiam Cassiano fere coætanei, aut ætate certe vicini, et Gallicani omnes, Arelatensis, Forojuliacensis, Burdegalensis. Leontio Arelatensi scriptam a Sidonio Apollinari epistolam tertiam libri sexti asserit Jac. Sirmondus e Societate Jesu theologus in notis ad Sidonium, contra Savari opinionem. Multa, inquit, sunt in verbis Sidonii, quæ Arelatens. designent, ut quod ait de privilegio loci, et de togatis illic perorantibus ; Arelatensium autem episcopum his temporibus fuisse Leontium, nulla est dubitatio. Hoc enim ostendunt Hilari papæ epistolæ, ex quibus etiam docemur Leontium sedem iniisse anno 462, hoc est, decem plus minus annis ante Sidonium ; synodus præterea Arelatensis, cujus meminit Faustus, qui præfuit idem Leontius, et Ruricii epistola 15 ad Æonium in qua Leontio nunc vita functo Æonium successisse significat. Ita Sirmondus, suam sententiam de Leontio Arelatensi haud improbabiliter confirmans. Verum ei adversatur Annalium scriptor accuratissimus Baronius, duobus in locis, ubi hunc Leontium, ad quem Sidonius scribit, non Arelatensem, sed Forojuliensem episcopum astruit. Primum enim sub anno Christi 445 commemoratis et magna ex parte recitatis litteris Leonis papæ adversus Hilarium datis ad episcopos Galliæ Viennensis (*Leo, ep.* 90) subjicit hæc Baronius : *Addit his pontifex admonitionem ad eosdem episcopos, ne pro levi causa sententiam inferant excommunicationis; præfecitque Leontium episcopum, ut ejus consensu futuræ synodi in ea provincia celebrentur. Erat Leontius ille episcopus Forojulii in Gallia Narbonensi, celebris fama vir, ad quem exstat Sidonii Apollinaris epistola, qua ipsum his laudibus ornat : Nostra mediocritas ætate vitæ, tempore dignitatis, privilegio loci, laude scientiæ, dono conscientiæ vestræ facile vincatur, etc. Hæc Leontium Sidonius, cum jam esset episcopus Avern*

[a] Helladi, satisfecisse me credo, voluminis amplitudine primitus excusata, quæ studentibus nobis non solum sermone succincto narranda perstringere, sed etiam plurima silentio præterire, in majorem modum quam disposueramus, extensa est. Præmissa namque super diversis institutis disputatione copiosa, quam nos studio brevitatis resecare maluimus, hæc ed extremum B. Isaac intulit verba.

CAPUT II.

Verba abbatis Isaac super orationis qualitate.

Omnis monachi finis cordisque perfectio ad jugem atque indisruptam orationis perseverantiam tendit, et quantum humanæ fragilitati conceditur, ad immobilem tranquillitatem mentis ac perpetuam nititur puritatem. Ob quam possidendam omnem tam labo rem corporis quam contritionem spiritus indefesse quærimus et jugiter exercemus, et est inter alterutrum reciproca quædam inseparabilisque conjunctio. Nam sicut ad orationis perfectionem omnium tendit structura virtutum, ita nisi hujus culmine hæc omnia fuerint colligata atque compacta, nullo modo firma poterunt vel stabilia perdurare. Quemadmodum enim sine illis acquiri vel consummari non potest hæc de qua loquimur perpetua orationis jugisque tranquillitas, ita ne illæ quidem virtutes quæ hanc præstruunt, absque hujus possunt *assiduitate* compleri, ideo nec recte tractare de orationis affectu [*Lips. in marg.* effectu], nec ad ejus principalem finem, qui universarum virtutum molitione perficitur, subitanea disputatione poterimus intrare, nisi prius universa quæ illius obtentu vel abscindenda sunt vel paranda, per ordinem dinumerata fuerint atque discussa, et secundum evangelicæ parabolæ disciplinam (*Lucæ* XIV) ea quæ ad *spiritalis* ac sublimissimæ illius exstructionem pertinent *turris* supputata fuerint ac diligenter ante congesta. Quæ tamen nec proderunt præparata, nec recte superponi sibimet excelsa culmina perfectionis admittent, nisi

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

sis (*Sidon. lib.* VI *epist.* 3, *lib.* VII *epist.* 6). *Ejusdem quoque meminit in epistola ad Basilium.* Hæc ibi Baronius. Rursus sub anno Christi 465, Hilari papæ quinto: *Exstat,* inquit, *epistola Hilari papæ ad Leontium, Veranum et Victorium episcopos, quibus delegat causæ cognitionem et instaurationem jurium Ebredunensis episcopi, metropolitani Alpium maritimarum. Porro Leontius primo loco positus inter episcopos quibus causa committitur, etsi cujus Ecclesiæ antistes fuerit nulla sit mentio, scias tamen istum ipsum laudatum ab Hilario Arelatensi in funebri oratione de sancto Honorato episcopo prædecessore, quem Forojuliensem episcopum eumdem opinor esse ad quem exstant Sidonii Apollinaris litteræ. De eodem Leontio Forojuliensi meminit Hilarius Arelatensis in Vita sancti Honorati, dicens: Vacantem itaque insulam ob nimietatem caloris, et venenatorum animalium metu, Alpino haud longe jugo subditam petit, præter secreti opportunitatem, sancti ac beatissimi in Christo viri Leontii episcopi oblectatus vicinia, et charitate constrictus, plurimis a tam novo ausu retrahere illum conantibus.* Sic ille. Ex quo etiam Baronius S. Honoratum, ad suos Arelatenses redeuntem, primum omnium consilio Leontii Forojuliensis proxime degentis episcopi, incoluisse insulam Lerinensem a serpentibus obsessam, illicque cedentibus illis, ecclesiam et monasterium erexisse, excepisseque a sæculo profugos ad vitam monasticam excolendam docet. Cæterum quod de epistolis Sidonii ad Leontium Forojuliensem superius dixerat Baronius, idem correxisse videtur in appendice (*Tom.* X *Annal.*), ubi Sirmondum e diverso collaudans, ejusque opinioni accedens, Cæsarium Arelatensem, quem sedisse ait ejus sedis antistitem anno Domini 524, nominat hujus Leontii successorem, qui post Æonium sedit, Ravennio substitutum. Unde consequens est et ipsum Leontium Arelatensem fuisse episcopum. Ex quibus infirma et incerta admodum redditur Savari notatio ad illum Sidonii locum de Leontio Forojuliensi, qui (ut ait) subscribit synodo Lugdunensi et epistolæ Fausti contra Luciferum presbyterum, ut patet ex epistola Fausti ad Luciferum in fine de Libero Arbitrio, et epistola Luciferi ad Leontium et reliquos. Item Cassianus eremita in præfatione primæ et nonæ collationis. Sic ille, utrumque Cassiani locum de Leontis Forojuliensi interpretans. Tertius denique Leontius Burdegalensis superioribus posterior, ut notavit Sirmondus (*Ubi supra*). De quo Venantius Fortunatus in carminibus (*Lib.* I *et* IV), et Gregorius Turonensis lib. de Gloria Martyr. cap. 65. Ex quibus plura colligit Baronius sub anno Domini 566. Ubi sane mireris, lector, in tanto scriptore humani ingenii mobilitatem seu incertitudinem: quem enim primo Forojuliensem, postea Arelatensem censuerat episcopum, ad quem illæ Sidonii epistolæ jam postremo mutata iterum sententia, tradit fuisse Burdegalensem.

[a] Eodem modo et in prima prefatione eumdem compellat, sicque a Leontio discriminat, ut non episcopum, sed monachum seu anachoretum fuisse designet, cum has ei Collationes dedicaret, hoc addito elogio: *Alter anachoretarum instituta sublimia, non, ut quidam, propria aggressus est presumptione sectari, sed legitimum doctrinæ tramitem, sancto Spiritu suggerente, pene antequam disceret, apprehendens, non tam suis adinventionibus quam illorum traditionibus maluit erudiri.* Hæc ibi. Et de hoc quidem Helladio aliud nihil in præsens occurrit, *quod* ad rem et aliquam ejus notitiam explorandam juvare possit, nisi quod id epistola D. Leonis quinquagesima secunda ad omnes episcopos Galliarum scripta inter alios Helladius non postremus nominetur: quem hunc ipsum esse, de quo hic agitur, tum ex ratione temporis, tum ex aliis indiciis conjectare licet. Credibile enim est eumdem ad episcopatum medito sanctitatis, quo hic commendatur, postea fuisse provectum, temporibus nimirum D. Leonis papæ, a quo jam ante urbis Romanæ archidiacono rogatus Cassianus, teste Gennadio (*In Catalogo illust. vir. cap.* 61), libros scripsit adversus Nestorium de Incarnatione Domini, et in his scribendi apud Massiliam et vivendi finem fecit, Theodosio et Valentiniano regnantibus, postquam scilicet jamdudum absolverat libros Collationum, ut ipsemet in præfatione testatur. Quod autem hunc Helladium fratrem nominet Cassianus, incertum an Leontii fratrem germanum, an vero communi et antiqua monachorum nomenclatura fratrem, aut certe fraterna charitate sibi vel Leontio devinctum voluerit intelligi. Memoratur quidem in tabulis ecclesiasticis (*Martyrol. Rom.* 8 *Maii.*) S. Helladius, sive Elladus Antisiodorensis episcopus, qui successit Valeriano, seditque temporibus Constantii et Constantini imper., poniturque quintus ordine ejus sedis episcopus in tabulis Democharis (*Lib.* II *de Sacr. Missæ c.* 19). At hic multo antiquior, et Leone pontifice, et nostro Cassiano.

[a] egesta prius omni repurgatione vitiorum, et effusis succidiis mortuisque ruderibus passionum, vivæ (ut aiunt) ac solidæ terræ pectoris nostri, immo illi evangelicæ petræ superjecta fuerint simplicitatis et humilitatis firmissima fundamenta, quibus hæc turris spiritalium virtutum molitionibus exstruenda et immobiliter valeat stabiliri, et ad summa cœlorum fastigia confidentia propriæ firmitatis attolli. Fundamentis etenim talibus innitentem, quamvis passionum imbres largissimi profundantur, quamvis ei persecutionum violenti torrentes instar arietis illidantur, quamvis irruat et incumbat adversariorum spirituum sæva tempestas, non solum ruina non diruet, sed nec ipsa aliquatenus vexabit impulsio.

CAPUT III.

Quemadmodum paretur pura et sincera oratio.

Et idcirco ut eo fervore ac puritate, qua debet, emitti possit oratio, hæc sunt omnimodis observanda. Primum sollicitudo rerum carnalium generaliter abscindenda est; deinde nullius negotii causæve non solum cura, sed ne memoria quidem penitus admittenda, detractationes, vaniloquia seu multiloquia, scurrilitates quoque similiter amputanda, iræ præ omnibus sive tristitiæ perturbatio funditus eruenda, concupiscentiæ carnalis ac philargyriæ noxius fomes radicitus evellendus, et ita his ac similibus vitiis extrusis penitus et abscissis, quæ hominum quoque possunt patere conspectibus, talique, ut diximus, repurgii emundatione præmissa, quæ simplicitatis et innocentiæ puritate perficitur, jacienda sunt primum profundæ humilitatis inconcussa fundamenta, quæ scilicet turrim intraturam cœlos valeant sustinere : deinde superponenda virtutum spiritalium exstructio, et ab omni discursu atque evagatione lubrica animus inhibendus, ut ita paulatim ad contemplationem Dei ac spiritalis intuitus incipiat sublimari. [b] Quidquid enim ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est ut orantibus nobis per ingestionem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus. Ex præcedenti enim statu mens in supplicatione formatur, eorumdemque actuum procumbentibus nobis ad pacem, verborum quoque vel sensuum ante oculos imago præludens, aut irasci nos secundum præcedentem qualitatem faciet, aut tristari, aut concupiscentias causasve præteritas retractare ; aut risu fatuo, quod etiam pudet dicere, cujusquam surrilis dicti vel facti titillatione pulsari, aut ad priores faciet volitare discursus. Et idcirco quidquid orantibus nobis nolumus ut irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus ut illud Apostoli possimus implere : [c] *Sine intermissione orate* (I *Thess.* v) : Et, *In omni loco levantes puras manus sine ira et disceptatione* (I *Tim.* II). Alias namque mandatum istud perficere non valebimus, nisi mens nostra ab omni vitiorum purificata contagio, virtutibus tantum velut naturalibus bonis dedita, jugi omnipotentis Dei contemplatione pascatur.

CAPUT IV.

De mobilitate animæ, plumæ vel pennulæ comparata [Al. *comparatæ*].

Etenim [d] quantas animæ non inepte subtilissimæ plumæ seu pennæ levissimæ comparatur, quæ si humoris cujuspiam extrinsecus accidentis corruptione vitiata non fuerit vel infusa, mobilitate substantiæ suæ, tenuissimi spiritus adjumento, velut naturaliter ad sublimia cœlestiaque sustollitur. Sin vero humoris cujusquam aspergine vel infusione fuerit prægravata, non modo in nullos aereos volatus naturali mobilitate raptabitur, sed etiam ad ima terræ concepti humoris pondere deprimetur. Ita mens quoque nostra, si accedentibus vitiis curisque mundanis aggravata non fuerit, noxiæve libidinis humore corrupta, velut naturali puritatis suæ beneficio sublevata, levissimo spiritalis meditationis afflatu sublimabitur ad superna, et humilia deserens atque terrena, ad cœlestia et invisibilia transferetur. Unde proprie satis præceptis Dominicis admonemur : *Videte nequando graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis sæcularibus* (*Lucæ* XXI). Et idcirco si volumus orationes nostras non solum cœlos sed etiam quæ super cœlos sunt penetrare, curemus mentem ab omnibus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ciaconius e manuscriptis legit : *Egesto omni repurgio vitiorum, et effossis succiduis mortuisque ruderibus passionum*, etc. Quæ certe lectio germanior ut et communior mihi videtur. Quorsum enim spectaret; aut quem sensum haberet illud, *effusis succidiis*, cum succidia, vel succidium, Varroni aliisque auctoribus nihil aliud sit quam massa carnis porcinæ salita, et in necessarium usum servata ; et vel a succidendo, quod quoties opus est succidatur, vel potius a suibus cædendis dicta ? Unde idem Varro de Re Rustica lib. II capite 4 dicit ignavum aut sumptuosum esse agricolam qui succidiam suspenderit in carnario ab laniario potius quam ex proprio fundo. Rudera autem vocantur lapidum fragmenta passim per agros sparsa, aut terræ permixta ; quæ et succidua dicuntur, quia ad cadendum prona ; et mortua, quia nulli usui apta ; ideoque effodi et expurgari solita, usque ad terram vivam et solidam, ut hic dicitur, ut tuto fundamenta jaciantur. Unde pulchra sumitur metaphora ad spiritualis fundamenti positionem adoptata, quæ sequenti capite clarius explicatur. Poro repurgium pro repurgatione positum nemo non intelligit, qua voce etiam utitur sequenti capite.

[b] Ita etiam divus Gregorius X Moral. cap. 16. Semper ante orationis tempora debet sollicite conspici quidquid potest in oratione reprobari. Sæpe immunda vel illicita quædamin animo versamus, quoties a precibus vocamus. Sed cum se mens ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. Et infra : Sæpe curis mundi libenter occupamur, cumque post hæc studio orationis intendimus, nequaquam se mens ad cœlestia erigit, quia pondus hanc terrenæ sollicitudinis in profundum mersit.

[c] In his duabus sententiis fundatur sequens collatio, quæ est secunda abbatis Isaac ; unde sumptum ejus argumentum, *De orationis jugitate sive assiduitate*, ubi proinde de his commodius agetur (*Collat.* X *cap.* 14).

[d] Aliam similitudinem seu comparationem animæ cum mola aquaria vide collat. I cap, 18.

terrenis vitiis expurgatam cunctisque mundatam fæcibus passionum ad sublimitatem perducere naturalem, ut ita ad Deum oratio ejus nullo vitiorum pondere prægravata conscendat.

CAPUT V.

De causis quibus mens nostra aggravatur.

Notandun tamen quibus ex causis gravari mentem Dominus designaverit. Non enim adulteria, non fornicationes, non homicidia, non blasphemias, non rapinas, quæ mortalia esse et damnabilia nullus ignorat, sed crapulam posuit et ebrietatem, et curas sive sollicitudines sæculares (*Luc.* XXI). Quæ in tantum nemo hominum mundi hujus cavet aut damnabilia judicat, ut etiam nonnulli, quod pudet dicere, semetipsos monachos nuncupantes iisdem ipsis distentionibus velut innoxiis et utilibus implicentur. [a] Quæ tria licet secundum litteram perpetrata aggravent animam, atque a Deo separent ac deprimant ad terrena, est tamen eorum facilis declinatio, et maxime nobis qui tam longa remotione ab omni sæculi hujus conversatione disjungimur, et istis visibilibus curis atque ebrietatibus et crapulis penitus nulla occasione miscemur. Verum est alia quoque crapula et ebrietas spiritalis difficilius evitanda, cura quoque ac sollicitudo sæcularis, quæ nos etiam post omnium facultatum nostrarum perfectam renuntiationem et vini epularumque continentiam cunctarum, et quidem in solitudine constitutos frequenter involvit, de quibus A propheta : [b] *Expergiscimini*, inquit, *qui estis ebrii, et non a vino* (*Joelis* I). Alius quoque : *Obstupescite et admiramini, fluctuate et vacillate, inebriamini, et non a vino; movemini, et non ab ebrietate* (*Isaiæ* XXIX). Cujus ebrietatis et crapulæ vinum consequenter necesse est ut secundum prophetam furor draconum sit. Ipsumque vinum de qua radice procedat adverte. *Ex vinea* enim *Sodomorum vitis eorum, et sarmentum eorum ex Gomorrha.* Vis etiam fructum vitis istius atque sarmenti germen agnoscere? *Uva eorum uva fellis, botrus amaritudinis in ipsis* (*Deut.* XXXII). Quæ omnia, nisi fuerimus cunctis vitiis expurgati, et ab omnium passionum crapula sobrii, absque ebrietate vini epularumque omnium affluentia, erit cor nostrum ebrietate et crapula magis noxia prægravatum. Nam B quia sæculares curæ etiam in nos, qui *nullis actibus* mundi istius admiscemur, cadere nonnumquam possint, manifesta ratione monstratur secundum regulam seniorum, qui quidquid necessitatem victus quotidiani et inevitabilem usum carnis excedit, ad sæcularem definierunt curam et sollicitudinem pertinere; ut, verbi gratia, si cum possit operatio unius solidi necessitatem nostri corporis expedire, ad duorum vel trium solidorum acquisitionem nosmetipsos propensiore velimus opere ac labore distendere; et [c] cum duarum velamen sufficiat tunicarum, ad usum scilicet noctis ac diei [b] domini trium vel quatuor fieri procuremus; cumque unius sive duarum habitatio

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Scilicet crapula, ebrietas, et curæ sive sollicitudines sæculares, quibus monachi subinde implicantur.

[b] In Bibliis regiis locus hic Græce ita legitur : ἐπνήψατε οἱ μεθύοντες ἐζ οἴνου αὐτῶν hoc est, *expergiscimini, qui ebrii estis ex vino vestro*; vel, ut Hieronymus reddidit : *in vino vestro.* Cæterum fatetur idem Hieronymus apud Septuaginta legi : *Et non a vino.* Ejus verba sunt in cap. I Joelis, quibus varias ebrietatis spiritualis, de qua hic agitur, species ita recenset : *Nulla res ita inebriat ut animi perturbatio. Est ebrietas quæ ducit ad mortem. Hæc abominanda ebrietas est. Est ira quæ justitiam Dei non operatur, et furori proxima mentis suæ impotem facit*; *in tantum ut labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. Quid referam de gaudio et voluptate, et maxime amore, qui excæcat cordis oculos, et nihil aliud amantem, nisi id quod amat cogitare permittit? Annon est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum et ignominiosam corporis partem animæ libertas in serviles blanditias inclinatur, cum furto, scelere, atque perjuriis opes futuras præparat voluptati et cum videatur ab omnibus, se æstimat non videri? Sed avaritia excæcat animum ejus, cui nihil satis*; *et muliebris timor, et dulcium cupido vitiorum. Unde dicitur ad eos : Evigilate et expergiscimini, qui ebrii estis, nequaquam a vino* (*ut in solis LXX continetur*), *sed omni perturbatione vitiorum.* Ita D. Hieronymus. Ergo hanc Cassianus, ut germanam LXX lectionem hoc loco secutus est, Vulgata autem lectio est : *Expergiscimini, ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.*

[c] Locus insignis de parcimonia et frugalitate monachis sectanda, et vitando luxu ac superfluitate, tum in quotidianis sumptibus, tum in vestibus, tum in cellis, sive cubiculis, aut domiciliis. Et quidem quod ad vestes attinet, magnopere hac in parte delinquunt nonnulli monachi, qui, uno aut altero habitu honesto minime contenti, magnam sibi vestimentorum copiam ac supellectilem comparant, et undequaque coacervant; nec animo quiescere possunt, nisi quinque aut sex tunicas, totidem togas, tot chlamydes, tot reliquas vestes sibi quoquo modo procurent; ut habeant in singulas pene hebdomadas, ne dicam in dies, nova semper et diversa mutatoria vestimentorum, quorum unum aut alterum abunde sufficeret. Qua in re magnam sive *Regulæ et professionis* oblivionem, aut neglectum, *si non* contemptum præ se ferunt : Regulæ quidem, quæ dicit *sufficere monacho duas tunicas, et duas cucullas* (*Reg. D. Bened. cap.* 55); *et in omnibus considerandam illam sententiam Actuum Apostolorum : quia dividebatur singulis, prout cuique opus erat* (*Act.* V), non amplius. Professionis, qua paupertatem evangelicam, cum qua luxus ille et vestimentorum copia ex diametro pugnat, complexi sunt et servaturos se sancte promiserunt. Unde in concilio Tridentino (*Sess.* 25 *cap.* 2 *de Regular.*) graviter statuitur ut *Regularibus mobilium usum* (in quibus haud dubie vestes præcipuum locum obtinent) *ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat*; *nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod sit necessarium eis denegetur. Quod si quis aliter quidquam tenere deprehensus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ Regulæ et ordinis constitutiones puniatur* (*In cap.* 7 *et* 55 *Regulæ*). Sed de vestium abusu et excessu vide plura apud Turrecrematum et Trithemium.

[d] Observavit Cuychius in quibusdam codicibus pro *Domini* legi *nobis*, in aliis *Demum*, in aliis aliquot mss. vocabulum *Domini* expunctum esse, at non recte. Vult enim dicere abbas Isaac, quod etsi duarum tunicarum sive togarum velamen sufficiat, his tamen non contenti, procuremus trium vel quatuor tunicarum domini seu possessores fieri, ut superius expositum est.

sufficiat cellarum, ambitione sæculari atque amplitudine delectati, quatuor seu quinque cellas, et has easdem exquisiti ornatus et capaciores quam usus desiderat, exstruamus, [a] passionem libidinis mundialis in quibus possumus præferentes.

CAPUT VI.

De visione cujusdam senis, quam super fratris inquieta operatione prospexit.

Quod non sine instinctu dæmonum fieri manifestissima nos experimenta docuerunt. Nam quidam probatissimus seniorum cum transiret juxta cellam fratris cujusdam, hac animi, quam diximus, ægritudine laborantis, utpote qui in exstruendis reparandisque superfluis inquietus quotidianis distentionibus desudaret; et eminus conspexisset eum gravi malleo saxum durissimum conterentem, vidissetque [b] Æthiopem quemdam astantem illi, et una cum eodem ictus mallei junctis consertisque manibus illidentem eumque ad operis illius instantiam ignitis facibus instigantem, diutissime substitit, vel impressionem dirissimi dæmonis, vel fraudem tantæ illusionis admirans. Cum enim nimia lassitudine fatigatus frater, requiescere jamque finem operi voluisset imponere, instigatione spiritus illius animatus iterum resumere malleum, nec desinere ab intentione cœpti operis urgebatur, ita ut iisdem ejus incitamentis infatigabiliter sustentatus tanti laboris non sentiret injuriam. Tandem igitur senex tam dira dæmonis ludificatione permotus, ad cellam fratris divertit, salutansque eum, Quid, inquit, est, frater, istud opus quod agis? At ille: Laboramus, ait, contra istud durissimum saxum, vixque illud potuimus aliquando conterere. Ad hæc senex: Bene dixisti, vix potuimus; non enim solus eras, cum illud cæderes, sed fuit alius tecum, quem non vidisti, qui tibi in hoc opere non tam adjutor quam violentissimus impulsor astabat. Et idcirco morbum ambitus sæcularis nostris mentibus [c] non inesse, non utique eorum tantum negotiorum abstinentia comprobabit, quæ, etiamsi velimus, expetere vel explere non possumus; neque illarum rerum despectus, quas si affectaverimus, tam apud spirituales viros quam apud sæculi homines notabiles prima fronte reddemur; sed cum etiam illa quæ nostræ suppetunt potestati, et honestate quadam videntur obnubi, rigida mentis districtione respuimus. Et revera non minus hæc quæ parva videntur et minima, quæque ab his qui nostræ professionis sunt, cernimus indifferenter admitti, pro qualitate sua aggravant mentem, quam illa majora quæ secundum suum statum sæcularium sensus inebriare consueverunt, non sinentes [*Al.* nec sinunt], deposita fæce terrena, ad Deum in quo semper defixa esse debet intentio, monachum respirare, cui ab illo summo bono vel parva separatio, mors præsens ac perniciosissimus interitus est credendus. Cumque mens tali fuerit tranquillitate fundata, vel ab omnium carnalium passionum nexibus absoluta, et illi uni summoque bono tenacissima adhæserit cordis intentio, Apostolicum illud implebit, *Sine intermissione orate* (*I Thess.* v). Et, *In omni loco levantes puras manus, sine ira et disceptatione* (*I Tim.* II) Hac enim puritate, si dici potest, sensu mentis absorpto ac de terreno situ ad spiritalem atque angelicam similitudinem reformato, quidquid in se receperit, quidquid tractaverit, quidquid egerit, purissima ac sincerissima erit oratio.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, ambitionem mundanam, ut Dionysius exposuit.

[b] Dæmonem in forma Æthiopis plerumque apparere solitum superius multis exemplis ostendimus (*Coll.* 2 c. 13), quibus alia plurima addi possent.

[c] Perperam hic et magna typographi oscitantia omissa fuit in priore nostra editione vocula, *non* (quod tamen vitium etiam in nonnullis antiquioribus exemplaribus deprehendit Cuychius, ut in ejus notis castigatoriis videre est), qua sublata consequens est sensum reddi omnino contrarium, nec minus a veritate quam a mente Auctoris alienum, ut patet attendenti. Sensus enim verus est, quem Dionysius Carthus, sua paraphrasi vel potius clariore syntaxi, et ordinata verborum serie, seu constructione, ut vocant, elucidavit hunc in modum: *Abstinentia, seu cessatio ab illis negotiis quæ exercere non possumus, etiamsi velimus, et despectio rerum illarum quarum appetitio faceret nos prima fronte reprehensibiles tam apud spirituales viros quam apud sæculares homines, non satis ostendunt vitium sæcularis ambitionis nostris mentibus non inesse: sed dum etiam rigida mentis districtione respuimus illa quæ nostræ suppetunt potestati, et cum quadam honestate videntur posse haberi.* Sic Dionysius. Cui optime consonat harum Collationum Gallica * versio a Joanne Lavardino edita una cum annotationibus Dom. Cuychii Gallice itidem translatis, nulla tamen ejus, ut primi Auctoris facta mentione. Sic igitur ille hunc locum proprio idiomate reddidit: *Pour ceste cause non-seulement l'abstinence, ou delay de ces negoces, que nous ne pouvons exercer, ores que nous le voulions; ne le mespris, et reiet de ces choses, lesquelles si nous affectons, et convoitons, nous rendent soudain reprehensibles tant en la presence des hommes spirituels, que seculiers, ne monstrent pas assez suffisamment, que le peché de l'ambition seculiere ne repose point dedans noz esprits: mais bien, quand avec une estroitte rigueur de nostre ame, nous reiettons tout ce qui est subz nostre puissance, et qui semble pouvoir estre retenu, ou possede avec quelque honnesteté.* Hactenus Gallicus interpres. Manifestum autem est nostrum collatorem hic respicere postrema illa verba præcedentis cap., quibus vitium ambitionis in quibusdam monachis ita perstrinxerat: *Cumque unius sive duarum habitatio sufficiat cellularum, ambitione sæculari atque amplitudine delectati, quatuor seu quinque cellas, et has easdem exquisitius ornatas, et capaciores quam usus desiderat, exstruamus, passionem libidinis mundialis, in quibus possumus, præferentes.* Cui vitio ambitionis seu libidinis mundialis ostendit modo subjacere non solum qui sibi impossibilia, aut a suo statu et conditione aliena sectantur, aut qui nova, insolita, aut singularia, vel quoquo modo illicita et prohibita affectant et concupiscunt; sed et qui superflua et curiosa appetunt, puta plures cellulas, vel ornatiores vel capaciores quam necessitas requirat, etiamsi eorum subsint potestati, et honesto aliquo prætextu videantur posse excusari.

* Hujus tamen versionis non meminit Possevinus in apparatu inter oper. Lavardini.

CAPUT VII.

Utrum majoris difficultatis sit custodire cogitationes bonas, quam parare?

Germanus : Utinam simili modo atque [a] eadem facilitate qua semina spiritalium cogitationum plerumque concipimus, etiam perpetuitatem earum possidere possemus. Cum enim fuerint sive per memoriam Scripturarum, seu per recordationem spiritalium quorumque actuum, vel certe per intuitum Sacramentorum cœlestium nostro corde conceptæ, insensibili quadam fuga lapsæ quantocius evanescunt. Cumque alias quaslibet occasiones spiritalium sensuum mens nostra repererit, rursus aliis irrepentibus, ipsæ quoque quæ apprehensæ fuerant, lubrica volubilitate diffugiunt, ita ut nullam constantiam sui retinens animus, nec potestate propria sanctarum cogitationum possidens firmitatem, etiam tunc cum eas videtur utcumque retinere, fortuito illas, et non de industria, concepisse credatur. Quomodo enim ortus earum nostro arbitrio putabitur ascribendus, quarum perseverantia non consistit in nobis ? Sed ne forte sub hujus quæstionis indagine a cœpto narrationis ordine longius evagantes expositionem propositam super orationis statu diutius retardemus, suo hanc tempori reservantes, de qualitate orationis instantissime quæsumus informari, præsertim cum nullo tempore nos ab ea cessare beatus Apostolus moneat dicens : *Sine intermissione orate* (I *Thess.* v). Et ideo primum de qualitate ejus desideramus institui, id est, qualis debeat emitti semper oratio ; deinde qualiter hanc eamdem, quæcumque est, possidere vel exercere sine intermissione possimus. Non enim parva cordis intentione eam perfici posse, et experientia quotidiana, et prosecutio tuæ sanctitatis ostendit, qui finem monachi ac totius perfectionis culmen in orationis consummatione consistere definisti.

CAPUT VIII.

Responsio de diversis orationum qualitatibus.

Isaac : Universas orationum species absque ingenti cordis contritione atque animi puritate, et illuminatione sancti Spiritus, arbitror comprehendi non posse. Tot enim sunt quot in anima una, imo in cunctis animabus, status queunt qualitatesque generari. Et ideo licet sciamus nos pro hebetudine cordis nostri universas orationum species non posse perspicere, tamen in quantum mediocritas experientiæ nostræ assequi prævaluerit, digerere eas utcumque tentabimus. [b] Secundum mensuram namque puritatis in qua mens unaquæque proficit, et qualitatem status in quo vel ex accidentibus inclinatur, vel per suam renovatur industriam, ipsa quoque momentis singulis reformatur, et idcirco uniformes orationes emitti semper a nemine posse certissimum est. Aliter enim quisque supplicat cum alacer est, aliter cum tristitiæ seu desperationis pondere prægravatur, aliter cum spiritalibus successibus viget, aliter cum impugnationum mole deprimitur, aliter cum veniam peccatorum, aliter cum acquisitionem gratiæ seu cujuslibet virtutis exposcit, vel certe exstinctionem cujuslibet vitii deprecatur, aliter cum consideratione gehennæ ac futuri judicii timore compungitur, aliter cum spe futurorum bonorum desiderioque inflammatur, aliter cum in necessitatibus ac periculis, aliter cum in securitate ac tranquillitate versatur, aliter cum sacramentorum cœlestium revelationibus illustratur, aliter cum sterilitate virtutum ac sensuum ariditate constringitur.

CAPUT IX.

De quadripartita orationum specie.

Et idcirco his super orationum qualitate digestis, licet non quantum exposcit materiæ magnitudo, sed quantum vel temporis admittit angustia, vel certe capere tenuitas ingenii nostri, et cordis prævalet hebetudo, major nobis nunc imminet difficultas, ut ipsas sigillatim orationum species exponamus, quas Apostolus quadripartita ratione distinxit, *ita dicens* : *Deprecor itaque primo omnium fieri obtestationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones* (I *Tim.* II). Quæ [c] non inaniter ab Apostolo ita fuisse divisa

[a] Hujus rei insigne exemplum observare potes in D. Augustino, toto præsertim libro octavo suarum Confessionum, quo initium suæ conversionis describit : et confer hunc locum cum cap. 17 et 18 primæ collationis, ubi de cogitationum nobilitate et mentis instabilitate agitur.

[b] Variatur oratio pro varia dispositione orantis. Et hæc prima partitio orationis, eaque indefinita, ex parte subjecti.

[c] Verba Apostoli in priore ad Timotheum cap. II : *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones*, etc. Quibus similia sunt illa ad Philipp. v : *In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.* Quibus verbis censetur Apostolus voluisse distinguere velut quatuor genera, sive species orationis. Ubi primo notandum de tribus primis vocibus quosdam existimare eas esse synonymas, et ab Apostolo simul adhibitas et congestas ad majorem emphasim et monitionis energiam. Proinde noluisse Apostolum per has voces partitionem aliquam indicare, sed rem eamdem pluribus vocibus synonymis inculcare. Ita Theophylactus post Chrysostomum. Verum communior et probabilior est aliorum Patrum sententia, diversas orationum species his vocibus ab Apostolo designatas (ut docet hic abbas), quæ etiam in Græco textu distinguuntur. Nam primo loco ponitur δεήσεις, secundo προσευχάς, tertio ἐντεύξεις. Secundo, quoniam hæc partitio et distinctio subobscura apparet, videndum breviter quid Patres de ea scriptum reliquerint. Igitur S. Hilarius scribens in psalmum CXL : *Quatuor*, inquit *Lib.* I *de Bonis Operib. in partic. c.* 2, *genera orationum Apostolus esse significat ad Timotheum scribens. Ergo ergo primo omnium fieri precationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Humilitatis nostræ est deprecari, magnificentiæ Dei est orare, fidei est postulare, confessionis et laudis est gratulari.* S. Ambrosius lib. VI de Sacramentis cap. V : *Inchoari*, inquit, *oratio debet a Dei laude; sequitur deinde obsecratio, sicut Apostolus docuit dicens : Obsecro primum fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Primo ergo orationi laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem.* Ubi primo loco ponit orationem, quam vocat laudem Dei. S. Augustinus epist. 59 ad Paulinum late de his vocibus

minime dubitandum est. Et primitus indagandum A quid obsecratione, quid oratione, quid postulatione, quid gratiarum actione signetur : deinde perquirendum utrum hæ quatuor species ab orante sint pariter assumendæ, id est, ut omnes simul in unaquaque supplicatione jungantur ; an vicissim sigillatimque sint offerendæ, ut puta nunc quidem obsecrationes, nunc vero orationes, nunc autem postulationes seu gratiarum actiones oporteat promi; an certe alius quidem obsecrationes, alius gratiarum actio Deo debeat exhibere, secundum mensuram, scilicet ætatis suæ, in qua unaquæque mens per intentionis proficit industriam.

CAPUT X.

De ordine specierum orationis.

Et idcirco primum proprietates ipsæ sunt nominum verborumque tractandæ, ac discutiendum quid inter orationem et obsecrationem ac postulationem intersit. Deinde similiter perscrutandum [a] utrum sigillatim sint, an pariter exhibendæ. Tertio indagandum utrum etiam ipse ordo qui ita est Apostoli auctoritate dispositus aliquid amplius instruat auditorem, an simpliciter accipienda sit ista distinctio, et indifferenter putanda sit ab illo taliter fuisse digesta, quod mihi satis videtur absurdum. Non enim credendum est aliquid transitorie ac sine ratione Spi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

disserit, et totum hunc locum refert ad liturgiam et B sacrificium Missæ, et *Obsecrationes quidem* ait *pertinere ad preces, quæ fiunt in Missa ante consecrationem; orationes vero cum benedicitur et consecratur hostia, et ad distribuendum comminuitur*, hoc est, a consecratione usque ad communionem. *Postulationes autem* dicit *esse preces quibus populus benedicitur. Tunc enim*, inquit, *Antistites* (id est, episcopi vel pastores) *velut advocati, susceptos suos* (id est, populum sibi commissum) *misericordissimæ offerunt pietati. Quibus peractis, et participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.* Cassianus, sive abbas Isaac, in hac collatione satis fuse disputat de hac partitione, et hoc in summa docet, per obsecrationem intelligi orationem pro remissione peccatorum ; per orationem, vota quibus Deo aliquid offerimus ; per postulationem, sive interpellationem, preces quas pro aliorum salute fundimus ; per gratiarum actionem, laudes Dei pro acceptis beneficiis. S. Bernardus in serm. de Quatuor Modis orandi (*Tomo* I *inter ser. de Diversis*), per obsecrationem intelligit orationem peccatoris pœnitentiam inchoantis, qui intercessores adhibet, nondum audens per se ad Deum accedere ; per orationem vero preces pœnitentis, qui per se a Deo postulat indulgentiam ; per postulationem orationem justi, qui petit regnum cœlorum et alia necessaria sd salutem ; per gratiarum actionem, orationem viri perfecti, qui se certo confidit exauditum. Sed satius videtur ipsum suis verbis audire ratiocinantem : *Sunt*, inquit, *quos adhuc peccati conscientia terret et cruciat, nondum accepta resistendi virtute, tum scilicet, cum primum ipsos in peccatorum cœno jacentes Spiritus veritatis irradiat, et excitans erubescere facit, et timere Deum, dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem, et velut ardentem coram se gehennam, exhorrescentes, quoniam in seipsis boni nil inveniunt, aliunde apprehendunt unde tegantur. Quia ergo timent, et merito timent per seipsos accedere, student quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus, quo solemus dicere : Sancte Petre, ora pro nobis, et similia. At vero jam continendi virtute accepta, securus accedit, qui sibi conscius fuerit, pro delictis præteritis veniam quærens, et oratione utens, quæ cunctis nostri est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo. Hinc illud est quod Maria Magdalena, quamquam non minus humilis hæmorrhoissa illa* (Luc. VII), *non sic tamen veretur accedere, sed rigat lacrymis pedes, capillis tergit, ungit unguento, osculatur ore devoto* (Luc. VIII) : *unde satis liquet quod jam proposuerat in corde suo a peccato deinceps abstinere et quasi profluvium stabat. Quod si jam consecutus es tu, primum est ut ipsi Domino in oratione loquens recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Deinde postquam in lamentis pœnitentiæ aliquamdiu perseveraris, hilaritatem quamdam et fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad postulationes, ut securus, tamquam receptus in gratiam Domini, tibi et conservis tuis audeas petere quod oportet. Porro ad quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, perpaucos attingere credo : et quo rarius, eo pretiosius est. Multam enim prorsus gratiam inveniet apud Deum, quem, juxta promissionem suam, exaudit antequam invocetur, et testimonium reddit spiritui ejus spiritus quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium ejus, ita ut certus jam non orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resuscitatione, ubi Dominus, licet prius nihil orasset : Pater, inquit, gratias ago tibi, quia audisti me* (Joan. VIII). *Prima igitur, id est, obsecratio verecundo fiat affectu. Secunda, quam proprie diximus orationem, affectu puro, ut videlicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus ; scientes quod sic quisque invenit gratiam apud Deum, si inventus fuerit durus judex in semetipsum. Tertia, id est, postulatio, amplum quærit affectum, et fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est : Postulet autem in fide nihil hæsitans. Quarta, quæ est gratiarum actio, ipsa debet esse devotione plenissima et deliciis affluens.* Hucusque verba D. Bernardi, C multis intermediis vitandæ prolixitatis causa prætermissis. S. Thomas explicans hanc ipsam partitionem (2-2, *q.* 83, *a.* 1), scribit in omni oratione tria esse necessaria : primo, ut animus conjungatur cum Deo, quod fit per orationem, quæ est elevatio et ascensio mentis in Deum ; secundo, ut aliquid petatur a Deo, quod fit per postulationem ; tertio, ut proponatur ratio aliqua impetrandi quod petitur, et *hoc*, inquit, *vel ex parte Dei, vel ex parte petentis.* Et ratio quidem impetrandi ex parte Dei, prima et præcipua est ejus bonitas, propter quam petimus exaudiri, secundum illud Danielis IX : *Propter temetipsum, inclina, Deus meus, aurem tuam.* Altera ratio est meritum Christi, quod etiam proponitur per obsecrationem, quæ est persacra contestatio, ut cum dicimus : *Per nativitatem tuam libera nos, Domine.* Ratio vero impetrandi ex parte petentis est gratiarum actio ; quia de acceptis beneficiis gratias agentes meremur accipere potiora, ut in collecta dicitur. Explicat D deinde S. Thomas hæc omnia reperiri et observari in collecta de Sancta Trinitate. Nam cum dicimus : *Omnipotens sempiterne Deus*, oratio est ; cum addimus : *Qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere*, etc., gratiarum actio est ; cum adjungimus : *Tribue, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis*, postulatio est ; cum concludimus : *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc., obsecratio est. Subdit deinde S. Thomas ad hunc locum Cassiani spectans : *In collationibus autem Patrum dicitur quod obsecratio est imploratio pro peccatis, oratio cum aliquid Deo vovemus, postulatio cum pro aliis petimus. Sed primum melius.* Sic ipse.

[a] Id est, an in omni oratione concurrant et requirantur quatuor istæ conditiones seu partes orationis ; an vero separatim reperiantur in diversis scilicet orationis speciebus vel partibus ; cui quæstioni respondetur infra cap. 15.

ritum sanctum per Apostolum protulisse. Et idcirco eodem quo cœpimus ordine, prout Dominus donaverit, singula retractemus.

CAPUT XI.

De obsecratione.

Deprecor itaque primo omnium fieri obsecrationes (I *Tim.* II). [a] Obsecratio est imploratio seu petitio pro peccatis, qua vel pro præsentibus vel præteritis admissis suis unusquisque compunctus veniam deprecatur.

CAPUT XII.

De oratione.

Orationes sunt quibus aliquid offerimus seu vovemus Deo, [b] quod Græce dicitur εὐχή, id est votum. Nam ubi dicitur in Græco τὰς εὐχάς μου τῷ Κυρίῳ ἀποδώσω, in Latino legitur : *Vota mea Domino reddam* (*Psalm.* CXV), quod secundum proprietatem verbi ita exprimi potest : orationes meas Domino reddam. Illud quod legimus in Ecclesiaste, *Si roveris votum Deo, ne moram feceris reddere illud* (*Eccles.* V), in Græco simpliciter scribitur Ἐὰν εὔξῃ εὐχὴν Κυρίῳ, id est, [c] *Si oraveris orationem Domino, ne moram feceris reddere illam*. Quod ita ab unoquoque nostrum implebitur. Oramus, cum renuntiantes huic mundo spondemus nos mortificatos cunctis actibus et conversationi mundanæ, tota cordis intentione Domino servituros. Oramus cum promittimus, sæculari honore contempto ac terrenis opibus spretis, in omni contritione cordis ac paupertate spiritus nos Domino cohæsuros. Oramus cum pollicemur

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Augustinus loco supra citato (*Epist.* 59), pro obsecratione legit deprecationem, quam et a precibus sive precationibus ita distinguit : *Precationem*, inquit *et deprecationem multi idem putant, et hoc quotidiano usu omnino prævaluit. Qui autem distinctius Latine locuti sunt, precationibus utebantur in optandis bonis, deprecationibus vero in devitandis malis ; precari enim dicebant esse precando bona optare ; imprecari mala, quod vulgo jam dicitur maledicere ; deprecari autem precando depellere.*

[b] Videtur Cassianus legisse apud Apostolum εὐχάς; cum tamen in Græco textu qui nunc habetur non legatur εὐχάς, sed προσευχάς, id est orationes. Quam lectionem etiam D. Augustinus ita probat et confirmat (*Ubi supra*), ut contrariam Cassiani lectionem refutet his verbis : *Orationes quas Græcus habet* προσευχάς, *distinguere a precibus vel precationibus omnino difficile est. Quod vero quidam codices non habent orationes, sed adorationes, quia non dictum est in Græco* εὐχάς, *sed* προσευχάς, *non arbitror scienter interpretatum ;* προσευχάς, *enim orationes dici a Græcis notissimum est. Et utique aliud est orare, aliud adorare.* Et infra, eamdem distinctionem clarius explicans : *Nam eam*, inquit, *quam dicunt* εὐχήν, *raro ita Scriptura ponit, ut intelligatur oratio, sed plerumque et multo usitatius votum appellat* εὐχήν ; προσευχήν *vero, quod verbum ita positum est, unde tractamus, semper orationem vocat. Unde hanc verbi originem, sicut superius dixi, nonnulli erudite intuentes* προσευχήν *non orationem, sed adorationem dicere voluerunt, quæ potius* προσκύνησις *dicitur. Sed quia oratio interdum dicitur, quæ vocatur* εὐχὴ *adoratio putata est* προσευχή. *Porro si usitatius, ut dixi, in Scripturis votum appellatur* εὐχή, *excepto nomine generali Orationis, ea proprie intelligenda est oratio quam facimus ad votum, id est,* πρὸς εὐχήν. *Vorentur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio.* Hactenus sanctus Augustinus. In eamdem fere sententiam Gregorius Nyssenus utriusque vocabuli vim ac differentiam explicat his verbis (*Orat.* 2 *de oratione Domin. Matth.* VI) : *Cum oratis*, inquit, *non dixit,* ὅταν, εὔξησθε, *id est, cum vota facitis, sed* ὅταν προσεύξησθε, *cum oratis : quasi id quod ad votum pertinet officium jam ante præstitum esse conveniat, priusquam per orationem Deus adeatur. Sed quænam est horum nominum, quod ad significationem attinet differentia ? εὐχή, id est, votum, quidem promissio est alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicetur, et sacris destinetur ;* προσευχή *autem, id est, oratio, est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur. Quoniam igitur fiducia nobis, ut libere loquamur, opus est cum supplicaturi pro commodis nostris ad Deum accedimus, necessario quod ad votum pertinet, officium præcedet, ut eo quod a nobis præstari debebat officio functi, ita deinceps confidenter invicem a Deo beneficium petamus. Quamobrem Propheta : Vota mea, inquit, persolvam tibi, quæ labia mea nuncupaverunt* (*Psal.* LXV). *Et, Vota facite, ac persolvite Domino Deo vestro* (*Psal.* XLVI). *Et paulo post : Docet igitur nos Verbum, ne prius aliquid petamus a Deo, quam aliquod ei munus acceptum et gratum obtulerimus. Vovere enim prius oportet, deinde orare ; perinde ac si quis dicat sementem prius fieri, quam fructus percipi oportere. Ergo voti semina prius dejicere, atque ita ex dejectis seminibus adultas jam atque maturas fruges percipere oportet, per orationem remunerationem accipiendo. Proinde quasi colloquium cum fiducia fieri non possit, nisi per præcedens aliquod votum et donum aditus factus sit, necessario votum orationem præcedet.* Hæc Gregorius Nyssenus. Ex quibus intelligimus ideo orationem, qua boni aliquid petimus, dici προσευχήν, quoniam votum dicitur εὐχή, et illi cum fiducia petunt a Deo bona, qui illi antea boni aliquid devoverunt. Ne quid vero circa hunc locum ab aliis annotatum lectorem prætereat, quod superius cœpi (*Col.* 8 *c.* 17), etiam hic ascribendam duxi Petri Maturi annotationem præmissis consentaneam, quod et in aliis locis sequentibus facturus sum. Sic enim ipse in notis ad S. Antoninum (*Tit.* 15, *c.* 2, § 8) : vox Græca εὐχή, quam orationem Cassianus est interpretatus, tam apud profanos quam sacros scriptores votum Latine sonat. Nam ut nihil ex auctoribus externis producam, id ex his sacræ Scripturæ locis perspicitur : Gen. XXVIII : Καὶ ηὔξατο Ἰακὼβ εὐχὴν λέγων id est : *Et vovit Jacob votum dicens.* Et XXXI : Καὶ ηὔξω μοι εὐχήν id est, *Votum vovisti mihi.* Et Levit. VII : καὶ ἐὰν εὐχὴ ᾖ ἢ ἑκούσιον θυσιάζῃ τὸ δῶρον αὐτοῦ id est, *Et si votum fuerit, vel voluntarium sacrificaverit donum suum.* Et alias passim. Orationem igitur pro voto usurpans, aperte ostendit monachos votis tribus, quibus hodie religiosi sunt astricti, illo jam sæculo fuisse obligatos, et obedientiæ in primis, cum orabant seu vovebant se mortificatos cunctis actibus sæculi tota cordis intentione Domino servituros ; paupertatis vero, cum spretis omnibus opibus se in contritione cordis et paupertate spiritus Domino cohæsuros spondebant ; castitatis denique votum nuncupasse se aperte produnt, cum se purissimam corporis castitatem, et immobilem animi patientiam exhibituros promittebant. Quare quod ut novi quidam monachorum insectatores tradunt, veteres illi religiosæ vitæ duces et sequaces non ita liberi in hoc vitæ statu erant, ut eis integrum esset, quotiescumque vellent, a suo proposito recedere. Hæc ipse.

[c] Εὐχὴν orationem interpretatur Abbas ; sed id non ex mente et sententia SS. Augustini et Gregorii, ut modo visum est. D. autem Hieronymus ex LXX vertit : *Si quid voristi Deo, ne moreris reddere.* Quæ et vulgata est lectio.

nos purissimam corporis castitatem seu immobilem patientiam exhibituros esse perpetuo, vel cum de corde nostro radices iræ sive tristitiæ mortem operantis vovemus funditus eruendas, quæ cum desidia resoluti atque ad antiqua vitia recurrentes, minime fecerimus, erimus orationum nostrarum ac votorum rei, diceturque nobis : *Melius est non vovere, quam vovere, et non reddere* (*Eccl.* v). Quod secundum Græcum dici potest : [a] *Melius est non orare, quam orare et non reddere.*

CAPUT XIII.

De postulatione.

[b] Tertio loco ponuntur postulationes, quas pro aliis quoque, dum sumus in fervore spiritus constituti, solemus emittere ; vel pro charis scilicet nostris, vel pro totius mundi pace poscentes, et, ut ipsius Apostoli verbis eloquar, cum *pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt* (I *Tim.* II), supplicamus.

CAPUT XIV.

De gratiarum actione.

[c] Quarto deinde loco gratiarum actiones ponuntur, quas mens, vel cum præterita Dei recolit beneficia, vel cum præsentia contemplatur, seu cum in futurum quæ et quanta præparaverit Deus his qui diligunt eum prospicit, per ineffabiles excessus Deo refert. Qua etiam intentione nonnumquam preces ulteriores emitti solent, dum illa quæ reposita sunt in futuro sanctorum præmia purissimis oculis intuendo, ineffabiles Deo gratias cum immenso gaudio spiritus noster instigatur effundere.

CAPUT XV.

Utrum quatuor orationum species simul et omnibus, an sigillatim et vicissim unicuique sint necessariæ.

Ex quibus quatuor speciebus licet nonnumquam soleant occasiones [d] supplicationum pinguium generari, nam et de obsecrationis specie, quæ de compunctione nascitur peccatorum, et de orationis statu, quæ de fiducia oblationum et consummatione votorum pro conscientiæ profluit puritate, et de postulatione, quæ de charitatis ardore procedit, et de gratiarum actione, quæ beneficiorum Dei et magnitudinis ac pietatis ejus consideratione generatur, ferventissimas sæpissime novimus preces ignitasque prodire, ita ut constet omnes has quas prædiximus species, omnibus utiles ac necessarias inveniri, ut in uno eodemque viro nunc quidem obsecrationum, nunc autem orationum, nunc postulationum, puras ac ferventissimas supplicationes variatus emittat affectus ; tamen prima ad incipientes videtur peculiarius pertinere, qui adhuc vitiorum suorum aculeis ac memoria remordentur, secunda ad illos qui in profectu jam spirituali appetituque virtutum quadam mentis sublimitate consistunt, tertia ad eos qui perfectionem votorum suorum operibus adimplentes intercedere pro aliis quoque consideratione fragilitatis eorum et charitatis studio provocantur, quarta ad illos qui jam pœnali conscientiæ spina de corditibus evulsa securi jam munificentias Domini ac miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel in præsenti largitur, vel præparat in futuro, mente purissima tractantes, ad illam ignitam, et quæ ore hominum nec comprehendi nec exprimi potest, orationem [*Al.* exstasim] ferventissimo corde raptantur. Nonnumquam tamen mens quæ in illum verum puritatis proficit affectum, atque in eo jam cœperit radicari, solet hæc omnia simul pariterque concipiens, atque in modum cujusdam incomprehensibilis ac rapacissimæ flammæ cuncta pervolitans ineffabiles ad Deum preces purissimi vigoris effundere, quas ipse Spiritus interpellans gemitibus inenarrabilibus, ignorantibus nobis, emittit ad Deum, tanta scilicet illius horæ momento concipiens, et ineffabiliter in supplicatione profundens, quanta non dicam ore percurrere, sed ne ipsa quidem mente valeat alio tempore recordari. Et quod in qualibet mensura quis positus, nonnumquam puras intentasque preces invenitur emittere, quia et de illo primo et humili ordine qui est super recordatione futuri judicii, is qui adhuc sub terroris pœna ac metu examinis constitutus est, ita ad horam compungitur, ut non minore spiritus alacritate de obsecrationis pinguedine repleatur, quam ille qui per puritatem cordis sui munificentias Dei perlustrans atque percurrens, ineffabili gaudio lætitiaque resolvitur ; incipit enim secundum sententiam Domini plus diligere, quia sibimet ampliora cognoscit indulta.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] At D. Hieronymus vertit : *Multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Vel ex Hebræo : *Melius est non vovere, quam vovere et non reddere.*

[b] D. Augustinus legit interpellationes, Paulino ita rescribens (*Epist.* 59) : *Pro interpellationibus autem, quod nostri habent, secundum codices, credo, vestros, postulationes posuisti. Hæc interim duo, id est, quod alii postulationes, alii interpellationes interpretati sunt, unum verbum transferre voluerunt, quod Græcus habet* ἐντεύξεις. *Et profecto advertis. Sed nosti aliud esse interpellare, aliud postulare. Non enim solemus dicere, postulant interpellaturi, sed Interpellant postulaturi. Verumtamen ex vicinitate verbum usurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est velut censoria notatione culpandum. Nam et de ipso Domino Jesu Christo dictum est quod interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII). *Numquid interpellat, et non etiam postulat? Immo vero quia postulat, pro eo positum est, interpellat,* etc.

[c] Græce εὐχαριστία a verbo εὐχαριστέω, quod tam sacris quam profanis auctoribus gratias agere significat. Unde Sacramentum altaris eucharistia dicitur, alias Sacramentum gratiarum actionis ; quod per ejus oblationem et sumptionem Deo gratias agamus pro universis ejus erga nos beneficiis, atque in primis pro hoc ipso Sacramenta ejusque fructu.

[d] Id est, devotarum orationum, quas infra vocat ferventissimas preces ignitasque. Respicit autem illud psalmi LXII : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum.* Ubi scite Genebrardus : *Adeps, et pinguedo, symbola gratiæ et consolationum divinarum. Gratia tua satietur anima mea, et tunc te lætis labiis os meum celebrabit : Gratia Dei pinguissimus pastus animorum ; consolatio, delicatissimus.*

CAPUT XVI.

Gradatim ad has orationum species contendendum esse.

Tamen expetendæ sunt nobis per profectum vitæ consummationemque virtutum illæ potius supplicationum species, quæ vel de contemplatione futurorum bonorum, vel de charitatis ardore funduntur; seu certe, ut humilius et secundum incipientium mensuram loquar, pro acquisitione quarumcumque virtutum seu vitii cujuslibet exstinctione generantur. Aliter enim ad illa sublimiora quæ prædiximus supplicationum genera pervenire nullatenus poterimus, nisi per ordinem postulationum istarum sensim mens nostra fuerit gradatimque provecta.

CAPUT XVII.

Christum hisce quatuor supplicationum generibus usum fuisse.

Has quatuor supplicationum species ita etiam Dominus exemplo suo nobis [a] initiare dignatus est, ut in hoc quoque impleret illud quod de ipso dicitur : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Actor.* I). Nam obsecrationis genus assumit cum dicit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI). Vel illud quod ex persona ejus cantatur in Psalmis : *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti* (*Psal.* XXI)? aliaque his similia. Oratio est, cum dicit : *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem* (*Joan.* XVII). Sive illud : *Et pro eis sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati, in veritate* (*Ibid.*). Postulatio est, cum dicit : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ibi ego sum, et ipsi sint mecum, ut videant gloriam meam quam dedisti mihi* (*Ibid.*). Vel certe cum dicit : *Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Gratiarum actio est cum dicit : *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis : ita Pater, quia sic fuit placitum ante te* (*Matth.* XI). Vel certe cum dicit : *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam quia semper me audis* (*Joan.* XI). Quæ tamen quatuor supplicationum genera licet sigillatim ac diverso tempore, secundum illum quem comprehendimus modum, idem Dominus noster distinxerit offerenda, tamen etiam simul ea in supplicatione perfecta comprehendi posse identidem suis ostendit exemplis, per illam scilicet orationem quam ad finem Evangelii secundum Joannem legimus eum copiosissime profudisse. Ex cujus textu quia longum est universa percurrere, diligens inquisitor hæc ita esse lectionis ipsius serie poterit edoceri. Quem sensum Apostolus quoque in Espistola ad Philippenses has quatuor supplicationum species aliquantum immutato ponens ordine, evidenter expressit, ostenditque debere eas nonnumquam sub ardore unius supplicationis offerri, ita dicens : [b] *Sed in omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum* (*Philipp.* IV) : per quod voluit nos in hoc specialius erudire, quod et in oratione et obsecratione gratiarum actio debeat cum postulatione misceri.

CAPUT XVIII.

De oratione Dominica.

Hæc itaque supplicationum genera sublimior adhuc status ac præcelsior subsequitur, qui contemplatione Dei solius et charitatis ardore formatur, per quam mens in illius dilectionem resoluta atque rejecta familiarissime Deo, velut patri proprio, peculiari pietate colloquitur. Quem statum debere nos diligenter expetere, [c] formula Dominicæ orationis insti-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De hac voce vide annotatum infra ad cap. 25 hujus Collationis.

[b] Est hic advertendum, quod obsecratio, oratio et gratiarum actio, iisdem vocibus Græce exprimuntur, quibus in Epistola ad Timotheum, ubi supra; solum nomen postulationis variatur. Non enim est ἐντεύξεις, sed αἰτήματα, quod proprie petitionem vel postulationem significat; quo indicio videtur Apostolus voluisse explicare hoc in loco quod dixerat in alio, nempe ἐντεύξεις melius intelligi postulationes quam interpellationes, ut observavit card. Bellarminus.

[c] Postulare videtur hic locus et dignitas argumenti, orationis scilicet Dominicæ, cujus explicationem aggreditur Auctor, ut nonnulla veterum Patrum et scriptorum elogia hic annotemus, quibus eam omnibus aliis orationibus, seu orandi formulis, præstare testantur : 1° auctoritate, 2° brevitate, 3° perfectione, 4° ordine, 5° utilitate seu efficacia, et denique necessitate. 1° Auctoritate, quia Christus ipse eam et composuit, et ore suo sacrosancto tradidit et docuit, unde et oratio Dominica vocatur. Tertullianus lib. de Oratione : *Quid mirum : Deus solus docere potuit ut se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis; et de spiritu ipsius jam tunc, cum ex ore divino ferretur animata, suo privilegio ascendit in cœlum, commendans Patri quæ Filius docuit.* Item Cyprianus peculiari libro de hac oratione edito : *Qui enim fecit vivere, docuit et orare : ut tam prece et oratione quam Filius docuit apud Patrem loquimur, facilius exaudiamur.* 2° Brevitate etiam præstat : nam, ut idem Cyprianus monet, *Ipsa est oratio quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit. Quod per Isaiam prophetam prædictum fuit, cum plenus Spiritu sancto de Dei majestate ac pietate loqueretur : Verbum consummans, inquit, et brevians in justitia, quoniam sermonem breviatum faciet Deus toto orbe terræ* (*Isa.* X). Et S. Augustinus de Verbis Domini, serm. 28 : *Vides quam brevis oratio, et omnium plena virtutum.* Et serm. 182 de Tempore : *Hæc oratio compendiosis verbis, septem petitionibus, omnes species orationis comprehendit. Christus breviter orare docuit, qui cito vult postulata præstare.* Alexander de Ales IV part. q. 37 : *Hac brevitate*, inquit, *facilius scitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit orantem, cito exaudiri innuit; plus affectu quam ore orandum esse insinuat, ignorantem incusat.* 3° Perfectione præstantior est : quia omnia continet quæ a Deo petere debemus. Et, ut Tertullianus loquitur (*Ubi supra*), *non tantum propria orationis officia complexa est, reverationem Dei, aut hominis petitionem, sed omnem pene sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinæ : ut revera in hac oratione breviarium totius Evangelii comprehendatur.* Et Tertullianum imitatus D. Cyprianus : *Qualia sunt*, inquit (*Ubi supra*), *fratres charissimi, orationis Dominicæ Sacramenta, quam multa, quam magna breviter in sermone collecta, sed virtute spiritualiter copiosa! ut nihil omnino prætermissum sit, quod non in precibus atque orationibus*

tuit, dicens, *Pater noster* (*Matth.* VI), qua universitatis Deum ac Dominum Patrem esse voce propria confitentes, de conditione servili [a] in adoptionem filiorum nos profitemur ascitos : adjicientes deinde, *qui es in cælis* (*Ibid.*), ut commemorationem vitæ præsentis qua in hac degimus terra, velut peregrinam, atque a nostro Patre nos longissime separantem toto horrore vitantes, ad illam potius regionem in qua Patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus, nihilque admittamus ejusmodi quod indignos nos hac nostra professione ac nobilitate tantæ adoptionis efficiens, et hæreditate paterna velut degeneres privet, et iram nos faciat justitiæ ejus ac severitatis incurrere. In quem filiorum ordinem gradumque provecti, illa continua quæ est in bonis filiis pietate flagrabimus, ut jam non pro nostris utilitatibus, sed pro nostri Patris gloria totum impendamus affectum, dicentes ei, *Sanctificetur nomen tuum* (*Ibid.*), nostrum desiderium, nostrum gaudium, gloriam nostri Patris esse testantes, imitatores effecti illius qui dixit, *Qui a semetipso loquitur, gloriam propria quærit; qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in eo non est* (*Joan.* VII). Denique Vas electionis hoc repletus affectu, etiam [b] anathema fieri optat a Christo, dummodo ei familia multiplex acquiratur, et ad gloriam sui Patris salus totius Israeliticæ plebis accrescat. Securus enim optat interiret pro Christo, qui novit neminem mori posse pro vita (*Rom.* IX). Et iterum, *Gaudemus*, inquit, *quando nos infirmi sumus, vos autem potentes estis* (II *Cor.* XIII). Et quid mirum, si Vas electionis pro Christi gloria et fratrum suorum conversione, gentisque privilegio anathema fieri optat a Christo, [c] cum Michæas quoque propheta

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nostris cœlestis doctrinæ compendio comprehendatur. Denique S. Augustinus epist. 121 ad Probam (*Cap.* 12) : *Si per omnia*, ait, *sanctarum precationum verba discurras quantum existimo, nihil invenies quod non ista Dominica contineat et concludat oratio.* Et rursum : *Quamlibet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quam in ista Dominica oratione positum est, si recte et congruenter oramus.* 4° Ordine præstat : quia, ut ait sanctus Thomas, *in oratione Dominica non solum petuntur omnia quæ recte desiderare possumus, sed etiam eo ordine quo desiderauda sunt* (2-2, *q.* 83, *art.* 9). Primo enim petuntur, quæ ad Dei gloriam, deinde quæ ad nostram salutem pertinent ; et in iis primum æterna, deinde temporalia. Efficacitate etiam, seu utilitate præstat : *Agnoscit enim Pater verba Filii cum precem fundimus*, ait Cyprianus. *Et cum habeamus apud Patrem Advocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, Advocati nostri verba promimus. Nam cum dicat : Quia quodcumque petieritis in nomine meo, dabit vobis, quanto efficacius impetramus, quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione?* S. Augustinus homil. 42 inter 50 : *Spem habemus obtinendæ causæ nostræ, quando talis Jurisperitus nobis preces dictavit, qui sedet ad dexteram Patris. Ipse est Advocatus noster, qui venturus est Judex noster* (*Bellarm. lib.* I *de Bon. Oper. cap.* IV, *Durantus lib.* II *de Ritibus Eccles. cap.* 46). Postremo excellit etiam hæc oratio necessitate. Eam enim omnes Christiani, scire et frequenter dicere debent. S. Clemens lib. VII Constit. Apostolicarum (*Cap.* 25) monet Christianos, ut eam ter in die recitent. In concilio Toletano IV can. 9 jubentur presbyteri ac cæteri clerici orationem Dominicam, quia quotidiana oratio est, quotidie dicere. Denique in concilio Remensi cap. 2 : *Nulli Christiano licere orationem Dominicam aut non tenere memoriter, aut non intelligere, aut non frequentare.*

[a] Ita S. Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus et alii docent in oratione Dominica Deum vocari Patrem nostrum non solum ratione creationis, sed præcipue ratione adoptionis. Est enim hæc oratio propria Christianorum : siquidem Judæis ut servis, dictum est in monte Sina : *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti* (*Exod.* XX). Nos ut filii orare jubemur : *Pater noster qui es in cælis*, ut notat div. Augustinus lib. II de Serm. Domini in monte. Porrro cum omnes fere Patres nec non Evangeliorum interpretes orationem Dominicam disertissime et accuratissime exposuerint (*Bellarm. supra cap.* 6), supervacaneum arbitror quidquam iis addere, aut eorum scripta, quæ passim obvia sunt, hisce commentariis inserere, nisi quatenus ad textum explicandum necesse fuerit aliquid luminis ab eis mutuari.

[b] Quomodo Apostolus optarit anathema esse pro fratribus suis, id est, Israelitis, Moyses item deleri de libro vitæ, ut Judæis peccantibus ignosceretur, cum ordo charitatis postulet ut suam quisque magis optet et procuret salutem quam proximi, non uno modo a doctoribus explicatur. Nam div. Hieronymus in epistola ad Algasiam (*Epist.* 113), anathema hic accipit pro occisione corporali : *Quod enim*, inquit, *anathema interdum occisionem sonet, multis veteris Instrumenti testimoniis probari potest.* Verum hic commentarius Chrysostomo et aliis non probatur, et ei repugnare videtur quod sequitur, *a Christo*, quo videtur aliquid gravius significari morte corporali ; neminem enim quis dixerit pro fratribus mortuum, a Christo anathematizatum. Alii censent tam Apostolum quam Moysen hyperbolice ita locutum, ad suum in Judæos affectum et amorem exprimendum. Neque enim, qui paulo ante dixerat (*Cap.* VIII), *Certus sum quod nulla creatura poterit me separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu*, statim ab eo revera divelli optaret ; sed hyperbolicus sermo est, qualis et Moysis. Alii denique respondent Apostolum non optasse simpliciter anathema ; neque enim ait : Opto anathema esse pro fratribus, sed, optabam, vel, ut alii vertunt ex Græco, optarim ; ut tamquam in amoris exstasi et excessu constitutus dixerit : Si fieri posset, ac liceret, se pro suis cupere a Christo separari. Sed hic sensus fere cum præcedenti coincidit. Similiter et Moyses non simpliciter voluit deleri de libro vitæ : sed ut omnino impetraret quod petebat, petitioni suæ id disjunctive adjunxit, quod sciebat Deum non esse facturum. Itaque partim amoris impulsu, quo suis bene optabat, partim fiducia in Deum singulari, qua sibi bene persuadebat se non esse delendum de libro vitæ : ita est locutus, ut alterum quod suis poscebat, a Deo præstaretur ; velut si quis amico sibi charissimo dicat : Aut hoc præsta, aut amicitiæ renuntia.

[c] Non quod optaret propheta mentiri (id enim per se malum est et peccatum, et *Non sunt facienda mala ut eveniant bona* (*Rom.* III), sed optabat non evenire quod prædicebat, malens prophetico spiritu carere, quo nihil falsi prædicere poterat quam populi sui calamitatem et captivitatem revera consecuturam prævidere atque prædicere. Sic vulgo dicere solemus : Utinam mentiar! utinam sim falsus vates! Est enim hæc locutio proverbialis, qua quis indicat certo eventura quæ dicit, et ea se invitum dicere, et optare non esse tam certa ; non quod optet mentiri, sed quia quæ scit eventura vellet non ever

vellet se mendacem fieri, et ab inspiratione sancti Spiritus alienum, dummodo plagas illas et captivitatis exitia quæ sua vaticinatione prædixerat, plebs Judaicæ nationis evadat : *Utinam,* inquiens, *non essem vir habens spiritum, et mendacium potius loquerer* (*Michæ.* II). Ut prætermittamus illum legislatoris affectum, qui cum fratibus suis etiam perituris non renuit interire, dicens : *Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum magnum ; aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti* (*Exod.* XXXII). [a] Potest autem congrue satis illud quod dicitur, *sanctificetur nomen tuum,* etiam taliter accipi : Sanctificatio Dei nostra perfectio est. Itaque dicentes ei, *Sanctificetur nomen tuum,* aliis verbis hoc dicimus : Tales nos facito, Pater, ut sanctificationem tuam vel intelligere quanta sit, vel capere mereamur, vel certe, ut in nostra conversatione spiritali sanctus appareas. Quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando *vident homines opera nostra bona, et glorificant Patrem nostrum qui in cœlis est* (*Matth.* V).

CAPUT XIX.

De eo quod dicit, Adveniat regnum tuum.

[b] Secunda petitio mentis purissimæ advenire jam jamque regnum sui Patris exoptat, [c] vel illud scilicet quo quotidie Christus regnat in sanctis, quod ita fit cum diaboli imperio per exstinctionem fetentium vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari, et divicta fornicatione castitas, superato furore tranquillitas, calcata superbia humilitas, in nostra mente regnaverit : vel certe illud quod præstituto tempore omnibus est perfectis ac Dei filiis generaliter repromissum, in quo eis dicetur a Christo, *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* XXV), intentis illud quodammodo obtutibus ac defixis desideriis exspectans dicensque ad eum : *Veniat regnum tuum.* Novit enim testimonio conscientiæ suæ, cum apparuerit, mox ejus se futurum esse consortem. Hæc enim dicere vel optare criminosorum nullus audebit, quia nec videre tribunal judicis volet, quisquis sub adventu ejus non palmam nec præmia suis meritis, sed pœnam novit protinus repensandam.

CAPUT XX.

De eo quod dicit : Fiat voluntas tua.

Tertia [d] supplicatio filiorum est, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra.* Non potest esse jam major oratio, quam optare ut terrena mereantur cœlestibus coæquari. Nam quid est aliud dicere, *fiat voluntas*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Ita div. Hieronymus exponit, et verbis Apostoli itidem illustrat, quasi propheta diceret Judæis : *Non me putetis volentem loqui, et prædicare gaudentem quod venturum video : optarem et ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ. Utinam de meo sensu loquerer, et inter pseudoprophetas potius computatus solus perirem, et non essent vera quæ dico !* etc.

[a] Tres in hoc capite affert expositiones primæ illius petitionis : *sanctificetur nomen tuum.* Quarum prima refertur ad gloriam nominis Dei, quam petimus inclarescere, ampliari, et illustrari ad omnibus et apud omnes. De qua superius dicit : *Nostrum desiderium, nostrum gaudium, gloriam Patris esse testantes.* Quem sensum secutus div. Augustinus lib. II de Serm. Domini : *Non sic,* inquit, *petitur, sanctificetur nomen tuum, quasi non sit sanctum nomen Dei sed ut sanctum habeatur ab hominibus, id est, ita illis innotescat, ut non existiment aliquid sanctum, quod magis offendere timeant.* Altera expositio, ut sanctificetur in nobis, id est, sancti simus, vel in sanctitate perseveremus : quia, inquit *sanctificatio Dei nostra perfectio est.* Ita Tertullianus et S. Cyprianus. Verum hæc expositio minus probabilis apparet, quod secundum eam hæc petitio eadem videretur esse cum tertia, dicente Apostolo (I *Thess.* IV) : *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra.* Tertia expositio, ut ex nostra bona conversatione et bonis operibus sanctificetur et glorificetur nomen Dei ab omnibus, quod aliis verbis monuit Christus Matthæi V : *Sic lucent lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Petrus apostolus prioris Epist. cap II : *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis.* Hoc modo exponunt Cyrillus catechesi 5 et Chrysostomus in cap. IV Matthæi

[b] Vide Annotationem Cuychii ad cap. 19 collat. 9, sub finem operis.

[c] Ita nonnulli hanc petitionem exponunt de regno Dei, quod dicitur regnum gratiæ, quo Deus dicitur in cordibus ac mentibus justorum regnare per charitatem et gratiam, juxta illud Lucæ XVII : *Regnum Dei intra vos est* (*Ambr. lib.* V *de Sacram. c.* IV, *Rupert. in cap.* VI *Matth.*). Sed hanc expositionem improbat et multis rationibus confutat Bellarminus (*C.* 6, *supra*), sed ea præcipue, quod regnum gratiæ non sit aliud quam obedientia et observatio legis Dei, seu exsecutio divinæ voluntatis : proinde confunderetur hæc petitio cum tertia. Melius *itaque* intelligitur de regno gloriæ, seu felicitate æterna, quam petimus nobis advenire, id est, post hanc vitam contingere ; quomodo Salvator præcepit ut *primum quæramus regnum Dei.* Unde et div. Augustinus ad Probam (*Epist.* 12 *cap.* 11) : *Desiderium,* ait, *nostrum ad illud regnum excitamus, ut illud nobis veniat atque in eo regnemus.* Quod et Sedulius presbyter ac poeta hisce versibus egregie depinxit (*Carm. lib.* II) :

> Adveniat regnum jamjam quoque scilicet illud
> Morte vacans, et fine carens, cui nulla per ævum
> Tempora succedunt, quia nescit tempus habere,
> Continuus sine nocte dies ; ubi, principe Christo,
> Nobile perpetua caput amplectente corona,
> Victor opima ferens gaudebit præmia miles.

[d] Tertiam petitionem orationis Dominicæ dupliciter exponit. Primo ut petamus fieri Dei voluntatem in terris, sicut in cœlo ; id est, ut sicut in cœlo angeli sancti Deo prompte, et perfecte, et in omnibus obediunt, ita et homines in terra illi perfecte obediant (*August. lib.* II *de Serm. Dom. cap.* 11 *et epist.* 121 *ad Probam*). Secundo ut impleatur illa Dei voluntas, qua secundum Apostolum *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II). Scilicet quantum in se est, et voluntate, ut vocant, antecedente. Verum hæc expositio nimis restricta et particularis est. Alia expositiones vide apud Bellarminum et alios (*Damascen. lib.* II *de Fide cap.* 19).

tua sicut in cœlo et in terra, quam ut sint homines similes angelis; et sicut voluntas Dei ab illis impletur in cœlo, ita etiam hi qui in terra sunt, non suam, sed ejus universam faciant voluntatem? Hoc quoque nemo ex affectu dicere prævalebit, nisi is solus qui Deum credit omnia quæ videntur vel adversa vel prospera pro nostris utilitatibus dispensare, magisque eum pro suorum salute et commodis providum atque sollicitum, quam nos ipsos esse pro nobis. Vel certe aliter accipiendum : Voluntas Dei salus omnium est, secundum illam beati Pauli sententiam, *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I Tim. II). De qua etiam voluntate Isaias propheta ex persona Dei Patris, *Et* [a] *omnis*, inquit, *voluntas mea fiet* (*Isaiæ* XLVI). Dicentes ergo ei : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, hoc eum aliis oramus verbis, ut sicut hi qui in cœlo sunt, ita omnes qui in terra consistunt, tua, Pater, agnitione salventur.

CAPUT XXI.

De pane supersubstantiali, sive quotidiano.

Deinde [b] *panem nostrum* ἐπιούσιον, id est *supersubstantialem da nobis hodie* (*Matth.* VI). Quod alius evangelista *quotidianum dixit* (*Luc.* XI). Illam nobili-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Distinguitur a theologis duplex voluntas Dei, altera voluntas signi, altera beneplaciti (*S. Thom.* II *p.*, *q.* 19, *a.* 11). Voluntas signi dicuntur præcepta et prohibitiones Dei, sive quidquid Deus præcipit aut prohibet : sicut litteras regis dicimus esse voluntatem regis, cum potius ejus signum sit. Voluntas beneplaciti est ipsa vera et interna ejus voluntas, qua Deus vult absolute aliquid fieri, quæ semper impletur. De qua hic locus Isaiæ intelligitur, sicut et illud psalmi CXIII : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra.* Et Esther XIII : *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Porro inter Patres convenit, in illa tertia petitione, non voluntatem beneplaciti, sed voluntatem signi proprie significari. Hinc div. Cyprianus (*Lib. de Oratione*) : *Dicimus*, inquit, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in terra, non ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus quod velit faciat?* Et Augustinus (*Epist.* 121) : *Cum dicimus, Fiat voluntas tua, etc., nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, ut sic a nobis fiat voluntas ejus, quemadmodum fit in cœlestibus ab angelis ejus.* Fatendum tamen hanc petitionem etiam ad voluntatem beneplaciti divini aliquo modo referri, quatenus nimirum debemus in omnibus rebus voluntatem nostram, et omnes affectus nostros voluntati divinæ subjicere et conformare, numquam de ejus beneplacito obmurmurare, aut illud reprehendere; sed quidquid de nobis statuerit, quidquid calamitatis, quidquid boni vel mali nobis immittat, patienter et libenter sustinere ac dicere cum Christo : *Non mea, sed tua voluntas fiat* (*Matth.* XXVI). Et cum B. Job : *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum* (*Job.* I). Indicat hunc sensum Tertullianus ubi supra : *Hoc dicto*, inquit, *ad sufferentiam nosmetipsos præmonemus*, etc.

[b] Panem nostrum, in hac petitione, voluit hic Auctor intelligi, non panem corporalem, sed spiritualem, id est, corpus Christi; ut satis colligitur tum ex toto decursu, licet subobscuro, hujus capitis, tum ex cap. 24. Quo etiam sensu plerique veteres auctores pie et religiose, et ad Ecclesiæ usum accommodate, dixerunt panem nostrum quotidianum Christi corpus appellari (*Tertull. et Cyprian. de Oratione, Ambros. lib.* V *de Sacrament. cap.* 4, *Hieron. in Comment.*, *Pet. Chrysol. serm. de Orat. Dom.*). Nam et *verus panis est qui de cœlo descendit* ; et quotidianus, quia quotidie, si non a singulis, saltem a tota Ecclesia, nomine omnium fidelium, frequentatur et sumitur : et ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis, quia super omnes substantias est, et omnes creaturas sublimitate magnificentiæ et sanctificationis excedit, ut hic exponitur. Alii panem quotidianum intellexerunt spiritualem animæ cibum, hoc est, verbum Dei, quo quotidie opus habet et quotidie pascitur animus per meditationem et operationem mandatorum Dei, sicut Christus dicebat Joan. IV : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*; et Joan. VI : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Ita D. Augustinus lib. II de Serm. Dom. E diverso autem sunt qui existiment hoc loco nihil aliud peti nisi panem corporalem, ut Chrysostomus in cap. VI Matthæi. Sed omnium optima et verissima expositio est ut panis nomine intelligatur tam cibus spiritualis quam corporalis, hoc est, omnia subsidia necessaria ad vitam cum animæ tum corporis conservandam (*Maldonat. Bellarm. ubi supra, Leonar. Less. de Institut. lib.* II *cap.* 37). Sed quia subsidia vitæ spiritualis, utpote sacramenta, præsertim vero sacramentum corporis Christi, necnon doctrina Christiana, et id genus alia, nobiliora sunt et magis necessaria quam subsidia vitæ corporalis, consentaneum est ut ad panem spiritualem primo et præcipue tendat animus et intentio orantis, et ad corporalem secundario. Porro, quod ad vocem ἐπιούσιον attinet, varie exponunt interpretes. Divus Hieronymus ita legit : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Et cur ita verterit, rationem subdens, *Supersubstantialem*, inquit, *expressimus. In Græco habetur* ἐπιούσιον ; *quod verbum LXX Interpretes* περιούσιον *frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in Hebræo, et ubicumque illi* περιούσιον *expresserunt, nos invenimus segulla, quod Symmachus* ἐξαίρετον, *id est, præcipuum vel egregium, transtulit, licet in quodam loco peculiarem interpretatus sit. Quando ergo petimus ut peculiarem vel præcipuum nobis Deus tribuat panem, illum petimus qui dicit : Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. In Evangelio quod appellatur secundum Hebræos, pro supersubstantiali pane reperi machar, quod dicitur crastinum, ut sit sensus : panem nostrum crastinum, idest, futurum, da nobis hodie. Possumus supersubstantialem panem et aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, et universas superet creaturas.* Ita S. Hieronymus tres sensus illius petitionis exponens. Postmodum tamen secundum illum sensum, quo ἐπιούσιον interpretatur crastinum, refutat : *Quia*, inquit, *secundum Apostoli sermonem dicentis : Habentes victum et amictum, his contenti simus, de præsenti tantum cibo sancti curam gerunt : unde et in posterioribus sit præceptum : Nolite cogitare de crastino.* Itaque secundum D. Hieronymum vox ἐπιούσιος significat vel supersubstantialem, vel certe eximium, peculiarem, excellentem. Alii ἐπιούσιον interpretantur non supersubstantialem, sed simpliciter substantialem, id est, substantiæ nostræ alendæ necessarium. Quem sensum etiam spectavit vetus interpres, dum quotidianum reddidit, hoc est, quo quotidie indigemus; quemadmodum omnes veteres auctores Latini legunt et exponunt, pro quo divus Hieronymus supersubstantialem vertit. Suidas utramque significationem complexus : ἐπιούσιος ἄρτος, inquit, panis naturæ nostræ congruens, vel quotidianus. Diarium Latini vocant, id est, in dies necessarium aut statutum. Imitamur enim parvulos filiolos, qui mane in schola proficiscentes primo loco ejus diei statutam panis portionem a patre vel matre postulant.

tatis ac substantiæ ejus significat qualitatem, qua scilicet super omnes substantias sit, atque omnes creaturas sublimitas magnificentiæ ejus ac sanctificationis excedat : hanc vero proprietatem usus ipsius atque utilitas expressit. Nam cum dicit *quotidianum,* ostendit quod sine ipso nullo die spiritalem vitam capere valeamus. Cum dicit, [a] *hodie*, ostendit eum quotidie esse sumendum, et hesternam præbitionem ejus non sufficere, nisi nobis hodie quoque similiter fuerit attributus ; omnique nos tempore hanc orationem debere profundere, indigentia ejus quotidiana commonet, quia non est dies quo non opus sit nobis hujus esu ac perceptione cor interioris nostri hominis confirmare. Licet istud quod dicitur, [b] *hodie,* et ad præsentem vitam possit intelligi, id est, dum in hoc sæculo commoramur, *præsta nobis hunc panem.* Novimus enim eum his qui meruerint a te et in futuro esse præstandum, sed rogamus ut eum nobis hodie largiaris ; quia nisi eum percipere quis in hac vita meruerit, in illa ejus particeps esse non poterit.

CAPUT XXII.

De eo quod dicit, Dimitte nobis debita nostra.

Et dimitte nobis [c] *debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* O ineffabilis Dei clementia, quæ non solum nobis orationis tradidit formam, et acceptabilem sibi morum nostrorum instituit disciplinam, ac per necessitatem traditæ formulæ qua se præcepit a nobis semper orari, iræ pariter et tristitiæ evellit radices, sed etiam occasionem rogantibus tribuit, eisque reserat viam qua clemens ac pium erga se provocent Dei judicium promulgari ; et quodammodo potestatem tribuit, qua judicis nostri possimus sententiam temperare ; ad veniam delictorum nostrorum, exemplo eum nostræ remissionis arctantes, dum dicimus ei, *et dimitte nobis sicut et nos dimittimus.* Itaque [d] securus hujus orationis fiducia de

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic et div. Cyprianus interpretatur (*Lib. de Orat. Domin.*), nempe de pane sacramentali quotidie sumendo : *Hunc,* inquit, *panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, et Eucharistiam quotidie in cibum sumimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.* Et S. Ambrosius lib. v de Sacramentis cap. 4 : *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit : sic vive ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.* Hæc Ambrosius. Fuit autem hæc apostolica quotidie communicandi consuetudo, Luca attestante, dum ait Actorum II : *Erant perseverantes in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis.* Et rursum paulo post : *Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panes, sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis laudantes Deum.* Quæ quidem consuetudo perduravit Romæ usque ad divi Hieronymi ætatem, ipso attestante in epistola ad Lucinium (*Epist.* 28 *et apologet. ad Pammachium*) ; necnon Mediolani ad divum Ambrosium usque, quemadmodum colligitur ex cap. ult. lib. IV de Sacramentis. Et in Africa usque ad div. Augustini tempora, ut patet ex epist. ejus 118. At vero in Ecclesia Orientali jamdudum desierat illa consuetudo quotidianæ communionis, ut patet tum ex verbis div. Ambrosii modo citatis, tum Chrysostomo homil. 61 ad populum Antiochenum, et 17 in Epistola ad Hebræos, ubi varias affert observationes quorumdam qui in solemnitatibus communicabant, et in Adventu et Quadragesima ; aliorum qui in Paschate duntaxat, aut bis terve in anno ; necnon eremitarum, qui ex humilitate semel in anno aut biennio. Quam ob causam prædicti Patres non tam urgent quotidianam communionem quam dignam Eucharistiæ sumptionem. Cæterum alia est ratio laicorum, quales olim censebantur plerique monachi ; alia sacerdotum, præsertim religiosorum, quos maxime decet quotidie (quantum humana fert imbecillitas) offerre sacrificium, et divinum illud frequentare mysterium quo nihil Deo gratius, nihil salutarius, nihil religiosius præstari potest. Vide annotationem ad caput 21 collat. 23.

[b] Hodie, duobus modis intelligitur. Uno modo ut significet præcise, hoc die. Quomodo superius accepit Auctor. Altero modo, ut significet hoc tempore, nempe vitæ hujus mortalis, quomodo accipitur ab Apostolo ad Hebræos III : *Adhortamini vosmetipsos, donec hodie cognominatur.*

[c] Debita nostra non alia hoc loco intelliguntur quam peccata nostra, quibus tamquam ære alieno obstricti tenemur Deo. Unde Lucæ XI disertis verbis dicitur : *Dimitte nobis peccata nostra.* Et Matthæi VI explicans Dominus hanc petitionem, ait : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester peccata vestra.* Atque eodem sensu debitores nostri dicuntur qui aliquid in nos peccarunt aut aliqua nos injuria affecerunt : *Debitum enim*, ait Tertullianus (*Lib. de Orat., cap.* 7), *in Scripturis delicti figura est, quod perinde judicio debeatur et ab eo exigatur, nec evadat justitiam exactionis, nisi donetur exactio, sicut illi servo dominus debitum dimisit* (*Matthæi* XVIII). Ubi *figura* pro significatione sumitur, ut annotat Pamelius : nimirum, ut dicatur *debitum figura delicti,* quia hoc loco significat delictum sicut et Matthæi XVIII. Sed melius fortasse dicitur debitum esse figura delicti, quia ejus effectus et germen. Duplex enim debitum, sive duplex reatus ex delicto contrahitur, culpæ et pœnæ ; quorum utrumque petimus nobis dimitti, id est, ignosci. In sequentibus porro Græce legitur : παραπτώματα ὑμῶν quod proprie sonat lapsus vestros. Sunt enim peccata nostra etiam veri lapsus, quibus a rectitudine labimur et cadimus.

[d] Intellige, si cætera ad peccatorum remissionem obtinendam necessaria non omittat. Quo etiam modo illa Salvatoris sententia : *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester delicta vestra,* non absolute intelligitur, ut div. Augustinus admonet (*Lib.* XXI *de Civit., cap.* 22 *et* 27), sed si cætera accedant ad eum finem præscripta, ut dolor de peccatis, propositum non peccandi, etc. Unde idem Augustinus quosdam hæreticos redarguit, *qui putabant etiam illis qui perdite vixerint donec claudant diem vitæ hujus extremum, per hanc orationem, qualiacumque et quantacumque fuerint, omnia quotidie peccata dimitti, sicut ipsa quotidie frequentatur oratio, si hoc tantummodo custodire meminerint, ut quando ab eis veniam petunt qui eos peccato qualicumque læserunt, ex corde dimittant.* Quibus ita respondet : *Oratio quotidiana, quam docuit ipse Dominus, unde et Dominica nuncupatur, delet quidem quotidiana peccata, cum quotidie dicitur : Dimitte nobis debita nostra, quando id quod sequitur non solum dicitur, sed etiam fit : Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Sed quia fiunt peccata, ideo dicitur ; non ut ideo fiant, quia dicitur. Per hanc enim voluit nobis Salvator ostendere quan-*

suis admissis veniam postulabit, quisquis remissus erga suos dumtaxat, non erga Domini sui exstiterit debitores. Solemus etenim nonnulli, quod est deterius, erga illa quidem quæ admittuntur ad injuriam Dei, quamvis magnorum sint criminum, placidos nos et clementissimos exhibere; erga nostrarum vero vel parvissimarum offensionum debita exactores inmites atqua inexorabiles inveniri. [a] Quisquis igitur in se delinquenti fratri non ex corde demiserit, non indulgentiam, sed condemnationem deprecatione hac sibimet impetrabit, suaque professione semetipsum poscit dirius judicari, dicens, Remitte mihi sicut et ego remisi. Quod cum illi secundum suam petitionem fuerit repensatum, quid aliud subsequetur quam ut, exemplo suo, implacabili ira et irremissa sententia puniatur? Ideoque si clementer volumus judicari, nos quoque erga illos qui in nos deliquerunt oportet esse clementes. [b] Tantum enim remittetur nobis, quantum nos remiserimus eis qui nobis quacumque malignitate nocuerunt. Quod formidantes nonnulli, A cum in ecclesia hæc oratio ab universa plebe concinitur, [c] hunc locum taciti prætermittunt, ne scilicet semetipsos obligare potius quam excusare sua professione videantur, non intelligentes quod frustra cavillationes has judici omnium prætendere moliantur, qui quemadmodum judicaturus sit supplicibus suis voluit demonstrare. Dum enim erga nos non vult immitis atque inexorabilis inveniri, formam sui judicii designavit, ut quemadmodum nos ab illo judicari cupimus, ita nostros fratres si quid in nobis deliquerint judicemus, *quia judicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam* (*Jac.* II).

CAPUT XXIII.

De eo quod dicit : Et ne nos inducas in tentationem.

Deinde sequitur, [d] *Et ne nos inducas in tentationem.* B De quo non minima nascitur quæstio. Si enim oramus ne permittamur tentari, et unde erit in nobis virtus constantiæ comprobanda, secundum illam sententiam : *Omnis vir qui non est tentatus, non est probatus* (*Eccles.* XXXIV)? Et iterum : *Beatus vir qui suf-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

tumlibet juste in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata pro quibus dimittendis debeamus orare, et eis qui in nos peccant, ut et nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait : Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester peccata vestra, ut de hac oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentia qua non timeremus hominum leges, vel astutia qua ipsos homines falleremus; sed ut per illam disceremus non putare nos esse sine peccatis etiamsi a criminibus essemus immunes, etc.

[a] *Si enim non dimiseritis hominibus, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra.* Matth. VI. Non quod hac sola conditione nobis Deus debita nostra dimittat, si nos debitoribus nostris dimittamus; sed quod nisi dimiserimus aliis, nec ipse nobis dimittat. Est enim hæc conditio sine qua non obtinetur peccatorum remissio; sed ipsa sola per se non sufficit (*Vide Petr. Chrysol. serm.* 68 *et* 71).

[b] Ad eumdem modum et hæc sententia secundum prædicta debet intelligi, negative scilicet potius quam affirmative. Nam Deus nobis et multo plura et multo majora, et multo liberalius, et multo minus merentibus remittit, quam nos debitoribus nostris aut remittere soleamus, aut etiam possimus : sed dicitur tantum nobis remittere quantum remiserimus aliis, quia si non remiserimus, nec ipse remittet : et si remiserimus, etiam ipse remittet nobis, modo cætera necessaria præstemus. Ita Sedulius, præter alios, hanc conditionem poetice explicat :

> Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,
> Nos quoque laxemus ; proprii nam cautio verbi
> Spondentes manifesta tenet, graviusque soluti
> Nectimur, alterius si solvere vincla negamus.
> Incipietque pius decies millena talenta
> Dimittens Dominus, si nos affligere propter
> Denarios centum conservum senserit ullum,
> Tradere confestim tortoribus, etc.

[c] Notat quorumdam stultitiam ac temeritatem, qui, cum injurias condonare nolint, ne mentiantur in oratione sua, verba illa studiose prætereunt : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* In quo seipsos decipiunt. Nam, etsi non mentiantur hæc omittendo, tamen frustra petunt sibi remitti peccata, cum Dominus tam aperte dixerit : *Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra.* Et præterea mentiuntur cum reliquas partes orationis Dominicæ pronuntiant. Quomodo enim vere dicere potest : *Pater noster*, qui non vult esse Dei filius? et, *Sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei blasphematur seu inhonoratur? et, *Adveniat regnum tuum*, qui nihil magis quam adventum Domini timet? et, *Fiat voluntas tua*, qui suam, non Dei voluntatem semper facit?

[d] Div. Cyprianus legit : *Et ne nos patiaris induci in tentationem.* Divus Augustinus lib. II (*Cap.* 34) de Serm. Domini in monte : *Sexta*, inquit, *petitio : Et ne nos inferas in tentationem. Nonnulli codices habent, Inducas, quod tantumdem valere arbitror. Nam ex uno Græco quod dictum est,* εἰσενέγκῃς, C *utrumque translatum est. Multi autem precando ita dicunt : Ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes quomodo dictum sit, Inducas : non enim per seipsum inducit Deus ; sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpe manifestis dignum judicat ille quem deserat et in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari : nam sine tentatione probatus esse nemo potest, sive sibi ipsi, sive alii. Non ergo hoc oratur, ut non tentemur ; sed ut non inferamur in tentationem ; tamquam si quispiam, cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed non exuratur. Inducimur enim, si tales inciderint, quas ferre non possumus.* Ita Augustinus, Cassiani sive abbatis Isaac sententiam plane confirmans, qua docet aliud esse tentari, aliud in tentationem induci ; nec hic peti, ne tentemur, sed ne a tentatione vincamur. Idem vero Augustinus lib. de Bono perseverantiæ cap. 6 putat simpliciter nos D orare ut omnino non tentemur, ea potissimum tentatione qua ad peccandum sollicitamur : quia nostræ infirmitatis memores, nec de nobis ipsis confidentes, tentationibus, earumque periculis liberari potius optamus quam eis exponi. Quamvis enim tentatio interdum utilis sit, semper tamen est periculosa, propter ambiguam incertamque victoriam ; ideoque non solum præsumptio est illam appetere, sed etiam humilitas declinare, et a Deo petere, ne nos in hujusmodi certamen inducat vel induci sinat. Neque obstant Scripturæ in contrarium hic allatæ, quæ solummodo probant tentationem seu afflictionem, non solum fortiter, sed etiam cum gaudio esse tolerandam. At quod toleratur non amatur. Unde Augustinus X Confess. cap. 28 : *Tolerare eas jubes, non amare ; nemo quod tolerat, amat, etsi tolerare amet. Quamvis enim gaudeat se tolerare, tamen mavult non esse quod toleret.*

fert tentationem (*Jacob.* 1). Non ergo hoc sonat, *ne inducas nos in tentationem,* id est, ut non permittas nos aliquando tentari, sed ne permittas in tentatione positos superari. Tentatus est enim Job, sed non est ductus in tentationem. Non enim dedit insipientiam Deo, nec ad illam ad quam trahebatur tentatoris voluntatem, ore impio blasphemus intravit. Tentatus est Abraham, tentatus est Joseph, sed neuter illorum inductus est in tentationem quia nullus eorum consensum præbuit tentatori. Denique sequitur : [a] *Sed libera nos a malo,* id est, ne permittas nos a diabolo A tentari supra id quod possumus : sed cum tentatione et exitum da, ut sustinere possimus (I *Cor.* x).

CAPUT XXIV.

Quod non debeant alia postulari, quam hæc tantum, quæ orationis Dominicæ modulo continentur.

Videtis ergo qualis nobis ab ipso, qui per illam exorandus est, judice, orationis sit modulus et forma proposita, in qua nulla divitiarum petitio, nulla memoria dignitatum, nulla potentatus ac fortitudinis postulatio, nulla corporeæ sanitatis, seu temporalis vitæ mentio continetur. [b] Nihil enim caducum vult

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ex hac interpretatione videtur hic abbas sensisse tota ista extrema periodo orationis Dominicæ : *Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,* non duas, sed unam tantummodo petitionem contineri. Quod ut communi sententiæ tum veterum, tum recentiorum theologorum dissentaneum merito refellit Bellarminus, ostenditque ex doctrina div. August. (*De Bonis Operibus lib.* 1 c. 1) et aliorum, hanc petitionem : *Sed libera nos a malo,* aliam esse a præcedenti : *Ne nos inducas in tentationem,* et proinde septem esse petitiones orationis Dominicæ. Porro per malum plerique veterum intellexerunt diabolum, cui per antonomasiam convenit dici malum, Græce τὸν πονηρόν, quia in extremo malitiæ gradu constitutus ab eo revocari nequeat; at div. Cyprianus, Augustinus et alii malum interpretantur pro omni re mala; quem sensum probare videtur Ecclesia, dum in sacrificio Missæ statim post orationem Dominicam subdit : *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis præsentibus et futuris.* Nam præterita mala sunt peccata commissa, quæ nobis petimus dimitti; præsentia sunt tentationes, in quas petimus non induci; futura sunt quælibet mala imminentia, sive in hoc sæculo, sive in futuro, a quibus petimus liberari. Verum quod ad præsentia mala, sive quæ in hoc sæculo patimur, attinet, ut sunt morbi, fames, sitis, egestas, bella, infortunia, ab his liberari petimus, non tamen absolute, sed sub illa hypothesi christiana, *Si Deo visum fuerit*; seu præsupposita illa petitione antecedente : *Fiat voluntas tua,* ut infra plenius declaratur.

[b] In eamdem sententiam Isidorus Pelusiotes in quadam epistola (*Nempe* 281, *lib.* II) ita scribit, Billio interprete : *Oratio ea, quam Dominus discipulos suos docuit, nihil terrenum habet, sed omnia cœlestia, et ad animæ utilitatem tendentia,* etc. Verum hæc sententia, si simpliciter et ut verba sonant accipiatur, quasi in oratione Dominica nihil caducum aut temporale petatur a Deo, omnino improbabilis, immo et paradoxa censenda est. Quis enim neget bona temporalia, maxime ad vitam sustentandam necessaria, rectea Deo bonorum omnium largitore peti et exspectari ? et cum oratio Dominica sit plenissima et perfectissima, ut docet divus Augustinus epistola 121, quis dubitet ea omnia contineri quæ a Deo peti possunt ? Denique superius ostendimus, ex sententia D Patrum, nomine panis quotidiani intelligi quæcumque subsidia vitæ tam spirituali quam corporali necessaria. Verum suam sententiam abbas Isaac exposuit, aut certe mitigavit verbis sequentibus, ubi ait : *Itaque magnificentiæ ejus ac munificentiæ maximum irrogabit injuriam quisquis, sempiternis petitionibus prætermissis, transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare,* etc. Hoc igitur sensu prohibemur temporalia et transitoria postulare, prætermissis nimirum sempiternis, id est, spiritualibus petitionibus; id est, præferendo temporalia et caduca spiritualibus et æternis; quia jubemur *quærere primum regnum Dei, ut cætera deinde adjiciantur nobis.* Porro non fuit Christi consilium, ut oratione Dominica panem resque temporales quærere juberet; quod vile et terrenum est, et ad quod satis natura proclives sumus; sed ut doceret a quo (nimirum a Deo bonorum omnium largitore) et quatenus quærere ac petere deberemus. Notandum autem ex div. *Thoma* (2-2, *q.* 83, *art.* 5 *et* 6), triplicia esse bona quæ a Deo peti possunt : nam alia sunt spiritualia, ut B gratia et virtutes, remissio peccatorum, vita æterna, etc., quæ primario et absolute petenda sunt, ut per se exoptanda; alia temporalia, sed ad vitam sustentandam necessaria, de quibus Apostolus ait (*I Timoth.* VI) : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Quæ quidem absolute petuntur, sicut in oratione Dominica absolute petimus : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; non tamen primario et principaliter (*Verba sancti Thomæ*), ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem : in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur; et in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum, ut etiam Philosophus dicit in primo Ethicorum (*Cap.* 8). Et hoc est quod Augustinus dicit ad Probam (*Epist.* 121, *cap.* 6), quod sufficientiam vitæ non indecenter vult quisquis eam vult, et non amplius; quæ quidem non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis et C congruentem habitum personæ hominis, ut non sit inconveniens eis cum quibus honeste vivendum est. Ista ergo cum habentur, ut teneantur; cum non habentur, ut habeantur, orandum est. Tertio alia sunt temporalia, et minime necessaria, ut sunt divitiæ, honores, robur corporis, firma valetudo, *longa vita,* etc. Hæc vero quia sæpissime hominibus sunt exitio, non sunt petenda absolute, sed sub conditione tacita vel expressa, si nobis sint futura salutaria : quod soli Deo perspectum est. Unde in istis optimus orandi modus est, orare Deum ut nobiscum agat sicut novit expedire ad suam gloriam et nostram salutem. Hæc fere ex doctrina S. Thomæ in art. 6 quæstionis citatæ. In altero autem articulo eamdem doctrinam confirmat et explicat in hunc modum : *Dicendum,* inquit, *quod sicut M. Valerius refert* (*Lib.* VII, *c.* 1), *Socrates nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent; quia hi demum scirent quid unicuique esset utile. Nos autem plerumque id votis expetimus, quod non impetrasse melius foret. Quæ quidem sententia aliqualiter vera est, quantum ad illa quæ possunt malum eventum habere : quibus etiam homo potest male et bene uti. Sic divitiæ, quæ, ut ibidem dicitur, multis exitio fuere. Honores etiam quam plures pessumdederunt. Regna, quorum exitus sæpe miserabiles cernuntur. Splendida conjugia, quæ nonnumquam funditus domos everterunt. Sunt tamen quædam bona quibus homo male uti non potest quæ scilicet malum eventum habere non possunt. Hæc autem sunt quibus beatificamur et quibus beatitudinem meremur, quæ quidem sancti orando absolute petunt, secundum illud ps.* LXXIX : *Ostende faciem tuam et salvi erimus. Et iterum, psalm.* CXVIII : *Deduc me insemitam mandatorum tuorum.* Hactenus S. Thomas. Consule annotationem decimam septimam post finem operis.

a se, nihil vile, nihil temporale æternitatum conditor implorari. Itaque magnificentiæ ejus ac munificentiæ maximam irrogabit injuriam, quisquis his sempiternis petitionibus prætermissis transitorium aliquid et caducum ab eo maluerit postulare; et offensam potius quam propitiationem judicis sui, vilitate orationis incurret.

CAPUT XXV.

De qualitate sublimioris orationis.

Hæc igitur oratio licet omnem videatur perfectionis plenitudinem continere, utpote [a] quæ ipsius Domini auctoritate vel initiata sit vel statuta, provehit tamen domesticos suos ad illum præcelsiorem quem superius commemoravimus statum, eosque ad illam igneam ac perpaucis cognitam vel expertam, immo (ut proprius dixerim) ineffabilem orationem gradu eminentiore perducit, quæ omnem transcendens humanum sensum, nullo non dicam sono vocis, nec linguæ motu, nec ulla verborum pronuntiatione distinguitur, sed quam mens infusione cœlestis illius luminis illustrata, non humanis atque angustis designat eloquiis, sed conglobatis sensibus velut de fonte quodam copiosissimo effundit ubertim, atque ineffabiliter eructat ad Dominum, tanta promens in illo brevissimo temporis puncto, quanta nec eloqui facile, nec mens percurrere in semetipsam reversa prævaleat. Quem statum Dominus quoque inter illarum supplicationum formulas, quas vel solus in monte sedens (*Lucæ* XXII), vel tacite fudisse describitur, similiter figuravit, cum in orationis agonia constitutus etiam guttas sanguinis inimitabili intentionis profudit exemplo.

CAPUT XXVI.

Orationis spiritum variis modis ad fervorem excitari.

Quis vero possit diversitates et causas ipsas atque origines [b] compunctionum quantalibet experientia præditus sufficienter exponere, quibus inflammata mens atque succensa ad orationes puras ac ferventissimas incitatur? Quarum pauca, quantum potuerimus ad præsens per illuminationem Domini reminisci, exempli gratia proponemus. Nonnumquam et enim psalmi cujuscumque versiculus occasionem orationis ignitæ decantantibus nobis præbuit, interdum canora fraternæ vocis modulatio ad intentam supplicationem stupentium animos excitavit. Novimus quoque distinctionem gravitatemque psallentis,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita et superius dixit (*Cap.* 17) : *Has quatuor supplicationum species etiam Dominus exemplo suo nobis initiare dignatus est.* Porro initiare plerumque significat sacris imbuere, inaugurare. Unde initiatus, id est, sacris imbutus. Et Ambrosii liber *De his qui initiantur mysteriis* (*Tom.* IV). Alias vero, ut hic, initiare est inchoare, instituere, auspicari. Sidonius lib. II epist. 3 *gratiæ initiatæ*, id est, incœptæ vel inchoatæ. Julius Firmicus lib. II cap. 5 Mathes. : *Ver initiatur, cum primam Arietis partem sol fuerit ingressus.*

[b] De compunctione videndum primo quid sit; deinde quæ ejus causæ et origines, ut hic habetur; quorum utrumque ex nonnullis SS. Patrum elogiis atque sententiis selectioribus discere possumus; quas proinde non minus libenter quam utiliter, ut spero, lector accipiet. Div. Augustinus in libro de Spiritu et Anima cap. 50 ita scribit : *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio perficit orationem. Compunctio est quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Devotio est pius et humilis affectus in Deum : humilis ex conscientia infirmitatis propriæ, pius ex consideratione divinæ clementiæ.* Gregorius XXIII Moralium cap. 21 : *Quatuor*, inquit, *sunt qualitates, quibus justi viri anima in compunctione vehementer afficitur : cum aut malorum suorum reminiscitur, considerans ubi fuit; aut judiciorum Dei sententiam metuens, et secum querens, cogitat ubi erit; aut cum mala vitæ præsentis solerter attendens, mœrens considerat ubi est; aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum adipiscitur, lugens conspicit ubi non est. Malorum suorum Paulus meminerat; atque ex eis se, in quibus fuerat, affligebat, cum diceret : Non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* (I *Cor.* XIII). *Rursum divinum judicium subtiliter pensans in futuro male esse metuebat, dicens : Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte, aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (I *Cor.* IX). *Rursus mala præsentis vitæ pensabat, cum diceret* (II *Cor.* V) : *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino; et, Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, etc. Et rursum bona æternæ patriæ considerabat dicens* (I *Cor.* XIII) : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (*Vide eumdem Greg. lib.* III *Dialog. cap.* 33). Item D. Gregorius hom. 32 super Ezechielem : *Alia*, inquit, *compunctio est, quæ per timorem nascitur, alia quæ per amorem; quia aliud est supplicia fugere, aliud præmia desiderare. Unde etiam in tabernaculo per legem duo altaria fieri jubentur* (*Exod.* XXIV *et* XXX) : *unum videlicet exterius, aliud vero interius; unum in atrio, aliud ante aream; unum quod ære coopertum est, aliud quod auro vestitur. Atque in altari æreo cremantur carnes, in altari vero aureo incenduntur aromata. Quid est hoc, fratres charissimi, quod foris concremantur carnes, intus aromata, nisi hoc quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera? Quia alii adhuc per timorem plangunt, alii vero jam se per amorem in lamentis afficiunt*, etc. D. Bernardus in quodam sermone (*De modo vivendi, serm.* 10) : *Compunctio cordis est humilitas mentis veniens de recordatione peccati et de timore judicii. Illa compunctio perfecta est, quæ pellit a se omnem delectationem carnalium rerum, et toto studio mentis figit intentionem in contemplatione Dei. Duplicem esse compunctionem legimus : unam, scilicet, qua propter Deum anima cujusque servi Dei afficitur, id est, cum ad memoriam reducit mala quæ fecit; altera vero, cum suspirat propter desiderium vitæ æternæ. Quatuor modis compungitur mens justi hominis : nempe memoria peccatorum, recordatione pœnarum futurarum, consideratione peregrinationis hujus vitæ, desiderio supernæ patriæ.* Hæc D. Bernardus. Ubi ne multum mireris, lector, modo duplicem, modo quadruplicem dici compunctionem; facile animadvertes, si advertis, quadruplicem in duplicem revocari. Nam ut duæ priores ad unam, quæ ex timore nascitur; ita duæ posteriores ad unam, quæ ex amore et desiderio supernæ patriæ, revocantur. Atqui hæc ex Patribus collecta elogia de compunctione huic loco et instituto nostro sufficere mihi videntur : præter quæ, si quis integros tractatus in eamdem videre optet materiam, videat Chrysostomum, qui duos elegantes lectuque dignissimos de compunctione cordis conscripsit libros; videat et S. Ephrem Syrum, apud quem exstant quatuor itidem pulcherrimæ de compunctione homiliæ.

etiam adstantibus plurimum contulisse fervoris; nec non exhortatio viri perfecti, et collatio spiritalis, frequenter ad uberrimas preces jacentium erexit affectum. Scimus etiam fratris, seu chari cujuslibet interitu non minus nos ad plenam compunctionem fuisse raptatos. Recordatio quoque teporis ac negligentiæ nostræ nonnumquam nobis salutarem spiritus invexit ardorem. Atque in hunc modum nulli dubium est occasiones innumeras non deesse quibus per Dei gratiam tepor ac somnolentia nostrarum mentium valeat excitari.

CAPUT XXVII.

[a] *Diversos esse affectus ferventer orantium.*

Quemadmodum vero, vel quibus modis istæ ipsæ compunctiones de intimis animæ conclavibus proferantur, non minoris difficultatis est indagare. Frequenter enim per ineffabile gaudium et alacritatem spiritus saluberrimæ compunctionis fructus emergit, ita ut etiam in clamores quosdam intolerabilis gaudii immensitate prorumpat, et [b] cellam vicini jucunditas cordis, et exsultationis penetret magnitudo. Nonnumquam vero tanto silentio mens intra secretum profundæ taciturnitatis absconditur, ut omnem penitus sonum vocis stupor subitæ illuminationis includat, omnesque sensus attonitus spiritus vel contineat intrinsecus, vel emittat, ac desideria sua gemitibus inenarrabilibus effundat ad Deum. Interdum vero tanta compunctionis abundantia ac dolore [c] suppletur, ut alias eam digerere nisi lacrymarum evaporatione non possit.

CAPUT XXVIII.

Interrogatio de eo quod non sit in nostra potestate profusio lacrymarum.

Germanus: Hunc quidem compunctionis affectum, ex parte aliqua, mea quoque exiguitas non ignorat. Frequenter enim recordatione delictorum meorum obortis lacrymis, ita sum hoc ineffabili, ut præfatus es, gaudio, visitante Domino, vegetatus, ut desperare me illorum veniam non debere lætitiæ ipsius magnitudo dictaret. Quo statu nihil reor esse sublimius, si reparatio ejus nostro subjaceret arbitrio. Nonnumquam cupiens ad similem me lacrymarum compunctionem totis viribus excitare, omnesque errores meos atque peccata ante oculos statuens [d] ubertatem illam fletuum revocare non possum, et ita oculi mei in modum cujusdam durissimæ silicis præ durantur, ut nulla prorsus ex eis humoris gutta distillet: et ideo quantum mihi in lacrymarum profusione congaudeo; tantum doleo quod illam, cum volucro, recuperare non valeam.

CAPUT XXIX.

Responsio de diversitate spiritualium lacrymarum.

Isaac: [e] Non omnis lacrymarum profusio uno

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ciaconius inscribit: *De variis compunctionum qualitatibus*, ut habent etiam manuscripti nostri, quos secutus Dionysius et Basileensis. Poterat et *de variis compunctionum effectibus inscribi*. Tres enim hic exponuntur compunctionum seu ferventium orationum effectus plane diversi: interdum clamor quidam ex interni gaudii exuberantia, et cordis exsultatione prorumpens; interdum vero silentium, et taciti gemitus, et stupor quidam mentis attonitæ; interdum profusio lacrymarum, de qua potissimum in sequentibus agitur.

[b] Hinc colligere est cellas veterum illorum monachorum etiam in solitudine agentium fuisse conjunctas, aut saltem sibi vicinas; quemadmodum etiam testatur div. Hieronymus epist. 22 *ad Eustochium* de *cœnobitis* Ægyptiis ita scribens: *Manent separati, sed junctis cellulis*. Verum de cellis et cellulis monachorum alias sæpe dictum est (*Lib.* v *Institut. cap.* 37, *et lib.* x *cap.* 3).

[c] Pro, *repletur*, ut Dionysius reddidit, Cassiano id frequens admodum.

[d] Scite et apte ad hunc locum Joannes Climacus gradu septimo suæ scalæ, ubi de hac compunctionis gratia et lacrymarum dono non minus pie quam subtiliter disserit: *Vidi*, inquit, *modicas guttas, instar sanguinis, cum labore effundi. Vidi et fontes absque labore perfluere. Sicut creatura motum ex se gignit, nonnumquam vero aliunde suscipit: ita et de compunctione quoque sentiendum est. Quotics anima nihil etiam curantibus vel studiose operantibus nobis in lacrymas vi secretæ compunctionis excitata in solo fletu requieverit, curramus sollicite; Dominus enim non vocatus advenit, spongiamque divini mororis et refrigerii piarum lacrymarum aquas nobis clemens porrigit, quibus deleantur scelera chirographi nostri. Serra eam, ut pupillam oculi tui, donec sponte abeat. Longe enim major est hujusmodi compunctionis vis, quam ejus quam studio nostro et labore acquisivimus.*

[e] Div. Gregorius lib. III Dialog. cap. 34, sicut compunctionis. Ita et lacrymarum spiritualium et salutarium duo tantum genera statuit; unum ex timore, alterum ex amore proveniens: *Quod in eo*, inquit, *bene figuratur, quod Aza filia Caleb, sedens super asinum suspiravit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem, et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Deditque ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius (Josuæ* XV). *Aza quippe super asinum sedet: cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent; quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet nimirum ut aut timore supplicii aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetrarunt deplorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit.* Ita Gregorius. At vero D. Bernardus serm. 3 de Epiphania, tres differentias piarum lacrymarum recenset, nempe devotionis, pœnitentiæ et fraternæ compassionis, quæ etiam in hoc capite exprimuntur: *Hæ sunt*, inquit, *lacrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, sed beneplacitum quæritur Dei Patris, cum descendit in nos spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui nostro, quod sumus filii Dei, ut melliflnam nobis vocem de cælo videamur audire, quia vere Deus Pater in nobis complaceat sibi. Nec parum distat inter has lacrymas devotionis et ætatis utique jam virilis, et eas quas primæva ætas inter infantiæ vagitus emisit, lacrymas utique pœnitentiæ et confessionis. Veruntamen longe amplius utrisque procedunt aliæ quædam lacrymæ, quibus et infunditur sapor*

affectu vel una virtute depromitur. Aliter enim ille emanat fletus qui peccatorum spina cor nostrum compungente profertur de quo dicitur : *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Et iterum : *Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et per noctem, et non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui* (*Thren.* IV). Aliter qui de contemplatione æternorum bonorum et desiderio illius futuræ claritatis exoritur, pro qua etiam uberiores lacrymarum fontes de intolerantia gaudii et alacritatis immensitate prorumpunt, dum sitit anima nostra ad Deum fontem vivum, dicens, *Quando veniam et apparebo ante conspectum Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI), cum ejulatu quotidie et lamentatione proclamans, *Heu mihi quoniam incolatus meus prolongatus est, et multum incola fuit anima mea* (*Psal.* CXIX). Aliter profluunt lacrymæ quæ absque ulla quidem talium criminum conscientia, sed tamen de metu gehennæ et horribilis illius judicii recordatione procedunt, cujus terrore propheta percussus orat ad Deum : *Non intres*, inquiens, *in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Est etiam aliud lacrymarum genus, quod non pro sua conscientia, sed pro aliena duritia peccatisque generatur, quo Samuel Saulem (1 *Reg.* XV), quo illam quoque civitatem Jerusalem vel in præteritis Jeremias (*In Thren.*), vel in Evangelio Dominus (*Lucæ* XIX) flevisse describitur, ita dicens : *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo in die et in nocte interfectos filiæ populi mei* (*Jerem.* IX)? Vel certe quales illæ sunt lacrymæ de quibus in psalmo centesimo primo canitur, *Quia cinerem sicut panem manducavi, et poculum meum cum fletu miscebam*. Quas certum est non illo affectu promi quo in sexto psalmo ex persona pœnitentis emergunt (*Domine, ne in furore tuo arguas me, etc.*), sed pro anxietatibus vitæ hujus atque angustiis et ærumnis, quibus justi in hoc mundo positi deprimuntur. Quod etiam psalmi ipsius non solum textus, sed etiam titulus evidenter ostendit (*Titulus psal.* CI), qui ex persona pauperis illius de quo in Evangelio dicitur, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V), ita describitur : [a] *Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, et coram Deo effuderit precem suam*. [b] Ab his ergo lacrymis multum distant illæ quæ obdurato corde de siccis oculis exprimuntur, quas licet non penitus infructuosas esse credamus, bono enim proposito earum attentatur emissio, ab his præsertim qui necdum, vel ad scientiam pervenire perfectam, vel pristinorum seu præsentium vitiorum potuerunt ad purum labe mundari.

CAPUT XXX.

Quod elici non debeant lacrymæ quando non spontaneæ proferuntur.

Ab his tamen qui in affectum jam transiere virtutum, [c] nequaquam debet hoc modo extorqueri pro-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

vini. Illas enim lacrymas vere in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compassionis affectu in fervore producunt charitatis, pro qua etiam ad horam, tui ipsius immemor, sobria quadam ebrietate videris.

[a] Titulus est psalmi centesimi primi, qui incipit : *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat*. Hunc titulum habent omnes codices Hebraici, Græci et Latini, cum aliqua tamen verborum varietate; nam div. Augustinus legit : *Oratio inopis, cum angeretur, et in conspectu Domini effudit precem suam*. Alii : *Oratio pauperis cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam*. Ex quo titulo elicitur argumentum ejusdem psalmi. Est enim hic psalmus formula quædam orandi, qua uti possit unus quisque pauper, aut in afflictione positus, immo quilibet peccator conscientia stimulante anxius, et Dei timore perculsus, et ad recuperandam ejus gratiam et reconciliationem anhelans. Quod sensisse videtur B. Hieronymus, dum in Commentario scribit Prophetam loqui in persona peccatoris. Vere enim nullus est pauperior et miserior eo qui indiget gratia Dei. Unde et Ecclesia hunc psalmum numerat inter septem psalmos pœnitentiales.

[b] Juvat hic etiam Joannis Climaci saluberrima et huic loco consentanea ascribere monita : *Nonnumquam*, ait (*Gradu 7*), *luctui qui secundum Deum est, inanis gloriæ miscentur ingratæ lacrymæ. Quod tunc fieri pie et prudenter animadvertimus, cum lugere nosmetipsos et tamen malignari videremur. Compunctio proprie est animi dolor, omni elatione carens, nec ullam sibi omnino consolationem indulgens, solamque resolutionem suam horis singulis meditans, consolationemque Dei, qua humiles monachos visitat, ut aquam frigidam exspectans. Quoties in his qui secundum Deum lugere videntur superbiam aut iram deprehenderis, horum scito lacrymas non ex eis esse quas compunctio salubris elicit. Quæ enim societas, inquit, lucis ad tenebras* (II Cor. VI)? *Solet adulterina compunctio elationem gignere ; ea vero quæ laudabilis et probata est, consolationem. Sicut ignis stipulam inflammat et consumit, ita castæ lacrymæ sordes omnes et visibiles et invisibiles consumunt. Lacrymarum rationem plerique Patrum non patere, et esse obscurissimam, atque ad inveniendum difficillimam definiunt, idque in his potissimum qui rudes imbuuntur. Ex multis namque eas et variis occasionibus gigni, puta ex natura, ex Deo, ex afflictione vituperabili, itemque ex laudabili, ex inani gloria, ex fornicatione et dilectione, ex mortis memoria, aliisque plurimis. Verum omnibus his lacrymarum modis divino timore discussis et cognitis, ex jugi nostræ resolutionis memoria mundissimas et ab omni fraudis suspicione alienas lacrymas nobis comparare studeamus. Neque enim est in eis elationis furtivæ suspicio, sed emundatio magna, profectusque charitatis in Deum, peccatique abolitio, et candidissima, et ab omni perturbationum strepitu remota ac felicissima requies. Eos sane qui lugent, nonnumquam ab optimis lacrymis inchoasse, et in deteriores desinere, nec novum, nec mirum est ; sed a contrariis aut etiam naturalibus in spirituales transferri lacrymas, et singulare est, et laudibus revera dignissimum. Hoc autem problema manifestius noverunt, qui circa inanem gloriam proniores sunt. Noli, antequam perfecte emunderis, lacrymarum tuarum imbribus credere. Neque enim habet fidem vinum statim e torcularibus expressum. Omnes quidem lacrymas nostras, quas secundum Deum profundimus, esse mirum utiles nemo est qui refragetur. Quænam vero sit utilitas earum, in tempore nostræ migrationis agnoscemus.* Hactenus ille profundæ admodum et reconditæ doctrinæ vir.

[c] Docet id egregie Ludovicus Granatensis lib. II de Oratione et Meditatione. Huc pertinent quæ de lacrymarum gratia earumque sterilitate, quæ viris spiritualibus subinde contingere solet, scribit Joan-

fusio lacrymarum, nec exterioris hominis magnopere affectandi sunt fletus, qui etiamsi fuerint utcumque producti, numquam pertingere ad illam spontanearum lacrymarum poterunt ubertatem. Magis enim supplicantis animum suis conatibus distrahentes humiliabunt, atque ad ima demergent, et ab illa cœlesti sublimitate deponent, in qua attonita mens orantis indeclinabiliter debet esse defixa, eamque compellent precum suarum intentione laxata erga steriles et coactitias lacrymarum guttulas ægrotare.

CAPUT XXXI.

Sententia abbatis Antonii super orationis statu.

Et ut orationis veræ percipiatis affectum, non meam vobis, sed [a] beati Antonii sententiam proferam; quem ita nonnumquam in oratione novimus perstitisse, ut eodem in excessu mentis frequenter orante, cum solis ortus cœpisset infundi, audierimus eum in fervore spiritus proclamantem : Quid me impedis, sol, qui ad hoc jam oriris, ut me ab hujus veri luminis abstrahas claritate? Cujus etiam hæc quoque est superatorationis sive cœlestis et plusquam humana sententia : Non est, inquit, [b] perfecta oratio in qua se monachus, vel hoc ipsum quod orat, intelligit. Et ut nos quoque secundum mensuram tenuitatis nostræ huic admirandæ sententiæ superadjicere aliquid audeamus, orationis quæ exauditur a Domino, in quantum experti sumus, indicia proferemus.

CAPUT XXXII.

De exauditionis indicio.

Cum orantes nos nulla interpellaverit hæsitatio, et fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione dejecerit; si obtinuisse nos in ipsa orationis effusione quod poscimus senserimus, [c] non ambigamus preces nostras ad Deum efficaciter penetrasse. Tantum enim quis exaudiri atque obtinere merebitur, quantum vel inspici se a Deo vel Deum crediderit posse præstare. [d] Irretractabilis namque est Domini no-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nes Climacus loco citato, sua et aliorum experientia edoctus, et in hujusmodi rebus apprime exercitatus : *Solent*, inquit, *ipsæ lacrymæ leviores quosdam nonnumquam attollere : quocirca quibusdam divina dispensatione subtrahantur ; ut dum seipsos privatos viderint studiosius eas requirentes, miseros seipsos agnoscant, gemitibusque, et mœrore, ac dolore animi, profundaque tristitia, et hæsitatione se conterant ; quæ omnia lacrymarum vices supplere solent, et si ab ipsis nimirum viliter nihili æstimentur. Inveniemus nonnumquam, si observemus diligentius, ridiculum quidam dæmones in nobis moliri. Nam cum saturitate distenti fuerimus, compungunt nos; rursum cum jejunaverimus, obdurant ; ut seducti lacrymis, parenti vitiorum gulæ ac deliciis nos ipsos exponamus. Quibus obtemperandum non est, sed omnino contra faciendum. Equidem ipsam compunctionis vim considerans stupeo, quoniam modo ea, quæ luctus et mœror dicitur, gaudium intrinsecus et lætitiam, veluti mel et favum, comesta possideat. Quid igitur ex hoc nobis innuitur? Id profecto, quod proprie Dei donum hujusmodi compunctio esse pro confesso habeatur.* Hæc ille.

[a] Hæc sententia non legitur in Vita S. Antonii ab Athanasio conscripta, sicut nec altera quæ eidem postmodum ascribitur : quod non valde mirum, cum satis constet Athanasium non omnia Antonii facta dictave scriptis mandasse, sed multa prætermisisse. Siquidem de Antonii congressu cum Paulo primo eremita, quem narrat div. Hieronymus (*In Vita Pauli Eremitæ*), ne verbum quidem fecit Athanasius : nimirum quod, eodem Hieronymo teste, Athanasius Vitam illam Antonii, ipso adhuc vivente, descripserit, eamque Romam detulerit, biennio ante obitum Antonii, cum a Julio papa vocatus esset : quo tempore illud de Paulo, aliaque Antonii gesta dictaque nondum acciderant *Baron. tom.* III *Annal. annot.* 343). Unde et alia multa Antonii apophthegmata tum in Vitis patrum, tum apud Palladium et alios leguntur, quæ apud Athanasium non exstant. Nec enim omnia ad ejus notitiam pervenisse credendum est, etiam ipsius ætate, vel ante, gesta dictave; nec etiam cognita omnia ab ipso commemorari necesse fuit.

[b] Eo scilicet perfectionis genere et gradu, qui non nisi sanctissimis et perfectissimis, qualis Antonius, conveni; quo quis in oratione sic in Deum mente erigitur et deligitur, ut nihil aliud præter Deum cogitet; qui certe perfectissimus est orandi modus, sed *qui potest capere, capiat.*

[c] Idem apertius dicit infra (*Cap.* 34) : *Pro certo se non exaudiendum quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri.* Ut autem hæc sane intelligantur duo sunt notanda. Primo non requiri in oratione fidem, aut certam persuasionem, qua credamus nos impetrasse, seu impetraturos esse, quod petimus; sed solum ut credamus Deum esse potentissimum, sapientissimum, benignissimum, fidelissimum; et proinde posse, scire, atque etiam velle facere quod petimus, si bene petamus. Quod enim non requiratur ut certo credamus nos a Deo exaudiri, manifeste colligetur ex oratione Davidis, quam fecit pro filio suo I Reg. XII. Nam non certo credidisse se exauditum iri, testantur illa ejus verba : *Quis scit, si forte donet eum mihi Dominus?* Sed et Apostolus cum oraret, ut auferretur a se stimulus carnis (I *Cor.* XII), procul dubio ex vera fide orabat; et tamen non credebat se certo impetraturum : alioqui falsa fuisset ejus fides, quandoquidem non impetrarit quod petebat, dicente Domino : *Sufficit tibi gratia mea.* Neque ea fide orat Ecclesia universa pro infidelibus et peccatoribus, ut ad fidem et justitiam adducantur. Non enim certo credit omnes infideles, et peccatores esse convertendos. Secundo notandum : Quamvis non requiratur fides qua certo credamus nos a Deo exaudiri, requiritur tamen fiducia qua certo et indubitanter confidamus Deum pro sua benignitate facturum quod petimus, si ita expediat ad Dei gloriam et nostram salutem Hanc enim conditionem quæsivit Dominus in paralytico, cui dixit : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX). Eamdem requirit Apostolus Heb. II : *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus.* Et Jacobus cap. I : *Postulet in fide, nihil hæsitans. In fide,* id est, *cum fiducia obtinendi quod petimus,* ait sanctus Thomas (*In Comment.*) Hac igitur ratione docet hic abbas certum exauditionis indicium, sive signum impetrationis esse, *cum orantes nos nulla interpellaverit hæsitatio, et fiduciam petitionis nostræ quadam desperatione dejecerit ; sed obtinuisse nos in ipsa orationis effusione quod poscimus senserimus ;* hoc est, cum in ipsa oratione magnam fiduciam in animo senserimus obtinendi quod petimus. Deus enim cum non exaudit, non infundit hujus modi fiduciam; cum vero exaudire decernit, fiduciam et hilaritatem quamdam peculiarem in animo orantis inspirat, ut unusquisque subinde experitur.

[d] Irretractabilem et infallibilem esse nemo dubitat; sed positis conditionibus requisitis, quarum ple-

stri illa sententia, *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient vobis* (*Marci* XI).

CAPUT XXXIII.

Objectio quod prædictæ exauditionis fiducia tantum sanctis convenire videatur.

Germanus : Hanc exauditionis fiduciam nimirum de conscientiæ puritate credimus emanare. Cæterum nos, quorum cor adhuc peccatorum spina compungit, quemadmodum eam habere possumus, nullis patrocinantibus meritis quibus exaudiendas orationes nostras fiducialiter præsumamus?

CAPUT XXXIV.

Responsio de diversis exauditionum causis.

Isaac : [a] Diversas exauditionum causas esse secundum animarum diversum ac varium statum evangelica sive prophetica testantur eloquia. Habes enim in duorum consensione fructum exauditionis Dominica voce signatum, secundum illud : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Habes aliam in fidei plenitudine quæ grano sinapis comparatur. Si enim, inquit, *habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis* (*Matth.* XVII). Habes in assiduitate orationum, quam propter indefessam petitionum perseverantiam importunitatem sermo Dominicus nominavit. *Amen, amen dico vobis, quia si non propter amicitiam, vel propter importunitatem ejus surget et dabit ei quantum opus habuerit* (*Lucæ* XI). Habes in eleemosynarum fructu : *Include*, inquit, *eleemosynam in corde pauperis, et ipsa orabit pro te in tempore tribulationis* (*Eccle.* XXIX). Habes in emendatione vitæ et operibus misericordiæ, secundum illud : *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* (*Isaiæ* LVIII). Et post pauca, quibus infructuosi jejunii sterilitas castigatur : *Tunc*, inquit, *invocabis, et Dominus exaudiette; et clamabis, et dicet : Ecce adsum* (*Ibid.*). Nonnumquam sane exaudiri etiam tribulationum nimietas facit, secundum illud : *Ad Dominum, cum tribularer, clamavi, et exaudivit me* (*Psal.* CXIX). Et iterum : *Ne afflixeritis advenam; quia si clamaverit, exaudiam eum, quia misericors sum* (*Exod.* XXII). Videtis ergo quot modis obtineatur exauditionis gratia, ut nullus ad impetranda ea quæ salutaria sunt et æterna, conscientiæ suæ desperatione frangatur. Ut enim miseriarum nostrarum contemplatione concedam, nos omnibus illis, quas supra memoravimus, penitus destitutos esse virtutibus, et nec illam nos habere laudabilem duo-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ræque cap. 34 inferius explicantur. Est enim hoc discriminis inter promissiones Dei affirmantes et negantes, quod negantes absolute et sine ulla exceptione intelligantur; affirmantes vero numquam absolute, sed cum hac exceptione generali . nisi quid impediat, vel simili. Ut Marci XVI : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (supple, si cætera habeat necessaria). *Qui vero non crediderit, condemnabitur*. Itaque sententia et promissio illa : *Quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis*, etc., cum sit affirmativa, non est absolute intelligenda; sed cum hac conditione : si recte petatis. Hanc enim conditionem intelligendam esse insinuat S. Jacobus ; dicens : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis* (*Jac.* IV).

[a] Pergit Auctor explicare quibus mediis, rationibus et conditionibus facilius a Deo exaudiamur et impetremus quod petimus. Enumerantur autem hic sex conditiones e sacris litteris collectæ, quæ orationem solent reddere efficacem et impetratoriam, hoc est, juvare ad impetrandum; nempe charitas fraterna, fides, perseverantia, eleemosynæ, pœnitentia, et afflictorum gemitus. Cæterum hæ conditiones etsi multum valeant ad impetrandum, præsertim simul junctæ et concurrentes, non ita tamen ut infallibilem, certum et perpetuum habeant impetrationis effectum. Nulla enim est Dei promissio absoluta, qua certi efficiamur nos absolute quod petierimus impetraturos, positis illis conditionibus; cum semper intelligatur illa conditio : *Si cætera requisita adsint*. Quænam vero sint illa, declarat div. Thomas his verbis (2-2, *q.* 83, *art.* 13) : *Ponuntur*, inquit, *quatuor conditiones quibus concurrentibus semper aliquis impetrat quod petit : ut scilicet pro se petat, necessaria ad salutem, pie et perseveranter*. Quas conditiones juverit hic paulo enucleatius explicare. Prima itaque conditio est ut pro se quisque petat. Non enim semper exaudiuntur etiam sancti, dum pro aliis orant; quando scilicet illi pro quibus orant digni non sunt qui accipiant, ut docet div. Augustinus tractatu 78 in Joannem, idque colligit ex illis verbis Domini Joan. XVI : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Exaudiuntur*, inquit, *omnes sancti pro seipsis : non autem pro omnibus exaudiuntur, sive amicis, sive inimicis, vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum est, dabit, sed, dabit vobis*. Secunda conditio est ut petantur necessaria, vel utilia ad salutem. Quam conditionem colligit idem Augustinus ex illis verbis : *In nomine meo. Quodcumque enim*, inquit, *petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris; et tamen ipse Salvator est; non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo plus se exhibet Salvatorem. Novit enim medicus quid pro sua, quid contra salutem suam poscat ægrotus; et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem : quapropter quando volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque, sed in nomine ejus, hoc est, in nomine Salvatoris petamus*. Ita Augustinus. Verum efficacius illa conditio colligi posse videtur, ut colligit Auctor, ex illa Joannis sententia : *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos* (I *Joan.* V). Unde infert Augustinus : *Ergo super his tantum plenam nos et indubitabilem jussit exauditionis habere fiduciam, quæ non nostris commodis, nec solatiis temporalibus, sed Domini congruunt voluntati. Quod etiam in oratione Dominica admiscere præcipimur dicentes, Fiat voluntas tua, scilicet, non nostra* (*Vide Bellarm. lib.* I *de Bon. Oper. cap.* 9). Tertia conditio ut pie petamus et oremus. Pietas autem hæc quinque conditiones includit, secundum div. Thomam ubi supra : fidem, spem, charitatem, humilitatem et devotionem. Quarta conditio ut perseveranter oremus. Hanc enim conditionem Christus inculcatam voluit duabus illis parabolis, altera importuni amici panes intempesta nocte ab amico petentis, Lucæ XI; altera viduæ improbum judicem importune sollicitantis; Lucæ XVIII. Nec aliud significare voluit illis verbis : *Oportet semper orare et numquam deficere*, ut plenius sequenti collatione declarabitur.

rum consensionem, nec illam fidem grano sinapis comparatam, nec illa opera pietatis quæ propheta describit; num vel importunitatem quæ omni volenti suppeditat, habere non possumus? Per quam etiam solam daturum se Dominus quidquid oratus fuerit repromittit. Et idcirco absque hæsitationis infidelitate precibus insistendum est; obtenturosque nos earum jugitate cuncta quæ secundum Deum poposcerimus, minime dubitandum. Hortatur enim nos Dominus volens ea quæ sunt æterna cœlestiaque præstare, ut eum importunitate nostra quodammodo coarctemus, qui importunos nos non modo non despicit nec refutat, sed etiam invitat et laudat; eisque præstiturum se quidquid perseveranter speraverint, benignissime pollicetur dicens, *Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Lucæ* XI). Et iterum: *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis et nihil impossibile erit vobis* (*Matth.* XXI). Et idcirco si cunctæ nos exauditionum quas prædiximus causæ omnino deficiunt, saltem animet nos importunitatis instantia, quæ absque ulla vel meriti vel laboris difficultate in cujuscumque volentis sita est potestate. Pro certo autem non exaudiendum se supplicans quisque non dubitet, cum se dubitaverit exaudiri. Quod autem infatigabiliter Domino supplicandum sit, etiam illo beati [a] Danielis docemur exemplo, quod exauditus a prima die qua cœpit orare, post primam et vicesimam diem consequitur suæ petitionis effectum (*Daniel.* X). Unde non debemus nos quoque a cœpta orationum nostrarum intentione cessare, [b] si nos exaudiri tardius senserimus, ne forte aut exauditionis gratia dispensatione Domini uti iter differatur; [c] aut angelus divi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic enim Gabriel archangelus Danielem allocutus est: *Noli metuere, Daniel, quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua, et ego veni propter sermones tuos* (*Dan.* X). Ubi div. Hieronymus: *Quæritur*, inquit, *si statim exauditus est, cur non statim missus est angelus, sed per unum et viginti dies dilatus ejus ad Danielem adventus? videlicet data est Danieli per moram occasio amplius Deum deprecandi, ut ex eo quod plus desiderat per laborem, plus etiam per revelationem angeli audire mereatur.*

[b] Div. Augustinus serm. 5 de Verbis Domini sec. Matth.: *Cum aliquando*, inquit, *tardius dat, commendat dona, non negat. Diu desiderata dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt: pete, quære, insta; petendo et quærendo crescis, ut capias. Servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut tu discas magna magne desiderare* (*Vide D. Hieronymum in Habacuc cap.* I).

[c] Attende hic angelorum unum ex præcipuis erga nos officium ac ministerium, quod est preces nostras divinæ bonitati offerre, easque suis itidem precibus juvare et commendare, et divina nobis beneficia procurare, et quodammodo ad nos deferre. Quod ex multis Scripturæ locis manifestum est. Genes. XXVIII: *Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens cælos. Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ.* Quorsum hoc? nisi ut, quod res ipsa et Scriptura indicat, causas agant hominum quibus ministrant, et regnorum ac principatuum quibus præsunt. Ascendunt quippe angeli ut preces nostras Deo offerant, descendunt ad nos ut ejus beneficia nobis procurata et impetrata ad nos deferant. Hinc libri Judicum cap. XIII legimus angelum nascituri Samsonis prænuntium ascendisse in cœlum cum flamma holocausti. Quo significatur Angelum quodammodo detulisse in cœlum ante conspectum Domini sacrificium Manue in gratiarum actionem oblatum. Ad hæc Tobiæ XII. Angelus Raphael his eum verbis alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Deinde in Græco ibidem postea subditur: *Ego sum Raphael unus ex septem angelis sanctis qui Deo offerunt preces sanctorum.* Confirmatur ex Actorum X, ubi angelus ad Cornelium orantem ingressus, ait: *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et infra: *Exaudita est oratio tua, et eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei.* Commemoratæ sunt, inquit, scilicet ab ipso angelo; quæ est explicatio illius, *Ascenderunt.* Dicuntur enim preces ascendere in memoriam in conspectu Dei, cum a sanctis spiritibus divinæ Majestati quodammodo repræsentantur, et commemorantur. Sed clarius id probatur ex Apocalyps. cap. VIII, ubi dicitur *angelus stetisse ante altare, habens thuribulum aureum, et data illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei. Et ascendit, inquit, fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo.* His accedit auctoritas Ecclesiæ, quæ in sacro canone Missæ sic orat: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc* (vota, scilicet, precesque sacerdotis, et totius populi) *perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ*, etc., ubi angelum singulari numero positum esse pro plurali annotant expositores. Postremo accedunt et SS. Patrum testimonia. Nam D. Augustinus non solum id fieri, sed etiam cur et quomodo fiat, disserit in epistol. 120; ubi exponens illud psalmi vigesimi primi: *Annuntiabitur Domino generatio ventura*, ita subdit: *Non ait: Annuntiabitur Dominus generationi venturæ, sed Annuntiabitur Domino generatio ventura. Quod non sic accipiendum est, tamquam nescienti aliquid annuntietur, ut sciat; sed sicut annuntiant angeli, non solum nobis beneficia Dei, verum etiam illi preces nostras. Nam scriptum est Tobiæ* XII *in Græco, ubi angelus hominibus dicit: Ego obtuli memoriam orationis vestræ; non ut tunc Deus noverit quid velimus vel quo indigeamus: Novit enim Pater vester, ait Dominus, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo; sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo temporales causas ad æternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quid faciat; qiu pius mentis affectus est, ut ipsa construatur, non ut Deus instruatur.* Rupertus lib. IX de Victoria Verbi cap. 8: *Scire debemus*, inquit, *sanctos angelos inter Deum et homines Dei servos esse administratores; et nos in conspectu eorum psallere, et orare, eosque semper esse paratos ad offerendas Deo orationes Ecclesiæ.* Div. Bernardus serm. 7 in Cantica: *Credimus*, ait, *angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces, et vota hominum; ubi tamen sine ira et disceptatione levari puras manus perspexerint.* Et infra sic sanctos angelos alloquitur: *Quis dabit mihi per vos, o benigni principes, petitiones meas innotescere apud Deum? Non enim Deo, cui etiam cogitatio hominis confitetur; sed apud Deum, hoc est, ipsis, qui cum Deo sunt, tam beatis virtutibus quam et carne solutis spiritibus,*

num ad nos beneficium delaturus, [a] a facie Omnipotentis egressus resistente diabolo remoretur, quem certum est transmissum muneris desiderium ingerere non posse, si nos a propositæ petitionis intentione cessasse repererit. Quod etiam supradicto prophetæ proculdubio accidere potuisset, nisi virtute incomparibili in primum atque vicesimum diem orationum suarum perseverantiam protelasset. Ab hujus igitur fidei confidentia nulla penitus desperatione frangamur, cum orationem nostram nos obtinuisse minime senserimus, nec hæsitemus super Domini sponsione dicentis : *Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (*Matth.* XXIV). Retractare namque nos convenit illam beati Joannis evangelistæ sententiam, qua ambiguitas hujus quæstionis evidenter absolvitur : *Hæc est,* inquit, *fiducia quam habemus ad Deum, quia quidquid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos* (I *Joan.* V). Ergo super his tantum plenam nos et indubitabilem jussit exauditionis habere fiduciam, quæ non nostris commodis nec solatiis temporalibus, sed Domini congruunt voluntati. Quod etiam in oratione Dominica admiscere præcipimur dicentes : *Fiat voluntas tua* (*Matth.* VI), scilicet, non nostra. Si enim et illud Apostoli recordemur, quoniam *quid oremus secundum quod oportet, nescimus* (*Rom.* VIII), intelligimus nonnumquam saluti nostræ contraria postulare, et commodissime nobis ab eo qui utilitates nostras rectius quam nos ac veracius intuetur, ea quæ poscimus denegari. Quod illi quoque magistro gentium accidisse non dubium est, cum oraret auferri a se angelum Satanæ qui utiliter ad colaphizandum eum appositus fuerat Domini voluntate, dicens : *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur* (I *Cor.* XII). Quem sensum etiam [b] Dominus orans ex persona hominis assumpti, ut formam quoque orandi nobis, quemadmodum et cætera, suo præberet exemplo, ita cum oraret expressit : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI), [c] cum utique ejus a Patris voluntate non discreparet voluntas. *Venerat enim salvare quod perierat* (*Matth.* XVIII), *et dare animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* XX), de qua ipse dicit : *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Ex cujus persona super unitate voluntatis suæ quam cum Patre jugiter possidebat, per beatum quoque David in Psalmo tricesimo nono ita cantatur : *Ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.* Nam et sic de Patre legimus : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum Filium suum daret* (*Joan.* III). Et de Filio nihilominus invenimus, *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris* (*Galat.* II). Et quemadmodum de illo refertur : *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII) : ita de isto narratur, *Oblatus est quia ipse voluit* (*Isaiæ* LIII). Et ita Patris et Filii voluntas una per omnia designatur, ut etiam in ipso resurrectionis Dominicæ sacramento operatio non dissona fuisse doceatur. Nam sicut resurrectionem corporis ejus Patrem operatum beatus Apostolus prædicat

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Egredi dicitur angelus a facie Dei, non quod ab ejus notitia et potentia, præsentiave, per quam ubique est, discedat, aut ejus beatifica visione privetur ; sed quia, peracta pro nobis supplicatione et intercessione apud Deum, divina nobis beneficia delaturus vel nuntiaturus ad nos advenit. Nam, ut ait Apostolus, *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (*Heb* I). *Neque tamen,* ait B. Gregorius (*Lib.* II. *Moral. cap.* 3), *sic a divina visione foras exeunt, ut internæ contemplationis gaudiis priventur ; quia si Conditoris aspectum exeuntes amitterent, nec jacentes erigere nec ignorantibus vera nuntiare possent ; fontemque lucis, quem egredientes ipsi perderent, cæcis nullatenus propinarent. In hoc itaque est natura angelica a naturæ nostræ conditione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et cæcitatis ignorantia coarctamur, angelorum vero spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientia longe super nos incomparabiliter dilatatur. Et mittuntur igitur, et assistunt : quia per hoc, quod circumscripti sunt, exeunt ; et per hoc quod intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident* (*Matth.* XVIII), *et tamen ad nos veniunt ; quia et ad nos spiritali præsentia foras exeunt, et tamen ibi se unde recesserant per internam contemplationem servant.* Sic Gregorius. Porro qualiter bonus angelus divinum ad nos beneficium delaturus, ut hic habetur, interdum diabolo resistente remoretur, sive retardetur, cum constet minimum angelum bonum potentiorem esse etiam supremo angelo malo, quia, ut docet S. Thomas (1 p., *q.* 109, *art.* 4), in Angelis præponderat et prævalet ordo gratiæ ordini naturæ ; breviter explicat Rupertus his verbis (*Lib.* IX *de Victor : Verbi cap.* 6) : *Unde malo angelo virtus pugnandi adversus bonum angelum, eique resistendi? Ex hominum vel populorum peccatis. Ubi fit ista pugna inter bonos et malos angelos? In campo justitiæ, in conflictu judicii, ipso spectatore ac judice Deo. Sed quomodo boni et mali angeli pugnant inter se? Malus pugnat accusando, bonus defendendo. In quantum est magna et vera accusatio mali angeli, in tantum est tarda et invalida defensio boni,* etc.

[b] Id est, secundum humanam naturam a se assumptam, et eam orando repræsentans. Christo enim ut homini, non ut Deo, orare convenit, cum sit Patri æqualis secundum divinitatem. Neque sic ex persona hominis assumpti orasse dicitur, quasi in Christo alia sit persona Verbi, alia hominis assumpti, ut docuit impius hæresiarcha Nestorius ; sed dicitur orans ex persona hominis assumpti, ob rationem modo dictam, quia non ut Deus, sed quatenus homo orabat, et nunc orat ; quemadmodum ait Apostolus ad Hebræos VII : *Semper vivens ad interpellandum pro nobis.* (*Vide S Tho.* 2-2, *q.* 83, *art.* 10, *et Leonard. Less. lib.* II *de Justitia, cap* 37.)

[c] Sic S Agatho pontifex in VI synodo œcumenica definivit : *Prædicamus in Christo duas voluntates* (*divinam scilicet et humanam*) *non contrarias, juxta quod impii asserunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, et non resistentem, sed potius subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.* Sic ibi. Porro de hac voluntatum in Christo plenissima concordia consulendi sunt interpretes illius sententiæ, quæ hic citatur ex Matthæo, et doctores super Magistrum ad dist. 17 lib. III Sentent.

dicens : *Et Deum Patrem qui suscitavit eum a mortuis* (*Galat.* I), ita Filius suscitaturum se templum sui corporis protestatur, *Solvite*, inquiens, *templum hoc, et ego in tribus diebus suscitabo illud* (*Joan.* II). Et ideirco his quæ prædiximus exemplis Dominicis eruditi, cunctas obsecrationes nostras simili nos quoque debemus oratione concludere, et hanc vocem cunctis petitionibus nostris semper adjungere, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI). Satis vero constat illum trinæ orationis numerum qui solet in congregationis fratrum ad concludendam synaxim celebrari, eum qui intento animo [a] non supplicat, observare non posse.

CAPUT XXXV.

De oratione intra cubiculum et clauso ostio facienda.

Ante omnia sane [b] illud evangelicum præceptum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Negationis particulam, quæ in editione Plantiniana hic desideratur, ex Dionysio et aliis reposuimus. Sic enim Dionysius paraphrastes hunc locum reddidit : *Postremo satis constat quod ille ternarius orationis, qui fieri solet in congregationibus fratrum ad concludendam synaxim, observari non possit ab eo qui intento animo non orat.* Porro multi codices habent : *Illum trinæ curvationis numerum*, etc., quod eodem recidit. Spectare enim videtur Auctor locum illum Matthæi XXVI, ubi Christus legitur in horto, *positis genibus orasse, tertio eumdem illum sermonem dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ad cujus imitationem, quantum ex hoc loco colligitur, solebant illi monachi, antequam de Ecclesia, seu conventu, quam hic vocat synaxim, egrederentur, peracto nimirum officio, trina supplicatione et genuum curvatione Deum adorare; quod cum magna devotione, et attentione, seu reverentia, faciendum hic Auctor admonet, quemadmodum et div. Benedictus (*Cap.* 52 *Reg.*) : *Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant; et agatur reverentia Deo*, etc.

[b] Duo sunt hic observanda. Primo præceptum illud de ingrediendo cubiculo, et claudendo ostio, non tam ad cubiculum et ostium materiale quam ad cubiculum cordis referendum esse : alioquin pugnaret hæc sententia evangelica cum illa Apostolica: *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.* I Tim. II. Non enim jubet nos Christus ingredi revera in cubiculum, et ostium claudere, ut oremus secreto; sed tantum prohibet ex oratione nostra inanem hominem laudem venari, et sic jubet orare, ac si a solo Deo videamur et audiamur. Ita præter hunc abbatem SS. Patres admonent. Sanctus Hieronymus apud Matthæum : *Hoc*, inquit, *simpliciter intellectum erudit auditorem, ut vanam orandi gloriam fugiat. Sed mihi videtur hoc magis esse præceptum, ut inclusa pectoris cogitatione labiisque compressis oremus Dominum : Quod et Annam in Regum volumine fecisse legimus : Labia, inquit, ejus tantum movebantur, et vox illius non audiebatur* (I *Reg.* II) : S. Augustinus lib. II de Serm. Domini in monte (*Cap.* VI) : *Ostendens*, ait, *hoc se prohibere, ut ea merces appetatur, qua stulti gaudent, ut laudentur ab hominibus. Vos autem cum oratis, inquit, introite in cubicula vestra. Quæ sunt ista cubicula, nisi ispa corda, quæ in psalmo etiam significantur, cum dicitur : Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psalm.* IV). *Et claudentes ostia, orate, ait, Patrem vestrum in absconso. Parum est intrare cubicula, si ostium pateat importunis. Per quod ostium ea quæ foris sunt, improbe se immergunt, et interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia et visibilia, quæ per ostium, id est, per carnalem sensum, in cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritalis dirigatur ad Patrem, quæ fit intimis cordis, ubi oratur Pater noster in abscondito.* S. Gregorius XXII Moral. cap. 18 : *Vera*, inquit, *postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Hinc est quod in eremo populus perstrepit, et Moyses a strepitu verborum tacet, et tamen silens, aure divinæ pietatis auditur, cum dicitur : Quid clamas ad me* (*Exod.* XIV)? *Intus ergo in desiderio est clamor secretus, qui adhuc ad humanas aures non pervenit, et tamen auditum Conditoris replet. Hinc est quod Anna ad templum pergens, ore quidem tacuit, et tamen tot sui desiderii voces emisit. Hinc in Evangelio Dominus dicit : Intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi* (*Matth.* VI). *Clauso quippe ostio petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur : Desiderium pauperum exaudivit Dominus; præparationem cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* IX). Ita Gregorius. Secundo notandum hic agi de oratione privata, non de publica. Alia enim ratio est orationis publicæ, vel divinarum laudum, quæ communiter celebrari debent. Quod aptissime declarat S. Thomas his verbis (2-2, *q.* 83, *a.* 12) : *Duplex est oratio, communis et singularis* (id est, publica et privata). *Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi fidelis Deo offertur. Et ideo oportet quod talis oratio innotescat toti populo pro quo profertur; quod non posset fieri, nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est, ut ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam alta voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire. Oratio vero singularis est, quæ offertur a singulari persona cujuscumque, sive pro se, sive pro aliis, orantis. Et de hujusmodi orationis necessitate non est quod sit vocalis. Adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. Primo quidem ad excitandum interiorem devotionem, qua mens orantis elevetur in Deum : quia per exteriora signa, sive vocum, sive etiam aliquorum factorum, movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectionem. Unde Augustinus dicit ad Probam* (*Epist.* 121, *cap.* 9), *quod verbis et aliis signis ad augendum desiderium sanctum nos ipsos acrius excitamus. Et ideo in singulari oratione tantum est vocibus et hujusmodi signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem. Si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est a talibus cessandum. Quod præcipue contingit in his quorum mens sine hujusmodi signis est ad devotionem præparata. Unde psalm.* XXVI *dicebat : Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea. Et de Anna legitur,* I *Regum* I, *quod loquebatur in cordo suo. Secundo adjungitur vocalis oratio quasi ad redditionem debiti, ut scilicet homo Deo serviat secundum illud totum quod ex Deo habet, id est, non solum mente, sed etiam corpore. Quod præcipue competit orationi secundum quod est satisfactoria. Unde dicitur Ose. ult. : Omnem aufer iniquitatem, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Tertio adjungitur vocalis oratio ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, secundum illud psalmi decimi quinti : Lætatum est cor meum, et exsultavit lingua mea*, Hactenus sanctus Thomas. Porro de privatis orationibus idem docent alii Patres. Augustinus in Regula cap. 5 : *In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit:*

diligentius observandum est, ut intrantes in cubiculum nostrum clauso ostio nostro oremus Patrem nostrum (*Matth.* VI), quod a nobis ita implebitur. Intra nostrum cubiculum supplicamus, cum ab omnium cogitationum sive sollicitudinum strepitu cor nostrum penitus amoventes, secreto quodam modo ac familiariter preces nostras Domino referamus. Clauso oramus ostio, cum strictis labiis nostris omnique silentio supplicamus, non vocum, sed cordium scrutatori. In abscondito oramus, quando corde tantum, et intenta mente petitiones nostras soli pendimus Deo, ita ut ne ipsæ quidem adversæ valeant potestates genus nostræ petitionis agnoscere. Propter quod cum summo est orandum silentio, non solum ne fratres astantes nostris susurris vel clamoribus avocemus, et orantium sensibus obstrepamus; sed ut ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maxime insidiantur, lateat nostræ petitionis intentio. Ita enim præceptum illud implebimus : [a] *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* (*Michæ* VII).

CAPUT XXXVI.

De utilitate brevis et tacitæ orationis.

Ob quod [b] frequenter quidem, sed breviter est orandum, ne immorantibus nobis, inserere aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus. Istud namque est sacrificium verum, quia *sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Psal.* L). Hæc salutaris oblatio, ista sunt pura libamina, istud *sacrificium justitiæ* (*Ibid.*), istud *sacrificium laudis* (*Psal.* XLIX), hæc sunt veræ ac pingues hostiæ, ista sunt *holocaustomata medullata* (*Psal.* LXV), quæ contritis et humiliatis cordibus offeruntur; quæque hac qua diximus disciplina et intentione spiritus exhibentes, efficaci poterimus virtute cantare : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL). Quod etiam nos opportuna commonet devotione persolvere horæ ipsius ac noctis adventus : de quo quidem licet pro tenuitatis nostræ mensura multa prolata videantur, diuque sit protracta collatio, pro sublimitate tamen ac difficultate materiæ paucis admodum credimus disputatum. His sanctis sermonibus stupefacti potius quam repleti, [c] vespertina synaxi celebrata, sopore paululum membra laxavimus, primoque diluculo supplices de pleniore tractatu iterum reversuri, ad nostra discessimus, tam de præceptorum acquisitione, quam de promissorum securitate gaudentes. Excellentiam siquidem orationis nobis tantummodo præmonstratam, ordinem vero atque virtutem, qua etiam perpetuitas ejus, vel acquirenda est, vel tenenda, necdum nos integre percepisse illis disputationibus senseramus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ut si forte aliqui, præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento. Ubi vide Umberti Commentarium. S. item Benedictus cap. 52 Regulæ : *Expleto opere Dei, omnes summo silentio exeant, et agatur reverentia Deo, ut frater qui forte sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed et si forte alter vult sibi secretius orare, simpliciter intret et oret, non in clamosa voce, sed in lacrymis, et intentione cordis*, etc. Denique Cæsarius a Turrecremato citatus : *Ante omnia*, inquit (*Tract.* 118 *in Regulam*), *fratres mei, quoties orationi incumbimus, cum silentio et quiete supplicare debemus: quia quicumque voluerit cum alta voce clamare, omnibus juxta se stantibus orationis fructum videtur auferre. Rugitus tantum, et suspiria, vel gemitu audiantur. Nam oratio nostra talis esse debet, qualis fuisse legitur Annæ matris beati Samuelis. Sic enim de illa scriptum est, quia flens orabat, et labia ejus tantummodo movebantur, et vox penitus non audiebatur.*

[a] *Ne patiaris quod Samson a Dalila passus est*, ait div. Hieronymus.

[b] Locus notandus in commendationem brevium et jaculatoriarum orationum, de quibus etiam alias egimus (*Lib.* II *Institut. c.* 10) : quibus quasi scintillis cor nostrum accenditur, et quasi quibusdam jaculis cor Dei configitur. De quarum usu monachis illis frequentato et familiari ita div. Augustinus ad Probam (*Epist.* 122) : *Dicuntur fratres in Ægypto crebrius quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas et raptim quodammodo ejaculatas : Ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non est extendenda, si perdurare non potest; ita si perduraverit, non cito esse rumpendam.*

[c] Id est, vespertino officio, seu oratione peracta.

COLLATIO DECIMA,

Quæ est secunda abbatis Isaac,

DE ORATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Inter hæc anachoretarum instituta sublimia, quæ utcumque donante Deo, licet imperito digesta sunt stylo, quiddam nos interserere atque contexere, quod velut [a] pulchro corpori nævum quemdam videatur apponere, narrationis ipsius ordo compellit :

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nævus, Festo auctore, est insigne corporis, aut macula nativa. Cicero de Nat. deorum lib. I : *At est corpori nævus; illi tamen hoc lumen videbatur.* Metaphorice sumitur pro quovis vitio. Div. Ambrosius lib. I Offic. cap. decimo octavo, *nævus erroris*, Sidonius Apollin. lib. II epist. 5 : *Violatæ religionis nævus.* Ausonius in epistol. 7 idyl. : *Nævos nostros et cicatrices amamus.* Paulinus Ausonio, epist. 2 : *Non umquam tenui saltem tua gratia nævo commaculata mihi est.* Cassianus collat. septima cap. 25 : *Cum in illis ne tenuissimum quidem nævum aut maculam in illo judicii die patiatur invenire divina clementia.* De-

quamquam non dubitem ex hoc ipso non minimam instructionem super omnipotentis Dei, quæ in Genesi legitur (*Genes.* I *et* II), imagine, quibusque simplicioribus conferendam, præsertim cum tanti dogmatis causa vertatur, ut ignoratio ejus sine ingenti blasphemia et catholicæ fidei detrimento, esse [a] non possit.

CAPUT II.

De consuetudine celebrandi Paschatis in Ægypto.

[b] Intra Ægypti regionem [c] mos iste antiqua traditione servatur, ut peracto [d] Epiphaniorum die

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nique et vulgo dici solet, nullum tam pulchrum esse corpus, ut nævo careat. Porro nævum pulchro corpori apponere dixit auctor, pro, digressionem quodammodo extraneam, et a proposito alienam, eamque subtristem et ingratam intersefere.

[a] Hic rursus omissa fuit in priori editione vocula *non*, cujus defectu sententia contraria et falsa redditur, ut per se patet.

[b] Paraphrastes rudiore stylo et syntaxi: *Mos iste in regione Ægypti servatur ex institutione antiqua, ut peracto Epiphaniorum die, quem sacerdotes illius provinciæ dicunt esse diem baptismi Christi, vel nativitatis ejus secundum carnem, unde et de utraque re illa unam tantum faciunt solemnitatem, non duas, sicut fit in Occidentis partibus.* Sed male subjungit: *Tunc itaque mittuntur epistolæ*, etc.; quasi diversa esset periodus, quam nemo non videt esse unam, et pendere abillis verbis: *Mos iste servatur*, etc., nimirum ut mittantur epistolæ, etc. Neque mihi placet quod superius pro traditione institutionem posuerit. Nam etsi traditio vim institutionis habeat, tamen traditionis vocabulum potius retinendum videtur adversus hujus temporis sectarios, qui traditiones ecclesiasticas audire nesciunt, easque penitus respuunt aut subsannant. Vide decimam nonam annotationem Cuychii.

[c] Mos iste a magno Nicæno concilio initium habuit. Cum enim ibi sanctissime decretum fuisset festum Paschatis uno eodemque die, eoque dominico, ab omnibus fidelibus celebrandum esse, quæstio deinde agitari cœpit de ratione diei Paschatis inveniendi, ut is certus statusque omnibus esset; cum alioqui periculum immineret ex diversa temporum supputatione, quæ a diversis iniretur, ut licet fideles omnes die dominico Pascha celebrarent, tamen diversis id facturi essent diebus dominicis. *Quamobrem*, ait Baronius (*Tom.* III *Annal. art.* 325), *quod omnibus constaret ex antiquissimo tempore Ægyptios hanc peculiarem sibi vindicasse scientiam, ut anni temporumnecnon solis et lunæ cursum pervestigarent; placuit sanctæ synodo in Alexandrum Ecclesiæ Alexandrinæ episcopum hanc curam conjicere, qui, adhibitis secum viris calculandi peritissimis, creditum sibi munus diligenter exsolvit. Sed et successorum Alexandrinæ Ecclesiæ episcoporum S. synodus voluit esse id muneris et officii, ut quo potissimum die singulis annis celebrandum Pascha foret, Romanæ Ecclesiæ episcopis primum significarent, a quibus reliquæ omnes Ecclesiæ certiores redderentur. Hinc S. Leo primus ad Martianum imperat. scribens* (*Epist.* 64): *Paschale, inquit, festum, quo Sacramentum salutis humanæ maxime continetur, quamvis in primo semper mense celebrandum sit; ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimi dici ambigua currat electio, et ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia quod non nisi unum esse oporteat observet. Studuere itaque SS. Patres occasionem hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino episcopo delegantes: quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis ereniret, sedi apostolicæ indicaretur, et hujus scripti ad longinquiores Ecclesias indicium generaliter percurreret.* Hæc S. Leo. Ejusdem moris meminit etiam concilium Arelatense primum cap. 1, et Innocentius I, epist. 1, ad Aurelium. Perseveravit autem mos iste diu in Ecclesia Alexandrina, ut ejus sedis episcopus paschales, quas vocabant, litteras daret, quibus Rom. pontificem primum de die Paschatis sequenti anno celebrandi commonefaceret, quamdiu videlicet catholici in illa Ecclesia sederunt episcopi. Interceptum vero fuit hujusmodi officium, cum eidem Ecclesiæ hæresiarchæ præsidere cœpissent episcopi, quod catholici eorum litteras non reciperent. Sed pergamus in textu explicando, unde cætera huc spectantia magis elucescent.

[d] Epiphania dicitur femin. gen. singulari numero, et Ephipania neut. gen. numero plurali, ut hic, sicut et Theophania utroque genere et numero, et eodem significatu. Dicitur enim festum Theophaniorum, sicut Epiphaniorum, tam a Latinis quam a Græcis (*Isidor. lib.* I *de Offic. Eccles. cap.* 26, *Athin. cap.* 5, *Amalar. lib.* IV *c.* 44, *Raban. lib.* II *cap.* 32, *Nicephor. lib.* XV *c.* 28, *Bud. in epistol.*). Est autem dies manifestati Christi nati, quo primum manifestari cœpit gentibus, cum eum magi adoraverunt: idcoque ἐπιφάνεια, id est, manifestatio, vel θεοφάνεια, id est, Dei manifestatio, seu exhibitio, nuncupatur; licet Gregorius Nazianzenus Theophaniam appellet diem (*Orat.* 38) quo Dominus Jesus Christus est natus. De die autem Epiphaniæ, sive Epiphaniorum, duo singularia hic notantur. Primum (quod etiam notavit Baronius) apud Ægyptios natalem Christi ejusque baptismum non bifarie, ut hic dicitur, id est, duobus distinctis diebus, ut fit in Ecclesia Romana et Occidentali, sed uno eodemque die (sexto nimirum Januarii, quo die celebramus nos Epiphaniam Domini, seu festum Trium Regum) celebrari consuevisse; ut constat etiam ex homilia B. Joannis Chrysostomi in cap. II Lucæ (*Tomo* II), et ex proœmio paschalis epistolæ Theophili episcopi Alexandrini, unde verisimile est Cassianum accepisse quod hic refert. Cujus etiam consuetudinis meminit Isidorus lib. I de Officiis Ecclesiasticis (*Cap.* 16), *dum agit de* festo Epiphaniæ. In qua itidem sententia fuisse videtur S. Epiphanius hæresi 51 scribens natum esse Dominum undecima die mensis Tuli (qui apud nos est dies Epiphaniæ), baptizatum autem ante sextum idus Novembris. Verum hanc opinionem refellit S. Hieronymus in Commentario super Ezechielem (*Lib.* I *cap.* 1), et hac ipsa die baptizatum Dominum, non autem natum affirmat: *Apud Orientales*, inquit *populos, post collectionem frugum, et torcularia, quando decimæ deferebantur in templum, October erat primus mensis, et Januarius quartus. Quintum autem diem mensis adjungit* (*propheta*) *ut significet baptisma, in quo aperti sunt Christo cœli, et Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est; non, ut quidam putant, natalis in carne, tunc enim absconditus est, et non apparuit, quod huic tempori congruit quando dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Ita Hieronymus. Cui sententiæ inhærens Occidentalis Ecclesia una eademque die, quam Epiphaniam appellat, adventum magorum, Christi baptismum, et primum illud insigne miraculum recolit, cum aquam Christus mutavit in vinum. Sed et Græcorum cæteri Latinæ Ecclesiæ consentientes distinguere norunt natalem diem Domini a solemnitate Epiphaniæ, ut patet ex Gregorio Nazianz. (*Orat. in Christi Nativitate*) et aliis Græcis Patribus. Alterum quod hic traditur, hoc est, moris fuisse hac ipsa die Epiphaniæ seu Epiphaniorum epistola scripta a patriarcha Alexandrino initium Quadragesimæ et diem Pascha per universas, non solum Ægypti, sed totius

(quem provinciæ illius sacerdotes vel Dominici baptismi, vel secundum carnem nativitatis esse definiunt, et idcirco utriusque sacramenti solemnitatem non bifarie, ut in occiduis provinciis, sed sub una diei hujus festivitate concelebrant), epistolæ pontificis Alexandrini per universas dirigantur Ægypti Ecclesias, quibus initium Quadragesimæ et dies Paschæ non solum per civitates omnes, sod etiam per universa monasteria designentur. Secundum hunc igitur morem post dies admodum paucos quam superior cum abbate Isaac fuerat agitata collatio, [a] Theophili prædictæ urbis episcopi solemnes epistolæ commearunt, quibus cum denuntiatione paschali contra ineptam quoque [b] Anthropomorphitarum hæresim orbis Ecclesias et monasteria denuntiari. Quod quomodo fieret, declarat Baronius hunc in modum (*Ubi supra, et Tomo V, anno* 399) : *Cognito primum ex episcopi Alexandrini litteris quoto anni die celebrandum Pascha esset, eoque apostolicæ sedis nomine omnibus Ecclesiis promulgato sacro Epiphaniæ die diaconi in singulis Ecclesiis inter sacra Missarum solemnia nuntiare consueverant. Cum vero paschalis epistola primo consueverit mitti Romam ad Rom. pontificem, a quo reliquæ accepturæ essent Ecclesiæ, in die Epiphaniæ Domini, diaconorum præconio inter sacra promulganda, utique non eodem anno, cujus Pascha indicebatur, sed superiori ab eo paschalem scribi epistolam oportuit atque mitti.* Ita Baronius. Quod ergo hic dicitur epistolas pontificis Alexandrini per universas Ægypti Ecclesias fuisse directas, quibus initium Quadragesimæ et dies Paschæ designarentur, intelligendum, monito prius Rom. pontifice, et ejus accepto mandato id factum fuisse.

[a] Theophilus Alexandriæ episcopus, qui primo de Ecclesia bene meritus, quod adversus Origenem et Origenistas strenue decertasset; deinceps autem, ob odium et persecutionem adversus Joannem Chrysostomum excitatam, pontifici Rom. et omnibus bonis exosus, tandem sub finem vitæ resipiscens, post 27 annos quibus Ecclesiam illam rexit, ex hac vita migravit. De quo Joannes Damascenus lib. III de Imaginibus narrat ex Isidoro Diacono hæc quæ sequuntur : *Theophilus ob illud peccatum* (quod scilicet Joannis Chrysostomi nomen vetuisset in ecclesia recitari) *non poterat animam agere, donec illata ei fuit imago Chrysostomi; quam ille cum esset veneratus, spiritum emisit.* In Vitis Patrum hæc de eodem leguntur (*Lib.* V *libello* 3 *novæ edit.*) : *Sanctæ memoriæ Theophilus archiepiscopus, cum moriturus esset, dixit: Beatus es, abba Arseni, quia semper hanc horam ante oculos habuisti.* Fuit autem hic Theophilus D. Hieronymi coætaneus et æqualis, ut epistolæ utriusque invicem scriptæ testantur; scripsitque tres paschales et solemnes epistolas, quas div. Hieronymus Latinitate donavit : quæ quidem epistolæ satis utiles et doctæ exstant in Bibliotheca SS. Patrum tomo III (*Bellarm. lib. de Eccles. Script.*).

[b] De Anthropomorphitis diximus alibi (*Lib.* VIII *Instit. cap.* 4) fuisse hæreticos sic dictos, quod Deum struerent humana forma et humanis membris et corpore præditum. Nitebantur duplici fundamento e sacris litteris petito. Primum, quod Deo passim in Scriptura attribuantur humana membra, caput, oculi, facies, brachia, manus, pedes; nec tantum membra, sed et actiones, passiones, affectiones humanæ, ut videre, audire, pœnitere, lætari, sedere, stare, etc. Alterum fundamentum, quod hic tangitur, quod Scriptura dicat *hominem creatum ad imaginem et similitudinem Dei* (*Genes.* 1). Cum igitur homo sit corporeus, Deum etiam oportere esse corporeum concludebant. Contra quos Theophilus ille quid præ-

A longa disputatione disseruit, eamque copioso sermone destruxit. Quod tanta est amaritudine ab universo propemodum genere monachorum, qui per totam provinciam Ægypti morabantur, pro simplicitatis errore susceptum, ut econtrario [c] memoratum pontificem velut hæresi gravissima depravatum, pars maxima seniorum ab universo fraternitatis corpore decerneret detestandum, quod scilicet impugnare Scripturæ sanctæ sententiam videretur, negans omnipotentem Deum humanæ figuræ compositione formatum, cum ad ejus imaginem creatum Adam Scriptura manifestissime testaretur (*Genes.* 1). Denique et ab his qui erant in eremo Scythi commorantes, quique perfectione ac scientia omnibus qui erant in

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

B stiterit, Gennadius Cassiano plane consentiens ita exprimit (*De Vir. Illust. cap.* 38) : *Theophilus Alexandrinæ civitatis episcopus scripsit adversus Origenem unum et grande volumen,* etc. *Sed et adversum Anthropomorphitas hæreticos, qui dicunt Deum humana figura et membris constare, disputatione longanima* [Al. *longissima*] *confutans, et divinarum Scripturarum testimoniis arguens, et convincens eos, ostendit Deum incorruptibilem et incorporeum, juxta fidem Patrum, credendum; neque ullis omnino membrorum lineamentis compositum, et ob id nihil ei in creaturis simile per substantiam; neque cuiquam incorruptibilitatem, aut inmutabilitatem, aut incorporalitatem suæ dedisse naturæ,* etc. Hæc Gennadius. Cæterum in ipsis epistolis Theophili paschalibus, quæ exstant a div. Hieronymo in Latinum translatæ, nulla mentio penitus habetur de Anthropomorphitis hæreticis, adversus quos longa disputatione disseruisse Cassianus et Gennadius, itemque Sozomenus mox citandus, C asserunt : neque S. Hieronymus, qui de eisdem sæpe meminit, quidquam adversus eos scripsisse in illis commemorat. Unde colligitur hujusmodi scripta seu epistolas Theophili adversus Anthropomorphitas posteriores fuisse illis a D. Hieronymo translatis, præter quas modo non exstant alia Theophili opera.

[c] Sozomenus hujus rei historiam memorabilem, et quidem lepidam, ita enarrat sub anno 400 (*Lib.* VIII c. 11, *Nicephor. lib.* XIII). *Interea temporis haud multo antea exorta quæstio per Ægyptum movebatur, oporteretne Deum* ἀνθρωπόμορφον, *hoc est, humana forma præditum credere. Hujus autem sententiæ plurimi erant ex monachis illic commorantibus, qui præ simplicitate, sine examine, Scripturam sacram accipiebant, et in ea Dei oculos, et faciem; et manus, et quæcumque alia hujusmodi audire consueverant. Illi vero qui reconditum in verbis sensum considerabant, diversum sentiebant, eosque qui talia dicerent, adversus Deum simpliciter blasphemos asserebant. At Theophilus etiam in Ecclesia hanc sententiam amplectendam esse* D *docebat; et in epistola quam ex consuetudine de festo Paschali scripsit, et incorporeum cogitari oportere Deum admonuit, et humanæ formæ exsortem. Quod quidem ubi Ægyptiorum monachis innotuisset, Alexandriam sese conferunt, et in unum congregati seditionem movent, et Theophilum, seu impium, de medio tollere cogitant. Cæterum ille e vestigio etiamnum tumultuantibus apparens : Perinde, inquit, vos aspexi, ac faciem Dei. Hoc dicto homines abunde compescuit, adeo ut etiam iram ponerent. Itaque* (*inquiunt*) *si sic revera sentis, etiam libros Origenis damna, cum illi suos lectores in illam sententiam inducant. Atqui mihi* (*inquit ille*) *jam pridem illa sententia stetit, ac faciam, ut videtur vobis; nam et ipse non minus illis succenseo qui Origenis opinionem sectantur. Atque ille quidem fraterculos istos ita mitigatos dimisit, ac seditionem solvit.* Ita Sozomenus.

Ægypti monasteriis præeminebant, ita est hæc epistola refutata, ut præter abbatem [a] Paphnutium nostræ congregationis presbyterum, nullus eam cæterorum presbyterorum qui in eadem eremo aliis tribus Ecclesiis præsidebant, nec legi quidem, aut recitari in suis conventibus prorsus admitterent.

CAPUT III.

Serapion in Anthropomorphitarum hæresim lapsus.

Inter hos ergo qui hoc detinebantur errore, fuit antiquissimæ [b] districtionis atque in actuali disciplina per omnia consummatus, nomine [c] Serapion, cujus imperitia super prædicti dogmatis opinione tantum præjudicabat cunctis veram tenentibus fidem, quantum ipse vel vitæ merito vel antiquitate temporis omnes fere monachos anteibat. Cumque hic sancti presbyteri Paphnutii multis adhortationibus ad tramitem rectæ fidei non posset adduci, eo quod novella ei hæc persuasio nec ab anterioribus aliquando comperta vel tradita videretur, accidit ut quidam diaconus summæ scientiæ vir nomine [d] Photinus, desiderio videndi fratres qui in eremo eadem commanebant, de Cappadociæ partibus adveniret. Quem beatus Paphnutius summa gratulatione suscipiens, ad confirmationem fidei quæ fuerat prædicti pontificis litteris comprehensa, producens in medium, coram cunctis fratribus sciscitatur, quemadmodum illud quod in Genesi dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.* I), catholicæ totius Orientis interpretarentur Ecclesiæ. Cumque ille non secundum humilem litteræ sonum, sed spiritaliter imaginem Dei ac similitudinem tradi ab universis Ecclesiarum principibus explanaret, idque copioso sermone ac plurimis Scripturarum testimoniis approbaret, nec posse in illam immensam et incomprehensibilem atque invisibilem majestatem aliquid hujusmodi cadere quod humana compositione valeat ac similitudine circumscribi, quippe quæ incorporea et incomposita simplexque natura sit, quæque sicut oculis deprehendi, ita mente non valeat æstimari; tandem senex, multis ac validissimis doctissimi viri assertionibus motus, ad fidem catholicæ traditionis attractus est. Cumque super hoc ejus assensu infinita vel abbatem Paphnutium vel nos omnes lætitia replevisset, quod scilicet virum tantæ antiquitatis tantisque virtutibus consummatum, imperitia sola et simplicitate rusticitatis erantem, nequaquam usque ad finem deviare Dominus a tramite rectæ fidei permisisset, et pro gratiarum actione surgentes preces Domino pariter funderemus, ita est in oratione senex mente confusus, eo quod [e] illam Anthropomorphitarum imaginem Deitatis, quam proponere sibi in oratione consueverat, aboleri de suo corde sentiret, ut in amarissimos fletus crebrosque singultus repente prorumpens, in terramque prostratus, cum ejulatu validissimo proclamaret, Heu me miserum! tulerunt a me Deum meum, et quem hunc teneam non habeo, vel quem adorem aut interpellem jam nescio. Super qua re valde permoti, nec non etiam præteritæ collationis virtute adhuc in nostris cordibus insidente, ad abbatem Isaac redivimus, quem cominus intuentes his sermonibus adorsi sumus.

CAPUT IV.

De reditu ad abbatem Isaac, et discussione erroris quem senex prædictus incurrit.

Licet nos ejus rei quæ nuper oborta est novitas, et præteritæ collationis quæ super orationis statu digesta est, desiderium recurrere ad tuam beatitudinem postpositis omnibus invitaret, adjecit tamen aliquid huic cupiditati etiam abbatis Serapionis tam gravis error, nequissimorum (ut arbitramur) dæmonum calliditate conceptus. Non enim prava desperatione dejicimur, considerantes eum labores tantos, quos per quinquaginta annos in hac eremo laudabiliter exegit, ignorantiæ hujus vitio non solum penitus perdidisse, sed etiam perpetuæ mortis incurrisse discrimen. Unde ergo, vel cur ei hic tam gravis error irrepserit, primum desideramus agnoscere; deinde quæsumus edoceri quemadmodum ad illam orationis qualitatem, de qua pridem non solum copiose, sed etiam magnifice disputasti, pervenire possimus. In hoc enim profecit in nobis admirabilis illa collatio, ut stuporem tantummodo mentis incuteret, non quemadmodum eam perficere vel apprehendere valeremus, ostenderet.

CAPUT V.

Responsio de origine hæreseos superius comprehensæ.

Isaac: Non est mirandum hominem simplicissimum, et de substantia ac natura divinitatis numquam penitus eruditum, rusticitatis vitio et consuetudine erroris antiqui usque nunc detineri, vel decipi potuisse, et, ut ita dicam verius, in errore pristino

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De quo alias sæpe et varia occasione egimus (*Lib.* V *Instit. cap.* 40, *collat.* 4 *cap.* 1), et rursus agendum collat. 18 cap. 15.

[b] Id est, austeritatis vel abstinentiæ.

[c] Tres hujus nominis anachoretas alibi designavimus, e quibus tertius Arsenoites, cui quinta collatio ab Auctore tribuitur de octo principalibus vitiis; quem quidem etiam hoc loco designari mihi persuadeo, cum nullam distinctionem indicarit Auctor qua intelligi possit alium esse ab eo qui hactenus nominatus et ex præcedentibus notus, sed potius eumdem esse ex attributis ei titulis colligendum reliquerit.

[d] Quis iste Photinus, incertum habeo. At certe non ille hæresiarcha, de quo div. Hieronymus in Catalogo, et Socrates lib. II cap. 3; nec ille rursum Photinus episcopus et martyr multo antiquior, utpote Irenæi præcessor. De quo idem Hieronymus epist. 84, Euseb. lib. V cap. 2 et 3. Apud Joannem Moschum, vel, si mavis, Sophronium, in Prato Spirit. (*Cap.* 127) memoratur Photinus abbas, episcopus Phari. At noster hic Photinus non episcopus, sed diaconus dumtaxat asseritur, vir certe catholicus, et in doctrina fidei egregie versatus, et inde fortasse ad episcopatum provectus.

[e] Ciaconius et alii legunt: *Illam* ἀνθρωπόμορφον *imaginem deitatis*; ἀνθρωπόμορφον, id est, speciem humanam referentem, seu humana forma effictam, ut supra expositum.

perdurare, qui non recenti, sicut putatis, dæmonum illusione, sed ignoratione pristinæ gentilitatis infertur, dum [a] secundum consuetudinem erroris illius quo dæmones hominum figura compositos excolebant, nunc quoque illam incomprehensibilem atque ineffabilem veri numinis majestatem sub circumscriptione alicujus imaginis æstimant adorandam; nihil se retinere vel habere credentes, si propositam non habuerint imaginem quamdam, quam in supplicatione positi jugiter interpellent, eamque circumferant mente, ac præ oculis teneant semper affixam. Super quorum hoc errore competenter dirigitur illa sententia : *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei* [b] *in similitudinem imaginis hominis corruptibilis* (*Rom.* I). Jeremias quoque : *Populus,* inquit, *meus mutavit gloriam suam in idolum* (*Jerem.* II). Qui error licet origine hac qua diximus quorumdam sensibus sit inolitus, nihilominus tamen in illorum quoque animis qui numquam gentili superstitione polluti sunt, sub colore testimonii hujus quo dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Genes.* I), imperitia seu rusticitate faciente, contractus est, ita ut etiam [c] hæresis, quæ dicitur Anthropomorphitarum, sub occasione detestandæ hujus interpretationis emerserit, quæ immensam illam ac simplicem divinitatis substantiam lineamentis nostris et humana figuratione compositam pertinaci perversitate contendit; quam tamen, si quis fuerit catholicis dogmatibus institutus, ut gentilem blasphemiam detestabitur, et ita ad illam orationis purissimam perveniet qualitatem, quæ non solum nullam divinitatis effigiem, nec lineamenta corporea (quod dictu quoque nefas est) in sua supplicatione miscebit, sed nec ullam quidem in se memoriam dicti cujusdam vel facti speciem seu formam cujuslibet characteris admittet.

CAPUT VI.

Quibus ex causis unicuique nostrum aut humilis Christus Jesus aut glorificatus appareat.

Secundum mensuram namque puritatis suæ, sicut superiore collatione præfatus sum (*Collat.* 9 *cap.* 8), unaquæque mens in oratione sua vel erigitur vel formatur; tantum scilicet a terrenarum ac materialium rerum contemplatione discedens, quantum eam status suæ provexerit puritatis, feceritque [d] Jesum vel humilem adhuc, vel carneum, vel glorificatum in majestatis suæ gloria venientem, internis obtutibus animæ perviderí. Non enim poterunt Jesum intueri venientem in regno suo, quia adhuc sub illa quodammodo Judaica infirmitate detenti, non queunt dicere cum Apostolo : *Et si cognovimus* [e]

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ut illi, de quorum numero se esse finxit ille, qui S. Antonio in eremo sub forma homunculi apparuit, et quisnam esset interroganti respondit : *Mortalis ego sum, et unus ex accolis eremi quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque et Incubos vocans colit* (*D. Hieron. in Vita Pauli*).

[b] Erasmus in annotationibus legit in ablativo, *in similitudine*, eo quod Græce habeatur ἐν ὁμοιώματι. *Quod ita dictum est,* inquit, *quasi dicatur, per assimilationem imaginis, ut sensus sit : Mutaverunt gloriam Dei figurando sibi imagines, quibus putabant severum Deum, qui incorporeus est, exprimere. Tales erant adversus quos disputat Paulus Actor.* XVII, *arrepta occasione ex inscriptione altaris, Ignoto Deo; ubi post multa, sic tandem infert : Genus ergo cum simus Dei, non debemus existimare auro, et argento, aut lapidi sculpturæ artis et cogitationis hominum, divinum esse simile.* Sic ipse. Qui quidem commentarius, quamvis bonus; quia tamen non optimi auctoris, non magnifaciendus est, præsertim cum Græci interpretes, Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, eodem modo interpretentur quo Latini, non ignorantes præpositionem ἐν frequenter usurpari pro ὡς, præsertim cum verbum adjunctum id postulat, ut hic.

[c] Hujus hæresis primum auctorem faciunt Audæum quemdam, a quo Audiani, seu Vadiani, dicti sunt. Sic enim refert Nicephorus lib. XI cap. 14 : *Ea ætate Audæus quoque quidam, et genere et lingua Syrus, fuit novorum dogmatum inventor. Primum namque cum perperam illud intellexisset : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, Deum humana esse forma opinatus est, eumdemque corporalia habere membra existimavit, sacræ Scripturæ sententiam non satis assecutus, quæ divini Numinis operibus humanarum partium vocabula attribuit.* Hæc ille. Porro Theodoretus, quæst. 20 in Genesim, hujusmodi hæreticos hoc argumento redarguit : *Si propterea existimatur Deus habere corpus, quale habet homo, quia Scriptura describit eum tamquam instructum et præditum membris humanis; simili ratione concluderetur hominem non esse similem Deo, nec ad ejus imaginem et similitudinem factum. Etenim Zacharias cap.* IV *describit Deum septem oculos habentem, cum nos duos tantum habeamus; et Psalmo nonagesimo inducitur Deus habens pennas et alas, quibus nos caremus; et multa alia per metaphoram Deo attribuit Scriptura, quæ si proprie et ad veritatem exigerentur, Deum facerent enormem atque monstrosum, et longe dissimillimum hominis. Non igitur imago Dei quærenda est in hominis corpore, sed in animo, qui ut Deus, sic ipse rationis, consilii et sapientiæ compos et capax est.* Vide Abulensem et Pererium in Comment in. Genesim.

[d] Tria genera hominum videntium Jesum, sive triplicem modum quo (ut habet titulus cap.) Jesus hominibus apparet, subtiliter distinguit et moraliter interpretatur. Quidam enim vident Jesum tantummodo ut carneum, sive carnalem, ut carnales Judæi, qui Christum non nisi carneum et purum hominem agnoscebant; vel qui Deum ut carneum, et corporeum imaginantur, ut Anthropomorphitæ, de quibus supra; vel Ariani, qui Christum non nisi carnem et creaturam asserebant; vel Nestoriani, qui Christum dividebant, hoc est, personam hominis a persona Verbi in Christo separabant, et Christum non Deum, sed Θεοφόρον, id est, Deiferum appellabant. Alii vident Jesum ut humilem, id est, parvulum, ut rudes et imperfecti Christiani, qui Christi humanitatem et humana ejus opera solummodo considerant; vel, ut hic habetur, in operibus externis vitæ activæ dumtaxat occupantur, ut Martha in Evangelio (*Lucæ* X), et illi ad quos Apostolus scribebat : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (*Galat.* IV). Alii denique vident et contemplantur Jesum ut gloriosum, qui ejus divinitatem et glorificationem aliaque divina et sublimia mysteria assidue recolunt et meditantur, ut pii, et perfecti monachi, et contemplativi, qui cum Maria eligunt partem meliorem, quæ non auferetur ab eis.

[e] *Secundum carnem,* id est, carnalem et visibilem corporis præsentiam : *Sed jam nunc non novimus,* id

secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus (II *Cor.* v). Sed illi soli purissimis oculis divinitatem ipsius speculantur, qui de humilibus ac terrenis operibus et cogitationibus ascendentes cum illo secedunt in excelso solitudinis monte, qui liber ab omnium terrenarum cogitationum ac perturbationum tumultu, et a cunctorum vitiorum permixtione secretus, fide purissima ac virtutum eminentia sublimatus, gloriam vultus ejus ac claritatis ejus revelat imaginem his qui merentur eum mundis animæ obtutibus intueri. Cæterum videtur Jesus etiam ab his qui in civitatibus et castellis ac viculis commorantur, id est, qui in actuali conversatione sunt atque in operibus constituti; sed non in illa claritate qua illis apparuit qui cum ipso possunt in prædicto virtutum monte conscendere, id est, Petro, Jacobo et Joanni (*Matth.* XVII). Ita enim in solitudine et Mosi apparuit (*Exod.* III), et Eliæ locutus est (III *Reg.* XVIII *et* XIX). Quod volens noster Dominus confirmare ac perfectæ nobis relinquere puritatis exempla, et quidem cum ipse fons inviolabilis sanctitatis ad obtinendam puritatem secessionis adjutorio ac solitudinis beneficio extrinsecus non egeret (non enim poterat ullis turbarum sordibus puritatis plenitudo maculari, nec contaminari humano consortio qui universa polluta emundat atque sanctificat), secessit tamen solus in montem orare (*Matth.* XIV), per hoc scilicet nos instruens suæ secessionis exemplo, ut si interpellare nos quoque voluerimus Deum puro et integro cordis affectu, ab omni inquietudine et confusione turbarum similiter secedamus, ut in hoc corpore commorantes ad similitudinem quamdam illius beatutidinis quæ in futuro repromittitur sanctis, vel ex parte aliqua nos aptare possimus, *sit*que nobis *omnia et in omnibus Deus* (I *Cor.* XV).

CAPUT VII.

In quo finis et consummatio nostrarum orationum consistat.

Tunc enim perfecte consummabitur in nobis illa nostri Salvatoris oratio, qua pro suis discipulis oravit ad Patrem dicens, *Ut dilectio qua dilexisti me, in eis sit, et ipsi in nobis*; et iterum, *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII); quando illa Dei perfecta dilectio, qua *prior nos* ille *dilexit* (I *Joan.* IV), in nostri quoque transierit cordis affectum, hac Dominica oratione completa quam credimus nullo modo posse cassari. Quod ita fiet, cum omnis amor, omne desiderium, omne studium, omnis conatus, omnis cogitatio nostra, omne quod videmus, quod loquimur, quod speramus, Deus erit, illaque unitas, quæ nunc est Patris cum Filio, et Filii cum Patre, in nostrum fuerit sensum mentesque transfusa, id est, ut quemadmodum nos ille sincera et pura atque indissolubili diligit charitate, nos quoque ei perpetua et inseparabili charitate jungamur, ita scilicet eidem copulati, ut quidquid speramus, quidquid intelligimus, quidquid loquimur, Deus sit ; in illum, inquam, pervenientes quem prædiximus finem, quem idem Dominus orans in nobis optat impleri, *Ut omnes sint unum, sicut nos unum sumus ; ego in eis, et tu in me, ut sint et ipsi consummati in unum* (*Joan.* XVII). Et iterum : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et ipsi sint mecum* (*Ibid.*). Hæc igitur destinatio solitarii [a], hæc debet esse omnis intentio, ut imaginem futuræ beatitudinis in hoc corpore possidere mereatur, et quodammodo [b] arrham cœlestis illius conversationis et gloriæ incipiat in hoc vasculo prægustare. Hic, inquam, finis totius perfectionis est, ut eo usque extenuata mens ab omni situ carnali ad spiritalia quotidie sublimetur, donec omnis ejus conversatio, omnis volutatio cordis, una et jugis efficiatur oratio [c].

CAPUT VIII.

Interrogatio super eruditione perfectionis per quam possimus ad perpetuam Dei memoriam pervenire.

Germanus : Major nobis ad præteritæ collationis illius admirationem, ob quam huc recurrimus, magnitudo stuporis accrescit. Quantum enim incitamento doctrinæ hujus ad desiderium perfectæ beatitudinis inflammamur, tanto majore desperatione concidimus, ignorantes quemadmodum disciplinam tantæ sublimitatis expetere vel obtinere possimus. Quapropter quæ in cella positi diutina meditatione volvere cœperamus, quia necesse est loquaci forsitan prosecutione proferre, quæsumus, ut explicari ea a nobis patienter admittas. Quamquam sciamus beatitudinem tuam nullis offendi solere ineptiis infirmorum, quæ vel ob hoc sunt in medium proferendæ, ut quæ in eis absurda sunt, corrigantur. Quantum itaque opinio nostra sese habet, [d] cujuslibet artis seu disciplinæ perfectio necesse est ut a quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primum ac tenerrimis initiis imbuatur, [e] ut quodam ratio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

est, non ea ratione veneramur, ut qui visibili corpore præsens esse desierit.

[a] Id est, monachi. Ita passim nominat Cassianus, præsertim lib. IX et X Institut. Græci, ἡσυχαστὰς, hesychastas, id est, tacite et quiete agentes, ut scribit Justinianus novella 5. Utramque nomenclaturam complexus est Jeremias versiculo illo, qui monachis apprime congruit : *Sedebit solitarius, et tacebit ; quia levabit se super se* (*Thren.* III). De quo vide plura ad collat. 19 cap. 8.

[b] De hac arrha, sive arrhabone, vide notata superius ad cap. 5 collat. 7.

[c] Qua nimirum compleatur ac perficiatur illud evangelicum : *Oportet semper orare, et numquam deficere* (*Lucæ* XVIII). Et illud Apostolicum : *Sine intermissione orate* (*Thes. ult.*). De qua orationis jugitate et assiduitate instituta est hæc collatio, ut patet ex fine præcedentis et toto hujus decursu.

[d] Scita et vulgata sententia, *In omni arte et scientia a facilioribus et rudioribus principiis ad altiora et difficiliora progrediendum* (*Aristot.* I *Physic.*).

[e] Hinc Paulus ad Corinthios adhuc in fide et doctrina Christiana rudes et imperitos scribens (I *Cor.* III) : *Non potui,* inquit, *vobis loqui, quasi spirituali-*

nabili lacte nutrita paulatim educataque succrescat, atque ita ab imis ad summa sensim gradatimque conscendat; quibus cum fuerit planiora principia et quodammodo januas arreptæ professionis ingressa, ad penetrabiliora quoque perfectionis excelsa fastigia consequenter et absque labore perveniat. Nam quemadmodum pronuntiare puerorum quispiam simplices poterit copulas syllabarum, nisi prius elementorum characteres diligenter agnoverit? Vel quomodo legendi peritiam consequetur, qui breves et perangustas descriptiones nominum necdum est idoneus conjugare? Qua autem ratione is qui peritia grammaticæ disciplinæ minus instructus est, vel rhetoricam facundiam, vel philosophicam scientiam consequetur? Quapropter huic quoque sublimissimæ disciplinæ per quam instruimur Deo jugiter inhærere, non dubito quædam institutionis esse fundamenta, quibus primum firmissime collocatis, post hæc superposita extollantur perfectionis excelsa fastigia. Cujus hæc esse principia tenuiter suspicamur, ut primum noverimus qua meditatione teneatur vel cogitetur Deus. Deinde hanc eamdem, quæcumque est, materiam quemadmodum valeamus immobiliter custodire, quod etiam non ambigimus culmen totius perfectionis existere. Et idcirco quamdam memoriæ hujus materiam qua Deus mente concipiatur, vel perpetuo teneatur, nobis cupimus demonstrari, ut eam præ oculis retentantes cum elapsos nos ab eadem senserimus, habeamus in promptu quo respicientes illico revertamur, ac resumere illam sine ulla circuitus mora et inquisitionis difficultate possimus. Evenit namque ut cum de theoriis spiritalibus evagati [a] ad nosmetipsos velut de [b] lethali sopore convertimur, et tamquam expergefacti materiam quærimus quæ obruta est, qua spiritalem memoriam resuscitare possimus, retardati ipsius inquisitionis mora, priusquam reperiamus eam, a nostro conatu iterum devolvamur, et antequam spiritalis quidam pariatur intuitus, concepta cordis evanescat intentio. Quam confusionem idcirco nobis accidere satis certum est, quia speciale aliquid præ oculis propositum, velut formulam quamdam, stabiliter non tenemus, ad quam possit vagus animus post multos anfractus ac discursus varios revocari, et post longa naufragia ut velut portum quietis intrare. Itaque fit ut hac ignoratione ac difficultate mens jugiter præpedita, errabunda semper et velut ebria per diversa jactetur; ne illud quidem quod casu potius quam industria sibimet occurrerit spiritale, diu ac firmiter teneat, dum aliud ex alio semper recipiens, sicut introitus eorum atque principia, ita etiam finem discessumque non sentiat.

CAPUT IX.

Responsio de efficacia intellectus, qui per experientiam colligitur.

Isaac: Inquisitio vestra tam minuta atque subtilis proximæ puritatis præsignat indicium. Nec enim de his saltem interrogare, non dicam introspicere atque discernere, quispiam prævalebit, nisi quem diligens et efficax mentis industria ac sollicitudo pervigil ad perscrutandam istarum profunditatem provexerit quæstionum, castigatæque vitæ jugis intentio per experientiam fecerit actualem attentare puritatis hujus limina januasque pulsare. Et idcirco quoniam video vos non dicam pro foribus orationis illius veræ de qua disserimus astitisse [Al. *astare*], sed ipsis quodammodo experientiæ manibus penetralia ejus et interiora palpare, et quædam membra jam jamque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

bus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi (id est, simplicem et facilem doctrinam), *non escam* solidum cibum, id est, perfectiorem, et de altioribus mysteriis doctrinam). *Nondum enim poteratis: ad nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.* Sic ad Hebræos v: *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, parvulus enim est. Perfectorum autem est solidus cibus,* etc. Et Petrus in priore Canonica: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (I *Petr.* II). Quod exponit Glossa: *Simpliciora rudimenta fidei de uberibus Matris Ecclesiæ quærite*, id est, de utriusque Testamenti Doctoribus. In quo textu Apostoli, pro *rationabiles*, in emendatis Bibliis modo legitur *rationabiles*, ut et Græce τὸ λογικον. Quod hic spectasse videtur Auctor. Sic D. Hieronymus in cap. LV Isaiæ: *Lac*, inquit, *significat innocentiam parvulorum. Qui mos ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur. De quo lacte dicebat et Paulus: Lac vobis potum dedi, non solidum cibum. Et Petrus: Quasi modo nati parvuli, rationale lac desiderate.* Idem alibi (*In Jerem.* XXXII) docet promissam esse Hebræis terram lacte et melle manantem, quia solidum cibum capere non poterant, sed melle et lacte nutriebantur infantiæ.

[a] Id est, a seriis et spiritalibus cogitationibus et meditationibus evagantes et abstracti, etc. Porro lectionum varietas in diversis exemplaribus hunc locum subobscurum et ambiguum reddit. Plantiniana editio, quam prius secuti fuimus, habet inferius: *Materiam quærimus illam, quæ obruta est, qua spiritalem memoriam resuscitare possimus.* At hæc nostra posterior lectio, ut communior, ita et emendatior videtur, qua illud *quæ obruta est* non ad memoriam spiritalem, sed ad materiam refertur. Cui etiam magis accedit Dionysiana paraphrasis in hæc verba: *Contingit quippe, ut dum a spiritalibus theoriis convertimur ad nos ipsos, quodam lethali sopore, et dein quasi expergefacti quærimus materiam quæ interrupta est, per quam resusciture possimus spiritalem memoriam*, etc. Concordat et Gallica interpretatio Joan. Lavardini, quam etiam in hujusmodi dubiis consulere haud incongruum duco; quæ sic habet: *Car il advient que quand extravagans hors les theories spirituelles, nous tombons en nous mesmes, et venons à songer à nos affections, et affaires, transportez leans, comme par un sommeil mortel, et que comme resveillez, nous cerchons ceste matiere (qui a esté accablée en nous) par laquelle nous puissions resusciter la memoire spirituelle, il advient, di je, que retardez par la longueur de la recerche, et inquisition, nous sommes derechef reiettez hors de nostre essay, de nostre effort et moyen, avant que nous la trouvions*, etc.

[b] Dionysius voculam *de* omisit. Videtur autem lethalis sopor hoc loco, quemadmodum et alibi, duobus modis exponi posse: 1° pro lethæo a Lethe flumine, id est, profundo et gravi; vel pro lethifero, seu mortifero, id est, saluti animæ noxio ac pernicioso.

contingere, nec me laboraturum credo, ut jam intra aulam quodammodo ipsius oberrantes, in adyta quoque, in quantum Dominus direxerit, introducam, nec vos ad introspicienda hæc quæ demonstranda sunt, ullo difficultatis obstaculo retardandos. Proximus enim cognitioni est, qui quid inquirere debeat, prudenter agnoscit, [a] nec a scientia longe est qui cœpit intelligere, quid ignoret. Et idcirco non vereor notam proditionis vel levitatis incurrere, si ea, quæ in superiore tractatu de perfectione orationis disserens disputationi subtraxeram, propalavero; quorum virtutem vobis in hoc exercitio ac studio collocatis, etiam sine ministerio nostri sermonis, per Dei gratiam arbitror fuisse reserandam.

CAPUT X.

De institutione orationis perpetuæ.

Quapropter, secundum illam institutionem quam parvulorum eruditioni prudentissime comparastis, qui alias elementorum traditionem primam percipere non possunt, nec eorum vel agnoscere lineas, vel intrepida manu queunt describere characteres, nisi A [b] quam primum typis quibusdam et formulis ceræ diligenter impressis, effigies eorum exprimere contemplatione jugi et quotidiana imitatione consuescant; hujus quoque spiritalis theoriæ tradenda vobis est formula, ad quam semper tenacissime vestrum intuitum defigentes, vel eamdem salubriter volvere indirupta jugitate discatis, vel *sublimiores* intuitus scandere illius usu ac meditatione possitis. Hæc igitur vobis hujus quam quæritis disciplinæ atque orationis formula proponitur, quam unusquisque monachus ad jugem Dei memoriam tendens incessabili cordis volutatione meditari, expulsa omnium cogitationum varietate, consuescat, *quia* nec alias eam ullo modo poterit retentare, nisi ab omnibus fuerit corporalibus curis ac sollicitudinibus ab- B solutus. Quæ sicut nobis a paucis, qui antiquissimorum patrum residui erant, tradita est, ita a nobis quoque non nisi rarissimis ac vere sitientibus intimatur. Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam possidendam, hæc inseparabiliter proposita vobis formula pietatis: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* [c] Hic namque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] *Nam qui nihil scit, nihil dubitat*, ait Aristoteles. Hinc Apostolus: *Qui se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.* Et Socrates Græcorum sapientissimus judicatus: *Hoc*, inquit, *scio quod nihil scio*, ut refert etiam Div. Hieronymus in epist. ad Paulinum.

[b] Ciaconius et alii legunt: *Quam protypis quibusdam et formulis*, etc. Sumitur autem hic typus sive protypon pro scriptura exemplari ad imitandum proposita. Cujus occasione non erit alienum hic notasse varium ac multiplicem scribendi modum, sive materiam scriptioni aptatam apud veteres, ante C usum chartæ nostræ inventum. Primum enim in cera, seu ceratis in tabulis, sive pugillaribus (quales etiamnum circumferuntur), instrumento quodam vel ferreo vel ænæo, alteriusve materiæ, quasi grandi acu, scribebant, illudque stylum aut graphium vocabant. Unde et dicendi genus stylum adhuc dicimus, et pugillares dicti, quod stylo in his pungendo scriberetur. Qua de re si antiquitatis testimonia requiris, occurrit Plinius lib. I Epistol.: *Erant*, inquit, *in proximo non venabulum aut lancea, sed stylus et pugillares*: *meditabar aliquid, enotabamque; ut si manus vacuas, plenas tamen ceras referrem.* Div. Hieronymus epistol. 7 eleganter et apposite ad hunc locum tradit modum quo doceatur infantula scribere, ubi hæc inter alia: *Cum cœperit trementi manu stylum in cera ducere, vel alterius superposita manu teneri, regantur articuli, vel in tabula sculpantur elementa: ut per eosdem sulcos inclusa marginibus trahantur vestigia, ut fords non queant evagari.* Et rursus epistol. 20: *Tremula manus per curvos ceræ tramites errantem stylum ducit.* Secundo, in palmarum foliis. Auctor Varro apud Servium ad VI Æneid.: *In folsii palmæ interdum notis, interdum sermonibus scribebat.* Tertio, in tenuissimis arborum corticibus: cujus generis arbor papyrus apud Ægyptios huic usui aptissima, ut alias notatum (*Collat. 3, cap. ult.*); a cujus nomine etiam hodie chartas nostras, quæ ex contritis linteis fiunt, papyrum rudem appellamus, quod eumdem nobis præstent usum, quem olim Ægyptiis præstabat papyrus. Quarto, in membranis seu tenuibus pelliculis quæ Pergami primum inventæ, unde et pergamenæ sunt appellatæ. Plinius lib. VII cap. 11: *In nuce*, ait *conclusam Iliada Homeri, carnem in membrana scriptum tradidit Cicero.* Div. Hieronymus epistol. 42 ad Niceam: *Rudes illi Italiæ homines, quod Cascos Ennius appellat, qui sibi, ut in Rhetorica Cicero ait, ritu ferino victum quærebant, ante chartæ et membranarum usum, aut in dedolatis e ligno codicillis, aut in corticibus arborum mutuo epistolarum alloquia missitabant: unde et portitores illarum tabellarios, et scriptores a libris arborum librarios vocavere.* Quinto. Fuit denique vetus, publica quidem monimenta in plumbeis voluminibus, privata vero in linteis textis scribendi mos. De quo etiam meminit Plinius lib. XIII cap. 11, Symmachus epistol. 34 lib. IV, Ausonius Paulino epistol. XXIII, unde libri lintei, Livio lib. IV (*Vide etiam Trithemium lib. de Polygraphia*).

[c] Eximia et amplissima commendatio illius versiculi Davidici: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Cujus multiplices usus utilitatesque tanta orationis copia et splendore prosequitur, ut nihil addi posse videatur. Hinc Cassiodorus in expositione ejusdem psalmi: *Hunc locum*, inquit *facundissimus Cassianus in decima collatione, plurima de ejus utilitate disserens, tanto honore concelebrat, ut quidquid monachi assumpserint, sine hujus versiculi trina iteratione non inchoent; quem repetita sæpius laude congeminans, nimis utilem esse probat ejus memoriam.* Porro hanc Cassiani, sive abbatis Isaaci doctrinam doctor Navarrus tanti fecit, ut pene totum hoc caput in suum inseruerit commentarium de Oratione cap. 19, ubi sic exorditur: *Ut jugiter Dei opt. max. recordemur, et assuescamus jugi orationi, præsertim mentali et brevi, ubicumque* D *simus, et quidquid agamus, citra impedimentum nostrarum actionum, cum magna consolatione et fructu animarum, bonum est uti illo versiculo Psalmographi: Deus, in adjutorium meum intende*, etc. Ita Navarrus. Ut autem hujus doctrinæ summam breviter perstringamus, valet in primis ille versiculus toties hic repetitus, primo ad omnes pios affectus excitandos; unde et formulam pietatis nuncupat Auctor. Secundo, ad omnes tentationes superandas aut repellendas; qua ratione murus inexpugnabilis, lorica impenetrabilis, ac munitissimus clypeus merito dicendus est. Tertio, adversus omnes animi morbos: pravas, inclinationes, affectiones, vitiorum, præsertim carnalium, titillationes, irritamenta, pericula, occasionesque peccatorum. Quarto, adversus noctur-

versiculus non immerito de toto Scripturarum excerptus est instrumento. Recipit enim omnes affectus quicumque inferri humanæ possunt naturæ, et ad omnem statum atque universos incursus proprie satis et competenter aptatur. Habet siquidem adversus universa discrimina invocationem Dei, habet humilitatem piæ confessionis, habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam; confidentiam præsentis, semperque astantis præsidii. Qui enim jugiter suum invocat protectorem, certus est eum esse semper præsentem. Habet amoris et charitatis ardorem, habet insidiarum contemplationem inimicorumque formidinem, quibus perspiciens semetipsum die noctuque vallatum, confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Iste in acedia et anxietate animi collocatos, seu tristitia, vel cogitationibus quibuscumque depressos, salutis remedia desperare non patitur, ostendens illum quem invocat inspicere jugiter nostra certamina, atque a suis supplicibus non abesse. Iste nos in spiritalibus successibus cordisque lætitia constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum non solum eum semper, sed etiam velociter ut sibi auxilietur, implorat. Iste, inquam, versiculus unicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius et utilis invenitur. Nam qui se semper et in omnibus desiderat adjuvari, manifestat quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adjutore; ut quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere. Gastrimargiæ passione perstringor, cibos quos eremus ignorat inquiro; et in squalida solitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, atque ad illorum desideria sentio me invitissimum trahi; dicendum proinde mihi est: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Anticipare horam statutæ refectionis instigor, seu modum justæ ac solitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo; cum gemitu mihi est proclamandum: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Jejuniis me ob impugnationem carnis districtioribus indigentem stomachi prohibet lassitudo, seu ventris ariditas constrictioque deterret; ut effectus meo desiderio tribuatur, vel certe ut æstus carnalis concupiscentiæ absque temperamento districtioris jejunii conquiescat, orandum mihi est: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Accedens ad refectionem, hora legitima suggerente, perceptionem panis exhorreo, atque ab omni esu naturalis necessitatis excludor; cum ejulatu proclamandum est mihi: *Deus, in adju-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nas etiam dæmonum illusiones, infestationes, etc. Valet denique ad perpetuam Dei memoriam retinendam, ad jugem et assiduam orationem facile et sine molestia tenendam (*Vide Bellarminum in proœmio hujus psalmi*). Proinde assidue, in omni loco, tempore, noctu, interdiu, in prosperis, in adversis, in omni negotio spirituali, in omni tentatione nobis pronuntiandus, mente et ore versandus ac repetendus: quemadmodum et de signo crucis, quod cum hoc versiculo adhiberi solet, ait Tertullianus lib. de Corona Militis (*Cap.* 3): *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum, et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad limina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Postremo occurrit etiam illud notandum, quod ad hujus versiculi commendationem magnopere pertinet, quod horæ canonicæ ab eodem inchoentur. Quod notavit Turrecrematus (*Post Durandum lib.* v *Ration. cap.* 2) ita commentans in cap. 9 Regulæ (*Div. Benedicti, cap.* 8), ubidicitur: *Hiemis tempore, præmisso in primis versu: Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina,* etc. *Quia, inquit, ut Dominus ait in Evangelio Joan.* XV: *Sine me nihil potestis facere, merito S. Pater officium divinum a devota oratione inchoandum disponit, quæ secundum doctrinam in collationibus Patrum traditam, in omni articulo, incessabili jugitate fundenda est, in prosperis et in adversis. In prosperis, ne extollamur; in adversis, ut eruamur. Præterea cum secundum Apostolum, Omnia in Dei nomine facienda sint* (1 *Cor.* X), *merito est ab eo inchoandum. Item Glossa super illud psalm.* LXIX: *Deus, in adjutorium meum intende, dicit: Nota quod versiculus iste ante omnes horas in initio prædicitur; quia cum orare debemus, maxime tunc nititur diabolus, ut muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti* (*Eccles.* X). *Contra ergo illius insultus auxilium ante omnia a Domino postulamus. Circa hoc autem notandum est, quod contingit tribus modis peccare, videlicet corde, ore et opere; ideoque tribus modis, ut dicitur in Rationali divinorum officiorum, horæ inchoantur, videlicet Completorium per: Converte nos, Deus salutaris noster, contra peccatum cordis; nocturnæ horæ, per: Domine, labia mea aperies, contra peccatum oris; aliæ vero horæ, per: Deus, in adjutorium meum intende, contra peccatum operis* (*Durand. Ration. lib.* V *cap.* 2). *Et quoniam in peccato cordis et oris est aliquid operis, ideo in omnibus horis tam nocturnis quam diurnis dicitur: Deus, in adjutorium meum intende. Monachi vero ex institutione S. P. Benedicti in hoc cap. dicunt primo in nocturnis horis: Deus, in adjutorium meum intende, et postea: Domine, labia mea aperies. Quia sine Dei adjutorio nec cor nec labia ad ipsius laudem aperiri valent.* Ita Turrecrematus. *Porro eumdem illum versiculum qui a S. P. N. Benedicto horis canonicis primum in suis monasteriis anteponi jussus fuerat, Gregorius Magnus pontifex, ab universa Ecclesia eisdem præmitti auctoritate Pontificia præcepit, adjectis versiculis Gloria Patri, et, Sicut erat, ut scribit Arnoldus Wion Cassinensis lib.* V *Ligni vitæ, in Gregorio.* De eodem versu Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis cap. 25 habet: *Sane versum qui in capite omnium* (*præter Missas*) *officiorum quæ horis canonicis exhibentur, dici solet, id est: Deus, in adjutorium meum intende, et reliqua, Patres antiqui suis collationibus videntur statuisse, omnibus, non tamen officiis, sed etiam operibus præmittendum: ut invocatio divinæ opitulationis, initio cujuslibet actionis assumpta, faciliorem facit et postulandi constantiam, et obtinendi virtutem. In agendis autem mortuorum, et circa passionis Dominicæ solemnitatem, inchoationes et expletiones officiorum, non ut in cæteris fiunt; tristitiæ videlicet significandæ causa.* Hæc ille.

torium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina. Volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni, interpellans capitis prohibet dolor, horaque tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit ; ac deputatum quieti tempus, vel transgredi, vel prævenire compellor, ipsum denique canonicum synaxeos psalmorumque modum intercidere me gravissima somni cogit impressio ; similiter proclamandum est mihi : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Sublato ab oculis meis sopore, multis me noctibus, diabolicis insomniis, video fatigatum, omnemque a palpebris meis refectionem nocturnæ quietis exclusam ; cum suspiriis orandum est mihi : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Adhuc me in colluctatione positum vitiorum titillatio carnis repente compungit, et ad consensum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur ; ne ignis alienus exæstuans urat suave olentes flosculos castitatis, clamandum mihi est : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Exstincta sentio libidinis incentiva, et genitalem membris meis intepuisse fervorem, ut parta hæc virtus, immo gratia Dei in me diutius vel perpetuo perseveret, intente dicendum est mihi : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Iræ, philargyriæ, tristitiæ stimulis inquietor, cogorque propositam atque amicam mihi interrumpere lenitatem ; ne in amaritudinem fellis perturbatione furoris abducar, cum summo mihi gemitu proclamandum est : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Acediæ, cenodoxiæ, superbiæ elatione pertentor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddam sibi mens subtili cogitatione blanditur ; ne in me prævaleat hæc inimici in me perniciosa suggestio, cum omni contritione cordis orandum est mihi : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Humilitatis et simplicitatis gratiam, superbiæ tumore deposito, jugi compunctione spiritus acquisivi ; *ne* rursum *veniat mihi pes superbiæ, et manus peccatoris moveat me* (*Psal.* XXXV), graviusque de victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum est viribus : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Evagationibus animæ innumeris ac diversis, et instabilit te cordis exæstuo, nec cogitationum dispersiones valeo coercere, ipsamque orationem meam fundare absque interpellatione atque phantasmate inanium figurarum, sermonumque et actuum retractatione non possum, tantaque me sentio sterilitatis hujus aridilate constrictum, ut nullas omnino spiritalium sensuum generationes parturire me sentiam ; ut de hoc animi squalore merear liberari, unde me gemitibus multis atque suspiriis expedire non possum, necessarie proclamabo : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Directionem rursus animæ, stabilitatem cogitationum, alacritatem cordis, cum ineffabili gaudio et mentis excessu, visitatione sancti Spiritus me sentio consecutum, exuberantia quoque spiritalium sensuum redundare, revelationem sacratissimorum intellectuum, et antea penitus mihi occultorum, repentina Domini illustratione percepi ; ut in his merear diutius immorari, sollicite mihi est frequenterque clamandum : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Nocturnis dæmonum terroribus circumvallantibus exagitor, et immundorum spirituum phantasmatibus inquietor ; spes ipsa mihi salutis ac vitæ, trepidationis horrore subtrahitur, ad salutarem versiculi hujus portum confugiens totis viribus exclamabo : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Rursus cum fuero consolatione Domini reparatus, et ipsius animatus adventu velut innumeris angelorum millibus me sensero circumseptum, ita ut eorum quos morte gravius antea tremiscebam, et quorum tactum, immo viciniam, horrore mentis et corporis sentiebam, repente congressus expetere audeam ac provocare conflictus, ut in me constantiæ hujus vigor per Dei gratiam diutius immoretur, totis mihi est viribus proclamandum : *Deus, in adjutorium meum intende ; Domine, ad adjuvandum me festina.* Hujus igitur versiculi oratio, in adversis ut eruamur, in prosperis ut servemur ne extollamur, incessabili jugitate fundenda est. Hujus, inquam, versiculi meditatio in tuo pectore indirupta volvatur. Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel in itinere constitutus decantare non desinas. Hunc et dormiens, et reficiens, et in ultimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc voluA tatio cordis velut formula tibi salutaris effecta, non solum illæsum ab omni dæmonum incursione custodiet, sed etiam cunctis te vitiis terrenæ contagionis expurgans, ad illas invisibiles theorias cœlestesque perducet, atque ad illum ineffabilem ac perpaucis expertum provehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditanti tibi somnus irrepat, *donec ineffabili* ejus exercitatione formatus, etiam per soporem eum decantare consuescas. Hic tibi expergefacto primus occurrat, is te evigilante cogitationes anticipet universas, iste te de tuo surgentem cubili curvationi genuum tradat, atque illinc deinceps ad omne opus actusque deducat, hic te omni tempore prosequatur ; hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris, sedens in domo et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens ; hunc scribes in limine et januis oris tui ; hunc in parietibus domus tuæ ac penetralibus tui pectoris collocabis, ita ut hæc ad orationem procumbenti sit tibi acclivis decantatio ; et exinde consurgenti atque ad omnes usus vitæ necessarios incedenti fiat erecta et jugis oratio.

CAPUT XI.

De perfectione orationis, ad quam prædicta traditione conscenditur.

Istam mens indesinenter formulam teneat, donec usu ejus incessabili et jugi meditatione firmata, cunctarum cogitationum divitias amplasque substantias abjiciat et refutet, atque ita versiculi hujus paupertate constricta, ad illam Evangelicam beatitudinem

quæ inter cæteras beatitudines primatum tenet, prona facilitate perveniat. *Beati*, enim, inquit, *pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* v). Et ita per istiusmodi paupertatem egregius pauper existens, illud propheticum implevit eloquium. *Pauper et inops laudabunt nomen tuum* (*Psal.* LXXIII). Et revera quæ major aut sanctior potest esse paupertas quam illius qui nihil se præsidii, nihil virium habere cognoscens, de aliena largitate quotidianum poscit auxilium, et vitam suam atque substantiam singulis quibusque momentis divina ope intelligens sustentari, verum se mendicum Domini non immerito profitetur, suppliciter ad eum quotidie clamans, *Ego autem mendicus et pauper sum, Deus, adjuva me* (*Psal.* XXXIX)? Et sic ad illam quoque multiformem scientiam Dei ipso illuminante conscendens, incipiat deinceps sublimioribus ac sacratioribus mysteriis saginari, secundum illud quod dicitur per Prophetam : *Montes excelsi cervis,* [a] *petra refugium erinaciis* (*Psal.* CIII). Quod satis proprie huic quem diximus sensui coaptatur; eo quod quisquis in simplicitate atque innocentia perseverans, nulli est noxius vel molestus, sed sua tantum simplicitate contentus, solummodo se ab insidiantium præda desiderat contutari, velut erinacius spiritalis effectus, jugi evangelicæ illius [b] petræ velamine protegatur, id est, memoria Dominicæ passionis, prædictique versiculi incessabili meditatione munitus, infestantis inimici declinet insidias. De his spiritalibus erinaciis et in Proverbiis ita dicitur : *Et* [c] *erinacii gens invalida qui fecerunt in petris domos suas.* Et revera quid invalidius christiano, quid infirmius monacho, cui non solum nulla injuriarum vindicta suppeditat, sed ne levis quidem tacitaque commotio saltem intrinsecus pullulare conceditur? Quisquis autem ex hoc proficiens statu, non solum innocentiæ simplicitatem possidet, sed etiam discretionis virtute munitus, virulentorum serpentium exterminator effectus est, habens contritum Satanam sub pedibus suis, et ad figuram rationabilis cervi mentis alacritate pervenit, pascetur in propheticis atque apostolicis montibus, id est, excelsissimis eorum ac sublimissimis sacramentis; quorum jugi pascuo vegetatus, omnes quoque psalmorum affectus in se recipiens, ita incipiet decantare, ut eos non tamquam a Propheta compositos, sed velut a se editos, quasi orationem propriam profunda cordis compunctione depromat, vel certe ad suam personam æstimet eos fuisse directos, eorumque sententias non tunc tantummodo per Prophetam aut in Propheta fuisse completas, sed in se quotidie geri implerique cognoscat. Tunc enim Scripturæ divinæ nobis clarius perpatescunt, et quodammodo earum venæ medullæque panduntur, quando experientia nostra earum non tantum percipit, sed etiam prævenit notionem, sensusque verborum non per expositionem nobis, sed per documenta reserantur. Eumdem namque recipientes cordis affectum quo quisque decantatus vel conscriptus est psalmus, velut auctores ejus facti, præcedemus magis intellectum ipsius, quam sequemur; id est, ut prius dictorum virtutem quam notitiam colligentes, quid in nobis gestum sit, vel quotidianis geratur incursibus, superveniente eorum meditatione quodammodo recordemur, et quid in nobis vel negligentia nostra pepererit, vel diligentia conquisierit, vel providentia divina contulerit, vel instigatio fraudaverit inimici, vel subtraxerit lubrica ac subtilis oblivio, vel intulerit humana fragilitas, seu improvida fefellerit ignoratio, decantantes reminiscamur. Omnes namque hos affectus in Psalmis invenimus expressos, ut ea quæ incurrerint, velut in speculo purissimo pervidentes, efficacius agnoscamus, et ita [d] magistrantibus effectibus [*Lips. in marg.*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Div. Hieronymus epistol. 3 legit : *Petra refugium leporibus. Pro quo,* inquit, *multi herinaceis legunt. Herinaceus animal est parvum, et fugax, et spinarum sentibus prægravatum.* Et in epistol. ad Suniam et Fretellam (*Epist.* 135) : *Petra refugium herinaceis, pro quo in Hebræo positum est sephanium; et omnes χοιρογρύλλους voce simili transtulerunt. Soli Septuaginta, lepores interpretati sunt,* τοῖς λαγωοῖς, *id est, petra refugium leporibus. Sciendum est animal esse non majus hericio, habens similitudinem muris et ursi : unde et in Palæstina* κτομῦς *dicitur; et magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum et terræ foveis habitare consueverunt.* Sic Hieronymus. Isidorus vero lib. XII Origin. cap. 3: *Ericius,* inquit, *qui et herinaceus dicitur, animal spinis coopertum, quod exinde dicitur cognominatum, eo quod subigit se quando spinis suis clauditur, quibus undique protectus est contra insidias. Nam statim ut aliquid senserit, primum se subigit, atque in globum conversus in sua arma recolligit* (*Vide Plinium lib.* VIII *cap.* 37). Hæc ipse. Porro assimilatur hic monachus ericio, sive herinaceo, varia ratione : 1° propter innocentiam et simplicitatem; 2° propter cautionem et prudentiam naturalem, qua sibi refugium quærit in cavernis seu foraminibus petrarum, vel intra seipsum se recolligit ac revolvit, ut undique suis spinis tectus ac tutus maneat; 3° propter humilitatem seu parvitatem. Verum longe aliter de ericio ejusque natura et significatione ratiocinatur D. Gregorius in Pastorali (I *Par. c.* XII), ut ibi videre est.

[b] Petram evangelicam allegorice Christum intelligit : in cujus foraminibus, id est, vulneribus, spiritualis ericius, id est, humilis monachus suum habet subterfugium, asylum ac tutamen : de qua quidem petra ait Apostolus ad Corinthios : *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus* (I *Cor.* X). Et Psalmista : *Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram Psal.* XXXVI). Et Sponsus in Canticis : *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ* (*Cantic.* II). Denique illud evangelicum : *Posuit fundamentum super petram* (*Lucæ* VI). Etiam de Petra evangelica, id est, Christo, a Patribus subinde exponitur. D. Basilius apud S. Thomam in Catena aurea : *Ponere,* inquit, *fundamentum super petram, hoc est, inniti fidei Christi, ut immobilis perseveret in adversis, sive humanitus, sive divinitus accidant.*

[c] Vulgo legimus : *Lupusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cubile suum.*

[d] Ita Ciaconius in editione Lugdunensi, puto, et Romana; et hoc, credo, sensu, ac si dicatur : experientia rerum magistra edocti, quod in proverbio est. Quæ quidem lectio et sensus non male antece-

affectibus] eruditi, non ut audita, sed tamquam perfecta palpemus, nec tamquam memoriæ commendata, sed velut ipsi rerum naturæ insita, de interno cordis parturiamus affectu, ut eorum sensus non textu lectionis, sed experientia præcedente penetremus, atque ita ad illam orationis incorruptionem mens nostra perveniat, ad quam in superiore tractatu, quantum Dominus donare dignatus est, ordo collationis ascendit (*Collat.* 9 *cap.* 29), quæ non solum nullius imaginis occupatur intuitu, sed etiam nulla vocis, nulla verborum prosecutione distinguitur, ignita vero mentis intentione per ineffabilem cordis excessum inexpugnabili spiritus alacritate profertur, quamque mens extra omnes sensus ac visibiles effecta materias, gemitibus inenarrabilibus atque suspiriis profundit ad Deum.

CAPUT XII.

Interrogatio quemadmodum spiritales cogitationes immobiliter teneantur.

Germanus : Non solum nobis traditionem spiritalis hujus quam poposcimus disciplinæ, sed ipsam plane perfectionem satis aperte atque dilucide putamus expressam. Quid enim potest esse perfectius, quidve sublimius, quam Dei memoriam tam compendiosa meditatione complecti, atque [a] unius versiculi volutatione a cunctis visibilium terminis demigrare, et quodammodo affectus orationum cunctadentibus et consequentibus cohæret. At plerique alii habens : *Magistris affectibus eruditi.* Quos secutus Paraphrastes : *Eruditi*, inquit, *affectibus propriis, tamquam magistris, palpemus ea, non quasi audita*, etc., quæ et Gallicus interpres verbo tenus expressit.

[a] Illius scilicet versiculi : *Deus, in adjutorium meum intende*, etc., de quo supra (*Cap.* 10).

[b] Capitulum pro argumento, vel pro exordio sive principio, sumitur; quomodo etiam D. Hieronymus (*In Quæst. Hebr. et in Isa.* c. XXIX *et in Ezech. cap.* 11) legit et exponit illud psalmi XXXIX : *In capite vel in capitulo libri scriptum est de me*, id est, in principio Geneseos vel in Scriptura sancta, quæ unus liber appellatur. Porro Dionysius hoc loco pro capitulo posuit versum alicujus psalmi, quo videtur quemcumque versum cujuslibet psalmi intelligere. Quod nec velim improbare.

[c] Hanc mentis instabilitatem et evagationem in oratione deplorat etiam D. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, velut personam hominum indevotorum in se repræsentans : *Ad orationem*, inquit, *assisto; non orarem si non crederem; sed si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, jacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certo trunco crucis, nec prius amitterem, quam misericordiam impetrarem. Nunc vero creberrime in oratione mea per porticus deambulo, aut de fenore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictis erubescenda sunt gero. Ubi est fides? Siccine putamus orasse Jonam? Sic tres pueros? Sic Danielem inter Leones? Sic latronem in cruce?* Ita S. Hieronymus. Hoc ipsum expertus etiam est S. Hilarion, de quo idem D. Hieronymus (*In Vita Hilarion.*) : *Orabat*, inquit, *semel fixo in terram capite, et ut natura fert hominum, abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat. Insiliit dorso ejus festinus agitator* (diabolus) *et latera calcibus, cervicem flagello verbe-*

um brevi sermone concludere! Et idcirco unum quod superest, adhuc nobis precamur exponi, quemadmodum hunc eumdem versiculum quem nobis vice formulæ tradidisti, stabiliter retinere possimus, ut sicut per Dei gratiam sumus a sæcularium cogitationum ineptiis liberati, ita spiritales quasque immobiliter retineamus.

CAPUT XIII.

De mutabilitate cogitationum.

Cum enim [b] capitulum cujuslibet psalmi mens nostra conceperit, insensibiliter eo subtracto, ad alterius Scripturæ textum nesciens stupensque devolvitur. Cumque illud in semetipsa cœperit *volutare*, necdum illo ad integrum ventilato, oborta alterius testimonii memoria, meditationem materiæ prioris excludit, de hac quoque ad alteram, subintrante alia meditatione transfertur, et ita animus semper de psalmo rotatus ad psalmum, de Evangelii textu ad Apostoli transiliens lectionem, de hac quoque ad prophetica devolutus eloquia, et exinde ad quasdam spiritales delatus historias, per omne Scripturarum corpus instabilis vagusque jactatur; nihil pro arbitrio suo prævalens vel abjicere vel tenere, nec pleno quidquam judicio et examinatione finiri, palpator tantummodo spiritalium sensuum ac degustator, non generator nec possessor effectus; [c] atque ita mens

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

rans : Eia, inquit, cur dormitas? Cachinnansque desuper, cum defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur. Hæc Hieronymus. Cæterum de evagatione seu distractione mentis in oratione videndus hic Turrecrematus, qui hac de re satis copiose disserit tractatu 77 in Regulam D. Benedicti, ubi hæc inter alia : Notandum quod cum cor evagationem patitur in orationibus, aliquando accidit ex infirmitate humana, aliquando ex negligentia, aliquando ex proposito. Licet autem totum sit reprehensibile, tamen tertium magis quam secundum, et secundum magis quam primum. Item sunt quædam cogitationes de quibusdam necessariis, sicut cum incumbit alicui de quo oportet eum cogitare. De quibus habetur Sapient. IX : *Terrena cogitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Aliæ sunt vanitatis, de quibus Psalmista : *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.* Aliæ sunt iniquitatis, Sap. I : *Perversæ cogitationes separant a Deo.* In orationibus cavendum est a primis; sed plus a secundis, plus a tertiis. Item quædam cogitationes oriuntur ex immissione dæmonum; quædam ex culpa præcedenti, ut cum quis ante orationem adeo vagus est, quod illa occasione occurrant ei orando, sicut et somniando quæ eum impediunt; quædam ex culpa præsenti, ut cum dicendo divinum officium, se occupat in aliis. Primum malum, secundum pejus, tertium pessimum. Item orando occurrunt quædam cogitationes utiles et de pertinentibus ad orationem, ut cum occasione alicujus verbi occurrentis in oratione, cogitat quis aliquid utile ad faciendum sermonem, vel ad orationem conficiendam; quandoque occurrunt utiles, sed de impertinentibus; quandoque quædam impertinentes et inutiles, immo quandoque nocivæ. Primæ habent aliquam excusationem, secundæ minorem, tertiæ minimam. Secundum ergo præcedentes differentias cogitationum, potest adverti, quando plus debet timere quis conscientiæ suæ, cum patitur evagationem cogitationum in orando. Hæc Turrecrematus. Subdit deinde salubre monitum D. Bernardi (*Serm.* 47 *in Cant.*), eodem spectans in

mobilis semper ac vaga in tempore quoque synaxeos velut ebria per diversa distrahitur, nullum officium competenter exsolvens. Verbi gratia : dum orat, psalmum aut aliquam recolit lectionem ; dum cantat, aliud quid meditatur quam textus ipsius continet psalmi; cum lectionem recitat, faciendum aliquid voluit, factumve reminiscitur, atque in hunc modum nihil disciplinate nec opportune recipitur vel dimittitur, velut fortuitis agi videatur incursibus; retinendi ea quibus delectatur, vel immorandi eis non habens potestatem. Necessarium ergo nobis est præ omnibus nosse quemadmodum hæc spiritalia competenter explere possimus officia, vel certe hunc eumdem versiculum quem nobis vice formulæ tradidisti, immobiliter custodire, ut omnium sensuum ortus ac finis non in sua volubilitate fluctuent, sed in nostra ditione consistant.

hæc verba : *Vos meno, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus ; pure, ut nihil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis ; nec solum dico vitandas cogitationes vanas et otiosas : vitandæ sunt et illæ, illa dumtaxat hora, et illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate, quasi necessario frequenter admittere compelluntur. Sed ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante in claustro sedentes in codice legeratis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.* Ita divus Bernardus.

[a] Multa his consentanea reperies apud D. Gregorium lib. XXVI Moral. c. 36 et 37, et S. Bernardum lib. de interiori domo c. 54 et seq.

[b] Hac sententia continetur ex exprimitur scopus et argumentum hujus collationis, quam et titulus præ se fert, nimirum de qualitate et assiduitate orationis, cujus idcirco explanationem hucusque distulimus. Similes vero sententiæ passim in Scripturis leguntur. Ut ps. XXXIII: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Eccl VIII: *Non impediaris orare semper.* Luc. XVIII. *Oportet semper orare, et numquam deficere.* Luc. XXI: *Vigilate, omni tempore orantes.* Et c. ult. : *Erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum.* Sed hæc quomodo intelligenda sint, merito quæritur, cum humana fragilitas non ferat assiduam et numquam intermissam orationem. Cujus difficultatis plures solutiones et explicationes invenio. Prima, *Semper et sine intermissione orandum*, non quod semper in oratione occupati esse possimus, sed quod semper aut orare, aut aliquid boni agere debeamus (*August. in psal.* XXXIII). *Ille enim semper orat qui semper bene agit ; et numquam cessat orare qui non cessat benefacere,* ait Glossa ordinaria ; quam D. Thomas clarius exponens (2-2, *q.* 33. *art.* 14) docet *orationem debere esse assiduam, non quidem secundum se, sed secundum causam suam, hoc est, secundum affectum seu desiderium charitatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem in nobis debet esse continuum, vel actu, vel virtute. Manet enim virtus hujus desiderii in omnibus quæ ex charitate facimus. Omnia autem debemus in Dei gloriam facere, ut dicitur* I *Cor.* X. *Unde Augustinus dicit ad Probam* (*Epist.* 121) : *In ipsa fide et charitate continuato desiderio semper oramus. Sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua, quoniam oportet aliis operibus occupari.* Hæc S. Thomas. Verum non videntur hujusmodi sententiæ, et quod eis exprimitur, orandi præceptum, de sola virtuali oratione, seu affectu charitatis et desiderio vitæ æternæ (quod in omni opere bono supponitur) intelligi posse,

CAPUT XIV.

Responsio quemadmodum stabilitas cordis seu cogitationum possit acquiri.

Isaac : Licet pridem super hac re disputantibus nobis de orationis statu, quantum reor, sit sufficienter expressum, tamen quia vobis hæc eadem poscitis interari de confirmatione cordis breviter intimabo. [a] Tria sunt quæ vagam mentem stabilem faciunt, vigiliæ, meditatio et oratio. Quarum assiduitas et jugis intentio conferunt animæ stabilem firmitatem. Quæ tamen alias nullo modo poterunt apprehendi, nisi per operis, non philargyriæ, sed sacris cœnobii usibus dedicati infatigabilem jugitatem omnes omnino sollicitudines et curæ vitæ præsentis prius fuerint abdicatæ, ut ita illud Apostolicum mandatum, [d] *Sine intermissione orare,* possimus implere. Perparum quandoquidem actum quemdam manifeste requirant, Nam qui actu aut numquam aut rarissime oraret non censeretur huic præcepto satisfacere, etiamsi affectum illum charitatis retineret. Proinde alia est expositio D. Augustinus in I. de Hæres. (*Cap.* 57), quam primus PP. Nicolaus in respons. ad consulta Bulgarorum refert ac sequitur (*Cap.* 61), qua ille dicitur *semper et sine intermissione orare,* qui nullo die certa orandi tempora prætermittit. Quo modo David et Miphiboseth dixit II Reg. c. IX : *Tu comedes panem in mensa mea semper,* id est, quotidie, horis consuetis. Sic S. Hieronymus in ep. 22 ad Eustochium : *Quamquam Apostolus orare nos semper jubeat, et sanctis etiam ipse sommus sit oratio ; tamen divisas orandi horas debemus habere, ut si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.* S. item Eligius episcopus Noviomensis homil. 11 in cœna Domini (*In Biblioth. Pat. tom.* II) : *Quis,* inquit, *potest semper orare, ac sine defectu et intermissione precibus insistere, ut nec alimentum sumendi nec dormiendi tempus habeat? Cui ergo dicendum est : Oportet semper orare, et non deficere, nisi ei qui canonicis horis quotidie, juxta ritum ecclesiasticæ traditionis, psalmodiis precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit? Et hoc est quod ait Psalmista : Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Sic ille. Quod totidem fere verbis refert Beda in cap. XVIII Lucæ. Hanc interpretationem juvat, quod Act. XII scriptum est, quod cum Petrus in carcere detineretur, *Oratio sine intermissione fiebat ab Ecclesia pro eo.* Et Apostolus ad Thessalonicenses scribit : *Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione* (I *Thess.* I). Quibus tamen verbis non excluduntur temporis intervalla ad edendum, dormiendum, et alia charitatis aut naturæ officia implenda. Tertia sententia est in his vocabulis, *semper, omni tempore, et sine intermissione*, hyperbolem quamdam esse ; ut idem sit, semper orare quod multum et frequenter orare, seu orationi incumbere, ut ait D. Benedictus (*C.* 4 *Regulæ*), vel quantum humana fragilitas patitur, ut habet D. Chrysost. Quomodo Apostolicum hoc præceptum exponere videtur S. Athanasius ita de S. Antonio scribens : προσηύχετο συνεχῶς, μαθὼν ὅτι δεῖται' ἰδίαν προσεύχεσθαι ἀδιαλείπτως : id est, orabat frequenter, quippe qui didicerat quod oporteret privatim sine intermissione orare. Quarta et verissima expositio est, illis verbis nihil aliud significari quam constanter et perseveranter orandum esse ; et non debere nos, si statim non assequamur quod petimus, desperare et animum abjicere, quod est *deficere*, apud Lucam (*Luc.* XVIII) ; immo magis ac magis instare,

namque orat, quisquis illo tantum tempore, quo genua flectuntur, orare consuevit. Numquam vero orat, quisquis etiam flexis genibus evagatione cordis qualicumque distrahitur. Et idcirco quales orantes volumus inveniri, tales nos esse opportet ante tempus orandi. Necesse est enim mentem in tempore supplicationis suæ de statu præcedente formari, illisque eam cogitationibus orantem, vel ad cœlestia sublimari, vel ad terrena demergi, quibus ante orationem fuerit immorata. Huc usque abbas Isaac attonitis nobis secundum collationem de orationis qualitate digessit. Cujus doctrinam super [a] illius prædicti versiculi meditatione, quam velut informationis loco in- A cipientibus tradiderat retinendam, admirantes admodum, et excolere tenacissime cupientes, utpote quam compendiosam ac facilem credebamus, difficiliorem satis ad observandum experti sumus, quam illud studium nostrum quo solebamus antea per omne Scripturarum corpus absque ullius perseverantiæ vinculo varia passim meditatione discurrere. Constat igitur neminem prorsus ob imperitiam litterarum a perfectione cordis excludi, nec rusticitatem obesse ad capessendam cordis atque animæ puritatem, quæ compendiosissime adjacet cunctis, si modo sanam et integram mentis intentionem jugi ad Deum versiculi hujus meditatione servaverint.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

pulsare, iterum atque iterum orare ac petere, donec saltem *propter improbitatem*, id est, importunitatem, obtineamus, si nobis expediat. Id enim proprie significant illæ parabolæ de vidua instante apud judicem, et de amico importune petente tres panes; quorum exemplo docuit Christus non solum certis horis, sed quacumque oblata occasione tum noctu, tum interdiu orationi vacandum.

[a] Nempe : *Deus, in adjutorium meum intende,* etc. B De cujus efficacia et multiplici usu ac utilitate superius fusissime disseruit hic anachoreta (*cap.* 10 *hujus Collat.*).

JOANNIS CASSIANI

ABBATIS MASSILIENSIS

COLLATIONUM XXIV

COLLECTIO

IN TRES PARTES DIVISA.

PARS SECUNDA,

COMPLECTENS

SEPTEM ALIAS COLLATIONES, PATRUM IN THEBAIDE ÆGYPTI CONSISTENTIUM.

Praefatio.

AD HONORATUM EPISCOPUM ET EUCHERIUM.

Cum virtutum perfectionis vestræ, qua velut magna quædam luminaria in hoc mundo admirabili claritate fulgetis, multi sanctorum qui vestro eruditione exemplo vix queant æmulari, tamen vos, [a] o sancti fratres, Honorate et Eucheri, tanta illorum sublimium virorum, a quibus prima anachoreseos

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Tres collationum ordines sive classes instituit Cassianus, ut alias dictum est (*In* 1 *præfat. collat.*), et unicuique classi propriam præfationem, velut liminarem et nuncupatoriam epistolam præfixit. Post primam itaque classem Helladio et Leontio dicatam, nova jam præfatione Honoratum et Eucherium, viros sanctos, sibi notos ac familiares, salutat, eisque secundam classem, hoc est, septem sequentes collationes trium anachoretarum in Thebaidis solitudine degentium, nuncupat. Quinam vero fuerint illi, Honoratus scilicet et Eucherius, etsi certo affirmare non ausim, tamen ex circumstantiis et conditionibus hic expressis videor mihi haud improbabiliter colligere, Honoratum illum tunc temporis episcopum Arelatensem; Eucherium vero C nondum quidem id temporis episcopum, postea tamen creatum episcopum Lugdunensem, designari; utrumque virum sanctum, quemadmodum sanctos eos nominat Cassianus, utrumque ipsi Cassiano coætaneum et in Gallia seu Gallicanis partibus agentem, eoque facilius notum, quo vicinum. Nam Eucherium certe hoc tempore, cum has ei collationes Cassianus dedicaret, nondum exstitisse episcopum, satis colligitur tum ex inscriptione, ubi solus Honoratus nominatur episcopus, tum ex præfatione in septem ultimas collationes, ubi similiter profitetur Auctor se has septem collationes beato episcopo Honorato sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicasse. De utriusque porro sanctitate nulla est ambiguitas, cum illius memoria 17 Februarii, hujus vero sexto

[a] instituta suscepimus, laude flammamini, ut unus quidem vestrum [b] ingenti fratrum cœnobio præsidens, congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conversationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet institui; alter vero ut etiam corporali eorumdem ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit, ut hanc quasi frigoris Gallicani rigore torpentem provinciam derelinquens ad illas quas sol justitiæ proximus respicit terras, maturis virtutum fructibus redundantes, [c] velut turtur castissimus transvolaret. Necessario hoc mihi virtus charitatis extorsit, ut unius desiderio, alterius etiam labori consulens, tam abruptum scribendi periculum non vitarem, dummodo et priori apud filios adderetur auctoritas, et secundo tam periculosæ navigationis necessitas demeretur. Proinde quia fidei vestræ atque fervori, nec illa Instituta cœnobiorum quæ duodecim libellis ad beatæ me-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

decimo calend. Decembris in Ecclesia celebris habeatur (*Vide Gennad. de Vir. Illust.* c. 63, *Isidor. de Vita et Mor. sanct. cap.* 16). Nec minus evidens est S. illum Honoratum abbatem primum, deinde episcopum fuisse creatum, et fratrum nihilominus cœnobio præsidentem, ut hic asseritur. Siquidem Eucherius ipse in præfatione lib. I ad Salonium hæc de Honorato: *Enutritus*, inquit, *es ab Honorato Patre, illo, inquam, primo insularum, postea Ecclesiarum magistro.* Hæc idcirco Eucherius; quoniam sanctus Honoratus antequam præficeretur Ecclesiæ Arelatensi, celebri cœnobio insulæ Lyrinensis, vel Lerinensis, præfuerat abbas, cujus et fundator exstiterat. Unde idem Eucherius de congregatione Lyrinensi loquens: *Digna*, inquit, *quor Honorato auctore fundata sit, quæ tantis institutis tantum nacta sit Patrem Apostolici spiritus vigore et vultus honore radiantem.* Porro S. Eucherium etiam ante episcopatum vitam monasticam exercuisse in cœnobio illo Lyrinensi, testatur ejus liber de laude illius eremi, scilicet Lyrinensis, ubi omnes ad ejus insulæ eremum invitat; nec non Hilarius in Vita S. Honorati. Denique utrumque Cassiano coætaneum et synchronum fuisse ratio temporum demonstrat. Præfuit enim Arelatensi Ecclesiæ S. Honoratus, ut notat Baronius (*In notis ad Martyrol.*), temporibus Theodosii Junioris et Valentiniani tertii, cum Roman. Ecclesiam regeret Cœlestinus, ac post eum Sixtus. Atqui eisdem temporibus Cassianum apud Massiliam floruisse compertum est, Gennadio, Trithemio, aliisque auctoribus. Eucherius tametsi paulo junior, tamen eadem etiam ætate vixisse ex iisdem comprobatur; qui, ut ait Gennadius, *Cassiani quædam opuscula lato tensa eloquio, angusto revolvens verbi tramite, in uno coegit volumine, aliaque tam ecclesiasticis studiis necessaria quam monasticis; morituque Valentiniano et Martiano regnantibus.* Hæc Gennadius. Porro illa Eucherii sive abbreviatio, sive castigatio opusculorum Cassiani modo non exstat. Quod autem Honoratum et Eucherium Cassianus fratres vocat, non natura id intelligendum, sed vel officio, vel monastico instituto et professione, vel mutua charitate ac familiaritate, vel ætate et convictu. Nam et fratris nomen coævis et coætaneis inditur a Sidonio (*Epist.* 5, *lib.* III; *et epist.* 1, *lib.* IV), aliisque probatis auctoribus. Cæterum de Eucherio plura videre est apud Baronium (*Tomo* V, *anno Christi* 441, *et in Martyrol. ad* 16 *Nov.*), præsertim in appendice ad tomum septimum anno Christi 529, ubi corrigit et retractat suam opinionem, qua prius senserat unum dumtaxat fuisse Eucherium Lugdunensem episcopum, agnoscitque duos Eucherios, et ambos episcopos, alterum (de quo tamen non satis constet cujus Ecclesiæ fuerit episcopus) priori concilio Arausicano; alterum posteriori itidem Arausicano post annos circiter nonaginta duos a priori habito subscriptum, eumque Lugdunensem episcopum, cui et restituendas illas homilias asserit, quæ vulgo hactenus sub titulo Eusebii Emisseni, seu Emeseni, circumferuntur.

[a] Id est, ut vitæ anachoreticæ. Hæc enim instituta et rudimenta vitæ eremiticæ Cassianus cum suo socio Germano ab illis Patribus et anachoretis didicerunt.

[b] Illi, ni fallor, Lerinensi, de cujus laudibus S. Eucherius peculiarem librum conscripsit (ut dictum est), quod a S. Honorato, de quo supra, in insula Lerino sive Lerinensi fundatum, tam monachorum frequentia quam religionis observantia celeberrimum in tota Gallia exstitit, ut pene commune esset omnibus sæculum abdicantibus perfugium ac gymnasium. Ex hoc enim monasterio prodiere quam plurimi sanctitate et doctrina clarissimi præsules, at alii suis scriptis, alii miraculis illustres: S. Honoratus primus ejusdem cœnobii, ut diximus, parens et auctor; S. Hilarius postea archiepiscopus Arelatensis; Eucherius Lugdunensis, de quo hic agitur; Cæsarius etiam Arelatensis, Lupus Tricassianus, Vincentius Lyrinensis libello adversus hæreses scripto notissimus; Maximus et Faustus, ambo Reienses episcopi, et alii a Sidonio Apollinari in carmine Eucharistico ad Faustum celebrati, ubi hæc inter cætera:

Quantos illa insula plana
Miserit in cœlum montes.

Quem imitatus Cæsarius homil. 25: *Beata*, inquit, *et felix insula Lerinensis, quæ cum parvula et plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cœlum misisse cognoscitur.* Montes, id est, episcopi et sacerdotes. Erat enim Lerinense cœnobium velut seminarium episcoporum (*Vide Sidon. lib.* VII. *epist.* 17, *et lib.* IX *epist.* 3, *et Renatus Chopp. Monasticon lib.* I, *tit.* 3). Unde subdit Cæsarius: *Hæc est quæ eximios nutrit monachos, et præstantissimos per omnes provincias erogat sacerdotes: ac si quos accipit filios, reddit Patres; et quos nutrit parvulos, reddit magnos.* Hæc ille. Est vero Lerina insula provinciæ Narbonensi adjacens e regione Antipolis (*Plin. lib.* III *cap.* 5 *Natur. Hist.*). Quæ quidem a nonnullis male confunditur cum altera insula nomine et situ vicina. Sunt enim notissimæ in mari Gallico insulæ duæ e regione Antipolis oppidi provinciæ Narbonensis, Lero, et Lerinus, vel Lerina. Illi hodie nomen a S. Margareta, huic a S. Honorato, qui in ea primus ejus cœnobii fundamenta jecit. Ita annotavit Sirmundus ad Sidonium..

[c] Turturis feruntur hæ proprietates: 1° hæc avis, more hirundinum, hieme calidiora petit loca; et verno tempore redit, teste Cicerone II de Finibus quo hic Auctor respicit; 2° hieme muta est, vere vocalis. Plin. lib. X cap. 35; 3° assidue gemit, et in celsis arboribus nidum ponit, juxta illud (*Virgil. Eclog.*):

Nec gemere aerea cessavit turtur ab ulmo.

4° castitatem colit conjugalem, et in viduitate perdurat. Origenes homilia prima in Cantica, D. Hieronymo interprete: *Turturis*, inquit, *hanc ferunt esse naturam, ut neque masculus, præter unam feminam, aliam addat; neque femina plus quam unum patiatur marem: ita ut si accidat altero interempto alterum superesse, pariter cum conjuge exstinctus sit ei concubitus amor.* Idem Hieronymus lib. I in Jovinianum: *Turtura vis pudicissima, semper habitans in sublimibus, typus est Salvatoris. Legamus physiologos, et reperiemus turturis hanc esse naturam, ut si parem perdiderit, alteri non jungatur.*

moriæ episcopum Castorem quo potuimus sermone conscripsimus, nec decem collationes in Scythica eremo commorantium Patrum, quas præcipientibus sanctis Elladio et Leontio episcopis, utcumque digessimus, satisfacere potuerunt, nunc etiam ut itineris nostri ratio et ordo cognoscatur, trium in alia eremo consistentium, quos primos vidimus, Patrum septem collationes, pari conscriptas stylo, A vobis credidi consecrandas, quibus ea quæ de perfectione in præteritis nostris opusculis obscurius forsitan comprehensa vel prætermissa sunt, suppleantur. Si vero sanctam studii vestri sitim etiam hæc satiare non quiverint, septem alias collationes, quæ ad sanctos qui in [a] Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt fratres, desiderium, ut arbitror, vestri ardoris explebunt.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Stæchades insulæ tres in mari Gallico sitæ, et Massiliensium littori vicinæ; de quibus Plinius lib. III cap. 5 : *Stœchades tres a vicinis Massiliensibus dictæ propter ordinem, quo sitæ sunt, quas item nominant singulis vocabulis, Proten et Messen, quæ et Pomponiana dicitur; tertia Hypola..* Isidorus lib. XIV Etymolog. : *Stœchades insulæ Massiliensium, sexaginta millium spatio a continenti in fronte Narbonensis provinciæ, qua Rhodanus fluvius in mare exit.* Ennodius in Vita Epiphanii Stœchadas cum Lerone et Lirino, de quibus supra, ut vicinas insulas conjungit his verbis : *Regrediens singula sanctarum bitationum loca visitavit, medianas insulas, Stœchahadas, Lerum ipsamque nutricem summorum montium planam Lirinum.*

COLLATIO UNDECIMA,

Quæ est prima abbatis Chæremonis,

DE PERFECTIONE.

CAPUT PRIMUM.

Cum [a] in cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta succedentibus aliquatenus incrementis, majorem perfectionis desiderare gratiam cœpissemus, statuimus confestim Ægyptum petere, ac remotissima [b] etiam Thebaidos eremo penetrata, sanctorum plurimos, quorum gloriam fama per universa diffuderat, si non æmulandi, saltem agnoscendi studio invisere. Igitur [c] ad oppidum Ægypti, cui Thennesus nomen est, emensa navigatione pervenimus. Cujus accolæ ita vel mari vel stagnis salsis B undique circumfluuntur, ut solis, quia terra deest, negotiationibus dediti, opes atque substantiam navali commercio parent, ita ut ædificiis cum voluerint exstruendis terra non suppetat, nisi de longinquo navigiis apportetur.

CAPUT II.

De episcopo Archebio.

Ubi cum advenientibus nobis favens desideriis nostris divinitas [d] beatissimi atque præcipui viri Archebii episcopi præstitisset adventum, qui raptus de anachoretarum cœtu, et episcopus [e] Panephysi

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Illo nimirum Bethleemitico, quod a S. Paula fundatum, a D. Hieronymo (*In Epitaph. Paulæ*) amplificatum et administratum, et antiquitate et dignitate, et monachorum frequentia et sanctitate cæteris Syriæ monasteriis præcellebat. Unde et Syriæ cœnobium velut antonomastice appellari existimo, quod inter cætera Syriæ seu Palæstinæ monasteria præcipuum esset et primarium. De quo itidem Cassianus lib. III Instit. cap. 4 : *In nostro*, ait, *monasterio, ubi Dominus noster Jesus Christus natus ex Virgine humanæ infantiæ suscipere incrementa dignatus, nostram quoque adhuc in religione teneram et lactentem infantiam sua gratia confirmavit.* Et rursus cap. 5 hujus collationis : *Debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quod huc de Bethleemitici cœnobii rudimentis, institutionis vestræ desiderio et profectus nostri amore properavimus.* Alibi etiam (*Lib.* IV *in cap.* 12, *et collat.* 17 *cap.* 5) spelæum vocat, in quo Dominus noster ex aula uteri virginalis effulsit. Quod vero præter hoc Bethleemiticum multa alia fuerint cœnobia in Syria et Palæstina, testatur D. Hieronymus in Vita Hilarionis.

[b] Thebais, vel Thebaida, ut alias dictum est, Ægypti regio, ad Æthiopiam vergens, olim monasteriis plena, et monachorum magna multitudine monasticæque vitæ disciplina, atque institutis florentissima : quod ex Cassiano, Palladio, Theodoreto, D Evagrio, Nicephoro, nec non a SS. Patribus. Hieronymo et Augustino, didicimus, qui de eremi Thebaicæ cultoribus eorumque instituti monastici ratione multa perscripserunt. Nec vero solum Ægyptiorum, Græcorum, Syrorumque hominum, sed Latinorum etiam conventus in iis Thebaicis monasteris frequentissimi erant, teste D. Hieronymo qui monasticæ vitæ præcepta divinitus a Pachomio, Theodoro et Orsiesio Ægyptiace Græceque conscripta Latine reddidit ut Latinis etiam monachis in illius monachalis provinciæ quasi statione manentibus usui essent. Porro in Thebaide floruit S. Antonius monasticæ disciplinæ parens et propagator, a quo innumerabiles monachorum duces prodierunt; et hi in primis, Ammon, Hilarion, Macarius et alii, a quibus in omnem Asiam et Africam propagata est monachorum religio. In Thebaide præterea exstitit Isidorus, qui mille monachorum curam gessit. De quo alias plenius agendum (*Collat.* 18 *cap.* 15).

[c] De Thenneso oppido nihil, neque apud Plinium, neque apud Ptolomæum reperies : nec miror, cum ille duo millia insignium oppidorum, hic mille 800 Ægypto tribuant, quorum tamen pauca admodum illustriora nominatim commemorant.

[d] De hoc Archebio alias egimus (*Lib.* V *Instit. cap.* 37).

[e] De Panephysi civitate Ægypti hæc tantum habet Ptolomæus lib. IV Geogr. : *Inter Busiriticum et Bubasticum amnes interest nomus et metropolis Panephysis*, ubi *nomus* idem ac præfecturas cujusmodi duodecim nomos seu præfecturas oppidorum in Thebaide recenset Plinius lib. V cap. 9.

oppido datus, tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit ; non enim tamquam idoneum se ab istud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ad illa anachoreseos disciplina querebatur expulsum, eo quod triginta septem annis in eadem commoratus, ad puritatem tantæ professionis nequaquam pervenire potuisset ; hic igitur cum in supradicta Thenneso, quo eum eligendi illic episcopi causa perduxerat, pie nos atque humanissime susceptisset, agnito desiderio nostro, quo sanctos Patres etiam in ulterioribus Ægypti partibus inquirere desiderabamus : venite, inquit, et videte interim senes haud longe a nostro monasterio consistentes, quorum ita et antiquitas in corporibus jam curvatis, et sanctitas in ipso etiam fulget aspectu, ut vel sola contemplatio eorum magnam intuentibus possit conferre doctrinam, a quibus id quod ego amissum doleo, quodque tradere jam perditum nequeo, non tam verbis quam ipso sanctæ vitæ discatis exemplo. Credo autem inopiam meam hoc studio aliquatenus sublevandam, si inquirentibus vobis illam evangelicam margaritam (*Matth.* XIII), quam ipse non habeo, saltem providero ubi eam commodius comparetis.

A

B

CAPUT III.

Descriptio eremi in qua commorabantur Chæremon, Nesteros et Joseph.

Sumpto itaque [a] baculo et pera, ut illic cunctis viam ingredientibus monachis moris est, ad civitatem nos suam, id est Panephysim itineris dux ipse perduxit. Cum terras, immo etiam contiguæ regionis plurimam partem quondam opulentissimam (siquidem ex ea cunctæ, ut fama est, regioni cibus subministrabatur) repentino terræmotu excussum mare transgressis limitibus occupavit, atque ita collapsis ferme omnibus vicis, opimas olim terras salsis paludibus supertexit, ut [b] illud quod in psalmo spiritaliter decantatur : *Posuit flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea* (*Psal.* CVI), secundum litteram de illa putent regione prædictum ; in his igitur locis multa in hunc modum oppida eminentioribus tumulis collocata, fugatis habitatoribus, eluvies illa velut insulas fecit, quæ desideratam secedentibus sanctis solitudinem præbent, in quibus tres senes, id est, [c] Chæremon, Nesteros et Joseph, anachoretæ antiquissimi consistebant.

CAPUT IV.

De abbate Chæremone, et excusatione ejus super postulata doctrina.

Itaque beatus Archebius primum nos perducere ad [d] Chæremonem maluit, qui et monasterio ejus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Baculum et peram, aut verius penulam, inter Ægyptiorum monachorum habitus, seu gestamina recensuit Cassianus lib. I Instit. cap. 8 et 9. *Ultimus* inquit, *habitus eorum, pellis caprina, quæ melotes et pera appellatur, et baculus : quæ gestant ad imitationem eorum qui professionis hujus præfiguravere lineas in Veteri Testamento, id est, prophetarum Eliæ et Elisæi* ; ubi penulam potius legendum esse monuimus. Deinde utriusque rationem et significationem exponit Cassianus, penulæ quidem his verbis : *Qui habitus pellis caprinæ significat, mortificata omni petulantia carnalium passionum debere eos in summa virtutum gravitate consistere, nec quidquam petulcum vel calidum juventutis ac mobilitatis antiquæ in eorum corpore residere* ; baculi vero sic : *Cujus gestatio spiritualiter monet numquam debere eos inter tot oblatrantes vitiorum canes et invisibiles nequitiarum spiritualium bestias inermes incedere, sed irruentes eas retundere crucis signaculo*, etc.

[b] Quomodo SS. Patres spiritaliter, id est, allegorice, exponunt de fecunditate Ecclesiæ et sterilitate Synagogæ, seu de vocatione gentium et reprobatione Judæorum (*Basilius, Hieron., August., Prosper.*) ; unus vice omnium loquatur Hieronymus (*In Habac.* cap. III) *Postquam*, inquit *Dominus venit in mundum, et completum est illud quod dixit in Evangelio : In judicium ego in mundum istum veni, ut qui non videbant, viderent ; et qui videbant, cæci fierent* (*Matth.* X). *Tunc terra Israel, de qua fluvii ante manabant, et irrigabant universum Judææ populum, aruit, et fontes illius obturati sunt. Universus autem orbis, qui erat desertus et sterilis, et aquas prædicationis Dominicæ non habebat, versus est in paludes aquarum ; et quot doctores emisit, tot habuit et fontes*, etc. Sic Hieronymus spiritaliter, ut hic dicitur, locum illum psalmi exponens. Cæterum non est dubium eadem verba proprie et secundum litteram intelligi posse de vera et externa mutatione, qua Deus aliquando *posuit flumina in desertum*, id est, convertit flumina in aridam, sive ea exsiccavit et fecit rivos fluviorum exarescere, ubi prius abundanter decurrebant ; et *terram fructiferam convertit in salsuginem*, id est, in terram sterilem, qualis est terra operta sale, idque ob malitiam et nequitiam incolarum. Cujus mutationis exemplum habemus in Genesi cap. XII, ubi dicitur : *Elevatis Loth oculis vidit omnem terram circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam et Gomorrham, sicut paradisus Domini*. Hanc vero terram irriguam et fructiferam instar paradisi. Deus sulphure et igne de cœlo demisso totam siccavit, et sempiterna sterilitate damnavit, ut legitur Genesis XIX. Addit porro D. Hieronymus, ubi supra, hæc quæ sequuntur huc spectantia : *Legimus in his qui de mirabilibus confecerunt volumina, et qui olympiadas Græciæ ad nostram usque memoriam perduxerunt, exponentes quid in singulis annis novi acciderit in mundo, quod inter cætera terræmotu eruperint flumina, quæ ante non fuerant ; et rursum alia absorpta sint, et pessum ierint ; quod scilicet omnes terrarum venæ, quasi in humano corpore sanguinem, ita in se habeant latentes aquas quæ terræ concussione rumpantur et manent in flumina*. Hactenus D. Hieronymus. At de his et ejusmodi mutationibus, terræmotibus, maris et fluminum eruptionibus, insulis inde enatis, et terris absorptis, de quibus agitur in hoc cap., videndus est Plinius lib. II Natur. Hist. cap. 85 et sequent.

[c] Tribus hisce anachoretis septem collationes sequentes se attribuit Cassianus, nempe Chæremoni tres, Nesteroti duas, et Joseph itidem duas.

[d] Monet Ciaconius ita scribendum hoc nomen, quia Græce scribitur Χαιρεμὼν, At Suidæ magis acquiesco, qui Χαιρήμων legit ; ut media producatur, η Græco in *e* Latinum longum, ut solet, mutato. Porro de hoc Chæremone intelligendus videtur Palladius (*Lausiac.* 92), dum hæc scribit : *Accidit illis diebus, ut Chæremon exercitator sedens decederet, et inveniretur mortuus in cathedra, et tenens opus in ma-*

propior, et duobus aliis provectior esset ætate. Nam cum [a] centenarium vitæ annum spiritu tantum alacer excessisset, ita dorsum ejus temporis fuerat vetustate atque orationum jugitate curvatum, ut quasi in primævam redactus infantiam, submissis ac protentis terratenus manibus progrederetur. Hujus igitur et vultum mirabilem et incessum pariter intuentes (siquidem defectis mortificatisque jam omnibus membris, nequaquam censuram præteritæ districtionis amiserat), cum sermonem atque doctrinam suppliciter poscerenus, ac desiderium tantum spiritalium institutionum causam fuisse adventus nostri protestaremur, graviter ille suspirans : Quid vobis, ait, possum conferre doctrinæ, cum imbecillitas senectutis ut rigorem pristinum relaxavit, ita loquendi quoque ademit fiduciam? Quemadmodum enim docere præsumam, quod ipse non facio; aut alium in eo instruam, quod me jam minus vel tepidius exercere cognosco? Ob quam rem nullum juniorem mihi in hanc usque ætatem cohabitare permisi, ne exemplo meo alterius districtio laxaretur. Numquam enim erit efficax instituentis auctoritas, nisi eam effectu operis sui cordi affixerit audientis.

CAPUT V.

De responsione nostra contra excusationem ejus.

Ad hæc nos non mediocri confusione compuncti, ita respondimus : Licet sufficere nobis ad omnem instructionem debeat vel loci istius difficultas, vel ipsa etiam solitaria adhuc vita, quam juventus quoque robusta vix posset tolerare, quæ nos etiam, te tacente, satis abundeque instruunt atque compungunt, rogamus tamen ut taciturnitate paululum prætermissa, ea nobis potius dignanter infundas, per quæ hanc quam videmus in te virtutem non tam imitatione complecti, quam admiratione possimus. Nam etiamsi revelatus tibi tepor noster impetrare id quod expetimus non meretur, debet hoc saltem labor tanti itineris obtinere, quod huc [d] de Bethleemitici cœnobii rudimentis, institutionis vestræ desiderio et profectus nostri amore, properavimus.

CAPUT VI.

Propositio abbatis Chæremonis, quod tribus modis vitia vincantur.

Tunc beatus Chæremon : Tria sunt, inquit, quæ faciunt homines a vitiis temperare, id est, aut metus gehennæ, sive præsentium legum, aut spes atque desiderium regni cœlorum, aut affectus boni ipsius amorque virtutum. Nam timor ita mali contagium legitur exsecrari : *Timor Domini odit malitiam* (*Proverb.* VIII). Spes etiam, vitiorum omnium excludit incursum. *Non* enim *delinquent omnes qui sperant in eum* (*Psal.* XXXII). Amer quoque ruinam non metuit peccatorum, quia [c] *Charitas numquam cadit* (I *Cor.* XIII). Et iterum : *Charitas operit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV). Et idcirco beatus Apostolus omnem salutis summam istarum trium virtutum consummatione concludens : *Nunc*, inquit, *manent fides, spes, charitas : tria hæc* (I *Cor.* XIII). [d] Fides namque est, quæ futuri judicii ac suppliciorum metu vitiorum facit contagia declinari ; spes, quæ mentem nostram de præsentibus avocans, universas corporis voluptates cœlestium præmiorum exspectatione contemnit ; charitas, quæ nos ad amorem Christi et spiritalium virtutum fructum mentis ardore succendens, quidquid illis contrarium est, toto facit odio detestari. Quæ tria, licet ad unum finem tendere videantur, provocant enim nos a rebus illicitis abstinere, magnis tamen excellentiæ suæ gradibus ab invicem disparantur. Duo namque superiora proprie hominum sunt eorum qui ad profectum tendentes, nec dum affectum concepere virtutum. Tertium specialiter Dei est, et eorum qui in sese [e] imaginem Dei ac similitudinem receperunt. Ille namque solus ea quæ bona sunt, nullo metu, nulla remunerationis gratia provocante, sed solo bonitatis affectu operatur : *Omnia* enim, et ait Salomon, *operatus est Dominus propter semetipsum* (*Prov.* XVI). Suæ namque *bonitatis* obtentu, omnem bonorum copiam dignis indignisque largitur, quia nec fatigari injuriis potest, nec iniquitatibus hominum passibiliter promoveri, sem-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nibus. Ubi tria notantur : 1° ἄσκησις id est, exercitatio, unde exercitator, id est, asceta dicitur ; 2° senectus decrepita, ob quam Chæremon sedere cogebatur ; 3° Assiduitas operis usque ad extremum vitæ, ubi inventum opus in manibus.

[a] De hac veterum monachorum et anachoretarum longævitate usque et ultra centenariam ætatem, in summa vitæ austeritate, latius egimus ad collat. 3 cap. 1.

[b] De quo supra, ad cap. 1 hujus collat., ubi, velut antonomastice, vocatur cœnobium Syriæ, quia cæteris præcellens.

[c] Non placet modo conjectura in priore editione posita, scilicet mendum esse, *Charitas numquam cadit*, pro *excidit*, ut habet vulgata lectio Apostoli, quia cadit et excidit idem valent, et hic Auctor non semper servat verba Scripturæ. Et vero utitur eadem phrasi cap. 10 hujus collat. Alibi vero (*Collat.* 1, *cap.* 11) : *Charitas numquam excidet*, ubi id explicatum : quomodo scilicet charitas numquam cadat aut excidat.

[d] Huic loco apte congruit et consonat doctrina concilii Tridentini (*Sess.* 6) in decreto de justificatione cap. 6, ubi modus præparationis ad justificationem hic traditur : *Disponuntur* (peccatores) *ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo id spem erigiuntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam omnis justitiæ fontem, diligere incipiunt*, etc.

[e] Imaginem et similitudinem Dei hic accipit Auctor pro imitatione bonitatis divinæ, qua homo Deo assimilatur, et similis efficitur, ut ex sequentibus patebit, præsertim cap. 9 et 10. Itaque imaginemet similitudinem Dei in se receperunt, qui divinam bonitatem et beneficentiam, omnibus bonis et malis, amicis et inimicis benefaciendo imitantur, vel qui perfectionem charitatis attigerunt.

per scilicet manens perfecta bonitas immutabilisque natura.

CAPUT VII.

Quibus gradibus ad sublimitatem charitatis possit ascendi et quæ sit in ea stabilitas.

Si quis igitur ad perfectionem tendit, [a] de illo primo timoris gradu, quem proprie diximus esse servilem, de quo dicitur : *Cum omnia fecerilis, dicite, quia servi inutiles sumus* (*Luc.* XVII), [b] ad altiorem spei tramitem gradu proficiente conscendet, qui jam non servo, sed mercenario comparatur, quia mercedem retributionis exspectat, et quasi de peccatorum absolutione et pœnali timore securus, ac bonorum sibi operum conscius, licet placiti præmium videatur expetere, tamen ad affectum illum filii qui de paternæ indulgentiæ liberalitate confidens, omnia quæ patris sunt sua esse non ambigit, pervenire non potuit. Ad quem etiam ille prodigus, qui cum substantia patris etiam filii nomen amiserat, aspirare non audet, dicens : *Jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*Luc.* XV). Post illas enim porcorum siliquas, quarum ei satietas negabatur, id est, vitiorum sordidos cibos, qui in semetipsum reversus, et salutari timore compunctus, immunditiam porcorum horrere jam cœperat, ac diræ famis supplicia formidabat, velut jam servus effectus, etiam mercenarii statum de mercede jam cogitans, concupiscit ac dicit : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, et ego hic fame pereo ! Revertar ergo ad patrem meum, et dicam illi : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus ; fac me sicut unum de mercenariis tuis* (*Ibid.*).

CAPUT VIII.

Quantum excellant, qui per charitatis affectum declinant a vitiis.

Sed ad istam humilis pœnitentiæ vocem in occursum ejus pater prosiliens, majore quam emissa fuerat pietate suscepit, eumque non contentus minora concedere, [c] utroque gradu sine dilatione transcurso, pristinæ filiorum restituit dignitati. Festinandum proinde nobis etiam est, ut ad tertium filiorum gradum, qui omnia quæ patris sunt sua esse credunt, per indissolubilem charitatis gratiam conscendentes, cœlestis illius Patris imaginem ac similitudinem recipere mereamur, et ad imitationem veri illius Filii proclamare possimus : *Omnia quæ habet pater, mea sunt* (*Joan.* XVI). Quod etiam de nobis beatus Apostolus profitetur, dicens : *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura, omnia vestra sunt* (I *Cor.* III). Ad quam similitudinem etiam Salvatoris præcepta nos provocant : [d] *Estote*, inquit, *et vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V). In illis enim nonnumquam solet interrumpi bonitatis affectus, cum aliquo vel tepore, vel lætitia, vel oblectatione vigor animi relaxatus, aut metum ad præsens gehennæ, aut desiderium subtrahit futurorum. Et est quidem in illis gradus cujusdam profectus imbuens nos, ut dum vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ab charitatis gradum transire possimus, quia *Timor,*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Distinguuntur tres status sive gradus hominum in vita spirituali. Primus et infimus est status incipientium, qui timore servili trahuntur ad bonum, et a malo retrahuntur, juxta illud : *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Secundus proficientium, qui spe et desiderio remunerationis ducuntur. Tertius, perfectorum, qui solo amore et charitate moventur, secundum illud : *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Atque hi tres status aliis vocibus dicuntur status servorum mercenariorum et filiorum.

[b] A timore enim servili progrediendum est ad spem. Unde Augustinus exponens illud Davidicum : *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus* (*Psal.* CXLVI). *Ecce*, inquit, *timuit Judas traditor Christi, sed non speravit in misericordia ipsius. Postea enim pœnituit eum quod tradiderit Christum. Bene quidem timuisti, sed si sperares in misericordia ejus quem timuisti. Ille desperando abiit, et laqueo se suspendit. Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus. Placabis enim eum, si speres in misericordia ejus.*

[c] Servorum scilicet, et mercenariorum.

[d] *Sicut*, non æqualitatem, sed qualitatum similitudinem denotat, et eam quidem similitudinem quæ inter Deum et hominem, non quæ inter hominem et hominem esse potest ; non enim illam perfectionem quæ in Deo est assequi aut æquare possumus, sed possumus tamen imitari. Unde Patres annotarunt non unam esse, sed multiplicem perfectionis speciem in Scripturis designatam. Clemens Alexandrinus lib. IV Stromatum : *Inventio* inquit, *perfectum multis modis accipi, prout is est qui in unaquaque virtute se recte gerit. Perficitur itaque et consummatur aliquis, ut et pius, et religiosus, et ut tolerans, et ut continens, et ut operarius, et ut martyr, et ut cognitione præditus. In omnibus autem perfectus nescio an ullus sit, nisi solum. is qui propter nos induit hominem.* S. Ambrosius lib. III Offic. (*Cap.* 2) : *Ipsum Paulum*, ait, *lego perfectum et non perfectum. Nam cum dixisset : Non quod jam acceperim aut jam perfectus sim, sequar autem, si comprehendam, statim subjecit : Quicumque ergo perfecti sumus. Duplex enim est forma perfectionis, alia medios, alia plenos numeros habens ; alia hic, alia ibi ; alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuram. Deus autem justus per omnia, sapiens per omnia, perfectus per omnia.* Idem fere habet D. Hieronymus lib. I adversus Pelagianos (*Cap.* 5) eumdem Apostoli locum pertractans : *Ex quo*, ait, *perspicuum est duas in Scripturis sanctis esse perfectiones, duasque justitias, et duos timores. Primam perfectionem, et incomparabilem veritatem, perfectamque justitiam Dei virtutibus coaptandam. Secundam autem quæ competit nostræ fragilitati, juxta illud quod in Psalmis dicitur : Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII), *ad eam justitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta.* Denique Cassianus infra ex sententia abbatis Chæremonis ita de perfectione scribit (*Cap.* 12) : *Prostatu atque mensura uniuscujusque mentis Scriptura divina ad diversos perfectionum gradus arbitrii nostri provocat libertatem ; nec enim poterat uniformis omnibus perfectionis corona proponi ; quia nec omnium una virtus, una voluntas, aut fervor est : et idcirco ipsarum quodam modo perfectionum diversos ordines, diversasque mensuras sermo divinus instituit. Quod ita esse Evangelicarum quoque beatitudinum varietas evidenter ostendit*, etc. (*Vide S. Thom.* 2-2, *q.* 184, *a.* 2).

inquit, *non est in charitate, sed*[a] *perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate. Nos ergo diligamus, quia Deus prior dilexit nos* (*I Joan.* IV).
[b] Non ergo aliter ad illam veram perfectionem conscendere poterimus, nisi quemadmodum nullius alterius nisi nostræ salutis gratia prior nos ille dilexit, ita eum nos quoque nullius alterius rei nisi sui tantum amoris dilexerimus obtentu. Quamobrem nobis studendum est, ut de hoc timore ad spem, de spe ad charitatem Dei, vel ipsarum virtutum amorem, perfecto mentis conscendamus ardore, ut transmigrantes in affectum boni ipsius, immobiliter, quantum humanæ possibile est naturæ, quod bonum est, retentemus.

CAPUT IX.

Quod charitas non solum de servis filios faciat, sed etiam imaginem Dei ac similitudinem ferat.

Multum namque differt inter eum qui metu gehennæ, vel spe retributionis futuræ, vitiorum in se extinguit incendia, et eum qui divinæ charitatis affectu ipsam malitiam et immunditiam perhorrescit, ac puritatis possidet bonum amore tantum et desiderio castitatis, nec jam remunerationem futuræ promissionis aspiciens, sed presentis boni delectatus conscientia, agit omnia, nec contemplatione pœnarum, sed delectatione virtutum. Hic namque status nec, submotis cunctorum hominum testimoniis, abuti occasione peccati, nec occultis cogitationum violari oblectationibus potest, dum affectum virtutis ipsius medullitus retinens, quidquid illi contrarium est, non solum corde non recipit, verum etiam summo detestatur horrore. Aliud namque est, præsenti bono quempiam delectatum, odio habere vitiorum carnisve contagia aliud futuræ remunerationis intuitu illicitas concupiscentias refrenare; aliudque est præsens metuere detrimentum, et aliud futurum formidare supplicium. Postremo multo majus est propter bonum ipsum a bono nolle discedere, quam propter metum mali malis non præbere consensum. In illo enim voluntarium bonum est, in isto vero velut coactum et tamquam nolenti violenter extortum, vel metu supplicii vel cupiditate præmiorum. Nam qui timoris obtentu a vitiorum abstinet blandimentis, adempto timoris obstaculo, rursum ad illud quod diligit revertetur, et ob id nec stabilitatem boni jugiter obtinebit, sed nec ab impugnatione quidem aliquando requiescet, quia nec firmam ac perpetuam pacem castimoniæ possidebit. Ubi est enim inquietudo bellorum, non possunt non etiam vulnerum intervenire discrimina. Necesse est enim quempiam in conflictu situm, quamvis bellator sit, ac fortiter dimicans lethalia adversariis vulnera frequenter infligat, nonnumquam tamen hostili mucrone prestringi. Qui vero superata impugnatione vitiorum, pacis jam securitate perfruitur, et transiit in ipsius virtutis affectum, jugem statum illius boni, cujus jam totus est, retentabit, quia damno intimæ castitatis nihil credit esse damnosius. Nec enim charius ac pretiosius quidquam præsenti judicat puritate, cui pœna gravis est, vel virtutum perniciosa trangressio, vel ipsius vitii virulenta contagio. Huic, inquam, nec reverentia humanæ præsentiæ quidquam adjiciet honestatis, nec minuet solitudo, sed ubique secum semperque circumferens [c] arbitram non solum actuum, sed etiam cogitationum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nempe servilem. De quo Augustinus tractatu 9 in Epistolam Joannis : *Timor*, inquit, *quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui præparavit locum : quantum enim illa crescit, tantum iste decrescit : et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor ; minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur : seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Jam facta securitate in animo, quale gaudium nobis est, vel in hoc vel in futuro sæculo?* Hæc Augustinus. Porro D. Thomas (*In commentario*) distinguit hic quadruplicem timorem Domini : *Primus*, inquit, *est timor servilis, qui est solius gehennæ ; secundus initialis, qui est timor gehennæ et offensæ divinæ; tertius filialis, qui est timor solius offensæ divinæ; quartus est reverentialis qui est solius reverentiæ erga majestatem divinam. Primus non est in charitate, sed præparat ie locum, et eam tandem introducit sicut seta, vel acus filium, ut dicit Augustinus. Secundus non est in perfecta charitate, de qua loquitur hic Apostolus. Tertius major est in magis perfectis, quia magis perfecta charitate, viæ, sed non patriæ. Quartus manet cum charitate perfecta patriæ, de quo psalm.* XVIII : *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.*

[b] Explicat quæ sit et in quo consistat illa Dei imago, et similitudo, seu potius imitatio, per quam Deo similes, id est, perfecti evadimus. Unde titulus huic collationi inditus, de Perfectione.

[c] Quanta sit inculpatæ et innoxiæ conscientiæ tranquillitas et felicitas qua justi et pii etiam *in* hac vita perfruuntur, quasi suarum actionum, immo et cogitationum, testem fidelissimum, et intimum, ac sincerissimum arbitrum secum ubique circumferentes, declarat Salomon in Proverbiis, dicens : *Secura mens juge convivium* (*Prov.* XV). Et Apostolus : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei conversati sumus in hoc mundo* (*I Cor.* XII). Quibus accedunt Patres. S. Martialis in epist. ad Tholosates : *Nihil illis metuendum quibus bona est conscientia* Hieronymus epist. 47 de Vitando suspecto Contubernio : *Bona conscientia* inquit, *nullius oculos fugit*. Augustinus in illud Psalmistæ : *Deus adjuvat me* (*Psal.* LIII). *Omnes sancti adjuvantur a Deo, sed intus, ubi nemo videt. Quomodo enim magna est pœna impiorum conscientia, sic magnum gaudium piorum, ipsorum conscientia ; nam gloria nostra hæc est,* dixit Apostolus, *testimonium conscientiæ nostræ.* Bernardus lib. de Interiori Domo (*Cap.* 22) : *Conscientia bona titulus est religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium; gaudium angelorum, area fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus et clausus, et in die judicii aperiendus. Nihil est jucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia : premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit cum corpus morietur, secura cum anima coram Deo præsentabitur, secura cum utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi Judicis statuetur.* Hactenus SS. Patres. In eamdem quoque sententiam conspi-

suarum conscientiam, illi potissimum studere contendit, quem etiam circumveniri, nec falli, nec subterfugere se posse cognoscit.

CAPUT X.

Quod perfectio charitatis sit pro inimicis orare, et quo indicio anima necdum purgata noscatur.

Quem statum si quis de adjutorio Dei, non de studii sui labore præsumens, meruerit possidere, de conditione servili (in qua timor est) et mercenaria spei cupiditate (in qua non tam bonitas largientis quam præmium retributionis expetitur) in adoptionem incipiet transire filiorum, ubi jam non timor, non cupiditas, sed illa charitas, quæ numquam cadit, jugiter perseverat (I *Cor.* XIII). De quo timore et charitate quosdam increpans Dominus, quid cuique personæ conveniret, ostendit. [a] *Filius honorat patrem, et servus dominum suum timet. Et si Pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus* (*Malach.* I)? Necesse est enim eum timere qui servus est; quia *sciens voluntatem domini sui, si non fecerit, digne vapulabit plagis multis* (*Luc.* XII). Per hanc itaque charitatem quisquis ad imaginem Dei similitudinemque pervenerit, bono jam propter boni ipsius delectabitur voluntatem; ac similem quodammodo possidens patientiæ ac lenitatis affectum, nullis deinceps peccantium vitiis irascetur, sed veniam potius, infirmitatibus eorum condolens atque compatiens, implorabit, riminiscens se tamdiu similium passionum stimulis impugnatum, donec miseratione Domini salvaretur, nec suo erutum studio ab impugnatione carnali, sed Dei protectione salvatum, ut non iracundiam, sed misericordiam errantibus intelligeret impendendam, illum versiculum ad Deum cum omni cordis tranquillitate decantans : *Tu dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Ps.* CXV). Et, *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitaverat in inferno anima mea* (*Psal.* XCIII). Et in hac mentis humilitate consistens, poterit etiam [b] Evangelicum illud perfectionis 'explere mandatum : *Diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* VI); 'et ita [c] ad illud præmium quod subjungitur, poterit pervenire, per quod non solum imaginem Dei et similitudinem perferamus, verum etiam filii Dei nuncupemur : *Ut sitis,* inquit, *filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem*

ALARDI GAZ.EI COMMENTARIUS.

rant ethnici scriptores : Cicero lib. II Tusculanarum : *Nullum,* ait. *theatrum virtuti conscientia majus.* Et in Catone : *Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum jucundissima est.* Et in oratione pro Cluentio : *Si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita conscientia fuerit, sine ullo metu summa cum honestate vivemus.* Seneca ep. 43 : *Quid prodest recondere se, et oculos hominum auresque vitare? Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt quæ facis, omnes sciant; si turpia, quid refert neminem scire, cum tu scius? O te miserum! si contemnis hunc testem.* Accedant et poetæ. Horatius in Epistolis (*Epist.* I).

His murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

At de mala conscientia Juvenalis satira 3 :

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori : prima est hæc ultio, quod se
Judice, nemo nocens absolvitur.

Et Cicero pro Roscio Amerino : *Sua quemque fraus et suus error maxime vexat; suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; suæ malæ cogitationes conscientiæque animi errent : hæ sunt impiis assiduæ domesticæque furiæ.* Hæc illi de conscientia, bonarum et malarum actionum et cogitationum arbitra, teste et judice, quæ Græce συντήρησις dicitur; quæ, ut ait D. Hieronymus (*In Ezech. cap* I), *Scintilla conscientiæ in Cain quoque pectore, postquam ejectus est de paradiso, non exstinguitur, et qua victi voluptatibus, vel furore, ipsaque interdum rationis decepti similitudine, nos peccare sentimus.* Cæterum conscientia, licet ipsa sui ipsius suarumque actionum arbitra et judex, habet tamen superiorem judicem et arbitrum, nec alium quam Deum ipsum, qui *novit corda hominum, et intelligit omnes cogitationes eorum.* Unde Apostolus I Corinth. IV : *Nihil mihi,* inquit, *conscius sum; tamen in hoc justificatus non sum. Qui enim judicat me, Dominus est.* Et Augustinus serm. 23 de Verbis Domini : *Fortasse,* inquit, *tu nihil invenis in conscientia tua; invenit ille qui melius videt.* Ex quibus intelligimus testimonium illud sive judicium bonæ conscientiæ magnam quidem afferre lætitiam et animi tranquillitatem, sed non infallibilem certitudinem. Non enim solum lætamur et gloriamur de iis rebus quas certi sumus nos habere, vel habituros; sed etiam de iis quas vel nos habere confidimus, vel habituros esse speramus, quamvis non sine timore aut formidine de opposito, ut vulgo dicitur. Unde et psalmo secundo jubemur exsultare cum tremore. Vide plura apud D. Bernardum in libello illo vere aureo de Interiori Domo, et altero de Conscientia inscripto. Et concilium Tridentinum sess. 6 cap. 9.

[a] D. Hieronymus in hunc locum Malachiæ post multa notatu digna : *Deus,* inquit, *sciens differentiam filii et servi, a filio gloriam, a servo timorem expetit. Principium enim sapientiæ timor Domini. Ut de timore servorum ad filiorum gloriam transeamus.*

[d] Dilectio inimicorum alia generalis et communis, alia specialis; illa præcepti, hæc consilii et perfectionis, ut hic dicitur. Præcepti enim est, ne quem hominum quantumvis nobis inimicum odio habeamus, nulli malum pro malo reddamus, nulli quidquam optemus mali, ut omnes homines, præsertim vero Christianos, generali charitate complectamur, ut communibus orationibus, eleemosynis, beneficiis, quæ in omnes fiunt, non excludamus, ut eis saltem in extrema necessitate succurramus. Consilii vero et perfectionis, ut eis extra necessitatem benefaciamus, ut eos nominatim salutemus, ut familiariter alloquamur, ut peculiariter pro eis oremus, ut modis omnibus quibus possumus eos juvemus.

[c] D. Augustinus in sermone quinto de S. Stephano apposite ad hunc locum : *Grandis,* inquit, *labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare : nec nos negamus, fratres : non parvus quidem labor est in hoc sæculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficieris amicus Dei; immo non solum amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dicit : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est* (*Matth.* V). *Si te aliquis homo dives in hoc sæculo vellet adoptivum filium facere, quomodo servires, quas ei dignitates impenderes; et servorum, ejusque servitia durissima, et aliquando etiam turpissima sustineres convicia, ut ad caducam et fragilem ejus hæreditatem pervenires? Quod ergo ille sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam.*

suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos (*Matth.* v). Quem affectum beatus Joannes assecutum se esse cognoscens, ait : *Ut fiduciam habeamus in die judicii, quia sicut* [a] *ille est, et nos sumus in hoc mundo* (I *Joan.* IV). In quo enim infirma et fragilis humana natura esse, sicut ille est, potest, nisi se in bonos et malos, justos et injustos, ad imitationem Dei, placida semper sui cordis extenderit charitate? Ut bonum propter boni ipsius operetur affectum, perveniens ad illam veram adoptionem filiorum Dei, de qua idem beatus Apostolus ita pronuntiat : [b] *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo est, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est* (I *Joan.* III). Et iterum : *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum* (I *Joan.* V). Quod intelligendum est non de omni genere peccatorum, sed [c] de capitalibus tantum criminibus dici. A quibus se quisquis abstrahere atque emundare noluerit, pro illo in alio loco prædictus Apostolus ne orari quidem debere, pronuntiat : *Qui scit,* inquiens, *fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* [d] *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis* (*Ibid.*). Cæterum de illis quæ pronuntiantur non esse ad mortem, a quibus etiam hi qui fideliter Christo deserviunt, quantalibet semetipsos circumspectione custodiant, immunes esse non possunt, ita dicitur : *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I). Et iterum : *Si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis* (*Ibid.*). Impossibile namque est quemlibet sanctorum non in istis minutis quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem admittuntur, incurrere. Quæ licet ab illo peccato, quod ad mortem esse dicitur, aliena sint, culpa tamen ac reprehensione carere non possunt. Cum ergo quis hunc quem prædiximus bonita-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] S. Thomas in Commentario : *Sicut ille est charitate plenus, sanctus et justus ; ita et nos sumus, ut dicit Glossa interlinearis. Ubi* sicut *non æqualitatem, sed quamdam similitudinem dicit. Et per hanc fiduciam imitamur perfectionem dilectionis ejus in mundo, amando amicos et inimicos, sicut ille pluit super justos et injustos.*

[b] Varia et multiplex expositio hujus sententiæ. Prima : Omnis qui natus est Deo id est, per baptismum renatus ex aqua et Spiritu sancto), ut talis, et quatenus ex Deo natus est, peccatum non facit, *et non potest peccare,* scilicet lethaliter (*Hieron. l.*) II *in Jovin.*). Secunda : Non potest peccare, quamdiu semen Dei (id est, charitas per Spiritum sanctum infusa) manet in eo. Quamdiu enim quis charitatem habet, non peccat mortaliter, neque peccare potest : sed absolute potest, et charitatem amittere, immo et abjicere, et mortaliter peccare (*August. tract.* 5 *in Ep. Joan.*). Tertia, D. Bernardi . (*Serm.* 1 *de Septuag.*) : *Non peccat,* inquit, *qui natus est ex Deo, id est, prædestinatus non permanet in peccato, quia Deus præservat eum, ut perire non possit ea quæ falli non potest, generatio cælestis, id est, prædestinatio Dei.*

[c] Id est, mortalibus : quo modo D. Hieronymus et Augustinus sententiam illam Joannis exponunt. Porro peccata capitalia duobus modis dici, alibi notavimus ex S. Thoma (1-2, *q.* 85, *a.* 3). Dicitur enim capitale uno modo a capite proprie dicto, et secundum hoc, peccatum, seu crimen, capitale dicitur, quod pœna capitis, id est, morte punitur : quo modo peccatum omne mortiferum capitale intelligitur, ut hoc loco, quia mortem affert animæ; alio modo dicitur vitium capitale, a capite, prout metaphorice signat principium vel directivum aliorum; et sic dicitur vitium capitale, ex quo plura alia vitia oriuntur : quo modo D. Gregorius (XXXI *Moral.* c. 31) septem, Cassianus vero (*Lib.* V, *et coll.* 5) octo posuit vitia capitalia.

[d] Distinguit Joannes apostolus duplex genus peccati : aliud scilicet peccatum ad mortem, aliud non ad mortem. Quodnam vero sit peccatum ad mortem, et peccatum non ad mortem, varia est interpretum sententia. Quidam enim interpretantur peccatum ad mortem omne peccatum mortale ; peccatum autem non ad mortem, quodcumque veniale. Sic quidem abbas Chæremon hoc loco, cui et Glossa ordinaria et alii auctores suffragantur. Verum huic expositioni repugnare videtur quod sequitur. *Qui scit fratrem suum peccare non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem.* Nam venialiter peccans non amittit vitam animæ, quæ in gratia et charitate consistit; non potest igitur ei reddi vita quam habet. Deinde Ecclesia assidue orat pro his qui lethaliter peccant, ut Christus pro crucifixoribus, Stephanus pro lapidantibus : et Dominus ipse præcepit : *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Matth.* V). Non igitur idem est peccatum ad mortem ac peccatum mortale, ut distinguitur contra veniale; neque peccatum non ad mortem idem ac veniale : sed inter peccata mortalia quoddam genus peccati quærendum est, quod Joannes vocat peccatum ad mortem, et distinguit a peccato non ad mortem. Quodnam vero illud sit, adhuc controvertitur. Græci peccatum ad mortem intelligunt μνησικακίαν id est, injuriarum tenacem memoriam et obstinatam vindictæ cupiditatem. Ita OEcumenius. Alii peccatum *in Spiritum sanctum,* præsertim agnitæ veritatis impugnationem, ac fraternæ charitatis invidentiam. De quo Dominus, loquens in Evangelio, dixit : *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII). Alii maximum quodcumque peccatum mortale, ut homicidium, perjurium, sacrilegium. Alii denique peccatum ad mortem intelligunt finalem impœnitentiam, seu peccatum mortale in quo quis ad mortem usque et finem vitæ perseverat. Ita Augustinus de Correct. et Grat. cap. 12, et Gregorius XVI Moral. cap. 31. Annotant porro interpretes Joannem illis verbis : *Non pro illo dico, ut roget quis,* non interdicere aut prohibere ne quis pro magnis et gravibus peccatoribus preces fundat, sed tantum difficultatem exauditionis indicare, nec certam promittere ex parte Dei exauditionem et veniam ; quasi diceret : Patior quidem, immo probo vos pro peccatoribus omnibus orare; sed non dico, id est, non jubeo pro peccantibus ad mortem, ut ullus oret, quasi certo exaudiendus. Proinde Ecclesia dum quotidie orat et sacrificium incruentum offert pro peccatoribus quomodocumque peccantibus, immo et pro infidelibus, Judæis, hæreticis, nihil contra hunc Joannis doctrinam facit. D. tamen Augustinus, et alii dicunt non orandum pro mortuis in peccato mortali, id est, pro damnatis. At hoc difficile est intellectu, cum nobis constare non possit de alterius conscientia, vel animæ statu, præsertim post mortem; Apostolus autem dicit : *Qui scit fratrem suum peccare, non ad mortem,* etc.

tis affectum et imitationem Dei fuerit assecutus, tunc visceribus Dominicæ longanimitatis indutus, pro persecutoribus quoque suis orabit similiter, dicens : *Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Cæterum [a] evidens indicium est animæ necdum vitiorum fæcibus eliquatæ, in criminibus alienis affectu misericordiæ non condolere, sed rigidam judicantis tenere censuram. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere is qui non habet illud quod Apostolus plenitudinem legis consummare posse signavit? *Alterutrum* inquiens, *onera vestra portate, et sic implebitis legem Christi* (*Galat.* VI). Sed nec illam virtutem possidet charitatis, quæ *non irritatur, non inflatur, non cogitat malum*; quæ *omnia suffert, omnia sustinet* (I *Cor.* XIII). [b] *Justus* enim *miseretur animas pecorum* [*Lips. in marg.* peccatorum] *suorum; viscera autem impiorum sine misericordia* (*Prov.* XII). Ideoque iisdem vitiis monachum subjacere certissimum est, quæ in alio, inclementi atque inhumana severitate, condemnat. Rex enim rigidus incurrit mala; [c] et *Qui obturat aures suas ne audiat infirmum, et ipse invocabit, et non erit qui exaudiat eum* (*Prov.* XXI).

CAPUT XI.

Interrogatio, cur affectum timoris et spei dixerit imperfectum.

Germanus : Potenter quidem atque magnifice de perfecta Dei charitate dissertum est; verumtamen illud nos permovet, quod cum eam tanta laude prætuleris, timorem Dei et spem retributionis æternæ imperfecta esse dixisti, cum utique multo aliud videatur de eis Propheta sensisse, dicens : *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quia nihil deest timentibus eum* (*Psalm.* XXXIII). Et iterum in observandis justificationibus Dei, retributionis se contemplatione fateatur exercitatum : *Inclinavi*, inquiens, *cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum* [d] *propter retributionem* (*Psalm.* CXVIII). Et Apostolus : *Fide*, inquit, [e] *Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias existimans thesauris Ægyptiorum, improperium Christi* (*Hebr.* XI). Aspiciebat enim in remunerationem. Quomodo ergo imperfecta esse credenda est, cum et beatus David retributionis obtentu justificationes Domini se fecisse glorietur, et legislator præmia futura prospiciens, sprevisse adoptionem regiæ dignitatis, et afflictionem dirissimam Ægyptiorum thesauris prætulisse dicatur?

CAPUT XII.

Responsio de diversitate perfectionum.

Chæremon : [f] Pro statu atque mensura uniuscujusque mentis Scriptura divina ad diversos perfectionum gradus arbitrii nostri provocat libertatem. Nec enim poterat uniformis omnibus perfectionis corona proponi, quia nec omnium una virtus, aut voluntas aut fervor est, et idcirco ipsarum quodammodo perfectionum diversos ordines diversasque mensuras sermo divinus instituit. Quod ita esse [g] evangelicarum quoque beatitudinum varietas evidenter osten-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sententia est D. Hieronymi mox citanda, eisdem fere verbis concepta.

[b] Sic Cuychius et Ciaconius cum aliis. Dionysius vero et alii : *Animabus peccatorum suorum*, mendose, ut puto. Alii denique : *Animarum pecorum suorum*, etc. Vulgata autem editio habet (*Pro.* XII) : *Novit justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia.*

[c] Vulg. textus : *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.* Ubi D. Hieronymus : *Generaliter*, ait, *hæc accipienda sententia, et non egeno tantum, vel corporaliter infirmo. Nam et qui criminibus alterius non affectu misericordiæ condolere, sed judicantis mavult tenere censuram, ostendit se necdum vitiorum fœcibus eliquatum, neque auditu divinæ miserationis existere dignum.*

[d] D. Hieronymus ex Hebræo vertit : *Propter æternam retributionem.* Causa quidem prima per se et proprie, cur applicandus sit animus ad exsequenda Dei mandata, est ipse Deus, sive Dei voluntas et imperium, nempe qua sic vult et jubet; sicut primaria causa cur diligendus sit Deus, est ipse Deus, sive ipsius summa bonitas : unde et propter seipsum diligi jubetur. Secunda autem causa est retributio, sive spes retributionis æternæ, quam hic abbas vocat mercenariam, quia mercedem spectat et proprium commodum; non quod vitiosa sit, sed quia minus perfecta quam charitas, qua Deus propter se absque intuitu mercedis diligitur, ut declarat sequenti capite.

[e] Verba sunt Apostolorum ad Hebr. XI. Porro Moysen a filia Pharaonis susceptum, adoptatum et educatum fuisse ex historia Exodi notum est. Quod et confirmat S. Stephanus Act. VII dicens : *Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium.* Quando autem et quomodo jam grandis factus, id est, adultus, et provectæ ætatis, negaverit, vel, ut in Græco est, horruerit, aversatus sit se dici filium filiæ Pharaonis, id neque in Exodo legimus, neque apud Josephum. Unde S. Thomas sic interpretatur : *Negavit se esse filium ejus, non quidem verbo, sed facto, quia contra voluntatem Pharaonis interfecit Ægyptium, qui percutiebat Hebræum; et Hebræorum populo se adjunxit.* Sic S. Thomas. Verum alii censent Moysen non solum facto, sed etiam verbis negasse, et se veri Dei cultorem et de gente et religione Hebræorum palam professum esse. Quomodo autem idem Moyses adhuc infans Pharaoni oblatus a filia, impositum sibi ab eo diadema abjecerit, pedibusque conculcarit, atque etiam hoc facto negaverit seu abnuerit se dici filium filiæ Pharaonis, regnique hæredem (quod non sine divino motu et instinctu factum credi par est), refert Josephus Antiquit. cap. 6.

[f] Textus subobscurus : paraphrasis Dionysii paulo clarior, quæ sic habet : *Scriptura divina excitat et hortatur nostri arbitrii libertatem ad gradus perfectionum diversos juxta mensuram, dispositionem et statum cujuslibet mentis*, etc.

[g] Tangit differentiam inter beatitudines evangelicas, sive in Evangelio commemoratas et prædicatas, et inter præmia eis repromissa inter se collata : quæ tamen differentia præmiorum non tam in re quam in verbis consistit. Sive enim hæc ad præsentem vitam referantur, sive ad futuram, omnia concurrunt et se mutuo complectuntur aut consequuntur. Sed si verborum vim seu emphasim spectes, majus præmium sonat regnum cœlorum (quod duobus beatitudinibus, primæ et octavæ, repromittitur) quam possessio terræ, sive terrenæ, sive cœlestis, et sic de cæteris, prout hic declaratur. Neque [illegible] inquirere cur sex tantummodo beatitudines e

dit. Licet enim beati dicantur quorum sunt regna cœlorum, et beati qui possidebunt terram, et beati qui consolationem recipient, et beati qui saturitate potientur (*Matth.* v); tamen multum credimus interesse inter habitationem regni cœlorum et possessionem illius quæcumque est terræ, et inter perceptionem consolationis et plenitudinem saturitatemque justitiæ, multumque distare inter illos qui misericordiam consequentur et illos qui gloriosissima visione Dei perfrui merebuntur. *Alia* enim *gloria solis, et alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum. Stella enim a stella differt in gloria, ita et resurrectio mortuorum* (I *Cor.* xv). Cum igitur juxta hunc modum Scriptura divina timentes Deum laudet et dicat: *Beati omnes qui timent Dominum* (*Psalm.* cxxvii), et plenam per hoc illis beatitudinem repromittat; iterum tamen dicit: *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet non est perfectus in charitate* (I *Joan.* iv). Et rursus, cum servire Deo gloriosum sit, et dicatur: *Servite Domino in timore* (*Psalm.* ii). Et: [a] *Magnum tibi est vocari servum meum* (*Isa.* xlix). Et: *Beatus servus ille, quem, cum venerit dominus suus invenerit sic facientem* (*Luc.* xii). Tamen ad apostolos dicitur: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus suus. Vos autem dico amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv). Et iterum: *Vos amici mei estis, si feceritis ea quæ præcipio vobis* (*Ibid.*). Videtis ergo perfectionum gradus esse diversos, et de excelsis ad excelsiora nos a Domino provocari, ut ita is qui in timore Dei beatus et perfectus exstiterit, ambulans, sicut scriptum est, *de virtute in virtutem* (*Psalm.* lxxxiii), et de perfectione ad aliam perfectionem, id est, de timore ad spem, mentis alacritate conscendens, ad beatiorem denuo statum, quod est charitas, invitetur. Et qui fuerit fidelis servus ac prudens, ad amicitiæ sodalitatem et adoptionem transeat filiorum. [b] Secundum ergo hunc sensum nostra quoque est intelligenda sententia, non quod contemplationem perpetuæ illius pœnæ, vel beatissimæ retributionis, quæ repromittitur sanctis, nullius pronuntiemus esse momenti; sed quia cum sint utiles, et sectatores suos ad initia beatitudinis introducant, charitas rursum, in qua plenior fiducia perpetuumque jam gaudium est, assumens eos de timore servili et mercenaria spe, ad dilectionem Dei et adoptionem transfert filiorum, et quodammodo perfectiores facit de perfectis. *Multæ* enim, ait Salvator, *mansiones sunt apud Patrem meum* (*Joan.* xiv). Et licet omnia astra esse videantur in cœlo, inter claritatem tamen solis et lunæ atque luciferi, cæterarumque stellarum multa distantia est. Et idcirco beatus Apostolus, non solum timori ac spei, sod etiam cunctis charismatibus, quæ magna ac mirifica habentur, eam præferens [c] supra modum, excellentiorem omnibus charitatem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

præmia hic enumeret Auctor, cum apud Matthæum octo commemorentur, quod satis habuerit his exemplis ostendere diversos et inæquales esse gradus perfectionum (qui scopus et argumentum hujus cap.), sicut diversi sunt gradus beatitudinum evangelicarum, et præmiorum eis repromissorum, prout in Evangelio exprimuntur. Verum hic opportune D. Thomam audiemus plenius hæc et accuratius ex veterum Patrum sententia explicantem in hunc modum (1-2 *q.* 69, *a.* 2 *et* 4): *Dicendum*, inquit, *quod circa ista præmia, expositores sacræ Scripturæ diversimode sunt locuti. Quidam enim omnia ista præmia ad futuram beatitudinem pertinere dicunt: sicut Ambrosius super Lucam* (*In cap. de Beatitud. tomo* V). *Augustinus vero* (*Lib.* i *de serm. Dom. in monte c.* 9) *dicit ea ad præsentem vitam pertinere. Chrysostomus autem* (*Homil.* 6 *in Matth.*) *in suis homiliis quædam eorum dicit pertinere ad futuram vitam, quædam autem ad præsentem. Ad cujus evidentiam considerandum est quod spes futuræ beatitudinis potest esse in nobis propter duo. Primo quidem propter aliquam præparationem vel dispositionem ad futuram beatitudinem quod est per modum meriti; alio modo per quamdam inchoationem imperfectam futuræ beatitudinis in viris sanctis, etiam in hac vita. Aliter enim habetur spes fructificationis arboris, cum virescit frondibus; et aliter cum jam primordia fructuum incipiunt apparere. Sic igitur ea quæ in beatitudinibus tanguntur, tamquam merita, sunt quædam præparationes, vel dispositiones ad beatitudinem, vel perfectam, vel inchoatam; ea vero quæ ponuntur tamquam præmia, possunt esse vel ipsa beatitudo perfecta, et sic pertinent ad futuram vitam; vel aliqua inchoatio beatitudinis, sicut est in viris perfectis, et sic præmia pertinent ad præsentem vitam. Cum enim aliquis incipit proficere in actibus virtutum et donorum, potest sperari de eo quod perveniet ad perfectionem viæ, et ad perfectionem patriæ.* Hæc S. Thomas. Addit vero in altero articulo, quod etiam ad hunc locum *pertinet: Præmia secundum additionem se habent ad invicem. Nam plus est possidere terram regni cœlorum quam simpliciter habere. Multa enim habemus quæ non firmiter et pacifice possidemus. Plus est etiam consolari in regno quam habere et possidere; multa enim cum dolore possidemus. Plus est etiam saturari quam simpliciter consolari. Nam saturitas abundantiam consolationis importat; misericordia vero excellit saturitatem, ut plus scilicet homo accipiat quam meruerit vel desiderare potuerit. Adhuc autem majus est Deum videre; sicut major est, qui in curia regis non solum prandet, sed etiam faciem regis videt: summam autem dignitatem in domo regia filius regis habet.* Hactenus Doctor Angelicus, immo divinus: qui quidem illam beatitudinem et præmiorum varietatem et habitudinem ad se invicem aliter et subtilius consideravit et exposuit, quam hoc loco explicatur.

[a] Agnoscit et hanc lectionem D. Hieronymus; vulgata autem lectio: *Parum est, ut sis mihi servus* (*Isa.* xlix), etc.

[b] Solutio propositæ difficultatis, quomodo timoris et spei affectus dixerit imperfectos? Nimirum respectu charitatis, quamvis in suo genere et gradu suam habeant perfectionem: in qua tamen minime sistendum; sed gradatim a timore ad spem, et a spe ad charitatem progrediendum, quod etiam dixit cap. 7.

[c] Cur Apostolus charitatem viam nominaverit, indicat S. Thomas paucis verbis (2-2. *q.* 24, *art.* 4): *Ex hoc dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ beatitudinis. In hac autem via tanto magis procedimus, quanto Deo magis propinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur. Ideo Apostolus charitatem viam nominat, dicens primæ ad Corinth.* xii: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.*

ostendit. Nam cum vellet, expleto omni catalogo spiritualium charismatum, virtutum ejus membra describere, ita præfatus est : *Et adhuc* supra modum *excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et angelorum, et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem , nihil mihi prodest* (I *Cor.* XII *et* XIII). Videtis ergo nihil pretiosius, nihil perfectius, nihilque sublimius, et (ut ita dixerim) nihil charitate perennius inveniri. *Sive* enim *prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destructur; charitas* autem *numquam excidet* (*Ibid.*), sine qua, non solum illa præcellentissima charismatum genera, sed etiam martyrii ipsius gloria vacuatur.

CAPUT XIII.

De timore qui de charitatis magnitudine generatur.

Quisquis igitur in hujus fuerit charitatis perfectione fundatus, necesse est ut ad [a] illum sublimiorem charitatis timorem gradu excellentiore conscendat, quem non pœnarum terror, nec cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum patrem, vel fratrem frater, vel amicum amicus, vel conjugem conjux sollicito reveretur affectu, dum ejus non verbera neque convicia, sed vel tenuem amoris formidat offensam, atque in omnibus non solum actibus, verum etiam verbis attonita semper pietate distenditur, ne erga se quantulumcumque fervor dilectionis illius intepescat. Cujus timoris magnificentiam Isaias unus prophetarum eleganter expressit, [b] *Divitiæ*, inquiens, *salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse thesaurus ejus* (*Isa.* XXXIII). Non potuit timoris istius dignitatem ac meritum magis evidenter exprimere, quam ut divitias salutis nostræ, quæ in vera sapientia Dei scientiaque consistunt, diceret nisi a timore Domini non posse servari. Ad hunc igitur metum non peccatores, sed sancti propheticis invitantur eloquiis, dicente psalmographo : *Timete Dominum, omnes sancti ejus, quia nihil deest timentibus eum* (*Psal.* XXVIII). Quid enim hoc timore Dominum metuit, perfectioni ejus certum est nihil deesse. Nam de illo timore pœnali evidenter Joannes apostolus dicit : *Qui timet, non est perfectus in charitate, quia timor pœnam habet* (*Joan.* IV). Multa igitur distantia est inter istum timorem cui nihil deest, qui sapientiæ scientiæque thesaurus est; et illum imperfectum, qui principium sapientiæ nuncupatur, quique pœnam in sese continens, de perfectorum cordibus superveniente plenitudine charitatis extruditur : *Timor* enim *non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem* (*Ibid.*). Et revera, si principium sapientiæ in timore consistit (*Psal.* CX), quæ erit ejus, nisi in Christi charitate perfectio, quæ illum in sese perfectæ dilectionis continens metum, non jam principium, sed thesaurus sapientiæ et scientiæ nuncupatur? Et idcirco duplex timoris est gradus : unus incipientium, id est, eorum qui adhuc sub jugo et terrore servili sunt, de quo dicitur: *Servus dominum suum timebit* (*Malach.* I). Et in Evangelio : *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus* (*Joan.* XV). Et ideo *Servus*, inquit, *non manet in domo in æternum* (*Joan.* VIII). Imbuit enim nos ut ab illo pœnali metu ad charitatis plenissimam libertatem et amicorum filiorumque Dei fiduciam transeamus. Denique beatus Apostolus qui servilem illum timoris gradum olim charitatis Dominicæ virtute transcenderat, inferiora despiciens, majoribus se ditatum bonis a Domino profitetur : *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis* (II *Timoth.* I). Eos etiam qui perfecta cœlestis illius Patris dilectione flagrabant, quosque ex servis filios adoptio divina jam fecerat, hoc adhortatur eloquio : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII). De hoc etiam metu cum illam septiformem Spiritus sancti gratiam propheta describeret, quem [c] in homine illo Dominico

[a] Filialem, charitati etiam perfectæ connexum et germanum, quo non pœna peccati, sed offensa pii Patris, id est Dei, metuitur, qui et castus, et sanctus, et reverentialis appellatur, et permanens in æternum, juxta illud regii Psaltæ : *Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Ubi Græce legitur ἁγνὸς id est, mundus, aut castus, non ἅγιος. Unde castum timorem passim vocat Augustinus (*Tract.* 9 *in Epist. Joan.*) eumque familiari exemplo et huic loco respondente duarum mulierum ita distinguit a servili : *Non potes*, inquit, *melius explanare quid intersit inter duos timores, quam si ponas duas mulieres maritatas; quarum unam constituas volentem facere adulterium, sed timet ne damnetur a marito. Timet maritum; sed quia amat nequitiam, ideo timet maritum; huic non grata est, sed onerosa mariti præsentia; et si forte vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent diem judicii. Fac alteram amare virum, et debere illi castos amplexus, nulla se adulterina immunditia maculare velle. Ista optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Illa timet; et ista timet. Jam ergo interrogentur quare timeant? Illa dicet : Timeo virum, ne veniat; ista dicet : Timeo virum, ne discedat; illa dicit : Timeo virum, ne damnet; ista dicet : Timeo virum, ne deserat. Pone hæc in animo, et invenies timorem quem foras mittit charitas : et alium timorem castum, permanentem in sæculum sæculi. Illum timorem perfecta charitas foras mittit, quia ille timor tormentum habet, torquetur conscientia peccatorum; nondum facta est justificatio. Stimulat ille timor, sed intrat charitas, quæ sanat quod vulnerat timor; timor autem castus facit securitatem in animo.* Hæc Augustinus. Vide alia exempla apud eumdem serm. 18 de Verbis Apostoli.

[b] Divitiæ salutis more Hebraico, id est, divitiæ salutares et veræ, sapientia et scientia; timor autem Domini castus et filialis, magnus thesaurus, quia in eo tamquam in arcula divitiæ virtutum reconduntur ac servantur.

[c] Præter annotationem Ciaconii satis accuratam de homine Dominico, quam lector requiret suo loco, subjiciam paucula quæ de eadem nomenclatura aliunde collegi. Primum : Veteres subinde Christum hominem Dominicum appellasse leguntur (*Magist. Sent. lib.* III, *dist.* 8 § *M.*; *S. Thom.* III *part.*, *q.* 46, *art.* 7; *Gregor. Naz. orat.* 51). Hac enim voce crebro

secundum Incarnationis dispensationem descendisse non dubium est, dixissetque : *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis* ; novissime velut quiddam præcipuum intulit dicens : *Et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). In quo primitus illud diligentius est intuendum, [a] quod non dixerit : Et requiescet super eum spiritus timoris Domini, sicut de illis prioribus dixerat ; sed *Replebit,* inquit, *eum spiritus timoris Domini.* Tanta enim ubertatis ejus est magnitudo, ut quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam ejus occupet mentem. Nec immerito. Illi etenim quæ numquam excidet cohærens charitati, non solum replet, sed etiam perpetua et inseparabili eum quem ceperit possidet jugitate, nullis lætitiæ temporalis, vel voluptatum oblectationibus imminutus. Quod nonnumquam illi, qui foras mittitur, timori evenire consuevit. Hic est igitur perfectionis timor, quo homo ille Dominicus, qui non solum redimere humanum genus sed etiam præbere venerat perfectionis formam atque exempla virtutum, repletus fuisse narratur. Illum enim servilem suppliciorum timorem, verus Dei Filius, *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* (*I Petr.* II), habere non potuit.

CAPUT XIV.

Interrogatio de consummatione castitatis.

Germanus : Quia de perfectione charitatis sermo digestus est, volumus etiam de castitatis fine aliqua liberius sciscitari. Non enim ambigimus illud præcelsum fastigium charitatis, per quam sicut huc usque dissertum est, ad imaginem Dei similitudinemque conscenditur, sine castitatis perfectione subsistere omnino non posse, sed utrum ita ejus possit perpetuitas obtineri, ut numquam libidinis titillatio integritatem nostri cordis infestet, et ita valeamu ab hac passione carnali degentes in corpore peregrinari, ut numquam incentivorum æstibus aduramur, volumus edoceri.

CAPUT XV.

Dilatio expositionis postulatæ.

Chæremon : Summæ quidem beatitudinis ac singularis est meriti, ita istum per quem Domino cohæremus affectum, vel discere jugiter vel docere, ut meditatio ejus secundum Psalmographi sententiam, omnes vitæ nostræ dies noctesque consumat (*Psalm.* I), et mentem nostram insatiabiliter esurientem sitientemque justitiam cœlestis hujus cibi perpetua ruminatione sustentet. Sed [b] consulendum est etiam jumento corporis nostri secundum benignissimam Salvatoris nostri providentiam, ne deficiat in via.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

utitur Epiphanius in Anchorato, et Augustinus lib. LXXXIII Quæst. cap. 36, ubi iisdem verbis utitur, quibus hic abbas : *Monendum,* inquiens, *ut illa bona exspectentur, quæ fuerunt in illo homine Dominico.* Et rursus : *Hic prestantissimum illud et unicum exemplum Dominici hominis proponendum est, qui cum se tot miraculis tantam rerum habere potestatem monstraret, et ea sprevit quæ magna bona, et ea sustinuit quæ magna mala imperiti putant.* Itemque aliis in locis, præsertim in expositione Psalmorum (*Psal.* I, IV *et* VII). Et Beda in I Reg. I. Verum hæc loquendi formula ipsi Augustino postea non immerito displicuit ; eamque retractavit et correxit his verbis : *Non video utrum recte dicatur homo Dominicus, qui est mediator Dei et hominum Christus Jesus : et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi catholicos tractatores ; sed ubicumque hoc dixi, dixisse me nollem ; postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla posset ratione defendi.* Ita Augustinus, rationem hujus retractationis tribus verbis indicans : quia Christus, cum sit vere et proprie Dominus, non debet denominative dici Dominicus : *nam Dominicus et Dominicum dicitur quod est Domini,* ait S. Thomas, *sicut Dominica voluntas, Dominica manus, vel Dominica passio. Et ideo ipse homo Christus, qui est Dominus, non debet dici Dominicus ; sed potest caro ejus dici caro Dominica, sicut et passio ejus dicitur passio Dominica. Unde ad Nestorianam hæresim pertinet Christum dicere hominem Dominicum, si proprie intelligatur, per hoc enim negatur naturaliter esse Dominus.* Posse tamen hunc sermonem aliquatenus defendi, aut excusari, duplici ratione docet D. Thomas, ex quo Ciaconius priorem retulit : altera vero est : *Si dicamus Dominicum essentialiter prædicari pro Domino, ut solent interdum denominativa substantialiter accipi, velut cum dicimus essentiam divinam, personas divinas, quæ nihil aliud sunt quam ipse Deus. Ita homo Dominicus, id est, homo Deus, et Dominus.*

[a] Aliquid simile observavit D. Hieronymus in eum dem locum commentans, licet aliorsum, et in alium finem vertat. Ita enim scribit : *Et hoc notandum quod Spiritus Domini sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, et scientiæ, et pietatis, et timoris Domini, id est, septenarius numerus, qui septem oculi in uno lapide dicuntur in Zacharia* (*Zachar.* III), *requiescat super virgam et florem qui de Jesse ac, per hoc, stirpe David surrexit ; specialiter autem spiritus timoris Domini replevcrit eum, propter eos, qui timore Domini indigent, quia parvuli sunt, quem foras mittit perfecta dilectio.* Ita D. Hieronymus hanc prophetiam non tam ad Christum referens, quam ad Christi membra, id est, Ecclesiam, in qua multo plures sunt parvuli, id est, imperfecti, qui timore servili aut initiali ducuntur, quam perfecti. Ad quod designandum usus sit propheta verbo *replebit,* in dono timoris, pro *requiescet,* quo usus fuerat in aliis donis. Vide D. Gregorium homilia 29 in Ezechielem.

[b] Viri sancti plerumque corpus suum jumentum, vel asellum, vel quid simile vocabant, propterea quod caro, per se rationis expers et spiritui recalcitrans, more pecudum aut jumentorum, de cibo et potu tantummodo cogitet ; et præsentibus, sibique propriis voluptatibus solum inhiet, nihil futurum prospiciens. Sic S. Hilarion, teste Hieronymo, *Sibi iratus, et pectus pugnis verberans, quasi cogitationes cæde manus posset excludere : Ego, inquit, asselle, faciam ut non calcitres ; nec te hordeo alam, sed paleis, fame te conficiam et siti ; ut cibum potius quam lasciviam cogites.* Sic ille. Porro, *jumentum dictum ab eo quod juvet,* ait D. Hieronymus (*Lib.* II *in Jovin.*). quare non inepte jumenti nomen. etiam corpori nostro, velut animæ jumento et adjumento tribuitur, quod animæ rationali, præsertim in actibus virtutum exsequendis inservire, et absque contradictione obedire debet, et onus impositum portare, more jumenti. Unde nec immerito ei consulendum ac providendum, quod jumentis præstari solet (non tamen indulgendum), hic monet Collator.

Spiritus enim promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI) : quæ etiam nunc vel exigui cibi perceptione curanda est, ut post perfectionem ejus, etiam ad ea quæ desideratis, diligentius indaganda, mentis quoque addatur intentio.

COLLATIO DUODECIMA,

Quæ est secunda abbatis Chæremonis.

DE CASTITATE.

CAPUT PRIMUM.

Refectione transacta, quæ doctrinæ cibum desiderantibus nobis onerosa magis visa est quam jucunda, cum illico nos promissi sermonis debitum senex exspectare sensisset : Grata est, inquit, mihi non solum attonita ad discendum vestræ mentis intentio, sed etiam disciplina propositæ quæstionis. Rationabilis enim revera interrogationis a vobis ordo servatus est. Necesse est enim ut tam excelsæ plenitudinem charitatis immensa illa perfectæ atque perpetuæ castimoniæ præmia consequantur, parque sit gaudium in tanta parilitate palmarum. Tanta enim sibi societate fœderantur, ut una absque altera nequeat possideri. Hoc igitur propositio vestra complexa est, ut utrum [a] ignis ille concupiscentiæ, cujus hæc caro velut insitum sentit ardorem, ad plenum possit exstingui, disputatione simili panderemus. De quo primum quid beatus Apostolus senserit diligentius inquiramus : *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram* (*Coloss.* III). Prius ergo quam cætera perscrutemur, quæ ista sint membra quæ mortificari præceperit, indagemus. [b] Neque enim beatus Apostolus ad abscissionem manuum aut pedum, aut genitalium immiti nos præceptione compellit, sed [c] corpus peccati, quod utique constat ex membris, quantocius destrui zelo perfectæ desiderat sanctitatis, de quo corpore alibi, *ut destruatur*, inquit, *corpus peccati* (*Rom.* VI). Et quæ sit ejus destructio, consequenter exponit, *ut jam*, inquit, *non serviamus peccato* (*Rom.* VII). A quo etiam se liberari cum ejulatu postulat, dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

CAPUT II.

De corpore peccati et membris ejus.

Hoc itaque peccati corpus multis vitiorum membris probatur exstructum; et ad ejus attinet portionem [d] quidquid vel facto, vel dicto, vel cogitatione

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, motus libidinis. Concupiscentiam ignem quemdam esse internum docet illa Pauli sententia : *Bonum est nubere magis quam uri* (1 *Cor.* VII). Itemque alia ejusdem : *Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere* (*Ephes.* VI). Hinc Patres passim ignem, flammam, fomitem, incentivum, ardorem, vel æstum libidinis vocant. D. Ambrosius lib. I de Pœnitentia : *Libido gravis ignis est : et ideo non debemus illi alimenta præbere luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur delictis, vino accenditur, ebrietate flammatur.* D. Hieronymus ad Furiam epist. 10 : *Ardentes diaboli sagittæ jejuniorum et vigiliarum rigore restinguendæ sunt.*

[b] Neque Christus Dominus, cum similiter ait : *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te.* Hæc enim metaphorice intelliguntur aut hyperbolice, ut notant interpretes (*Vide Joan. Mald. in* V *Matth.*). Metaphorice quidem si per oculum dextrum et manum dextram intelligamus res nobis charissimas et pretiosissimas quas a nobis potius abjicere debemus quam ut earum occasione peccemus. Hyperbolice vero, supposita hac conditione vel exceptione, si fieri posset vel liceret, ut in exaggerationibus fieri solet. Significat enim Christus quodvis potius damnum nobis subeundum, quam culpam : eo quidem usque, ut vel oculum dextrum vel dextram nobis manum abscindamus, si aliter peccatum effugere non possimus : sed quia semper possumus, nefas est aliquam nobis corporis partem abscindere.

[c] Corpus peccati, passim vocat Apostolus veterem hominem, de quo ait : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*; quod idem est ac illud : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Sicut enim homo, vel corpus hominis variis constat membris ; ita vetus homo, seu corpus peccati coagmentatur ex variis peccatorum generibus, veluti membris et actibus diversis. Cujusmodi membra mox ab eodem Apostolo enumerantur; quæ sequenti capite particulatim et spirituali quadam anatomia explicantur. *Super terram autem*, id est terrena, sive terrestria esse dicuntur, quod hujusmodi vitia velut in terram deprimant hominem, et a Deo longissime avertant: de quorum mortificatione agitur capite tertio.

[d] Vulgaris divisio peccati in peccatum cordis, oris et operis, a D. Hieronymo relata in c. XLIII Ezechielis, ad hæc verba : *Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie, et vitulum, et arietem. In hirco*, inquit, *et vitulo, et ariete tria generalia delicta monstrantur, quibus omne mortalium subjacet genus. Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus. Cogitatio refertur ad arietem, quæ prima est omnium peccatorum, et ex qua alia duo peccata nascuntur. Hœdus autem sive hircus, ad eloquium, sive sermonem, qui semper de excelsioribus disputat. Opera vero proprie vitulo deputantur, quoniam vomeri, et labori, et terrenis operibus mancipatus est.* Ita Hieronymus. Et in eamdem sententiam D. Augustinus contra Faustum Manichæum (*Lib.* II, *c.* 27) : *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem : Lex vero æterna est ratio divina, vel voluntas Dei*, etc. Hæc autem divisio peccati non est generis in diversas species : sed ejusdem speciei in diversos gradus, ut docet D. Thomas (1-2, *q.* 62 *art.* 7). *Hæc enim tria*, inquit, *pertinent ad unam perfectam et completam peccati speciem, cum ab eodem motivo procedant. Iracundus enim ex hoc quod appetit vindictam, primo quidem perturbatur in corde, secundo in verba contumeliosa prorumpit, tertio vero procedit usque ad facta injuriosa, et idem patet de luxuria et quolibet alio peccato.*

peccatur, cujus membra rectissime super terram esse dicuntur. Non enim possunt hi qui eorum utuntur ministerio, veridice profiteri, nostra autem conversatio in cœlis est. Hujus igitur corporis in hoc loco Apostolus membra describens : *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et* [a] *avaritiam, quæ est simulacrorum servitus* (*Coloss.* III). [b] Primo itaque loco *fornicationem* credidit inferendam, quæ carnali commixtione perficitur.[c] Secundum etiam membrum *immunditiam* nuncupavit, quæ nonnumquam absque ullo mulieris tactu vel dormientibus, vel vigilantibus, per incuriam incircumspectæ mentis obrepit, et ideo notatur ac prohibetur in lege, quæ immundos quosque non solum sacrarum carnium participatione privavit, verum etiam ne contactu suo sancta polluerent, a castrorum jussit congregatione secerni, dicens : [d] *Anima quæcumque comederit de carnibus sacrificii salutaris* (*quod est Domini*) *in qua est immunditia, peribit coram Domino; et quidquid tetigerit immundus, immundum erit* (*Levit.* VII). In Deuteronomio quoque : *Si fuerit*, inquit, *inter vos homo qui nocturno pollutus est somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam laveturaqua, et post solis occasum regredietur in castra* (*Deuter.* XXII). Deinde [e] tertium peccati membrum *libidinem* ponit, quæ in recessibus coalescens animæ, accendere quippiam etiam sine corporis passione potest. Libidinem enim ab eo quod libeat dictam esse non dubium est. Post hæc de majoribus peccatis ad minora descendens, [f] quartum intulit membrum, *concupiscentiam* malam, quæ non solum ad prædictam impudicitiæ passionem, verum etiam ad omnes noxias cupiditates generaliter referri potest. quæ corruptæ tantummodo voluptatis [*Lips. in marg.* voluntatis] est ægritudo. De qua Dominus in Evangelio : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). Multo enim majus est etiam tunc mentis lubricæ desiderium continere, cum ei illecebrosi aspectus offertur occasio. Quibus manifestissime comprobatur ad perfectionem puritatis, castimoniam continentiæ corporalis solam non posse sufficere, nisi ei etiam mentis addatur integritas. Post quæ omnia [g] novissimum illius corporis membrum, *et avaritiam*, inquit, proculdubio ostendens non solum *ab appetitu* rerum alienarum animum continendum, verum etiam propria magnanimiter contemnenda. Hoc enim et in Actibus apostolorum fecisse legitur credentium multitudo, de qua dicitur : *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia* (*Actor.* IV). Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant anto pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Et ne ad paucos pertinere videretur ista perfectio, avaritiam simulacrorum servitutem esse testatus est. Nec immerito : quisquis enim non communicat necessitatibus egenorum, et pecuniæ suæ quam infi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Augustinus lib. XI de Civit. Dei, rationem reddens cur Apostolus avaritiam nominet idolorum aut simulacrorum servitutem : *Perversi*, inquit, *et avari frui volunt nummo, uti autem Deo : quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt.* Quia nimirum, licet Deum agnoscant et revereantur tanquam rerum omnium parentem, immoderato tamen affectu, quo in sordibus pecuniæ inhærescunt, eum ultimum finem et summum bonum, re et facto, negare videntur. Plura in hanc sententiam alibi require.

[b] Id est, primum membrum corporis peccati posuit fornicationem, quo illicitus concubitus, seu commixtio maris et feminæ hic significatur, ut Auctor indicat.

[c] Immunditiam interpretatur Auctor omnem pollutionem, sive seminis fluxum, etiam involuntarium, ut qui dormientibus contingit, ut patet ex ipsius verbis et testimoniis ab eo productis. Proprie tamen de pollutione voluntaria intelligitur, quæ et mollities ab Apostolo nuncupatur.

[d] Citat rursus hunc locum, et iisdem verbis, collatione 22 cap. 5. Putat Ciaconius legendum : *In quo est immunditia*, ut ab hominem potius, quem sub nomine animæ voluit intelligi, quam ad animam referatur. Nam Græce est καὶ ακαθαρσια αὐτοῦ ἐπ' αυτῶ (*Deuter.* VII *sec.* LXX), id est, immunditia ipsius super ipsum. Atque ita legitur apud Cyprianum (*Serm. de Lapsis*) et alios. At versio Vulgata paululum diversa, ut alias indicavimus.

[e] Libidinem intelligere videtur turpem et obscœnam cogitationem, seu delectationem in animo latentem, non foras prodeuntem. Erasmus vero mollitiem, alii morbum transtulerunt, illam videlicet fœdam obscœnitatem quæ Græce παθος dicitur, a qua pathici dicti, qui turpia patiebantur. D. Augustinus lib. XIV de Civit. Dei cap. 16, pro omni actu aut voluptate venerea accipit : *Cum sint*, inquit, *multarum libidines rerum, tamen cum libido dicitur, nec cujus sit libido additur, non fere assolet animo occurrere, nisi illa quæ obscœnæ partes corporis excitantur. Hæc autem sibi, non solum totum corpus, nec solum extrinsecus, verum etiam intrinsecus vindicat, totumque commovet hominem, animi simul affectu cum carnis appetitu conjuncto atque permixto, ut ei voluptas sequatur, qua major in corporis voluptatibus nulla est, ut momento ipso temporis quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies et quasi vigilia cogitationis obruatur.*

[f] Illam scilicet quæ expresso Decalogi præcepto prohibetur, id est, concupiscentiam rei veneræ, vel concupiscentiam uxoris alienæ.

[g] Avaritiam interpretatur, ut alii fere omnes, secundum vulgarem vocis acceptionem, pecuniarum seu divitiarum cupiditatem. At D. Hieronymus scribens in cap. V Epistolæ ad Ephesios, ubi dicitur : *Fornicatio et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis*, contendit avaritiam, quæ Græce πλεονεξία dicitur, non debere accipi pro pecuniæ studio, ut vulgo accipitur, sed pro insatiabili quadam cupiditate turpium voluptatum : *Quæ enim consequentia*, inquit, *ut inter fornicationem, et immunditiam, et turpitudinem, et stultiloquium, et scurrilitatem, mediam avaritiam extraordinarie posuerit* (id est, peccatis luxuriæ annumerarit)? Quod argumentum probare videtur eodem modo debere accipi illo ad Colossenses loco, qui hic explicatur.

deli tenacitate conservat Christi præcepta postponit, idololatriæ crimen incurrit, amorem scilicet materiæ mundialis divinæ præferens charitati.

CAPUT III.

De mortificatione fornicationis et immunditiæ.

Si ergo multos ita pro Christo suas vidimus abjecisse [a] substantias, ut non solum possessionem pecuniarum, verum etiam desiderium de cordibus eorum in perpetuum probemus abscissum, consequens est ut [b] eodem modo etiam fornicationis ardorem exstingui posse credamus. Neque enim rem impossibilem Apostolus cum possibili conjunxisset, sed utraque sciens esse possibilia, pari modo mortificanda decrevit (*Coloss.* III). Et in tantum beatus Apostolus fornicationem, sive immunditiam, de nostris membris exstirpari posse confidit, ut non solum mortificari ea, sed ne nominari quidem in nobis debere pronuntiet : *Fornicatio,* inquiens, *et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet* (*Ephes.* V). Quæ etiam pari modo perniciosa esse, et æquali nos a regno Dei exclusione depellere, edocet, dicens : *Illud autem scitote, quoniam omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei* (*Ibid.*). Et iterum : *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* VI). Dubium proinde esse non debet, fornicationis et immunditiæ de membris nostris aboleri posse contagium, quandoquidem non aliter ea quam avaritiam, stultiloquium, scurrilitates, ebrietates, ac furta, quorum facilis amputatio est, mandaverit [c] abscindenda.

[a] Ita passim substantias pro facultatibus sumit, ut alibi notavimus.

[b] Explicat quid sit mortificare membra nostra quæ sunt super terram. Non enim ad hoc sufficit ab hujusmodi vitiis supra enumeratis tantummodo abstinere, aut ea non amplius perpetrare; verum oportet exsurgentes eorum motus ac desideria, velut parvulos Babylonis, ipso statim in limine, elidere, atque ad petram, id est, Christum, allidere; eorumque occasiones omnes declinare : qua de re alias sæpius egimus. Non enim perfecte, et quantum exigit Apostolus, mortificamus membra peccati, si non ipsa etiam peccatorum, præsertim carnalium, desideria, licet involuntaria, quantum in nobis est, exstinguamus.

[c] Id est, mortificanda, comprimenda.

[d] Hoc sæpe et variis in locis inculcat Cassianus, præsertim lib. VI Institutionem cap. 6 : *Revera,* inquit, *cum in omnibus virtutum profectibus, et cunctorum impugnatione vitiorum Domini sit gratia atque victoria, in hoc præcipue peculiare beneficium Dei ac speciale donum, et Patrum sententia, et experimento purgationis ipsius manifestissime declaratur his qui eam meruerint possidere. Quodammodo enim exire de carne est in corpore commorantem, et ultra naturam est fragili carne circumdatum carnis aculeos non sentire. Et idcirco impossibile est hominem suis* (*ut ita dixerim*) *pennis ad tam præcelsum cœlesteque præmium subvolare, nisi eum gratia Domini de terræ cœno manere castitatis eduxerit* (*Vide plura ad lib.* VI *cap.* 5 *et seq.*).

CAPUT IV.

Quod ad obtinendam castimoniæ puritatem non sufficit humani laboris intentio.

Certos tamen esse nos convenit, quod, licet omnem continentiæ districtionem, famem scilicet ac sitim, vigilias quoque et operis jugitatem, atque incessabile subeamus studium lectionis, perpetuam tamen castimoniæ puritatem horum laborum merito contingere nequeamus, nisi in his jugiter desudantes experientiæ magisterio doceamur [d] incorruptionem ejus divinæ gratiæ largitate concedi. Ob hoc sane solummodo se unusquisque infatigabiliter in his exercitiis perdurare debere cognoscat, ut per illorum afflictionem misericordiam Domini consecutus de impugnatione carnis ac dominatione præpotentium vitiorum divino mereatur munere liberari, non quod adepturum se per illa confidat istam quam cupit inviolatam corporis castitatem. Tanto autem erga acquisitionem castimoniæ desiderio atque amore inflammetur, quanto quis pecuniarum cupidissimus appetitor, vel qui summa honorum ambitione distenditur, vel qui intolerabili pulchræ mulieris amore raptatur, desiderium suum impatientissimo ardore optat expleri; et ita fiet ut dum pro integritatis perpetuitate insatiabili cupiditate succendimur, desiderabilis despiciatur cibus, necessarius horreat potus, somnus denique ipse naturæ debitus respuatur, vel certe ut deceptor fraudulentissimus puritatis, et æmulus atque contrarius castitati, attonita atque suspecta mente capiatur, et ita unusquisque quotidie integritatis suæ matutinus explorator effectus, de collata sibi puritate congaudeat, eamque se non suo studio nec vigilantia, sed protectione Domini sentiat consecutum; ac tamdiu illius perseverantiam suo corpori intelligat cohæsuram quamdiu eam Dominus sua fuerit miseratione largitus. Qui enim hanc stabiliter obtinet fidem, nequaquam superbum sapiens de sua virtute confidet, [e] neque seductus longis

[e] Id est, plus æquo sibi applaudens, vel in se gestiens, quod multo tempore pollutus non fuerit. Hanc sententiam confirmat Joannes Climacus gradu 1, ubi de pollutione ejusque causis agens : *In iis quidem,* inquit, *qui rudes imbuuntur, lapsus corporis ex deliciis maxime fieri solet; in mediocribus vero etiam ex elatione animi. Porro in his qui perfectioni proximiores sunt, plerumque ex condemnatione contemptuque superbo proximi.* Et rursus infra : *Sunt nonnulli qui sola ciborum causa hujusmodi bella adversum nos excitari atque obsceni humoris profluvium fieri putant atque asseverant; ego autem extrema fatigatos ægritudine, et ad summum jejunantes, valide hujusmodi aspergine fœdari cognovi. Interrogavi aliquando peraptissimum quemdam, discretionis gratia ornatum monachum quid de iis sentiendum esset, mihique admodum lucide beatus ille respondit : Est, inquit, quidem in somnis quædam seminis emissio, quæ ex ciborum multitudine et requie est, et alia quæ ex superbia contingit; cum scilicet diutius mundi a fœda hac respersione perstiterimus, et per hoc in superbiam efferimur. Fit rursus plerumque cum judicamus atque condemnamus proxi-*

obsceni liquoris induciis blandissima securitate solvetur, sciens impurissimæ colluvionis aspergine se protinus maculandum, si vel paululum quid ab eo protectio divina discesserit; ac proinde pro perpetuitate ejus cum omni contritione et humilitate cordis indefessis est orationibus excubandum.

CAPUT V.

De utilitate impugnationis quæ nobis de incentivorum æstibus generatur.

Vultis autem capere super hujus rei quam dicimus veritate evidens argumentum, per quod et hæc quæ dicta sunt, approbetis, et istam corporis pugnam, quæso inimica nobis putatur ac noxia, utiliter membris nostris insertam esse doceamini? Considerate, quæso, illos qui [a] corpore sunt spadones, quæ præcipue causa in virtutibus appetendis desides reddat ac tepidos. Nonne quia corrumpendæ castitatis credunt se periculum non habere? Quod tamen nemo ita proposuisse me credat, ut neminem eorum penitus inveniri posse confirmem, perfecta abrenuntiatione flagrantem, sed quia naturam quodammodo suam vincant, si qui forte eorum ad propositam perfectionis palmam summa animi districtione contendant, cujus ardor ac desiderium eum quem semel accenderit, famem, sitim, vigilias, nuditatem, cunctosque labores corporis, non solum patienter, verum etiam libenter sustinere compellit. [b] *Vir* enim *in doloribus laborat sibi, et vim facit perditionis suæ* (*Prov.* XVI. *sec.* LXX). Et iterum: [c] *Animæ* autem *egenti etiam amara dulcia videntur* (*Prov.* XXVII). Alias namque non poterunt desideria præsentium rerum vel deprimi vel avelli, nisi pro istis affectibus noxiis quos cupimus amputari, alii salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet vivacitas mentis absque alicujus desiderii vel timoris, gaudii vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et ideirco si carnales concupiscentias de cordibus nostris desideramus extrudere, spiritales in earum locis plantemus protinus voluntates, ut his animus noster semper innexus, et habeat quibus jugiter immoretur, et illecebras præsentium ac temporalium respuat gaudiorum. Cumque in hunc statum mens nostra quotidianis exercitiis erudita profecerit, tunc versiculi illius affectum experientia docente concipiet, quem omnes quidem solita psallendi modulatione concinimus, virtutem vero ejus non nisi pauci expertique percipiunt: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear* (*Psalm.* XV). Ille etenim solus vim atque intellectum hujus carminis efficaciter assequitur, qui perveniens ad istam de qua loquimur corporis atque animæ puritatem, intelligit se cunctis momentis, ne rursus ad eadem devolvatur, a Domino conservari dextrasque suas, id est, operationes sanctas ab eodem jugiter communiri. Dominus enim sanctis suis non a sinistris (quia [d] nihil habet sinistrum vir sanctus), sed a dextris semper assistit; a peccatoribus vero et impiis non videtur, quia non habent illas dexteras, quibus Dominus consuevit assistere, nec possunt dicere cum Propheta, *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos* (*Ps.* XXIV). Quod nullus poterit veridice profiteri nisi qui universa quæ in hoc mundo sunt, aut noxia, aut superflua, aut certe inferiora summis virtutibus judicans, omnem intuitum suum, omne studium, omnem curam erga cultum sui cordis et castimoniæ defixerit puritatem, atque ita mens istis exercitiis elimata et profectibus expolita, ad perfectam corporis atque animæ perveniet puritatem.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

mum. Horum, inquit, generum duo contingere etiam infirmis possunt; fortassis et omnia. Porro si quis seipsum prædictis omnibus causis mundum esse conspicit, hic ex hujusmodi tranquillitate beatus est. Qui vero ex dæmonum invidia id patitur, Deo id fieri ad tempus permittente fit, ut per hanc calamitatem, quæ sine peccato est, altissimum tuto possideat humilitatem. Hæc ille.

[a] Idem exemplum spadonum, sive eunuchorum proposuit abbas Daniel collat. 4 cap. 17 his verbis: *In his, qui spadones sunt corpore, idcirco hunc animi teporem plerumque inesse deprehendimus, quia veluti soluti ab hac necessitate carnali, nec labore continentiæ corporalis, nec contritione cordis se æstimant indigere: et hac resoluti securitate, numquam perfectionem cordis, sed nec spiritualium quidem vitiorum purgationem vel quærere in veritate, vel possidere festinant.* Sic ille, monachos tepidos, ac torpentes, et in perfectionis studio languentes ac desidiosos, spadonibus, ignavis hominibus, comparans. Eodem pertinet quod scribit Joannes Climacus loco cicato: *Quidam eos beatos dixerunt eunuchos, qui ita sunt geniti, tamquam violentissima carnis dominatione liberatos. Ego vero eos maxime beatos dico, qui ex quotidiana pugna eunuchi fiunt. Hi enim ratione veluti gladio quodam abscindere se ac mutilare solent.*

[b] Textus Vulg.: *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum* (*Prov.* XVI).

[c] Vulgata lectio (*Prov.* XVII). *Anima satiata calcabit favum; et anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Ubi insignis est hyperbole in verbo *calcare*, pro abominari, aut fastidire. Constat vero hæc sententia duplici adagio, ipsa experientia satis noto. Monet porro Cajetanus hanc sententiam ad omnia transferri posse, quibus dum caremus, valde ea appetimus; cum adepti sumus, facile fastidimus; quod fuse prosequitur Jansenius in eumdum locum.

[d] Similes sententiæ apud D. Hieronymum frequentes, ut in Ezechielis cap. XLI: *In sancto viro utrumque dextrum, utrumque perfectum est.* In Eccle siast. c. X: *Justus sinistram non habet: sed totum in eo dextrum est.* Rursus in cap. V Matthæi: *Percussa dextra nostra non jubemur sinistram præbere, sed alteram; hoc est, alteram dextram. Justus enim sinistram non habet.* In Psalmum XC: *Dextra sancti dicitur: sinistra non dicitur, sed latus pro sinistra nominatur. Non enim poterat justum esse, ut justus haberet sinistram. Qui te percusserit*, inquit, *in dextram maxillam, præbe ei et alteram. Non dixit: et sinistram. Non enim est sinistra quæ præbetur, sed dextera altera. Ergo simpliciter dico, quoniam justus duas dextras habet. Denique et ille Aod, qui scribitur in Judicum libro, propterea duas dextras habere dicitur, quia justus erat, et interfecit illum pinguissimum regem* (*Judic.* III).

CAPUT VI.

Quod patientia ardorem fornicationis exstinguat.

Quantum enim qui in lenitate ac patientia cordis, tantum in corporis puritate proficiet ; quantoque longius iracundiæ propulerit passionem, tanto castitatem tenacius obtinebit. Non enim æstus corporis declinabit, nisi qui animi motus ante compresserit. Quod apertissime Salvatoris nostri ore laudata beatitudo declarat : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt* [a] *terram* (*Matth.* v.). Non ergo aliter nostram possidebimus terram, id est, non alias ditioni nostræ rebellis hujus corporis terra subdetur, [b] nisi mens nostra prius fuerit patientiæ lenitate fundata ; nec poterit quis adversus carnem suam insurgentia libidinis bella comprimere, nisi prius armis mansuetudinis instruatur : *Mansueti enim possidebunt terram, et inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.* Hanc, inquam, terram quemadmodum obtinere possimus, idem Propheta in consequentibus psalmi ipsius edocet : *Exspecta Dominum et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut hæreditate capias terram* (*Psal.* XXXVI). Constat ergo ad possessionem terræ istius firmiter obtinendam, neminem posse conscendere, nisi illos tantum qui per immobilem patientiæ lenitatem vias Domini duras ac præcepta servantes, de cœno carnalium passionum, extrahente eodem, fuerint exaltati. *Mansueti ergo possidebunt terram*; et non solum possidebunt eam, sed etiam *delectabuntur in multitudine pacis* (*Ibid.*), qua nemo, in cujus carne adhuc bella concupiscentiæ suscitantur, stabiliter perfruetur. Necesse est enim infestari eum durissimis dæmonum præliis; et ignitis luxuriæ jaculis sauciatum, a terræ suæ possessione devolvi, donec Dominus *auferat bella usque ad fines terræ ejus, arcum conterat, et confringat arma, et scuta comburat igni* (*Psal.* XLV), illo scilicet quem venit Dominus mittere super terram, et arcus etiam, et arma confringat quibus adversus eum nequitiæ spiritales diebus ac noctibus dimicantes ignitis configebant cor ejus jaculis passionum. Et ita cum eum Dominus conterens bella ab omnibus incentivorum æstibus liberarit, ad illum puritatis perveniet statum ; ut, deposita confusione, qua semetipsum, id est carnem suam, dum impugnaretur, horrebat, incipiet ea, velut purissimo tabernaculo delectari. *Non enim accedent ad eum mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo ejus* (*Psal.* XC) ; ad illud scilicet propheticum patientiæ virtute perveniens, ut mansuetudinis merito non modo suam hereditet terram, verum etiam *delectetur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI). Ubi autem adhuc superest sollicitudo certaminis, pacis esse non potest multitudo. Non enim ait, Delectabuntur in pace, sed *In multitudine pacis.* Per quod evidenter ostenditur, ita efficacissimam medicinam cordis esse patientiam, secundum illud Salomonis : [c] *Mansuetus vir cordis est medicus* (*Prov.* XIV) : ut non solum iræ, tristitiæ, acediæ, cenodoxiæ, superbiæ, verum etiam libidinis omniumque pariter extirpet fomitem vitiorum. [d] *In longanimitate* enim (ut ait Salomon) *prosperitas regibus* (*Prov.* XXV). Nam qui mitis semper atque tranquillus est, nec iracundiæ perturbatione succenditur, nec acediæ atque tristitiæ angore consumitur, nec cenodoxiæ vanitate distenditur, nec superbiæ tumore sustollitur. *Pax* enim *multa diligentibus nomen Domini, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII). Et ideo non immerito pronuntiatur [e] *Melior patiens viro forti ; et qui continet iram, capiente urbem* (*Prov.* XVI). Hanc igitur

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Terram eodem modo interpretatur D. Bernardus pro carne nostra (*Serm.* 1 *in festo omnium Sanctorum*); quam dicimur possidere, dum eam per continentiæ donum in nostra potestate et sub rationis imperio continemus : *Hanc*, ait, *terram corpus nostrum intelligo : quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, et superiori suo subjecta ; quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus quam oporteat superioribus potestatibus esse subjectam ; mansuescat ipsa, et humilietur sub potenti manu Dei Altissimi ; subjecta sit Deo, et his pariter quibus vice ejus habet obedire prælatis, et continuo corpus suum inveniet obediens et subjectum.*

[b] Cassianus lib. VI cap. ultimo inter alia media quibus perfecta possit cordis et corporis puritas acquiri : *Jugis humilitas*, inquit, *ac patientia cordis adhibenda perpetuo est, atque intenta adversus iram et cæteras passiones per diem cautio. Ubi enim furoris insederit virus, libidinis quoque necesse est incendium penetrare.* Quantum vero ad superandas carnis tentationes et continentiam servandam conferat patientiæ exercitium, docet D. Hieronymus insigni exemplo cujusdam adolescentis religiosi, in epist. ad Rusticum monachum (*Epist.* 4), id enarrans his verbis : *Dicam et aliud quod in Ægypto viderim, Græcus adolescens erat in cœnobio qui nulla abstinentia, nulla operis magnitudine flammam poterat carnis exstinguere. Hunc periclitantem Pater monasterii hac arte servavit. Imperat cuidam viro gravi ut jurgiis atque conviciis insectaretur hominem, et post irrogatam injuriam primus veniret ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur qui contumeliam fecerat. Flere ille contra mendacium ; nullus alius credere veritati : solus Pater defensionem suam callide opponere, ne abundantiori tristitia absorberetur frater. Quid multa? ita annus ductus est : ugo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pristinis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret? Papæ! inquit, vivere mihi non licet, et formicari libeat!* Ita S. Hieronymus.

[c] Ita Græce : πραΰθυμος ἀνὴρ καρδίας ἰατρός. Verum hæc sententia in vulg. editione non ita exprimitur, sed ejus loco habetur : *Vita carnium sanitas cordis* (*Prov.* XIV). Quam Chaldæus interpres ita reddidit : *Qui dividit iram cordis sui, medicina est carni ejus.*

[d] Ita ex Græca versione Septuaginta : ἐν μακροθυμίᾳ εὐοδία βασιλεῦσι. At vulgatus interpres vertit : *Patientia lenietur princeps.* Chaldæus : *In patientia spiritus lactatur princeps.*

[e] Textus Vulg. : *Melior est patiens viro forti ; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Quod eleganter expressit Poeta (*Ovidius*) hoc versu :

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia.

pacem donec firmam atque perpetuam obtinere mereamur, multis necesse est nos impugnationibus attentari. Frequenterque nobis est versiculus iste cum gemitu lacrymisque repetendus, *Miser factus sum et afflictus sum usquequaque, tota die contristatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, et non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie insipientiæ meæ* (*Ps.* XXXVII). Tunc enim competenter hæc et in veritate deflebimus, quando post longam puritatem corporis nostri, sperantes jam carnalia nos omnimodis evasisse contagia, stimulos carnis ob electionem cordis adversum nos rursum sentimus insurgere, vel certe ad fallaciam somniorum impuritas nos pristinæ colluvionis aspergit. Cum ergo cœperit quis diuturna cordis et corporis puritate gaudere, necesse est ut dum se credit ulterius jam non posse ab illa sinceritate devolvi, intra semetipsum quodammodo glorietur, et dicat : *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX). Sed cum utiliter a Domino subrelictus [*Lips. in marg.* sibi relictus, *vel* subito relictus] illum puritatis statum in quo sibimet confidebat, senserit perturbari, seseque in illo spiritali viderit titubare successu, recurrat protinus ad illius integritatis auctorem, et agnoscens infirmitatem suam, confiteatur et dicat : *Domine, non in mea, sed in tua voluntate, præstisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Ibid.*). Illud quoque beati Job : *Si lotus fuero quasi aquis nivis, et fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, et abominabuntur me vestimenta mea* (*Job* IX). Quod tamen is qui suo vitio se in sordibus tingit, non potest dicere suo Creatori. Donec ergo ad perfectum puritatis statum perveniat, necesse est eum inæqualitatibus istis frequentius erudiri, quoadusque per Dei gratiam confirmatus in illa quam appetit puritate efficaciter dicere mereatur : *Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, exaudivit precem meam, et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fœcis, et statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* XXXIX).

CAPUT VII.

De differentiis et gradibus castitatis.

[a] Multi sunt enim castimoniæ gradus, quibus ad illam inviolabilem conscenditur puritatem, quos licet nec perspicere, nec enuntiare, ut dignum est, virtus nostra sufficiat, tamen quia series narrationis exposcit, secundum mediocritatem experientiæ nostræ utcumque proferre tentabimus, reservantes perfectiora perfectis, nec præjudicantes his qui fervent tiore studio puriorem castimoniam possidentes quanto majoris industriæ sunt, tanto etiam perspicaciæ vigore præcellunt. Proinde sex gradibus licet multa a se invicem sublimitate distantibus, fastigia castitatis præcelsa distinguam, ita ut media quædam, quæ tamen multa sunt, prætermittam, quorum subtilitas ita humanos subterfugit sensus, ut eam nec mens inspicere, neque proloqui lingua prævaleat, quibus sensim castitatis ipsius perfectio quotidianis profectibus adolescit, secundum similitudinem namque corporum terrenorum, quæ singulis diebus insensibiliter sui capiunt incrementa, et ita dum nesciunt, ad perfectum habitum provehuntur, animæ quoque robur et maturitas castitatis acquiritur. Primus itaque pudicitiæ gradus est, ne vigilans impugnatione carnali monachus elidatur. Secundus, [b] ne mens illius voluptariis cogitationibus immoretur.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sex gradus castitatis distinguit hic abbas; iis tamen omissis qui inter eos velut intermedii subtilius et particularius distingui possent, Joannes Climacus tres tantum gradus sive differentias constituit, quos vocat initium, medium, et finem : *Initium*, inquit (*Gradu* 15), *castitatis est cogitationibus sordidis non acquiescere, atque per intervalla temporum obsceno liquore illo simpliciter et absque ulla imaginis illusione resperyi; medium vero naturalibus motibus ex repletione ciborum advenientibus absque imaginibus inquietari, ita tamen ut ad fluxum usque illi non perveniant; finis autem mortificare corpus, jam antea mortuis cogitationibus sordidis*, etc. Porro nota est, et vulgata castitatis divisio a D. Ambrosio tradita, in virginalem, vidualem et conjugalem : *Docemur*, inquit (*Lib. de Viduis*), *triplicem castitatis esse virtutem, unam conjugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic prædicamus, ut excludamus alias : suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesiæ opulens disciplina, quod quos præferat habet, quos rejiciat non habet; atque utinam habere numquam possit. Ita igitur virginitatem prædicamus, ut viduas non rejiciamus; viduas honoramus, ut suus honos conjugio reservetur.*

[b] Quam periculosum ac perniciosum sit voluptariis seu libidinosis cogitationibus immorari, easque animo fovere (unde et morosæ vocantur a mora vel immorando), hactenus sæpe et variis in locis ex doctrina SS. Patrum ostensum est. Prima siquidem castitatis ac pudicitiæ corruptela, et primum luxuriæ fomentum est ipsa delectatio morosa, quæ ex cogitatione seu imaginatione rei venereæ nascitur, quæque maxime viget in hoc peccato, dicente apostolo Jacobo : *Unusquisque tentatur, a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum*, etc. (*Jacob.* I). Neque enim solum, actio externa ab interno desiderio in eo distinguitur de quo Christus ait : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V); sed etiam ipsa delectatio, quæ dicitur morosa et venerea, cum oblectatur animus cogitatione turpi, censetur mortalis, etiam si opus ipsum respuatur. Id satis clare docet D. Augustinus lib. XII de Trinitate (*Cap.* 12) : *Nec sane*, inquit, *cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda; tenens tamen et volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum* (id est, superiorem rationem) *respui debuerunt, negandum est esse peccatum*). Esse vero peccatum mortiferum manifeste indicat verbis sequentibus, cum ait : *Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, et ideo si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur : ita dici potest in uno homine, si delectationibus illicitis a quibus continuo se deberet avertere, cogitatio libenter sola pascatur, nec facienda decernat mala; sed tamen suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari. Absit hoc credere : hic quippe una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris*

Tertius, ne femineo nec tenuiter ad concupiscentiam moveatur aspectu. Quartus, [a] ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum. Quintus, ne cum memoriam generationis humanæ, vel tractatus ratio vel necessitas lectionis ingesserit, subtilissimus mentem voluptariæ actionis perstringat assensus; sed velut opus quoddam simplex ac ministerium humano generi necessario contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu; nihilque amplius de ejus recordatione concipiat, quam si operationem laterum, vel cujuslibet alterius officinæ mente pertractet. Sextus castimoniæ gradus est, [b] ne illecebrosis phantasmatibus feminarum vel dormiens illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato esse obnoxiam non credamus, concupiscentiæ tamen adhuc medullitus latitantis indicium est. [c] Quam ta-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

gratiam remittantur. Quibus verbis aperte docet consensum in delectationem esse peccatum mortiferum, utpote propter quod totus homo sit perdendus ac damnandus; nisi per gratiam Mediatoris fuerit remissum. D. idem Gregorius in Pastorali (*Part.* I, *c.* 11), ubi docet eum qui hujusmodi delectationibus, etiam absque proposito operis, inquinatur, non esse idoneum ad offerendum Deo sacrificium, aut ad aliena peccata diluenda, per modum scilicet intercessionis aut satisfactionis, ut patet ex verbis ipsius; haud obscure significat peccatum esse mortiferum. Sed ipsum suis verbis præstat audire loquentem: *Ponderosus est*, inquit, *qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione assidua sine moderamine gravatur in mente: qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo repugnationis obstaculo delectatur. Ponderosus ergo est qui totis cogitationibus ad lusciviam defluens pondus turpitudinis gestat in corde; et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente. Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes Domino offerre prohibetur; nec profecto aliena diluere* (id est, eorum veniam a Deo impetrare) *peccata valet is quem adhuc propria devastant.* Hæc D. Gregorius. Huc etiam spectat illa D. Hieronymi gravis et acuta sententia: *Perit et mente virginitas*; et alibi (*Epist.* 4) docet monachos Ægyptios operibus manuum tantopere insudasse, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem; *ne mens*, ait, *perniciosis cogitationibus vagaretur*. Huc pertinet illa Joannis Climaci (*ubi supra*) distinctio a Patribus accepta: *Plerique Patrum*, inquit, *discretionis gratia maxime insignes, aliud definiunt primum impetum, aliud in cogitando moram, aliud consensum, aliud captivitatem, aliud luctam, et aliud eam quæ passio sive perturbatio in animo dicitur: impetum enim illi beati esse aiunt notionem simplicem sive imaginem cujuscumque rei cordi recenter injectam; moram vero, cum quis ei imagini, sive cum passione aliqua, sive præter passionem, immoratur; consensum vero, nutum atque inclinationem animæ ad eam imaginem cum voluptate; captivitatem vero, violentam inviti cordis abductionem sive jugem ad quæcumque ingressum atque optimi nostri status exterminium; luctam vero esse diffiniunt, cum pari virtute pugnatur, et sponte sua quisque vel superatur vel vincit. Passionem autem eam propriam esse dicunt, quæ tempore longiore in animo vitiosius insedit eumque pro sui consuetudine in suum habitum transduxit: adeo ut sua sponte propriaque voluntate ad eam currat. Ex his omnibus gradibus prior quidem sine peccato est; secundus non ita, sed cum aliquo peccato est; tertius vero pro certantium colligitur statu: porro lucta, vel coronæ vel supplicii causa est. Captivitas vero aliter orationis tempore; aliter præter orationis tempus judicatur; aliter item in mediis atque in omnibus malis cogitationibus æstimatur. Sed passio sane in omnibus absque ulla controversia vel dignæ pœnitentiæ vel futuro cruciatui subjecta est.* Hæc ille, passionem hoc loco longe aliter usurpans, quam communiter tam a theologisq uam a philosophis solet accipi. Passionem enim intelligit habitum, seu propensionem ad actus libidinis, usu, et consuetudine confirmatam, ut ex ipsius descriptione intelligitur. His demum accedat definitio concilii Tridentini (*Sess.* 14, *cap.* 5), in hæc verba: *Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnumquam animam gravius sauciant, et periculosiora sunt iis quæ in manifesto admittuntur.* Et paulo post: *Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios et Dei inimicos reddant, necessarium est omnium etiam veniam cum aperta et verecunda confessione a Deo quærere. Itaque dum omnia quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, proculdubio omnia divinæ misericordiæ agnoscenda exponunt: qui vero secus faciunt et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt: si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat medicina non curat.*

[a] Quatenus hæc et alia his similia vera sint et quomodo intelligenda, vide explicatum ad lib. VI Inst. cap. 10.

[b] Ita Cassianus lib. VI cap. 10: *Perfectæ*, ait, *puritatis hoc erit evidens indicium ac plena probatio, si vel nulla imago illiciens quiescentibus nobis et in soporem laxatis occurrat, vel certe interpellans nullos concupiscentiæ motus valeat excitare. Licet enim ad plenam peccati noxam talis commotio minime reputetur, tamen necdum perfectæ mentis indicium est, nec ad purum excocti vitii manifestatio, cum per fallaces imagines hujusmodi operatur illusio.* Et rursus cap. 22: *Mens dum adhuc dormiens imaginum visione deluditur, noverit se necdum ad integram perfectionem castitatis excoctam.*

[c] D. Basilius lib. de Institutis monachorum (*Cap.* 23) præmissa hac interrogatione: *Unde nocturnæ phantasiæ inhonestæ et turpes accidunt nobis?* ita respondet: *Veniunt quidem hæc maxime ex diurnis animæ motibus et actibus indignis et incongruis. Si enim vacet in judiciis Dei, expurgatur anima per meditationem legis divinæ et studium verbi Dei, ibique si indesinenter se occupet semper requirens et scrutans, talia habebit etiam somnia.* Cassianus itidem lib. VI Inst. (*Cap.* 11) explicans ex quo vitio illusio nocturna procedat: *Qualitas*, inquit, *cogitationum, quæ distentionibus diei negligentius custoditur, probatur quiete nocturna. Et idcirco cum intercesserit aliqua talis illusio, non culpa somni credenda est, sed negligentia temporis præcedentis et manifestatio morbi latentis intrinsecus; quem non primitus noctis hora parturiit, sed intimis animæ reconditum fibris ad cutis superficiem somni refectione produxit, arguens occultas æstuum febres quas per totum diei spatium noxiis cogitationibus pasti contraximus*, etc. Gregorius Nyssenus lib. de Opificio hominis cap. 13: *Est et aliud somniorum genus quod pro morum cujusque varietate formatur. Sunt enim aliæ hominis fortis, aliæ timidi imaginationes nocturnæ, alia temperantis, aliaque intemperantis somnia: alia homini avaritia inexplebili, alia liberali per somnum objiciuntur. Atque visa hæc, nequaquam mens, sed expers illa rationis affectio informat. Nam quibus quis assuevit diurno studio, eorum in somniis etiam simulacra fingit.* Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua:

Visa etenim curas referunt nocturna diurnas.

Subscribunt etiam ethnici scriptores. Nam Plato in

men illusionem diversis modis constat accidere. Nam A secundum illum usum, quem vigilans exercere vel cogitare consueverat, etiam dormiens unusquisque tentatur. Aliter enim falluntur hi qui carnalem copulam norunt; aliter qui femineæ sunt commixtionis expertes. Hi enim sicut simplicioribus ac purioribus somniis inquietari solent, ita etiam faciliore diligentia ac minore possunt labore purgari. Illi autem sordidioribus magisque expressis phantasmatibus illuduntur, donec paulatim secundum mensuram castitatis, ad quam unusquisque contendit, in odium illius rei quam voluntariam ante sentiebat, mens etiam somno sopita vertatur, illudque ei quod fortibus viris pro summo laborum stipendio repromittitur per prophetam concedatur a Domino : *et arcum, et gladium, et bellum conteram de terra vestra, et dormire vos faciam* B *fiducialiter* (*Ose.* II) : et ita demum quis ad illam beati [a] Sereni paucorumque similium virorum pervenit puritatem. Quam idcirco a prædictis sex castimoniæ gradibus sequestravi, quia non solum possideri, sed etiam credi non nisi a rarissimis potest. Et quia id quod illi specialiter divini muneris largitate collatum est, proponi ad generalis præcepti non potest formam, scilicet ut eo usque mens nostra castitatis ipsius puritate formetur, ut etiam ipso naturali motu carnis emortuo, illum obscenum liquorem omnino non proferat. Opinionem sane quorumdam, quam super hac carnis colluvione definiunt, silere non debeo, qui dicunt [b] non idcirco eam dormientibus evenire, eo quod eam producat fallacia somniorum, sed potius quia redundantia humoris illius C aliquas in ægrotanti corde fingat illecebras. Denique aiunt quod illo tempore, quo non inquietat illa concretio, quemadmodum fluxus ejus, ita etiam illusio conquiescat.

CAPUT VIII.

Quod de natura castitatis et effectibus ejus inexperti tractare non possint.

Sed hæc suscipere et probare, et utrum possibilia an impossibilia sint, certo examine definire poterit nemo, nisi per experientiam longam et puritatem cordis, [c] ad confinia carnis ac spiritus verbo Domini dirigente pervenerit. De quo beatus Apostolus : *Vivus est*, inquit, *sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis* (*Hebr.* IV). Et ita inter illorum quodammodo terminos collocatus, quid humanæ conditioni necessario sit atque inevitabiliter attributum, quidve consuetudine vitiosa et incuria juventutis invectum, velut inspector et arbiter justa trutinatione discernet, ac super eorum effectu atque natura non falsis vulgi opinionibus acquiescet, sed puritatis modum certa experientiæ suæ libra et justa examinatione perpendens, [d] nequaquam illorum decipietur errore qui negligentiæ suæ vitio crebrioribus quam natura compellit, egestionibus sordidati, de naturali conditione causantur. Cumque eos constet inferre potius vim naturæ, et extorquere ab ea pollutionem quam ipsa non ingerit intemperantiam suam ad necessitatem carnis, immo ad ejus referunt Creatorem, proprias culpas ad naturæ infamiam transferentes. De quibus in Proverbiis eleganter exprimitur, [e] *Insipientia viri corrumpit vias ejus. Deum autem causatur in corde suo* (*Proverb.* XIX, sec. LXX). Postremo si quis huic assertioni nostræ fidem derogare voluerit, quæso ut non ante præjudicata nobiscum opinione disceptet, quam disciplinæ hujus suscipiat instituta. Cumque hæc perpaucis mensibus illa qua traditur moderatione servaverit, profecto

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Timæo dicit somnia esse vigilias dormientium; spes vero somnia vigilantium, ut refert D. Basilius epist. 19 ad Nazianzen. Aristoteles vero lib. 1 Ethic. cap. 13 dicit proborum hominum meliora et pacatiora esse somnia, improborum molesta et dira. Plura vide apud P. Martinum Delrium in Adagialibus ad cap. v. Proverb. et apud Macrobium in somnio Scipionis, cap. 3.

[a] De abbatis Sereni puritate singulari et castimonia egit Cassianus collatione 7 capite 1 et 2, ubi hæc inter alia de eodem : *Cui supra omnes virtutes quæ non solum in ejus gestu vel moribus, sed etiam in ipso vultu per Dei gratiam refulgebant, ita est peculiari beneficio donum castitatis infusum, ut jam se, nec ipsis quidem naturalibus incentivis inquietari, vel in sopore, sentiret.*

[b] Pollutio et illusio nocturna, quibus ex causis proveniat, præter ea quæ hactenus ea de re dicta sunt, docet etiam abbas Theonas collatione 22, quæ de nocturnis illusionibus inscribitur. Cui consentanee scribit D. Gregorius ad quæstiones Augustini episcopi ita respondens (*Quæst.* 12) : *In illusione nocturna valde necessaria est discretio qua subtiliter pensari debet ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimode hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis* dolendus est quam *fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in* D *mentis alimentis rapitur atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet inde animus aliquam reatus, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii vel Missarum solemnia celebrandi*, etc. *Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel, quod majus est, peccati consensu acciderit.* Hæc Gregorius, et quæ sequntur alibi commodius et opportunius recitanda.

[c] Hoc est, ad terminos et limites utriusque cognoscendos et retinendos, *verbi Dei ductu pervenerit* : et quid cuique proprium, consentaneum et tribuendum agnoverit.

[d] Carpit errorem quorumdam, qui, cum ex negligentia aut culpa sua pollutionem incurrant, eam tamen non suo vitio, sed naturæ imbecillitati ascribunt et imputant, non sine injuria Conditoris. Cæterum constat pollutionem nocturnam non raro dormientibus ex naturæ infirmitate aut redundantia humorum, absque ulla culpa contingere, quemadmodum supra ex D. Gregorio ostensum est.

[e] Habetur hæc sententia in Græco non XVIII cap. Proverbiorum, ut notat Ciaconii editio Lugdun., sed XIX, ubi vulgata versio : *Stultitia hominis supplantat gressus ejus, et contra Dominum fervet animo suo.*

hæc quæ diximus vero poterit probare judicio. Cæterum frustra de cujuslibet artis ac disciplinæ fine contendit, quisquis non prius omnia quæ ad consummationem ejus pertinent, summo fuerit studio ac virtute sectatus. Velut si verbi gratia similitudinem mellis ex tritico, aut rursum ex eo, sicut etiam ex raphani linique seminibus lenissimi olei liquorem produci posse confirmem (*Vide Plin. lib.* XV. *c.* 7, *et lib.* XX *c.* 4 *et alibi*); si quis horum penitus ignarus assistat, nonne contra rerum naturam hoc esse conclamans, me velut apertissimi auctorem mendacii deridebit? Cui si ego testes innumeros qui hæc se et vidisse, et gustasse, et fecisse, testentur exhibeam; rationem insuper atque ordinem quo illæ species, vel in olei pinguedinem, vel in mellis dulcedinem transformentur, edisseram; ille autem in stultissimæ persuasionis obstinatione persistens, neget ab illis seminibus quidquam vel dulcedinis vel pinguedinis posse produci; nonne magis notanda est irrationabilis ejus pervicaxque contentio, quam sermonis mei veritas irridenda, quæ multorum ac fidelium testium gravitate, et evidentibus documentis, et quod his amplius est, experientiæ probatione fulcitur? Et ideo quisquis ad illum puritatis statum jugi cordis intentione pervenerit, ut jam, mente ab hujus passionis titillatione penitus absoluta, per soporem caro ejus velut redundantiam superflui humoris expellat, conditionem modumque naturæ certissime deprehendit, et ita cum expergefactus invenerit carnem suam post longa tempora se inscio atque ignorante pollutam, tum demum de naturali necessitate causetur ad illum sine dubio perveniens statum, ut talis inveniatur in nocte qualis in die, talis in lecto qualis in oratione, talis solus qualis turbis hominum circumseptus. Postremo ut numquam se talem [a] secretus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] **Nudum scilicet : de qua nudatione, seu corporis nudi lascivia aut curiosa inspectione, castitatis et pudicitiæ cultoribus, præsertim religiosis, summopere cavenda, audi D. Bernardum non minus graviter quam religiose, nec minus subtiliter quam eleganter disserentem** (*In tractat. de Ordine vitæ*) : *Audire,* inquit, *quod turpe sit, pudori maximo est; videre vero, si quid hujusmodi accidat, quanti horroris est? Quod ergo in aliis displicet, numquid potest in seipso non displicere? Nec ipsa natura nos aliter docet, quæ perfecte quidem omnes partes nostri corporis explicavit, ut et necessitati consuleret, et gratiam venustaret: sed tamen eas, quæ decori ad aspectum forent, in quibus formæ apex, quasi in arce quadam locatus, et figuræ suavitas, et vultus species emineret, operandique usus esset paratior, obvias atque apertas reliquit. Eas vero in quibus esset naturale obsequium necessitatis, ne deforme sui præberent spectaculum, partim tamquam in ipso emendavit atque abscondit corpore, partim docuit atque suasit tegendas. Nonne igitur ipsa natura magistra fit verecundiæ? Cujus modestia id quod in hac corporis nostri fabrica abditum reperit, operuit et texit* (*Vide Pererium lib.* VI *Comment in Genes. c.* 3 *et* 9). *Ergo naturæ opifex sic nostræ studuit verecundiæ, sic decorum illud et honestum in nostro custodivit corpore, ut ductus quosdam atque exitus cuniculorum nostrorum post tergum relegaret atque ab aspectu nostro averteret, ne purgatio ventris visum oculorum offenderet. De quo pulchre Apostolus : Quæ videntur, inquit, corporis nostri membra infirmiora necessaria sunt; et quæ putamus ignobiliora membra corporis esse, eis abundantiorem honorem circumdamus : et quæ inhonesta nostra sunt, abundantiorem honestatem habent* (II *Cor.* XII). *Etenim imitatione naturæ industria auxit gratiam, ut non solum abscondamus ab oculis, verum etiam quæ abscondenda accepimus, eorum indicia ususque membrorum sua appellatione indicare indecorum putemus. Denique si casu aperiantur hæ partes, confunditur verecundia; si studio, impudentia æstimatur. Cum igitur in quibusdam humanis membris tanta sit deformitas ut nominari magna sit inverecundia, heu quam turpes illi sunt et quam impudentes qui has secretas partes corporis non solum desiderantes cernunt, sed etiam studiose tangunt! Pudet me ac piget illorum facta referre, in quibus regnata sodomitica libido, quibus sic iratus est Deus, ejusque justo judicio traditi sunt in reprobum sensum, ut masculus in masculum turpitudinem operetur. Nonne deteriores brutis sunt effecti animalibus, quibus non est intellectus? Si enim Cham, qui nudatum patrem risit, in filio maledictus est, qua isti maledictione ferientur qui desiderio peccandi suam aliorumque turpitudinem detegere non erubescunt? Utinam viderent quantum flagitiis talibus Deum offendunt!* Hactenus divus Bernardus. Eamdem puto ob causam, nuditatis scilicet ignominiam et periculum, D. Hieronymus in epistola ad Lætam de Institutione filiæ (*Epist.* 7) : *Mihi,* inquit, *omnino adulta virgine lavacra displicent, quæ seipsam debet erubescere et nudam videre non potest. Si enim vigiliis et jejuniis macerat corpus et in servitutem redigit, si flammam libidinis et incentiva ferventis ætatis exstinguere cupit continentiæ frigore, si appetitis sordibus turpare festinat naturalem pulchritudinem, cur e contrario balneorum fomentis sopitos ignes suscitat?* Eodem etiam spectant hæc Joannis Climaci sæpe citati verba (*Gradu* 15) : *Consuetudo,* inquit, *est dæmoni eos qui in certamine sunt constituti* (id est, ascetæ, sive monachi) *quique solitariam vitam delegerunt, toto malignitatis suæ impetu, omni studio et arte, omnique tentatione et astu, ad ea vitia quæ præter naturam sunt impellere, eosque amplius oppugnare. Unde et hi qui numquam cum feminis degunt, cum nulla hujusmodi concupiscentia uruntur, se beatos putant, ignorantes miseri quod ubi majori intentus est, illic minore opus non est. Duabus reor ex causis homicidæ* (id est, dæmones) *illi atque miserrimi in his quæ præter naturam sunt maxime oppugnare nos miseros atque vastare consueverunt, et quia ruinæ materia ubique prompta ac parata sit, et quia huic sceleri supplicium gravius debetur. Novit quod dictum est* (*In Vitis Patrum, lib.* V. *libello* 8 *novæ editionis*), *juvenis ille qui prius onagris imperans, ad extremum a spiritualibus et sævissimis onagris miserabiliter dejectus atque illusus est; et qui pridie cœlesti nutriebatur pane, postremo tanto ac tam singulari munere privatus est; quodque mirabilius est, post pœnitentiam suam amarissime ingemiscens præceptor noster Antonius : Columna, inquit, magna cecidit, neque tamen ruinæ illius reserans modum. Sapientissime enim noverat fornicationem esse quæ corporaliter sine alterius corporis junctione admitteretur. Est quippe in nobis mors quædam, ac ruinæ pernicies, quam in nobis ac nobiscum semper circumferimus, in juventute maxime; quam equidem scripturæ tradere ausus non sum. Continuit enim manum meam is qui ait* (*Ephes.* V) : *Quæ enim in occulto a quibusdam fiunt, turpe est et dicere, et scribere, et audire.* Hæc Climacus, rem turpem, ut decuit, qua potuit verborum obscuritate tegens potius quam revelans. Cæterum, qui legit intelligat, et qui habet aures audiendi audiat. Porro, ut ad majorem hujus turpitudinis horrorem ac detestationem hunc locum etiam exemplis illustremus, præclarum est et non tam admiratione quam imitatione dignum, singularis verecundiæ ac pudicitiæ exemplum quod de S. Ammone sive Ammonio anachoreta retulit Athanasius (*In Vita*

aspiciat, qualis videri ab hominibus erubescit, nec in eo tale aliquid inevitabilis ille oculus [*Dionys. add.* Dei] deprehendat, quod ab humanis aspectibus velit esse celatum : et ita cum cœperit suavissimo lumine castitatis jugiter delectari, dicere poterit cum Propheta : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur* (*Hebr.* IV, *psal.* CXXXVIII); *sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.* Denique hoc ipsum, quia supra conditionem naturæ videtur humanæ, qualiter obtinuerit idem propheta subjungit, dicens : *Quia tu possedisti renes meos* (*Ibidem*); id est, non industria mea neque virtute hanc promerui puritatem, sed quia tu mortificasti insitum renibus meis libidinosæ voluptatis ardorem.

CAPUT IX.

Interrogatio an corporis motum etiam dormientes possimus evadere.

Germanus : Perpetuam quidem corporis puritatem ex parte aliqua experti sumus a vigilantibus posse per Dei gratiam possideri; et commotionem carnis, districtionis rigore atque judicio resistente, vigilantibus posse non contingere non negamus. Utrum autem et dormientes hac inquietudine carere possimus volumus edoceri. Duabus namque de causis possibile hoc esse non credimus, quas licet absque verecundia nequeamus effari, tamen quoniam hoc medicinæ ipsius necessitas cogit, quæsumus ut cum venia tui, si qua forte inverecundius fuerint denudata, suscipias. Primum ergo est quod per somni quietem mentis vigore laxato observari nequaquam illius valeat commotionis obreptio. Secundo, quod etiam urinæ collectio cum vesicæ capacitatem quiescentibus nobis indesinenter confluxu interni humoris oppleverit, excitet membra marcescentia, quod etiam parvulis vel spadonibus eadem nihilominus lege contingit. Unde fit ut si non oblectatio libidinis vulnerat mentis assensum, [a] confusione tamen eam humiliet turpitudo membrorum.

CAPUT X.

Responsio quod per somnum accidens carnis commotio non officiat castitati.

Chæremon : Apparet vos necdum veræ castitatis agnovisse virtutem, quandoquidem districtionis auxilio eam a vigilantibus tantum creditis retentari. Et inde est quod putatis a dormientibus, quasi rigore animi resoluto, integritatem non posse servari. Porro castitas non, ut arbitramini, [b] districtionis præsidio, sed amore sui et propriæ puritatis delectatione subsistit. [c] Non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei aliqua resistit adversitas voluptatis. Videtis ergo his qui castitatis affectum per Dei gratiam medullitus receperunt, districtionis cessationem cum dormiunt non obesse, quæ [d] infida etiam vigi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

S. Antonii) : *Necesse ei fuit aliquando flumen nomine Lycum subitis aquis inundatum transvadere, rogavitque Theodorum, qui cum ipso erat, ut paululum a suo separaretur aspectu, ne nuditatem corporis invicem uterque conspicerent. Recessit Theodorus : nihilominus ille seipsum cum nudare vellet, erubuit. Cogitantem autem in alteram ripam virtus divina transposuit. Ita Deus et casto pudori et pudicitiæ consuluit; et quam sibi grata acceptaque esset, insigni miraculo ostendit.* E diverso autem quantum ipsi displiceat nudatio membrorum, præsertim pudendorum, et curiosa aut lasciva sui corporis aut alieni inspectio, docet S. Prosper exemplo cujusdam puellæ quam refert hac de causa fuisse a dæmone possessam : *Quædam,* inquit (*Lib. de Dimid. tempor. cap.* 6), *juvencula ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lavans, simulacrum Veneris impudice aspiceret et seipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuit. Statim ille leo qui rugiens circuit, quem quærebat invenit. Meatus igitur gutturis occupans, nullum cibum nullumque potum trajiciens, per septuaginta ferme dies totidemque noctes, jejunium sibi diabolus ex capto possessoque vase exhibuit.* Hæc S. Prosper, enarrans deinde quomodo eadem puella a dæmone liberata fuerit, quod superius alia occasione retulimus.

[a] De hac membrorum genitalium turpitudine et pudore, ejusque causa, vide, si lubet, D. Augustinum XIV de Civitate Dei, cap. 19.

[b] Districtionis, id est, austeritatis. Ita passim apud Cassianum. *Sed amore sui;* intelligo ipsius castitatis, quæ per se amabilis est, juxta illud Ciceronis dictum : *Virtus, si oculis cerni posset, mirabiles sui amores in animis hominum excitaret* (I *Offic.*).

[c] Castitatem a continentia distingui docuit itidem Cassianus lib. VI cap. 4 : *Aliud,* inquit, *est continentem esse, id est,* ἐγκρατῆ; *aliud castum, et, ut ita dicam, in affectum integritatis vel incorruptionis transire, quod dicitur* ἁγνόν. Cui consentit D. Bernardus quodam loco (*In serm. de Verbis Sap., tom.* II) ita scribens : *Nota aliud esse continentem, aliud castum. Luxuriosus et castus sibi repugnant. Luxuriosi est motus sentire, et motibus consentire; casti nec motus sentire, nec motibus consentire. Continens est in medio, utrobique sumens participium, cum altero commune habens motus sentire, cum altero motibus non consentire,* etc. Porro notandum ex D. Thomas (**2-2**, *q.* 155, *art.* 1 *et* 2), continentiæ nomen dupliciter accipi : primo ut significet virtutem quamdam, qua quis ab omni delectatione venerea abstinet, quomodo passim sumitur in Scriptura sacra, et apud SS. Patres, nec differt a castitate : unde et hæc ratione tres continentiæ gradus a theologis distinguuntur, virginalis, vidualis, et conjugalis, ut supra (*Cap.* 7) de castitate dictum est; secundo, ut significet firmitatem animi, qua quis resistit pravis concupiscentiis, quæ in eo vehementes sunt : et hoc modo accipit Philosophus continentiam in septimo Ethicorum (*Interrog.* 7 *et seq.*), eamque vocat ἐγκράτειαν. *Et hoc etiam modo accipitur, continentia in collationibus Patrum,* ait sanctus Thomas, haud dubie hunc locum respiciens. D. Basilius in Regulis fusius disputatis continentiam paulo latius sumit, ut et abstinentiam et temperantiam, et cæteras virtutes passionum moderatrices complectatur : *Qui omnibus,* ait, *animi sui affectionibus moderatur, neque voluptatum titillatione permovetur, contraque fortiter constanterque adversus quamcumque pravam libidinem animatus est, hic perfecte continens est.*

[d] Hæc omisit Dionysius paraphrastes. Sensus esse videtur : Cessatio sive interruptio solitæ districtionis et austeritatis diurnæ per somnum nocturnum non officit dormientibus, nec eorum castitati, dum carnis motus patiuntur in somnis, cum etiam vigilantes hujusmodi motus ac stimulos patiantur inviti, ut de seipso testatur Apostolus II Corinth. XII. Unde eis infida dicitur districtio, sive austeritas, quia non statim eos etiam vigilantes ab omni tentatione carnis liberat. Est tamen magnum discrimen inter hominem vigilantem et dormientem in hujusmodi illusionibus et illecebris carnis. Siquidem vigilans cum

lantibus ratione certissima comprobatur. Quidquid enim cum labore comprimitur, temporales dimicanti præstat inducias, non tamen perpetuam securitatis quietem tribuit post laborem. Quidquid autem profunda fuerit virtute devictum, absque ulla inquietudinis suspicione compositum, jugem pacis victori conferet firmitatem. Quamobrem donec pulsari nos carnis commotione sentimus, noverimus nos ad castitatis necdum pervenisse fastigia, sed adhuc sub infirmitate continentiæ constitutos præliis fatigari, in quibus necesse est dubios semper esse eventus. Quod autem inevitabilem esse commotionem carnis hoc astruere voluistis indicio, quod ea ne ipsi quidem eunuchi carere demptis genitalibus possunt, sciendum est [a] non eis carnales æstus nec affectum libidinis, sed solam sativæ generationis deesse virtutem. Unde manifestum est ne illos quidem si ad hanc ad quam nos nitimur castitatem, cupiunt pervenire, ab humilitate et contritione cordis vel continentiæ districtione debere laxari, licet nequaquam sit discredendum minore ab eis castimoniam posse labore ac studio comprehendi.

CAPUT XI.

Quod multum intersit inter castitatem et continentiam.

Quamobrem perfectio castitatis a laboriosis continentiæ rudimentis perpetua tranquillitate discernitur. Hæc est enim veræ consummatio castitatis, quæ non impugnans carnalis concupiscentiæ motus, sed toto horrore detestans, jugem atque inviolabilem sui retinet puritatem, [b] nec potest aliud quid esse quam sanctitas. Hoc autem fiet, quando jam desinens caro adversus spiritum concupiscere, desideriis ejus virtutique consenserit, cœperintque sibi invicem pace firmissima fœderari, et secundum psalmographi sententiam habitaverint fratres in unum (*Psal.* CXXXII), illam repromissam a Domino beatitudinem possidentes de qua ait : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Quisquis ergo [c] intellectualis illius Jacob, id est, supplantatoris transcenderit gradum, ab illa continentiæ colluctatione ac supplantatione vitiorum, obstupefacto femoris nervo, ad Israelis meritum perpetua cordis directione conscendet. Quem ordinem etiam beatus David ita Spiritus sancti vaticinatione distinxit, in primis inquiens, *Notus in Judæa Deus*, id est, in anima quæ adhuc sub peccatorum confessione retinetur, Judæa enim confessio interpretatur : in Israel autem, id est, in eo qui videt Deum, sive (ut quidam interpretantur) rectissimus Dei est, non solum notus, sed etiam magnum est nomen ejus. Deinde ad sublimiora nos provocans, ac volens etiam locum ipsum quo Dominus delectatur, ostendere : *Et factus est*, inquit, *in pace locus ejus*, id est, non in conflictu certaminis et colluctatione vitiorum, sed in castimoniæ pace et in cordis tranquillitate perpetua. Hunc igitur pacis locum exstinctione carnalium passionum si quis meruerit obtinere, ex hoc quoque proficiens gradu, ac [d] Sion spiritalis, id est, specula Dei consequenter effectus, erit etiam habitatio ejus. Non enim in conflictu continentiæ, sed in jugi virtutum specula Dominus commoratur, ubi jam non retundit, non comprimit, sed in perpetuum confregit potentias arcuum, ex quibus videlicet adversum nos libidinum quondam jacula dirigebantur ignita. Videtis ergo quia sicut non est in colluctatione continentiæ, sed in castitatis pace locus Domini, ita etiam habitatio ejus in specula sit et contemplatione virtutum. Unde non immerito portæ Sion cunctis tabernaculis Jacob præferuntur : *Diligit* enim *Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* LXXXVI). Quod autem per hoc inevitabilem esse commotionem carnis asseritis, quod urina cum vesicam jugi instillatione repleverit, quieta etiam suscitet membra, licet veris sectatoribus puritatis ad obtinendam cæteris proniores esse. Et D. Hieronymus lib. I in Jovinianum : *In longam*, inquit, *securamque libidinem exsectus spado*. Quibus consonat illa Salomonis sententia : *Spado complectens virginem, et suspirans* (*Prov.* XXX), quia nimirum nequit explere libidinem, et quod ardenter appetit opere complere.

[a] De spadonibus, sive eunuchis, fuse disserit D. Basilius lib. de Vera Virginitate, ubi illos eunuchos damnat qui tuendæ castitatis causa seipsos exsecuerunt, ut Origenes : ostenditque hujusmodi homines castratos, licet ad coitum inhabiles, majoribus luxuriæ stimulis agitari ac perurgeri, atque in libidinem cæteris proniores esse. Et D. Hieronymus lib. I in Jovinianum : *In longam*, inquit, *securamque libidinem exsectus spado*. Quibus consonat illa Salomonis sententia : *Spado complectens virginem, et suspirans* (*Prov.* XXX), quia nimirum nequit explere libidinem, et quod ardenter appetit opere complere.

[b] Etiam alibi (*Lib.* VI *Inst. cap.* 15 *et* 16) contendit Cassianus castitatem ab Apostolo designatam nomine sanctificationis et sanctimoniæ. I Thessal. IV : *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*. Et ad Hebr. XII : *Pacem sectamini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

[c] De utraque nomenclatura, Jacob et Israelis, deque intellectuali sive intelligibili Jacob, egimus alio loco. Vide plura lib. VII de Incarnat. cap. 9.

[d] Ita et D. Hieronymus interpretatur ep. 29 : *In Sion, id est, in specula, in sublimitate dogmatum atque virtutum, in anima credentis.* Et alibi : *Sion, quæ interpretatur specula, eo quod in monte sita sit, arx vocatur : reliqua autem urbis pars Jerusalem dicitur, quæ prius appellabatur Jebus et Salem.* De Sion spiritali multa erudite et prolixe Petrus Berchorius in suo morali Dictionario, ubi inter alia significata interpretatur Sion religionem, sive religiosum.

nendam eam nihil præjudicet ista commotio, quam hæc sola interdum et tamen per soporem necessitas excitarit; sciendum tamen est, quod ita si commota fuerint, ad quietem propriam reducatur castitatis imperio, ut non modo cum nullo pruritu, sed ne cum minima quidam libidinis recordatione sedentur. Et idcirco ut cum lege animi lex quoque congruat corporalis, etiam in ipsius aquæ potu ita est nimietas castiganda, ut humoris quotidiani illa collectio prius arefactis influens membris, illum queni inevitabilem putatis corporis motum, non solum rarissimum, verum etiam lentum reddat ac tepidum frigidumque (ut ita dixerim) ignem, et absque ullius adustionis ardore rorantem suscitet flammam, instar [a] admirabilis illius Mosaicæ visionis, ut carnis nostræ rubus innoxio igne circumdata non uratur [b](*Exod.* III); vel sicut illorum trium juvenum, quibus ita rorante spiritu fornacis Chaldaicæ flamma discussa est, ut nec capillos eorum aut fimbrias odor ignis afflaret (*Daniel.* III); ut illud quodammodo quod sanctis repromittitur per prophetam, incipiamus jam in hoc corpore possidere: *Cum ambulaveris per ignem, non combureris, et flamma non ardebit in te* (*Isa.* XLIII).

CAPUT XII.

De mirabilibus quæ peculiariter in sanctis suis Deus operatur.

Magna enim vere, atque mirifica sunt, nec ulli hominum penitus, nisi his tantum qui experti sunt, nota, quæ Dominus fidelibus suis adhuc in isto corruptionis vasculo constitutis ineffabili largitur liberalitate. Quæ Propheta mentis puritate perlustrans, tam ex sua quam ex illorum persona qui in hunc statum affectumque perveniunt, exclamavit: *Mira opera tua, Domine, et anima mea cognoscet nimis* (*Psal.* CXXXVIII). Alioquin nihil novi nec magni intelligitur propheta dixisse, si alio cordis affectu vel de aliis operibus Dei hæc pronuntiasse credatur. Nullus etenim est hominum qui mira esse opera Dei etiam ex ipsius creaturæ magnitudine non agnoscet. Cæterum illa quæ in sanctis suis quotidiana operatione dispensat, ac speciali munificentia [*Lips. in marg.* magnificentia] affluenter effundit, nullus alius nisi anima perfruentis agnoscit, quæ *in* secreto conscientiæ suæ ita est beneficiorum ejus arbitra singularis, ut ea non solum nullo valeat sermone disserere, sed ne sensu quidem et cogitatione complecti, cum ab illo ignito fervore discedens, ad istos materiales ac terrenos intuitus fuerit devoluta. [b] Quis enim in se opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluviem et sumptuosam gulæ perniciosamque luxuriam ita in se viderit fuisse compressam, ut vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum raro invitusque percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, qui illum iguem libidinis, quem naturalem antea et velut inexstinguibilem esse crede-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Pulchra allegoria visionis Mosaicæ: De qua legitur Exodi III: *Apparuit Dominus Moysi in flamma ignis de medio rubi, et videbat quod rubus arderet, et non combureretur. Dixit ergo Moyses: Vadam, et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.*

[b] Locus pulcherrimus de admirabili divinæ gratiæ efficacia, præsertim in hominis mutatione ac reformatione. Cujus rei testem gravissimum, immo et exemplar præclarissimum habemus Augustinum, qui quod in sua conversione seu mutatione vitæ instituenda expertus erat, ad communem utilitatem ita omnibus notum esse voluit: *Retinebant me*, inquit (*Confess. l.* VIII, *c.* 11), *nugæ nugarum, et vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant: dimittisne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum?* Et paulo infra: *Retardabant me cunctantem abripere atque excutere ab eis, et transilire quo vocabar; cum diceret mihi consuetudo violenta: Putasne, sine istis poteris?* Hæc quidem Augustinus in illa lucta et grandi, ut ipse appellat, rixa carnis ac spiritus. At ubi disruptis vinculis quibus tenebatur, ita se in Dei obsequium toto animo contulit, ut jam nec uxorem, nec aliquam spem sæculi hujus quæreret; quid in se sensit, quid expertus est, et quantum mutatus ab illo? *Quam*, inquit (*Confess. l.* IX *c.* 11), *suave mihi subito factum est carere suavitatibus nugarum, et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas a me, tu vera et summa suavitas, et intrabas pro eis omni suavitate dulcior; sed non carni et sanguini, omni luce clarior, omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Testatur hoc idem ex proprio sensu et experimento S. Cyprianus (*Libr.* II, *epist.* 2) qui utrumque hunc animi sui statum his verbis describit: *Ego cum in tenebris atque in cæca nocte jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubiis vestigiis oberrantibus fluctuarem, difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci denuo posset, corporis licet manente compage, hominem ex animo ac mente mutaret. Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? Alta hæc et profunda penitus radice sederunt. Quando parcimoniam discet, qui epularibus cœnis et largis dapibus assuevit? et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponet? Hic stipatus clientum cuneis, frequentiore comitatu officiosi agminis honestatus, pœnam putat esse, cum solus est. Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, violentia invitet, inflet superbia iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. Hæc egomet sæpe mecum. Nam ut ipse quam pluribus vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me posse non crederem: sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum, malis meis, veluti jam propriis et vernaculis, fovebam. Sed postquam unde genitalis auxilio, superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus ac purum desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur.* Hæc eleganter et multa alia D. Cyprianus: quæ eadem, et in se recognoscere, et de se prædicare potest religiosus quisque. Nam quod illi baptismus præstitit, nobis præstat religiosa professio, per quam mundo ac vitæ priori morimur, et Deo ac vitæ spirituali nascimur, et in novam transformamur creaturam; unde et professio alter baptismus a D. Bernardo (*Lib. de Præcep. et Dispens.*) et aliis Patribus nuncupatur.

bat, ita refriguisse persenserit, ut ne simplici quidem se corporis motu sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cum homines quondam diros atque truculentos qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, ut non solum nullis jam commoveantur injuriis, sed etiam cum illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant? Quis plane non miretur opera Dei, ac toto proclamet affectu : *Quia ego cognovi quod magnus est Dominus* (*Psal.* CXXXIV); cum vel se, vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirsutumque perspexerit, et egestatem atque angustiam præsentium rerum etiam voluntarie perferentem? Ista sunt profecto mira opera Dei, quæ peculiariter anima Prophetæ similiumque ejus mirificæ contemplationis intuitu stupefacta cognoscit. Ista sunt prodigia quæ posuit super terram, quæ idem propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos advocat, dicens : *Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad fines terræ, arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni* (*Psal.* XLV). Quod enim majus potest esse prodigium, quam sub momento brevissimo ex rapacissimis publicanis apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis prædicatores Evangelii patientissimos reddi, ita ut eam quam persequebantur fidem etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei quæ se quotidie una cum Patre operari Filius protestatur, dicens : *Pater meus usque hodie operatur, et ego operor* (*Joan.* V). De istis operibus Dei beatus David in spiritu canens : *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus* (*Ps.* LXXI). De istis et Amos propheta, *Qui facit*, inquit, *omnia et* [a] *convertit ea et transmutat in matutinam umbram mortis* (*Amos.* V). *Hæc est* nempe *immutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI). De hac salutari operatione Dei orat Propheta Dominum, dicens : *Confirma, Deus, hoc quod operatus est in nobis* (*Psal.* LXVII). Et ut prætermittam illas secretas atque absconditas dispensationes Dei, quas intra se peculiariter exerceri mens sanctorum omnium momentis singulis intuetur, illam cœlestem [b] infusionem lætitiæ spiritalis, qua dejectus animus insperati gaudii alacritate sustollitur ad illos ignotos cordis excessus, et tam ineffabilia quam inaudita solatia gaudiorum, quibus nonnumquam ignavissimo stupore torpentes, ad orationem ferventissimam, velut de somno profundissimo suscitamur; hoc, inquam, est gaudium de quo B. Apostolus, *Quod oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I *Cor.* II). ejus scilicet qui terrenis vitiis hebetatus adhuc homo est et humanis inhæret affectibus, nihilque de istis Dei muneribus intuetur. Denique idem Apostolus tam de se quam de similibus sibi, qui jam de humana conversatione discesserant, subjecit dicens, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*

CAPUT XIII.

Quod soli qui experiuntur agnoscant [c] *dulcedinem castitatis.*

In his igitur omnibus quanto mens ad subtiliorem profecerit puritatem, tanto sublimius intuebitur Deum, et admirationis intra semetipsam potius capiet incrementa, quam loquendi facultatem aut sermonem narrationis inveniet. Ut enim vim lætitiæ hujus inexpertus mente non valet percipere, ita explicare sermone non valebit expertus; tamquam si quis dulcedinem mellis ei qui numquam quidquam dulce gustaverit, velit sermonibus enarrare, profecto nec ille saporis illius suavitatem quam numquam ore percepit auribus capiet, nec ille dulcedinem C quam gustus voluptate cognovit verbis poterit indicare : sed propria tantum agnitione suavitatis illectus, necesse est ut experti saporis jucunditatem intra semetipsum solummodo tacitus admiretur. Ita igitur quisquis in hunc quem prædiximus virtutum statum meruerit pervenire, hæc omnia quæ in suis peculiari gratia Dominus operatur tacita mente perlustrans, horumque omnium attonita consideratione flammatus, cum intimo cordis exclamabit affectu : *Mira opera tua, Deus, et anima mea cognoscet nimis* (*Psal.* CXXXVIII). Istud ergo est mirabile opus Dei, hominem carneum, carnales affectus in carne positum respuisse, et in tanta rerum atque incursuum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata versio : *Convertentem in mane tenebras, et diem in noctem mutantem* (*Amos* V).

[b] De qua D. Bernardus in verba Apostoli : *Non est regnum Dei esca et potus* (*Rom.* XII), scribens : D *Loquar*, ait, *quod expertus novit, inexpertus ignorat; animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei* (I *Cor.* II). *Numquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius quod est in Jerusalem, quæ sursum est, quæ est mater nostra* (*Gal.* IV); *et lacrymarum unde vultus meditantium perfundit? Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui; si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ* (*Psal.* CXXX). *Vere in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est. Principium gaudii illius, quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est, de flumine illo descendens, cujus impetus lætificat Civitatem Dei* (*Psal.* XLV).

[c] De hac castitatis dulcedine et jucunditate egregie S. Ephrem Syrus, quasi in ejus admiratione defixus : *O castitas*, inquit (*In serm. de castitate*), *mater dilectionis, et angelicæ vitæ ratio! O castitas, quæ mundo es corde, et dulci gutture, hilarique aspectu! O castitas, quæ homines angelis similes reddis! O castitas, portus tranquillus in summa pace ac serenitate constitutus! O castitas, quæ cor possidentis te lætificas, et animæ ad cœlestia alas adjungis! O castitas, quæ spirituale gaudium paris, et mœrorem aufers! O castitas, quæ passiones minuis, et animum a perturbationibus liberas! O castitas, currus spiritualis possessorem tuum in sublime evehens! O castitas, quæ rosæ instar in medio animæ, et corpore efflorescis, et domum universam fragrantia replet!* Hæc et alia sanctus iste et antiquus Pater, castitatis dulcedine et oblectatione pene extra se raptus.

varietate unum tenere animi statum, atque immobilem in omni accidentium permutatione durare. Qua virtute fundatus [a] senex quidam, cum apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, non solum maledictis, verum etiam gravissimis impellentium urgeretur injuriis, eique a subsannantibus diceretur : Quid miraculi Christus vester, quem colitis, fecit? ille inquit, Ut his ac majoribus, si intuleritis, non movear nec offendar injuriis.

CAPUT XIV.

Interrogatio de observantiæ [Al. *continentiæ*] *qualitate et temporis modo in quo castitas perfici possit.*

Germanus : Quoniam nos admiratio non humanæ hujus, neque terrenæ, sed plane cœlestis atque angelicæ castitatis, ita subito stupore confudit, ut terrorem magis desperationis incuteret, quam ad expetendam se nostros animos provocaret, quæsumus ut nos de observantiæ qualitate, ac temporis modo quo acquiri vel perfici valeat, doctrina plenissimæ disputationis instituas, quatenus et consummari eam posse credamus, et ad expetendam deinceps spatio constituti temporis animemur. Incomprehensibilem namque eam in carne hac positis quodammodo judicamus, nisi nobis ordo quidam ac via qua ad illam valeat perveniri certa ratione pandatur.

CAPUT XV.

Responsio, intra quod tempus castitas possit acquiri.

Chæremon : Temerarium satis est super consummatione hujus de qua loquimur castitatis, in tanta præsertim [vel voluptatum diversitate vel virium, certam temporis definire mensuram, quæ non facile etiam in istis materialibus artibus ac visibilibus disciplinis discerni potest : secundum intentionem namque animi atque ingenii qualitatem, necesse est eas ab unoquoque vel celerius vel tardius apprehendi ; rationem tamen observantiæ, et temporis modum, intra quem ejus possibilitas agnoscatur, constantissime possumus definire. Quisquis igitur extractus a cunctis confabulationibus otiosis, et mortificatus ab omni ira ac sollicitudine, curaque mundana, duobus tantum [b] paximaciis [*Al.* paxamaciis] fuerit quotidiana refectione contentus, et aquæ satietate subtracta, quietem somni trium sive (ut alii statuerunt) quatuor horarum spatio terminarit, nec tamen laborum aut continentiæ hujus merito, sed miseratione Domini eam se crediderit adepturum (quia sine hac fide vana est omnis humani laboris intentio), non amplius quam [c] sex mensibus perfectionem istius non impossibilem sibi esse cognoscet. Evidens tamen est jam proximæ puritatis indicium, incipere eam de proprii laboris industria

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quis fuerit senex iste, nondum compertum habeo. Similia autem apophthegmata de patientia in adversis retinenda, etiam apud ethnicos scriptores leguntur (*Laert. lib.* VI, *Ælian. lib.* IX *de Varia Hist.*) ; Dionysii tyranni, qui, regno pulsus, rogatus quid illi Plato et philosophiæ studium profuisset : *ut tantam,* inquit, *fortunæ mutationem æquo animo feram.* Diogenis, qui percontanti cuidam quid lucri caperet ex philosophia : *Ut nihil,* inquit, *aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus sum.* Denique adolescentis cujusdam. de quo Ælianus his verbis : *Adolescentulus quidam Eretricus Zenonis scholam, litterarum causa longo tempore frequentaverat. Reversum pater interrogavit quidnam sapientiæ didicisset. Qui cum se ostensurum dixisset, indignatus pater, verbera ipsi inflixit. At ille modeste patienterque ferens : Hoc ipsum, inquit, didici, ut iram patris moderate feram.* Hæc illi. Porro si apud ethnicos tantum potuit vana illa et fucata philosophia ; quantum apud Christianos valere debet vera et evangelica Christi sapientia, dicentis : *Benedicite persequentibus et calumniantibus vos ; benedicite, et nolite maledicere* (*Matt.* V), etc. *Si tanti vitrum,* ait B. Hieronymus (*Epist.* 10 *ad Paulinum*), *quanti pretiosissimum margaritum!*

[b] De paxamaciis, sive paximaciis, alias abunde tractavimus (*Lib.* IV *Inst. c.* 14 ; *coll.* 2, *c.* 11 *et* 19). Unde constat paximacium fuisse parvum panem, sex fere unciarum ; statutumque modum quotidianæ refectionis, seu quotidianam, ut vocant, portionem monachis Ægypti fuisse duo paximacia, ut hic etiam innuitur : qua tamen mensura perfectiores quique minime usi sunt, parciore multo contenti, ut de Hilarione, Antonio, aliisque notum est. Suidas tamen hanc vocem potius Latinam quam Græcam esse, et panem bis coctum significare contendit, sic de illo scribens : παξαμὰς ὁ δίπυρος ἄρτος, ἐστὶ δὲ λέξις Ρωμαϊκή, id est, paximas, sive paxamacium, vel paxamadium, panis est bis coctus : est vero vox Romana, sive Latina. De paxamaciis meminit etiam sanctus Ephrem in tractatu de virtute cap. 10.

[c] Dionysius : *infra sex menses.* Locus iste, ubi semestre spatium præscribitur castitati acquirendæ, videtur egere censura quæ exstat in Vita P. Baltazaris Alvarez societatis Jesu religiosi nuper edita, eaque his verbis (*Cap.* 42) : *Non oportet præscribere Deo tempus visitationum et misericordiarum suarum. Quare suspecta res esse debet, si quis generalem aliquam regulam constituat, quod scilicet qui talem aut talem adhibuerit diligentiam per tot annos aut menses, talem a Deo favorem aut virtutis gradum sit consecuturus. In qua re ab aliquibus notatur Cassianus, quod præscripserit tempus aliquod ad castitatis perfectionem obtinendam ei qui adhiberet diligentias ac ipso ibi indicatas. Hoc enim non tam consistit in industria, arte aut tempore, cum sit opus gratiæ aut peculiaris Dei providentiæ, qui unicuique dividit prout vult et quando vult. Quare virtutis exercitium incipientibus plurimum refert ordinariam tritamque viam tenere, et ferventer cooperari ex parte sua ordinariæ Dei directioni et gratiæ, remotis impedimentis et præscriptis mediis adhibitis, depositis curis et anxietatibus profectuum per vias extraordinarias ; quos profectus merito committent providentiæ Dei, ut pro suo libitu dirigat ac disponat quod magis expediet ; suam interim stationem non deserentes, donec audiant : Amice, ascende superius* (*Luc.* XIV). Hæc ibi ; in quibus spectasse videtur Auctor ille gravem illam et increpatoriam orationem Judith (*Judith.* VIII) ad principes et populum Bethuliensem, qui certum tempus auxilii ferendi Deo quodammodo præscripserant : *Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium? Et qui estis vos qui tentatis Dominum? non est iste sermo qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet et furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini et in arbitrium vestrum diem constituistis ei*, etc. Retinenda igitur illa ejusdem Chæremonis sententia initio hujus cap. prolata : *Temerarium esse super consummatione castitatis certam temporis definire mensuram*, etc.

non sperare. Si enim vim versiculi illius unusquisque in veritate conceperit : *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborant qui ædificant eam* (*Psal.* XII), sequitur ut nec de puritatis suæ meritis extollatur, intelligens eam se non sua diligentia, sed Domini misericordia consecutum; nec contra alios immiti rigore moveatur, sciens humanam nihil esse virtutem, si eam virtus divina non juverit.

CAPUT XVI.

De fine ac remedio acquirendæ et custodiendæ castitatis.

Proinde unicuique nostrum adversus spiritum fornicationis totis viribus desudanti [a] victoria singularis est, de merito conatus sui remedium non sperare : quæ fides licet facilis ac plana omnibus videatur, tamen tam difficile ab incipientibus quam ipsius castitatis perfectio possidetur. Nam cum eis vel particula puritatis arriserit, continuo in conscientiæ suæ secretis elatione quadam subtiliter illabente sibimet blandiuntur, credentesque eam se diligentiæ suæ studio consecutos, necesse est ut superno illo præsidio paululum denudati, tamdiu illis, quas divina virtus exstinxerat, passionibus opprimantur, quamdiu experientia docente cognoscant se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse. Et ut disputationem nostram de fine plenissimæ castitatis longa lucubratione confectam breviter concludamus, in unum omnia quæ copiose sparsimque digesta sunt colligentes, hæc est consummatio castitatis, ut vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, ut quiescentem somniorum non fallat illusio; sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita etiam sine ullo pruritu corporis conquiescat. Hæc de castitatis fine, quantum potuimus, non verbis, sed [b] experientia magistrante digessimus. Quæ licet a desidiosis ac negligentibus arbitrer impossibilia forsitan judicanda, certus tamen sum a studiosis ac spiritalibus viris agnoscenda pariter ac probanda. Tantum namque inter hominem distat et hominem, quantum et illa in quibus animi eorum tendit intentio ab invicem disparantur, id est, vel cœlum ab inferno, vel Christus a Belial, secundum sententiam Domini Salvatoris, *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit* (*Joan.* XII). Et iterum : *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum* (*Matth.* VI). Hucusque beatus Chæremon de castitatis | perfectione disseruit, admirabilemque doctrinam sublimissimæ puritatis tali sermone conclusit, suadens stupentibus atque anxiis nobis, ut, quia jam noctis pars major effluxerat, tradita quieti paululum membra naturali soporis cibo minime fraudaremus, ne languens torpore corporis sui etiam mens vigorem sanctæ intentionis amitteret.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic Serapion quoque collatione quinta, cum dixisset tentationum et impugnationum exstinctionem a Deo specialiter et jugiter poscendam, subjicit : *Impossibile namque est de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquam intellexerit industria vel labore proprii certaminis semet obtinere non posse.* Climacus itidem ubi supra : *Qui sua industria carnem suam vincere vel debellare vult, in vanum currit. Nisi Dominus domum carnis deleverit, domumque animæ ædificaverit, frustra quispiam illam jejunando ac vigilando destruere nititur : Offer ante oculos Domini carnis naturalem infirmitatem, et tuam humiliatus imbecillitatem agnoscens, prorsus suscipies in intimis castitatis donum.*

[b] Ita etiam alibi (*Collat.* 10, *Cap.* 1) dixit : *Magistrantibus affectibus vel effectibus eruditi.*

COLLATIO DECIMA TERTIA,

Quæ est tertia abbatis Chæremonis,

DE PROTECTIONE DEI.

CAPUT PRIMUM.

Cum [a] ad synaxim matutinam percepto paululum sopore remeantes, senem reperiremus, ingenti abbas Germanus scrupulo movebatur, quod in præterita disputatione, cujus virtus summum desiderium incognitæ nobis castitatis infuderat, [b] unius ad-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, ad conventum matutinum, in quo officium divinum primo persolvebant : unde orationum et psalmorum solemnitatem vocat in fine hujus cap. Deinde de rebus divinis et spiritualibus inter se tractabant et conferebant : unde collationes dictæ hujusmodi congressus et conventus, ut alias dictum est. Id patet tum ex his collationibus plerisque quæ matutino tempore, hoc est, post quietem nocturnam habitæ referuntur; tum ex Regula S. Pachomii, cujus articulus septimus ex Hieronymi interpretatione sic habet : *Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad suas cellas revertentur, sed conferent inter se quæ præpositos audierint disputantes, et tunc intrabunt cubilia sua. Disputatio autem a præpositis dominorum per singulas hebdomadas tertio fiet,* etc.

[b] Quam superius (*Collat.* 12) aliis atque aliis verbis non semel expressit. Cap. 15 : *Si enim vim illius versiculi unusquisque in veritate conceperit : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* (*Psal.* CXXV); *sequitur ut nec de puritatis suæ meritis extollatur; intelligens eam se non sua diligentia, sed Domini misericordia consecutum,* etc. Et cap. sequenti : *Unicuique nostrum adversus spiritum fornicationis totis viribus desudanti victoria singularis est de merito conatus sui remedium non sperare.* Et infra : *Experientia docente cognoscunt se viribus atque industria sua puritatis bonum obtinere non posse.* Hujus porro sententiæ adjectio in superiore collatione facta, huic collationi occasionem dedit, quam, de protectione Dei placuit Auctori inscribere :

jectione sententiæ beatus senex meritum humanæ cassasset industriæ, astruens hominem, quamvis summis ad bonam frugem viribus enitatur, tamen boni compotem esse non posse, nisi id divini tantum muneris largitate, non operis sui studio percepisset. Hanc igitur quæstionem attonite volventibus nobis, progressus cellula beatus Chæremon, cum quiddam nos invicem mussitare sensisset, solito brevius orationum atque psalmorum solemnitate transcursa, quid moverit inquirit.

CAPUT II.

Interrogatio quare merita virtutum laborantis industriæ non deputentur?

Tunc Germanus: Quantum excellentissimæ, in- A quit, sublimitate virtutis, quæ nocturna disputatione patefacta est, pene (ut ita dixerim) a fide possibilitatis excludimur, tantum nobis (pace tua dictum sit) videtur absurdum, si laborum stipendium, id est, perfectio castitatis, quæ instantia proprii sudoris acquiritur, non specialiter laborantis deputetur industriæ. Ineptum est enim, ut si, verbi gratia, agricolam erga culturam terræ irremissum studium viderimus impendere, non illius efficaciæ ascribamus et fructum.

CAPUT III.

Responsio, quod sine adjutorio Dei non solum perfectio castitatis, sed omnino nihil boni perfici possit.

Chæremon: Hoc ipso quod proposuistis exemplo,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cujus ratio ex sequentibus elucescet. Est autem hæc collatio illa famosa ob quam Cassianus non solum inter catholicos male audiit ac suo nomini et existimationi non levem certe maculam aspersit, verum etiam Gelasii summi pontificis censoriam notam incurrere meruit atque inter auctores apocryphos, sive quorum scripta sint apocrypha, annumerari, uti in præfatione nostra præmonuimus; propterea quod in hac collatione sub Chæremonis abbatis nomine de gratia Dei et libero hominis arbitrio ita scripserit, ut cum Pelagio et Pelagianis hæreticis sentire aut iis certe favere, Augustini vero doctrinam a Romanis pontificibus approbatam et ab universa Ecclesia receptam convellere et labefactare videretur. Qua de causa D. Prosper Aquitanicus, Rhegiensis episcopus, non modo apud ipsum Augustinum litteris graviter conquestus est (quod et Hilarius Arelatensis episcopus eodem veritatis propugnandæ studio præstitit), sed et librum adversus Collatorem eodem tempore edidit, Collatoris nomine non abbatem Chæremonem, quem hic disserentem Cassianus inducit, sed ipsum Cassianum appetens; et quidquid in hac collatione vitiosum et erroneum continetur, non Chæremoni, sed Cassiano, velut auctori, ascribens. Verum hæc quo magis pateant et certiora reddantur, juvabit hic Annalium Ecclesiasticorum scriptorem accuratissimum card. Baronium audire plenius ea narrantem: *Hoc*, inquit, *anno* (nempe quadringentesimo trigesimo tertio) *S. Prosper reviviscenti in Occidente et clanculo serpenti hæresi Pelagianæ se validis scriptis opposuit. Periculosum quidem in Ecclesia bellum excitari videbatur, non ab hostibus, sed ab iis qui catholico nomine in Ecclesia versarentur, immo et magna cum laude adversus Pelagianos errores valentioribus telis pugnasse visi fuissent. Quis enim caveret hostem, quem in castris fidelium militantem in hostes jecisse jacula pervidisset? Tale quiddam hoc tempore accidit in Ecclesia. Cum enim Joannes Cassianus presbyter Massiliensis Ecclesiæ, adversus Nestorium, disertum atque perutile de Incarnatione Domini Commentarium edidisset, et eodem volumine Pelagium atque Pelagianos, velut ejus hæresis primos auctores vehementer exagitasset; factum esse visum est nonnullis, ut calumniæ loco duceretur, quod a catholicis viris, ut Prospero et aliis, ipse Cassianus Pelagianæ hæresis in crimen adductus esset, ac proinde ab eo Collationes Patrum absque erroris suspicione fideles incaute legerent absque delectu, utpote viri catholici, cujus cuncta esse catholica existimarent: unde accideret, ut iidem nescientes efficerentur ea saltem ex parte Pelagiani, qua adversus gratiam ab eo liberi arbitrii vires prædicarentur. His igitur latentibus malis ut occurreret S. Prosper adversus Collatorem librum hoc anno conscripsit, et quidem eruditione insignem, quo et venena produntur et adversus ea antidotum præparatur.* Hac- B tenus ex Baronio (*Tom. V Annal. anno* 433). Porro qua in re Cassianus ad Pelagianismum accedere aut Pelagianæ hæresi studere visus sit, plenius in hoc tractatu declarabitur. Librum autem illum D. Prosperi, ne quid ad complementum hujus operis desiderari posset, quo lectoris studio, simul et tranquillitati ac securitati consultum foret, una cum annotationibus ac censuris Do. Cuychii et Petri Ciaconii ad calcem huic operi annectendum et subjiciendum existimavi; ex quo tamen pleraque antidota summatim excerpta opportune ac suis locis in decursu hujus collationis adhibebo atque interseram, ut prompte ac præ oculis habeat lector, quo declinet a scandalo seu errore pedem suum, et norit juxta Apostolum examinare omnia, et quod bonum est tenere (I *Thess.* v); vel ut Esaias ait: *sciat reprobare malum et eligere bonum* (*Esa.* 7), ne venenum pro lacte hauriat, et pro veritate imbibat falsitatem. Et hoc obiter addo, collationem hanc Cassiani alicubi separatim impressam in Romano Indice esse prohibitam. Sic enim ibi in appendice (*Lit. C.*): *Cassiani Constantinopolitani de libero arbitrio Collatio, quæ Aganoæ impressa est per Joannem Sicerum* 1528. Cæterum quod ad Chæremonem attinet, quem hic disputantem inducit Cassianus, ne quis ob hanc collationem erroribus inspersam, ejus *sanctitati* vel auctoritati olim derogatum putet, opportune se obtulit præclara ejus memoria in litaniis a B. Gregorio papa institutis (quas refert Arnoldus Wion (*Ligni vitæ lib.* v) ubi inter sanctos monachos et eremitas sub eodem sanctitatis titulo invocantur harum collationum præcipui auctores sive collatores, atque inter hos noster hic Chæremon vel Chærimon: sic enim ibi habetur:

Sancte Paphnuti
Sancte Serene
Sancte Nesteros
Sancte Chærimon
Sancte Moyses
Sancte Abraham
Sancte Isaac
} *Ora pro nobis.*

Ex qua tam solemni et publica invocatione, a tanto pontifice Gregorio magno instituta et celebrata, et totius Ecclesiæ consensu approbata, cum constet hunc Chæremonem cum aliis anachoretis harum collationum auctoribus, in numero sanctorum ab Ecclesia habitum et censitum fuisse, consentaneum est dicere eumdem virum alioqui sanctissimum, aliquando quidem de gratia Dei et libero hominis arbitrio erronee sensisse, si vera est relatio et collatio quam ei ascribit Cassianus, ut supponimus; sed postea resipuisse et erroreni ex simplicitate conceptum, agnita veritate et saniore doctrina percepta, correxisse: atque in vero et catholico Ecclesiæ sensu et sententia perstitisse.

evidentius approbatur nihil posse proficere sine adjutorio Dei, laborantis industriam. Nec enim agricola cum omnes conatus suos in excolendis expenderit terris, confestim etiam proventum segetum et ubertatem frugum suæ poterit industriæ deputare, quam irritam esse frequenter expertus est, nisi eam et pluviarum opportunitas et hyemis tranquilla serenitas subsequatur : ita ut adultos jam fructus ac perfecta maturitate solidatos, quodammodo de manu tenentium viderimus plerumque præreptos, nihilque laborantibus illam jugem sudoris instantiam contulisse, quia non fuit Domini opitulatione directa. Sicut igitur inertibus agricolis, qui sua frequenter vomere arva non subigunt, hanc ubertatem segetum pietas divina non confert, ita laborantibus pernox sollicitudo non proderit, nisi misericordia Domini fuerit prosperata. In quo tamen humana superbia nullatenus se gratiæ Dei vel exæquare vel admiscere contendat, participemque se in muneribus Dei per hoc conetur inserere, ut laborem suum auctorem esse divinæ existimet largitatis, ac proventum copiosissimarum frugum industriæ suæ meritis respondisse glorietur. Consideret namque ac veridica examinatione perpendat, quod ne ipsos quidem conatus, quos pro desiderio opulentiæ intentus exercuit, suis viribus impendere potuisset, nisi eum ad exercendum omne opus ruris, protectio Domini ac misericordia roborasset : et ineffieax ejus voluntas fuisset ac virtus, nisi etiam peragendi copiam, quæ nonnumquam vel siccitatis vel imbrium nimietate fraudatur, divina clementia præstitisset. Nam cum et bonum virtutis [*Lips. in marg.* bonum virtus], et sanitas corporis, et omnium effectus operum actuumque prosperitas a Domino fuerit condonata, orandum est ne fiat ei sicut scriptum est, cœlum æreum et terra ferrea; et ne residuum locustæ comedat bruchus, et residuum bruchi eruca devoret, et residuum erucæ rubigo consumat (*Joel.* I). Nec in hoc tantum eget divinitatis auxilio agricolæ laborantis industria, nisi etiam insperatos avertat casus, quibus etiamsi desiderata fructuum fecunditate ager fuerit opimatus, non solum spei suæ vana exspectatione frustrabitur, verum etiam perceptarum et reconditarum jam vel in area vel in horreo frugum ubertate fraudabitur. Quibus manifeste colligitur, [a] non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus, tribuit peragendi : *Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum* (*Jacob.* I),[b] qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur, et consummat in nobis, dicente Apostolo, *Qui autem*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vera et catholica sententia, quam et D. Prosper valde commendat in ipso sui operis velut præambulo (*Cap.* 3), ubi verum a falso discernens, et suum de hac collatione judicium proferens : *Quæ tamen*, inquit, *inter initia disputationis a veritatis pietate non dissonat, et justo honorari præconio mereretur ; nisi præcipiti, lævoque* (Al. *levique*) *progressu ab inchoata rectitudine deviaret. Nam post comparationem agricolæ, cui formam sub gratia ac fide viventis aptavit, et cujus infructuosum esse dixit laborem, nisi per omnia Dei auxilio juvaretur ; intulit definitionem catholicissimam, dicens : Quibus manifeste colligitur non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium*, etc. Ita S. Prosper, ac rursus sub finem sui opusculi, præcipuas hujus collationis definitiones colligens, hanc eamdem primam ponit definitionem, quam et amplectitur et catholicam esse confitetur. Est enim hæc assertio præcipuum catholicæ doctrinæ adversus Pelagianos fundamentum : cui si Collator inhæsisset, longissime ab erroris periculo ac suspicione abfuisset.

[b] D. Antoninus postquam hoc caput hujus collationis majori ex parte, et ipsius Cassiani verbis more suo retulisset, subjecit nonnulla quæ non sunt Cassiani, cum nec in manuscriptis, nec in excusis exemplaribus habeantur, sed vel ipsius Antonini, mendose tamen, exscripta vel edita ; vel potius ab alio perperam addita et inserta, adeoque censoria animadversione digna. Siquidem post illa verba Cassiani : *Qui incipit, Quæ bona sunt, et exsequitur, Et consummat in nobis*, subjicitur apud Antoninum : *Itaque si attrahimur, nostrum non est quod sequimur, sed illius a quo trahimur : resistere vero et nolle sequi, nostrum est.* Sic ibi. In quem locum R. P. Petrus Maturus suam non omisit adhibere censuram, dignam quidem, quæ hic inseratur : « Obrepsit, inquit, hoc in loco D. Antonini error sane gravis, quem statueram emendare, substitutis ipsis Cassiani verbis : quia tamen res hæc magni momenti visa est propter pravas hæreticorum opiniones, ideo primo verba ipsius Cassiani, deinde quorumdam aliorum de ea re sententias subjiciemus. Ille igitur sic : *Nostrum*, inquit, *est, ut quotidie nos attrahentem gratiam Dei humiliter subsequamur : vel certe dura cervice et incircumcisis, ut dictum est, auribus eidem resistentes per Hieremiam mereamur audire : Numquid qui cadit non resurget, et qui aversus est non revertetur? Quare ergo aversus est in Hierusalem populus iste aversione contentiosa? Induraverunt cervices, noluerunt reverti* (Hierem. VIII et 17 et 19). Hæc ille. Sic Augustinus de Spiritu et Littera cap. 34 : *Profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos ; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Et lib. II de Peccat. mer. et remiss. cap. 5 : *Adjutor noster Deus dicitur ; nec adjuvare potest, nisi qui aliquid sponte conatur : quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, quorum naturæ rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Et lib. de Prædest. et Gratia cap. 9 : *Deus tempora officiaque distribuens, ordinavit ut vocatione ipsius bonorum principia sumeremus, vocati autem atque illuminati vias mandatorum ejus boni ingenii intelligentia nosceremus, et eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio.* Prosper libro II de Vocatione Gent. cap. 26 : *Hanc abundantiorem gratiam ita credimus atque experimur potentem, ut nullo modo arbitremur esse violentam, qua quidquid in salvandis hominibus agitur, ex sola Dei voluntate peragatur, cum etiam ipsis parvulis per alienæ voluntatis subveniatur obsequium.* Et lib. contra Collatorem cap. 20 : *Bonam*, inquit, *voluntatem, eam scilicet qua adhæretur Deo, nec negandum est hominis esse propriam, et confitendum est Deo inspirante conceptam.* Et multi alii quos videre poteris apud Canisium in fine operis catechist. de Justificatione num. 9, et Sotum de Nat. et Gratia lib. I cap. 15. Quod etiam definivit concilium Trident. sess. 6, cap. 5, et can. 6. » Hucusque apud D. Antoninum Petr. Matur

dat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et crescere faciet fructus justitiæ vestræ (II *Cor.* IX). Nostrum vero est, ut quotidie attrahentem nos gratiam Dei humiliter subsequamur, vel certe durâ cervice et incircumcisis, ut scriptum est (*Actor.* VII), auribus eidem resistentes, per Jeremiam mereamur audire, *Numquid qui cadit non resurget, aut qui aversus est non revertetur* (*Jerem.* VIII)? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Induraverunt cervices suas, noluerunt reverti.

CAPUT IV.

Objectio, quemadmodum gentiles absque gratia Dei, castimoniam habuisse dicantur.

Germanus: Huic sensui, cujus pietas abrupte a nobis non potest improbari, illud videtur obsistere, [a] quod ad destructionem liberi arbitrii tendit. Nam cum multos gentilium, qui utique divini adjutorii gratiam non merentur, non solum frugalitatis atque patientiæ, sed, quod magis mirum est, etiam castitatis videamus fulgere virtutibus, quomodo captivato liberæ voluntatis arbitrio, Dei munere collatæ illis credendæ sunt, cum utique mundanæ sapientiæ sectatores, non solum Dei gratiam, sed ipsum etiam verum Deum penitus ignorantes, quantum vel serie lectionis, vel quorumdam traditione cognovimus, A summam castimoniæ puritatem, proprii laboris industria possedisse dicantur?

CAPUT V.

Responsio de philosophorum imaginaria castitate.

Chæremon: Gratum mihi est, quod dum summo agnoscendæ veritatis amore flammamini, quædam etiam inepta proponitis, quorum objectione probatior, atque (ut ita dixerim) exploratior catholicæ fidei virtus appareat. Quis etenim sapiens tam contrariis propositionibus uteretur, ut cœlestem castimoniæ puritatem, quam hesterna die nec per Deo gratiam mortalium cuiquam asserebatis posse conferri, nunc eamdem etiam a gentilibus crederetis virtute propria fuisse possessam? Sed quia hæc B explorandæ proculdubio (ut dictum est) studio veritatis opponitis, quid de his teneamus, advertite. Primum [b] philosophos nequaquam credendum est talem animi castitatem, qualis a nobis exigitur, assecutos: quibus injungitur, ut non solum fornicatio, sed ne immunditia quidem nominetur in nobis. Habuerunt autem illi quamdam [c] μερίδα, id est, portiunculam castitatis, id est, abstinentiam carnis, ut tantum a coitu libidinem coercerent: hanc autem internam mentis, perfectam ac perpetuam corporis puritatem, non dicam opere assequi; sed nec cogitare potue-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vetus cantilena seu querimonia Pelagianorum, ut alias dictum est, posita gratiæ necessitate, everti ac destrui liberum hominis arbitrium. Quibus e diverso respondent Patres per gratiam non destrui, sed potius perfici liberum arbitrium: quia quod ex se et suis viribus non potest, per Dei gratiam accipit ut possit. Ita D. Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, ad illud axioma Pelagii: *Si alterius ope indigeo, libertas in me destruitur arbitrii*; eleganter ita respondet: *Velle et currere meum est, sed ipsum meum sine Dei semper auxilio, non erit meum.* Et Augustin. epist. 89: *Voluntas libera tanto liberior quanto sanior: tanto autem sanior quanto divinæ misericordiæ gratiæque subjectior.* Et infra: *Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia juvatur: sed ideo juvatur, quia non tollitur. Qui enim Deo dicit: Adjutor meus esto, confitetur se velle implere quod jussit; sed ab eo qui jussit adjutorium poscere ut possit.* Idem epist. 105: *Quod putant auferri sibi liberum arbitrium, si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint, non intelligunt non se firmare humanum arbitrium, sed impellere, ut per inania feratur, non in Domino tamquam in petra stabili collocetur.* Prosper. cap. 38 adversus Collatorem: *Non conturbat nos superbientium inepta querimonia, quo liberum arbitrium causantur auferri; si et principia, et profectus, et perseverantia in bonis usque in finem, Dei dona esse dicantur: quoniam* Opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis humanæ.

[b] Quod de castitate hic dicitur, id generatim de virtutibus moralibus astruit D. Augustinus, nullam in philosophis, ac cæteris gentilibus, seu infidelibus, quantumvis a virtute celebratis, veram absolute et proprie dictam fuisse virtutem; sed aut simulatam, et adumbratam, aut inchoatam dumtaxat et imperfectam. Sic enim ait lib. XIX de Civitate Dei cap. 25: *Quamlibet videatur animus corpori, et ratio vitiis laudabiliter imperare, si tamen Deo animus, et ratio ipsa, non servit, sicut sibi serviendum esse Deus ipse præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperat. Nam qualis corporis atque vitiorum potest esse mens domina, veri Dei nescia, nec ejus imperio subjugata, sed vitiosissimis dæmonibus corrumpentibus prostituta? Proinde virtutes quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori et vitiis, ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius quam virtutes. Nam licet a quibusdam tunc veræ et honestæ putentur esse virtutes, cum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt.* Idem lib. IV adversus Julianum (*Cap. III*): *Absit,* inquit, *ut sit in aliquo vera virtus, nisi sit justus. Absit autem ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit* (*Rom.* I). *Quis porro eorum qui se Christianos haberi volunt, nisi soli Pelagiani, justum dixerit infidelem, justum dixerit impium, justum dixerit diabolo mancipatum? sit licet ille Fabricius, sit licet Fabius, sit licet Scipio, sit licet Regulus,* etc. Et infra: *Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi et propter illum cui dicimus: Deus virtutum, converte nos* (*Psal.* LXXIX). *Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis et emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus.* Hæc de virtutibus in universum D. Augustinus. Porro de continentia seu castitate speciatim idem docet eodem loco, inter alia scribens: *Si veram justitiam non habent impii, profecto nec alias virtutes comites ejus et socias; quia cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso mali his utentes efficiuntur injusti; et si quas habent, veras non habent, ac per hoc nec continentia sive pudicitia vera est impiorum.*

[c] Ciaconius legit μεριχήν, id est, partialem, sive partitam, sive imperfectam. Est enim μέρις, pars, particula; μερική, partita, dimidiata, imperfecta. Sic exponit abbas Joannes collat. 19 cap. 9: Sed *hæc,* inquit, μερική, *id est, non in omnibus consummata perfectio, sed pars perfectionis est.*

runt. Denique [a] famosissimus ille ipsorum Socrates, hoc, ut ipsi concelebrant, de se non erubuit profiteri. Nam cum intuens eum quidam [b] physiognomon dixisset, [c] ὄμματα παιδεραστοῦ, id est, Oculi corruptoris puerorum, et irruentes in eum discipuli ejus, ulcisci illatum magistro vellent convicium, indignationem eorum hac dicitur compressisse sententia : Παύσασθε ἑταῖροι, εἰμὶ λαρ, ἀλλ'ἀπέχω, id est, Quiescite, o sodales : etenim sum, sed contineo me. Apertissime igitur, non solum assertione nostra, sed etiam ipsorum professione monstratur, consummationem tantummodo impudicitiæ, id est, commixtionis turpitudinem, violenta ab illis necessitate compressam; non tamen desiderium de cordibus eorum, et oblectationem illius passionis exclusam. Cum quo autem horrore proferenda est illa [d] sententia Diogenis? Factum enim quod philosophum mundi hujus, velut quiddam memorabile proferre non puduit, neque dici a nobis sine verecundia, neque audiri potest. Nam cuidam in adulterii crimine [e] puniendo (ut ferunt) ait, τὸ δωρεὰν πωλούμενον θανάτῳ μὴ ἀγόραζε, id est, Quod gratis venditur morte non emas. Constat ergo illos veræ castitatis, quæ a nobis expetitur, nec agnovisse virtutem. Et ideo satis certum est circumcisionem nostram, quæ in spiritu est, non posse nisi Dei tantum munere possideri, et his inesse solummodo qui Deo tota spiritus sui contritione deserviunt.

CAPUT VI.

Quod sine gratia Dei nullos industrios conatus exsequi valeamus.

Et idcirco licet in multis, immo in omnibus, possit ostendi semper auxilio Dei homines indigere [f] nec aliquid humanam fragilitatem, quod ad salutem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique dei Ganymedem, etc.

[a] Quippe Apollinis Delphici oraculo sapientissimus Græcorum judicatus, qui, teste Augustino (*Lib.* VIII *de Civit. cap.* 2), *primus universam philosophiam, ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur; cum ante illum omnes magis physicis, id est, naturalibus rebus perscrutandis, operam maximam impenderint.*

[b] Physiognomus, vel physiognomon, qui hominum mores, ingenium, sive indolem ac propensionem ex corpore vultuque cognoscit aut conjectat. Talis ille Zopyrus, qui Socratem notavit : De quo Cicero lib. de Fato : *Quid Socratem? Nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere?* Cælius Rhodig. (*Lib.* VIC. 2) : *Est*, inquit, *physiognomia, mantices pars ea quæ ex ore omniumque corporis membrorum facie, motuque ac filo, hominum conjectat mores; de qua, ut Aristoteles, et Adamantius* [*Origenes*], *ita multi alii tam Latini quam Græci scripserunt* (*Alex. ab Alex. lib.* II *Genial. c.* 19).

[c] Aptior et congruentior visa hæc Ciaconii lectio, quam illa Cuychii et aliorum, δύμματα παιδέρασταί, oculi corruptores puerorum. Subauditur autem *O*, interjectio irridentis vel exprobrantis : *O oculi corruptoris puerorum.* Porro pæderastes et pæderastia infame vocabulum, et magis ipsum flagitium, quo notatus Socrates inter alios philosophos et viros nobiles. Unde Tertullianus in Apologetico (*Cap.* 46) : *Si de pudicitia*, ait, *provocemus, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adolescentum pronuntiatam.* Nec dissimile illud Senecæ (*Lib. de Tranquillitate cap.* 15) : *Cum pueris Socrates ludere non erubescebat.* De aliis id genus corruptoribus et hujus turpitudinis infamia, vide, si lubet, Cælium Rhodig. lib. XV cap. 9 et 10. De hoc itidem vitio agens D. Hieronymus in cap. II Isaiæ : *In tantum*, inquit, *Græci et Romani hoc quondam vitio laboraverunt, ut et clarissimi philosophorum Græciæ haberent publice concubinos : et Hadrianus philosophiæ artibus eruditus, Antinoum consecrarit in deum, templumque ei ac victimas et sacerdotes instituerit, et ex eo Ægypti civitas et regio nomen acceperit. Inter scorta quoque in fornicibus spectaculorum pueri steterunt publicæ libidini expositi, donec sub Constantino imperatore, Christi Evangelio coruscante, et infidelitas gentium universarum, et turpitudo deleta est.* Hæc D. Hieronymus. Sed et Prudentius in Symmachum consularem hæc eadem de Antinoo Hadriani imperatoris Ganymede exprobrat his versibus :

Quid loquar Antinoum cœlesti sede locatum?
Illum delicias tunc divi principis : illum

Chrysostomus item hæc sæpe refricat (*Homil.* 27 *in II ad Corint. et* 66 *ad pop. Antioch.*); atque ob hanc quidem causam, et hujus flagitii intuitu, apostolus Paulus tales hujus sæculi sapientes, id est, philosophos gentiles graviter perstringens, dicit eos justo Dei judicio *traditos in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum, ut facerent quæ non conveniunt, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem quam oportuit erroris sui recipientes* (*Rom.* I), etc. (*Vide D. Cyprianum epist.* 2 *ad Donatum*).

[d] Dignum, ut dici solet, tali patella operculum, digna tali philosopho sententia. Satis enim nota est hujus Diogenis, philosophi scilicet Cynici, a canina turpitudine et obscenitate sic cognominati, infamia : de qua, præter Plutarchum et Laertium, videre potes D. Augustinum lib. XIV de Civit. cap. 20. Cum ergo, juxta Aristotelem (*Arist. in Politic.*), ut quisque animo affectus est, ita de rebus judicet, mirum non est, si homo caninus, et canis verius quam philosophus, adulterium, quia gratis oblatum, non magis puniendum censuerit quam caninam fœditatem.

[e] Id est, qui puniendus erat ob adulterii crimen : quod etiam apud gentiles morte punitum fuisse, vel ex hoc loco colligit potest (*Alexand. ab Alex. Genial. lib.* IV *cap.* 1; *A. Gellius lib.* X *cap.* 23). Aliud certius constat ex lege Julia de Adult., quæ pœna capitis damnat adulteros et adulteras. Apud Judæos adultera simul cum adultero interfici jubentur, Levit. XX et Deuteron. XXII. Sed postea consuetudine introductum, ut adulteræ lapidibus obruerentur, ut patet ex Historia Susannæ, Daniel. XIII, et mulieris in adulterio deprehensæ, Joan. VIII. Apud Christianos etiam adulterium morte vindicatum fuisse docet epistola D. Hieronymi, de muliere septies icta ob adulterii crimen falso illi et conjugi impactum (*Epist.* 49). Et Cassiodorus variis epistolis (*Epist.* 37 *lib.* I, *epist.* 33 *lib.* V, *ep.* 18 *lib.* IX), et edicto Theodorici regis apud eumdem.

[f] Pia et catholica assertio, si sano et catholico sensu intelligatur. At non videtur Cassianus, aut ejus interpres Chæremon ita intellexisse ut verba præ se ferunt, ut patet ex iis quæ lib. XII Instit. cap 12 et seqq. notavimus, et ex proximis capitibus hujus collationis magis patebit. Tota autem vis est in verbo *perficere*, quod alibi exponit (*Collat.* 12 *cap.* 12 *et* 13), *perfectionem virtutum obtinere, vel perfectionis finem aut summam attingere.* Qua phrasi significare voluit, non sine aliquo calliditatis artificio, posse hominem ex viribus naturæ, seu liberi arbitrii, absque gratia Dei præveniente, aliquid incipere, inchoare, quod

pertinet, per se solam, id est, sine adjutorio Dei posse perficere, [a] in nullo modo tamen evidentius quam in acquisitione atque custodia castitatis ostenditur. Ut enim tantisper de integritatis ejus difficultate disputatio differatur, de instrumentis ejus breviter interim disputemus. Quis prævaleat, quæso, quamvis fervens spiritu, vel squalorem solitudinis, vel sicci panis, non dicam, quotidianam esuriem, sed ipsam saturitatem, nulla hominum laude suffultus, suis viribus sustinere? quis aquæ perpetuam sitim sine Domini consolatione tolerare? illumque dulcem ac delectabilem matutinum soporem humanis fraudari oculis, et [b] intra terminos horarum quatuor omnem quietis refectionem jugi possit lege concludere? Quis indesinentem lectionis instantiam? quis irremissam operis sedulitatem, nullum præsentis lucri commodum captans, absque Dei gratia explere sufficiat? Quæ omnia sicut desiderari a nobis jugiter absque divina inspiratione non possunt, ita ne perfici quidem sine ejus auxilio ullatenus queunt. Et ut hæc eadem non solum probata nobis experientiæ disciplina, sed etiam certis indiciis et argumentis manifestiora reddamus, nonne in multis quæ utiliter optamus implere, cum desiderii plenus ardor ac voluntas perfecta non desit, interpellans quæcumque fragilitas cassat vota concepta, nec proposito nostro assistit effectus, nisi virtus perficiendi Domini fuerit miseratione donata, ita ut cum sit innumera multitudo illorum qui fideliter virtutum studiis desiderent inhærere, summam tamen eorum qui hæc perficere vel tolerare prævaleant, invenias raritatem : ut prætermittam quod ne tunc quidem, cum omnino nulla nos arcet infirmitas, facultas universa quæ volumus peragendi nostræ subjacet potestati? Nam neque remotionis silentium, nec districtiones jejuniorum, nec lectionis instantiam, illo etiam tempore quo possumus, pro nostro arbitrio retentamus, sed quibusdam occurrentibus causis, etiam invitissimi frequenter retrahimur a salutaribus institutis, ita ut, vel loci, vel temporis copiam in quo hæc exercere possimus, necesse sit nos a Domino deprecari, nec sufficere nobis id quod possumus certum est, nisi etiam opportunitas peragendi ea quæ nobis utique possibilia sunt, a Domino tribuatur, de quibus et Apostolus, *Quoniam voluimus,* inquit, *venire ad vos et semel et iterum, et impedivit nos Satanas* (I *Thes.* II); ita ut nonnumquam nos etiam utiliter ab istis spiritalibus sentiamus studiis avocari, ut *dum* nolentibus nobis interrumpitur nostri cursus *intentio,* et infirmitati carnis aliud relaxamus, etiam inviti ad salutarem perseverantiam reservemur. De qua dispensatione Dei, simile aliquid beatus Apostolus : *Propter quod,* inquit, *ter Dominum rogavi, ut discederet a me; et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). Et iterum : *Quid enim oremus, secundum quod oportet, nescimus* (*Rom.* VIII).

CAPUT VII.

De principali proposito Dei, et providentia quotidiana.

Propositum namque Dei, quo non ob hoc hominem fecerat ut periret, sed ut in perpetuum viveret, manet immobile. Cujus benignitas [c] cum bonæ voluntatis in nobis quantulamcumque scintillam emicuisse perspexerit, vel quam ipse tamquam de dura silice nostri cordis excusserit, confovet eam et exsuscitat, suaque inspiratione confortat, [d] *volens omnes homines*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ad justificationem, gratiam et salutem promerendam pertineat; at non posse illud perficere, et ad perfectionis finem perducere, sine speciali et supernaturali auxilio Dei. At catholica veritas docet non solum progressum, perfectionem et consummationem virtutum et bonorum operum, sed et ipsum initium, inchoationem, desiderium, fidem, orationem, Dei dona esse, et a Dei gratia pendere. Atque in hoc tota fere consistit controversia D. Prosperi et aliorum Patrum adversus Cassianum ejusque socios clericos Massilienses, quæ in progressu hujus collationis plenius explicabitur.

[a] Idem superiori collat. cap. penult. et ult., alibi sæpius inculcatum.

[b] Hoc enim inter alia perfectæ et consummatæ castitatis comparandæ media sive instrumenta recensuit præcedenti collat. : *Si quietem somni trium sive (ut alii statuerunt) quatuor horarum spatio terminarit*; unde colligimus SS. illos anachoretas et monachos, perfectæ castitatis amatores, non nisi tres quatuorve horas somno et quieti concessisse. Quod etiam ex Cassiani libris Institut. secundo et tertio datur intelligi, ubi dicitur non licuisse monachis post nocturnum officium et Laudes matutinas ad somnum reverti; sed noctis residuum orationi, meditationi, vel operi manuum ab eis fuisse impensum (*Lib.* II *c.* 13 *et lib.* III *c.* 5). Fuere autem nonnulli qui nec unius horæ spatium sibi ad somnum indulgerent : unde ἀκοίμητοι, id est insomnes, dicti. De quibus Evagrius Histor. Ecclesiast. lib. III cap. 19 et 20. Abbas Arsenius, ut est in Vitis Patrum (*Lib.* V *libello* 4 *novæ editionis*), *tota nocte vigilabat; et quanto volebat circa mane propter naturæ necessitatem dormire, dicebat somno : Veni, serve male : et surripiebat pauxillum somni sedendo, et statim surgebat.* Plura exempla habes apud Palladium (*In Histor. Lausiaca*) in Moyse Æthiope, Macario, et aliis. Vide Turrecrematum in cap. 23 Regulæ D. Benedicti, ubi contra somnolentos monachos agit.

[c] Hic demum incipit Auctor aperire mentem suam, et erroris initium, quod sequenti capite clarius exponit. Quam enim hic scintillam, illic ortum quemdam bonæ voluntatis vocat, ubi de hoc latius agendum.

[d] I Timot. II : *Coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Cujus sententiæ varia est expositio. Triplicem ex Patribus affert S. Thomas (1 *part.* q. 89. *art.* 6) : *Illud,* inquit, *verbum Apostoli, quod Deus vult omnes homines salvos fieri,* etc., *potest tripliciter intelligi. Uno modo, ut sit accommoda distributio secundum hunc sensum : Deus vult salvos fieri omnes homines qui salvantur. Non quia nullus homo sit quem salvum fieri non velit, sed quia nullus salvus sit quem non velit salvum fieri, ut dicit Augustinus* (*Lib.* I *de Prædestin. Sanctor. c.* 8). *Secundo potest intelligi, ut fiat distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, secundum hunc sensum : Deus vult de quolibet statu hominum salvos fieri, mares et feminas, Judæos et gentiles, parvos et magnos, non tamen omnes de singulis statibus. Tertio, secundum Damascenum* (*Lib.* II *de Fide c.* 9), *intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente. Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum.*

salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (1 *Timoth.* II). *Quia non est,* inquit, *voluntas ante Patrem vestrum qui in cœlis est, ut pereat unus ex pusillis istis* (*Matth.* XVIII). Et iterum : *Non vult*, inquit, *Deus perire animam, sed retractat cogitans* [*Lips. in marg.* retractans cogitat] *ne penitus pereat qui abjectus est* (II *Reg.* XIV). Verax namque est et non mentitur. Deus, cum obtestatione definiens : *Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia nolo mortem impii, sed ut convertatur a via sua et vivat* (*Ezech.* XXXIII). Qui enim ut pereat unus ex pusillis non habet voluntatem, quomodo sine ingenti sacrilegio putandus est, non universaliter omnes, sed quosdam salvos fieri velle pro omnibus? [a] Ergo quicumque pereunt, contra illius pereunt voluntatem, ita eo contra unumquemque eorum quotidie proclamante : *Convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini, domus Israel* (*Ibid.*)? Et iterum : *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti* (*Matth.* XXIII)? *Et quare,* inquit, *aversus est populus iste in Jerusalem, aversione contentiosa? Induraverunt facies* [*Lips. in marg.* cervices] *suas, noluerunt reverti* (*Jerem.* VIII). [b] Præsto est ergo quotidie Christi gratia, quæ dum *vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire,* cunctos absque ulla exceptione convocat, dicens : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Si autem non omnes universaliter, sed quosdam advocat, sequitur ut nec omnes sint onerati, vel originali vel actuali peccato, nec vera sit illa sententia : *Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei,* nec *per omnes homines mors pertransisse* credatur (*Rom.* III). Et in tantum omnes qui pereunt, contra Dei pereunt voluntatem, ut nec ipsam mortem Deus fecisse dicatur, ita Scriptura testante : *Quia Deus mortem non fecit, nec gaudet in perditione vivorum* (*Sapient.* I). Et inde est quod plerumque dum pro nobis contraria postulamus, vel tardius vel nequaquam nostra exauditur oratio; et rursus, ea quæ credimus esse contraria, utiliter, ut benignissimus medicus, etiam invitissimis Dominus inferre dignatur; ac nonnumquam perniciosas dispositiones nostras lethalesque conatus ab effectu detestabili retardat ac revocat; ac properantes ad mortem retrahit ad salutem, et de inferni faucibus extrahit ignorantes.

CAPUT VIII.

De gratia Dei, et arbitrii libertate.

Quam curam atque providentiam circa nos suam sub figura meretricis Jerusalem et perniciosa ad idolorum cultum alacritate tendentis, per Oseam prophetam sermo divinus eleganter expressit. Dicente namque ea : *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, et aquas meas, lanam meam, et linum meum, oleum meum, et potum meum,* respondit, saluti ejus, non voluntati, consulens divina dignatio : *Ecce ego sepiam viam ejus spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet; et quæret eos, nec inveniet illos, et dicet : Revertar ad virum meum priorem quia bene mihi erat tunc magis quam nunc est* (*Ose.* II). Ac rursus contumacias nostras atque contemptus, quibus eum ad salutares invitantem recursus rebelli spiritu dedignamur, tali comparatione describit : *Et dixi,* inquit, *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis. Sed quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, ait Dominus* (*Jirem.* III). Satis congrue, quoniam Jerusalem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Hæc S. Thomas, explicans deinde pluribus quæ dicatur voluntas antecedens, quæ consequens; quæ lector apud ipsum requirat. Porro Damasceni sententia de voluntate Dei antecedente et consequente sic habet : *Sciendum est Deum antecedenter velle omnes salvari, et regno ipsius potiri. Non enim ad puniendum formavit nos; sed, tamquam bonus, ad suæ bonitatis communionem; peccatores autem vult punire, tamquam justus. Dicitur ergo prior voluntas antecedens, et beneplacitum, quam in se concepit; altera vero consequens et permissio ex nobis causam habens.* Hæc Damascenus. Voluntate itaque antecedente vult Deus omnes salvos fieri, hoc est, quantum in se est, et ex parte sua, quia omnes ad æternam beatitudinem condidit, et congruentia ad eam consequendam media omnibus instituit et præstat. Voluntate autem consequente et absoluta, vult unicuique reddere juxta opera sua, præmium, inquam, aut pœnam, quemadmodum lex æquitatis et justitiæ postulat. Non enim misericors tantum prædicatur, sed et *justus Dominus.*

[a] Non contra voluntatem absolutam, quæ dicitur voluntas beneplaciti, de qua dictum est : *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cœlo et in terra* (*Psal.* CXXXIV)? Et, *Voluntati ejus quis resistit* (*Rom* IX)? sed contra voluntatem antecedentem, qua dicitur Deus velle omnes homines salvos fieri, quantum in se est, quia neminem impedit a salute, sed omnes ad eam invitat et provocat, ut dictum est; vel contra voluntatem signi, quia Deus præcepta et consilia sua quibus ad salutem instruit et invitat, omnibus proposuit. Voluntas enim signi dicitur signum voluntatis ejus, ut sunt præcepta et consilia : sicut dicimus litteras principis esse voluntatem ipsius, id est, signum voluntatis.

[b] Sunt hæc primo intuitu pia et catholica, valentque ad probandum omnibus hominibus pro tempore et loco dari sufficiens auxilium gratiæ, quo salvari possint, secundum probabiliorem theologorum sententiam. Verum aliquid latet in recessu, quod ad Pelagianismum spectat, ut ex dictis colligi potest. Sententia siquidem Pelagianorum fuit, et eorum qui Pelagianis in Gallia occulte favebant, gratiam Dei omnibus hominibus paratam esse, modo ipsi eam petere et excipere velint : posse autem unumquemque ex viribus liberi arbitrii, sine alia gratia præveniente ipsam gratiam expetere, invocare, excipere. At sententia catholicorum est, neminem posse petere, invocare, immo ne cogitare quidem, nisi præveniente Dei gratia ad petendum, pulsandum, invocandum excitetur et moveatur : proinde gratiam Dei et motionem Spiritus sancti prævenire omnia desideria, omnem invocationem nostram. Quod in concilio Arausicano definitum habetur his verbis (*Can.* 3) : *Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis; contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant* (*Isaiæ* LXV, *Rom.* X).

adulteræ comparaverat a suo conjuge discedenti, amorem quoque ac perseverantiam benignitatis suæ viro qui a femina deseritur, comparavit. Pietas enim ac dilectio Dei, quæ circa humanum genus semper impenditur, eo quod nullis ita vincatur injuriis, ut a cura nostræ salutis abscedat, et quodammodo superata iniquitatibus nostris a principali suo proposito revocetur, magis proprie exprimi alia comparatione non potuit, quam exemplo viri ardentissimo amore feminam diligentis, qui quanto magis negligi se ab ea senserit, tanto vehementioris circa eam zeli ardore flammatur. Adest igitur inseparabiliter nobis semper divina protectio, tantaque est erga creaturam suam pietas Creatoris, ut non solum comitetur eam, sed etiam præcedat jugi providentia. Quam expertus Propheta Domino apertissime confitetur, dicens : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me* (*Psal.* LVIII). [a] Qui cum in nobis ortum quemdam bonæ

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hic est lapis offensionis, et petra scandali, primus, inquam, et præcipuus lapsus, et error Cassiani, quo tum ipse, tum alii presbyteri Massilienses ab ipso, ut creditur, imbuti, doctrinam D. Augustini de gratia adversus Pelagianos promulgatam impugnare ac reprehendere aggressi sunt, magnumque hac de causa dissidium et contentionem in Ecclesia Gallicana excitarunt. Quod ut clarius et commodius intelligatur, cum ex his tota reliquæ collationis hujus et disputationis intelligentia dependeat, operæ pretium duxi ante omnia paucis exponere qua de re inter Augustinum ejusque discipulos ex una parte, et Cassianum, Massilienses, cæterosque Gallos ex alia, suborta fuerit de necessitate gratiæ ejusque concursu cum libero arbitrio dissensio. In hac igitur controversia contra duos errores pugnavit D. Augustinus. Primum contra Pelagium et Cœlestium hæreticos, qui de gratia hæc asserebant, 1° posse hominem solis naturæ viribus, sola facultate liberi arbitrii, absque auxilio speciali, seu gratia Dei præveniente, et interna motione, excitatione, illustratione, consequi donum fidei et gratiam justificationis, servare totam legem, perseverare in justitia usque ad mortem, et tandem vitam æternam promereri; 2° gratiam Christi specialem tantummodo utilem esse ad hæc melius et facilius præstanda et obtinenda, non autem absolute necessariam; 3° hanc gratiam secundum merita nostra, id est, opera ex propriis viribus facta nobis donari, idque ex condigno et ex justitia. Contra hos errores probavit D. Augustinus et alii Patres fidem Christianam esse donum Dei supernaturale, nec posse hominem credere, justificari, legem servare, et salutem consequi, sine speciali Dei auxilio et gratia præveniente, comitante et cooperante. Secundo disputavit Augustinus contra alium errorem, eorum scilicet qui a D. Prospero et Hilario dicuntur reliquiæ Pelagianorum, et vulgo Semipelagiani nuncupabantur. Hi fuere, ut dictum est, clerici Massilienses in Gallia Narbonensi, inter quos Cassianus, cum e Palæstina Massiliam commigrasset, ut ex Gennadio et Trithemio retulimus (*In præfatione*), magnaque eruditionis fama et auctoritate polleret, hujus doctrinæ præcipuus auctor ferebatur, ut constat tum ex epistolis Hilarii et Prosperi ad Augustinum (*Tom.* VII *August.*), tum ex eodem Prospero initio libri adversus Collatorem, ubi Cassianum notans : *Unius*, inquit, *potissimum definitiones, quem non dubium est illis omnibus in sanctarum Scripturarum studio præstare, referemus*, etc. (*Vide infra post lib. D. Prosperi*). Horum opinionem secuti sunt multi per Galliam episcopi, ad quos Cœlestinus papa epistolam scripsit, qua Massiliensium audaciam compescuit, et Augustini doctrinam comprobavit. Hi igitur omnes, utpote viri alioquin catholici et religiosi, contra Pelagium gratiam Christi fatebantur, non solum externæ prædicationis, verum etiam internæ inspirationis et illustrationis, non solum utilem, sed necessariam esse ad justificationem, perseverantiam, et meritum vitæ æternæ; qua nisi adjuvarentur conatus nostri, non modo difficile consequerentur quod contendimus, ut volebant Pelagiani, verum etiam irriti omnino essent et inanes ad justificationem et vitam æternam promerendam. Et hactenus quidem recte sentiebant. Verum hoc addebant erroneum, et a veritate alienum, posse oriri ex nobis initia quædam bonarum voluntatum et affectuum absque ulla gratia Christi interius movente; quorum intuitu deinde gratia Dei nobis conferretur ad promovendos hujusmodi conatus et pia desideria. Sentiebant itaque liberum arbitrium solis suis viribus posse quodvis opus bonum inchoare, voluntate saltem, conatu ac desiderio, ac per hoc desiderium impetrare gratiam ad perficiendum, idque per modum meriti de congruo : sicut oratio ex fide profecta (juxta sententiam Augustini) valet ad gratiam justificationis impetrandam, eamque meretur ex congruo. Proinde merito dicebantur isti non Pelagiani, sed Semipelagiani : quia cum Pelagius neque ad inchoandum, neque ad perficiendum opus bonum gratiam Dei necessariam prædicaret, illi priorem partem amplectebantur, posteriorem rejiciebant, tamquam erroneam, atque ita solum dimidia ex parte cum illo in quæstione de necessitate gratiæ sentiebant. Ex hoc autem errore, ut falso fundamento et malo principio admisso, consequens fuit eos multa alia absurda et paradoxa huic consentanea et consectaria admittere, puta initium salutis ex nobis esse, gratiam Dei esse pedissequam voluntatis nostræ, humanæ obedientiæ subjungi gratiæ adjutorium, nostris precibus gratiam Dei subinde præveniri, posse hominem solis naturæ viribus ad recipiendam gratiam aliquo modo se præparare, et his similia, quæ tota reliqua disputatione ab hoc loco usque ad finem hujus collationis a Chæremone traduntur et a D. Prospero graviter et acute impugnantur. Ex quibus etiam elicitur ratio cur hanc collationem non simpliciter de gratia *Dei*, *sed de protectione Dei* Cassianus inscripserit, sentiens nimirum gratiam Dei non simpliciter esse necessariam ad excitandum aut inchoandum in nobis bonum propositum, sed ad protegendum, il est, conservandum et promovendum. His ita de causa Cassianiet Massiliensium generatim prænotatis, restat ut verba textus superius allegata expendamus et prosequamur; quibus primum supponit collator, quod superius annotatum, *quoddam initium, seu ortum bonæ voluntatis ex nobis absque Dei adjutorio subinde emergere*, hoc est, posse hominem ex solis naturæ viribus aliquid boni velle aut cogitare. Quod quidem repugnat primum illi sententiæ catholicæ, quam ipsemet superius (*Cap.* 3) veluti pro fundamento totius disputationis posuerat, et Scripturæ testimonio confirmarat dicens : *Non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initia sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus* (vel cœpimus) *peragendi. Omne enim datum bonum, et omne donum perfectum desursum est* (*Jac.* I), etc. Quam ipsius definitionem aliquoties ei objicit S. Prosper, atque hinc levitatis et inconstantiæ eum redarguit, ut qui sibi ipse contradixerit; et qui totum gratiæ antea tribuerat, modo partem libero deferat arbitrio. Secundo repugnat manifestis Scripturæ testimoniis, quorum præcipua sunt hæc : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Joan. VI. *Sine me nihil potestis facere.* Joan. XV. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tamquam* ex nobis, sed *sufficientia nostra ex Deo est.* II *Cor.* III.

voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat, et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei quam vel ipse plantavit, vel nostro conatu viderit emersisse. Nam *Antequam clament*, inquit, *ego audiam; adhuc loquentibus eis ego audiam* (*Isaiæ* LXV). Et iterum : *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi* (*Isaiæ* XXX). Et non solum A sancta desideria benignus inspirat, sed etiam occasiones præstruit vitæ, et opportunitatem boni effectus ac salutaris viæ directionem demonstrat errantibus.

CAPUT IX.

De virtute bonæ voluntatis nostræ, et gratia Dei.

Unde * non facile humana ratione discernitur

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi. Philip. I. *Deus enim est qui operatur velle et perficere pro bona voluntate.* Philip. II. Tertio damnatur hæc sententia, ut erronea et hæretica, in concilio Arausicano, jussu Leonis papæ adversus reliquias Pelagianorum congregato; in cujus canone septimo hæc habentur : *Si quis per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis : Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). *Et illud Apostoli : Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*Philip.* I). Quarto damnatur a summis pontificibus, præsertim a Cœlestino in epist. illa ad episcopos Galliæ, qua Massiliensibus silentium imposuit, ubi hæc inter alia : *Præparatur*, inquit, *voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt* (*Rom.* VIII). *Ut nec nostrum deesse sentiamus arbitrium, et in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium. Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis, ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* Quinto refutatur etiam ab aliis Patribus, præsertim ab Augustino, Prospero, Fulgentio, et aliis, quorum testimonia nimiæ prolixitatis vitandæ causa omitto, præsertim cum inferius nonnulla pro locorum opportunitate producenda sint. His demum accedit censura operum Cassiani et Fausti episcopi Regiensis in concilio Romano, præsidente sancto Gelasio pontifice, quæ habetur in decreto Gratiani distinct. 16 cap. *Sancta Romana*. Non enim alia de causa opera Cassiani, quæ alioqui multa utilissima et saluberrima continent, in apocryphis connumerata sunt, nisi propter istam sententiam de bonis operibus ad pietatem spectantibus, quæ illi sine auxilio gratiæ fieri aut inchoari posse contendebant. Unde manifestæ falsitatis redarguitur Gennadius, homo scilicet Massiliensis, et Massiliensium fuligine aspersus, qui, ut Cassianum excuset, D. Prosperum damnat et carpit his verbis : *Legi et librum Prosperi adversus opuscula suppresso nomine Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva* (*Baron. An.* 433). Hæc quidem Gennadius, qui duplici mendacio dum Prosperum damnat, absolvit; et dum Cassianum absolvit, damnat : ea nimirum fide dignus in hac sententia, qua in aliis compluribus, ut dum Rufinum præfert D. Hieronymo doctori de Ecclesia tam bene merito, dum Augustinum arguit ex multiloquio non effugisse peccatum, dum laudat εὐλογίας Pelagii, quas D. Hieronymus in Dialogis adversus Pelagianos hæresibus plenas asserit, dum libros Fausti Regiensis de gratia et libero arbitrio commendat, quos Petrus Damiani et alii Orientales anathematizant, et id genus aliis.

* Hic rursus Collatorem arguit D. Prosper contradictionis : *Dixerat*, inquit, *regulariter* (id est, secundum normam ac regulam catholicæ doctrinæ) *non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium. Et ne hoc de doctrina extrinsecus adhibita deberet intelligi, vigilanter addiderat : Qui nobis et initium sanctæ voluntatis inspirat, et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus tribuit peragendi.* Deinde Collatorem sic alloquitur : *Doctor catholice, cur professionem tuam deseris? cur ad fumosam falsitatis caliginem, relicta serenissimæ veritatis luce, devolveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, qua desideratur, ascribis? Vides bonos conatus, pia studia, et dubitas esse Dei dona?* etc. Ubi primo adverte Cassianum insigni honoris titulo doctorem catholicum nominari, quia licet a catholica veritate per errorem deflexerit, non tamen errorem contra Ecclesiæ sententiam pertinaciter defendit : quin potius omnino credibile est postea retractasse, ac veritati cessisse, ut in præfatione monuimus. Ut autem illa contradictio magis elucescat, ostendit Prosper collatoris figmentum et commentum fuisse quodammodo medium ac tertium inter Pelagianam hæresim et doctrinam catholicam. Nam secundum Pelagium initia bonarum voluntatum et cogitationum sunt a nobis; secundum veritatem catholicam sunt a gratia Dei præveniente et inspirante; secundum Collatorem vero quandoque ex nobis, quandoque ex gratia. Movet autem Collator aliquot objectiones et difficultates e Scripturis, quæ sibi invicem repugnare videntur, ut inde probet in aliquibus voluntatem nostram prævenire gratiam, in aliis vero prævenir; et proinde partem bonarum cogitationum et voluntatum libero arbitrio, partem gratiæ ascribendam esse, quasi aliter conciliari nequeant Scripturæ, quæ modo huic, modo illi favere ac deferre videntur. At vero cum secundum rei veritatem ad omnem actum bonum concurrat gratia cum libero arbitrio, mirum non est, si Scriptura subinde liberum arbitrium, sæpius tamen gratiam commendet (*Aug. lib.* II *ad Bonifacium c.* 8 *et lib. de Grat. c.* V). Nam, ut D. Anselmus ait (*Concord. præscien. et prædest. c.* 3) : *Cum aliquid dicit Scriptura pro gratia, non amoret omnino liberum arbitrium; neque cum loquitur de libero arbitrio, excludit gratiam, quasi sola gratia aut liberum arbitrium solum sufficiat ad salvandum hominem*, etc. Quibusdam ergo Scripturæ sententiis commendatur gratia, non excluso tamen arbitrio; quibusdam e diverso commendatur libertas, non exclusa, sed supposita, gratia. Hoc supposito ad objectionem illam respondetur, Deum petentibus tribuere, a quærentibus inveniri, pulsantibus aperire; sed ipsum petere, quærere, pulsare esse a gratia Dei, quia nemo petit, quærit, aut pulsat, nisi gratia Dei prævenitus, excitatus et adjutus. Invenitur enim Deus a non quærentibus, etc., non solum quia multos maxime aversos, et repugnantes, ac impios, vocat et flectit, ut notum est de vocatione Pauli, Matthæi, Magdalenæ; verum generaliter a non quærentibus, ex se et ex parte sua, sine motione et vocatione Dei. Quod et in concilio Arausicano disertis verbis a Cassiano mutuatis ita definitum est can. 6 : *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Spiritus sancti, in nobis fieri confitetur; et aut humilitati ac obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti? et, Gratia Dei* sum id quod sum (I Cor. XV). Cui

quemadmodum Dominus petentibus tribuat, a quærentibus inveniatur, aperiatque pulsantibus (*Matth.* VII); et rursus inveniatur a non quærentibus se, palam appareat inter illos qui eum non interrogabant, et tota die expandat manus suas ad populum non credentem sibi et contradicentem (*Isa.* LXV. *Rom.* X), resistentes ac longe positos vocet, invitos attrahat ad salutem, peccare cupientibus explendæ copiam subtrahat voluntatis, ad nequitiam properantibus benignus obsistat. [a] Cui autem facile pateat, quomodo salutis summa nostro tribuatur arbitrio, de quo dicitur : *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis* (*Isaiæ* I); et quomodo *non volentis neque currentis, sed miserentis sit Dei* (*Rom.* IX)? [a] Quid etiam sit illud, quod *Deus reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II), et, *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II), et, *hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur* (*Ephes.* II)? Quid sit etiam illud quod dicitur : *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis* (*Jac.* IV)? Et quod alibi dicit, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum* (*Joan.* VI)? Quid sit quod dicitur, [c] *Rectos cursus fac pedibus tuis, et vias tuas dirige* (*Psal.* V); et quid sit quod dicimus orantes, *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Et, *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI). Quid etiam sit quod iterum commonemur, *Facite vobis cor novum et spiritum novum* (*Ezech.* XVIII); et quid sit illud quod repromittitur, *Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant* (*Ezech.* XI)? Quid sit quod præcepit Dominus dicens : *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias* (*Jerem.* IV)? et quid sit quod ipse Propheta a Domino postulat, dicens, *Cor mundum crea in me, Deus* Et iterum : *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L). Quid sit quod ad nos dicitur, [d] *Illuminate vobis lumen scientiæ* (*Ose.* X).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

definitioni simile decretum habetur in concilio Trident. his verbis (Sess. 6, *can.* 3) : *Si quis dixerit sine prævenientc Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

[a] Secunda objectio Collatoris, cujus præcipua vis est in illis verbis Apostoli : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* III). Nam præcedentia nihil aut parum ad rem faciunt. Ubi enim legit Collator, nisi apud Pelagianos, salutis nostræ summam nostro tribui arbitrio, cum econtrario Scriptura dicat : *Perditio tua ex te, Israel, ex me autem tantummodo salus* (*Ose.* XIII)? Illa autem promissio de fructibus terræ comedendis, quid ad gratiam et salutem spectat? Verba autem Apostoli Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 31) et Chrysostomus (*In Comment.*) ita exponunt, ut non sit solius volentis et currentis, scilicet hominis, gratiam et salutem consequi, sed miserentis Dei : quia voluntas non sufficit, nisi Dei gratia adjuvetur. Verum hæc solutio non satisfacit D. Augustino : *Si enim*, inquit, *recte dictum est : Non volentis hominis, sed miserentis est Dei, quia id voluntas hominis sola non implet ; cur non et econtrario recte dicitur : Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? quod nullus Christianus dicere audebit.* Ita Augustinus (*Enchir. cap.* 32). Etsi enim in currendo et volendo divinæ misericordiæ humanum cooperetur arbitrium, quia tamen ipsa gratia ducatum et principatum tenet, id in causa est cur non ita recte dicatur : Non est miserentis Dei, sed hominis currentis, sicut recte dicitur : *Non est volentis hominis, sed miserentis Dei.* Ideo subjungit Augustinus : *Restat ut propterea recte dictum intelligatur : Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et præparat juvandam, et adjuvat præparatam. Nam utrumque legitur in sanctis eloquiis : Et misericordia ejus prævenict me* (*Psal.* LVIII). *Et misericordia ejus subsequetur me* (*Psalm.* XXII). *Nolentem prævenit, ut velit ; volentem subsequitur, ne frustra velit.*

[b] Tertia objectio. Cui facile respondetur, Deum operari in nobis velle et perficere, quia gratia sua facit ut velimus, id est, bonum propositum habeamus, et illud exsequamur : nec tamen desinit esse opus nostrum, quod a voluntate nostra consentiente et cooperante divinæ gratiæ proficiscitur. Sic enim Deus operatur in nobis, ut et nos quoque cooperemur cum eo : *Volentes oramus,* ait Prosper (*Cap.* 38) ; *et tamen, Misit Deus Spiritum in corda nostra clamantem : Abba, Pater* (*Rom.* VIII). *Volentes loquimur ; et tamen, si pium est quod loquimur, Non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri, qui loquitur in nobis* (*Matth.* X). *Volentes operamur salutem nostram, et tamen ipsum velle atque operari, Deus est qui operatur in nobis* (*Philipp.* II). *Volentes diligimus Deum et proximum, et tamen charitas ex Deo est, diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V). *Hoc de fide, hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc de continentia virginali, omnibusque virtutibus, sine exceptione profitemur ; quod nisi donata essent nobis, non invenirentur in nobis.* Ad alias objectiones, quæ sequuntur, una est responsio superius reddita, quæ et sequenti capite explicatur, quibusdam sententiis comprobari et commendari gratiæ auxilium, quibusdam liberum hominis arbitrium ; quoniam utrumque ad opus bonum necessario requiritur, sic tamen ut priores et potiores partes gratiæ deferantur. Si enim solus Deus ista faceret quæ hic commemorantur, frustra diceretur hominibus : *Appropinquate Deo ; dirigite vias vestras ; facite vobis cor novum ; convertimini ad Deum,* etc. Et si homines ad ista sufficerent, frustra diceretur : *Converte nos, Deus salutaris noster. Cor mundum crea in me, Deus. Dirige in conspectu tuo viam meam,* etc. Itaque D. Prosper lib. de Vocatione gentium cap 26 : *Gratia quidem Dei,* inquit, *in omnibus justificationibus principaliter præeminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo : sed etiam voluntas hominis subjungitur ei quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut digne in se cooperetur operi, et incipiat exercere ad meritum quod superno semine concepit ad studium : de sua habens mutabilitate, si deficit ; de gratiæ opitulatione, si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur ; et quod a multis refutatur, ipsorum nequitiæ ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ.*

[c] Vulgata editio : *Dirige semitas pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur.*

[d] Vide hanc sententiam collat. 14 cap. 9 et 16 itidem citatam et elucidatam.

Et quid sit quod de Deo dicitur, *Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII) : Et, *Dominus illuminat cæcos* (*Psal.* CXLV); vel certe quod orantes dicimus cum A Propheta : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte* (*Psal.* XII); nisi quod [a] in his omnibus et gratia Dei et libertas nostri declaratur arbi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Non sic tamen, ut pares utriusque vires astruantur, ut hic Collator et Massilienses supponebant, quemadmodum notavit Prosper in epistola ad Augustinum his verbis : *Proferunt testimonia quibus divinarum Scripturarum cohortatio ad obediendum incitat hominum voluntates, qui ex libero arbitrio aut faciant quæ jubentur, aut negligant; et consequens putant, ut quia prævaricator ideo dicitur non obedisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit; et quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum : parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.* Sed juxta declarationem concilii Tridentini (*Sess.* 6 *c.* 5 *de justificatione*), *ut exordium justificationis in adultis, a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum sit, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis, vocantur : ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eam excitantem et adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur : ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris, cum dicitur : Convertimini ad me, et ego convertar ad vos* (*Zachar.* I, *Joel.* II), *libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus :Converte nos, Domine, ad te, et convertemur* (*Thren.* V), *Dei nos gratia præveniri confitemur.* Hæc ibi. Ut autem intelligatur quæ sit gratia Dei præveniens et excitans, a qua sumendum est nostræ salutis et justificationis exordium, et de qua potissimum in hac tota disputatione agitur, consentaneum omnino videtur aliqua scitu necessaria de gratia ejusque divisione seu partitione hoc loco subnotare. Primo igitur notandum, gratiam hic sumi pro dono seu beneficio Dei supernaturali et gratuito, ad salutem hominis procurandam ex meritis Christi collato. Unde *Gratia Christi*, seu *gratia per Jesum Christum* appellatur. Rom. VII: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum.* Non simpliciter dixit : *Gratia Dei*, sed *per Jesum Christum.* Et expressius ad Rom. III : *Justificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ubi non satis habuit Apostolus dicere : *Justificati gratis per gratiam ipsius*; sed addidit : *Per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,* id est, per meritum Redemptoris nostri Jesu Christi; ut significaret justificationem post lapsum Adæ non solum gratis seu gratuito dari, sed etiam indignis et peccatoribus; ac per hoc distingueret gratiam Christi a gratia Dei generalius sumpta, quæ non ex meritis Christi, sed ex sola Dei liberalitate, angelis et primis parentibus, non quidem indignis et peccatoribus, sed tamen non dignis nec merentibus in creatione collata est. Secundo loco, omissis aliis partitionibus gratiæ, quæ nostro instituto et tractatui non serviunt, notandæ sunt duæ partitiones gratiæ. Prior est, qua dividitur gratia in habitualem et actualem. Gratia habitualis est habitus seu qualitas quædam nobis a Deo infusa et animæ inhærens, qua formaliter justificamur, et ex peccatoribus justi efficimur. Unde et gratia gratum faciens, et gratia justificationis, et justitia, sive justificatio ipsa appellatur. De hac loquitur concilium Viennense sub Clemente V, et habetur in Clementina 1, de summa Trinitate, ubi approbat illorum sententiam qui dicunt infundi in baptismo tam parvulis quam adultis habitus gratiæ et virtutum. Et concilium Tridentinum sessione 6 cap. 7 definit justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem et renovationem hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Et paulo infra, eodem capite, addit in ipsa justificatione cum remissione peccatorum simul infundi fidem, spem, charitatem, eaque animæ inhærere. Et canone 11, definit justificationis gratiam non esse tantum externum Dei favorem, sed etiam charitatem Dei in corde diffusam eique inhærentem. Denique Catechismus Romanus ejusdem concilii mentem explanans in tractatu de sacramento baptismi : *Est,* inquit, *gratia, quemadmodum Tridentina synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio; sed divina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, ac lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, easque pulchriores et splendidiores reddit.* Porro actualis gratia, quæ alias dicitur gratia auxilii specialis, nihil est aliud quam motio divina, sive speciale auxilium Dei, quo homo ad actus supernaturales exercendos movetur et adjuvatur, cujusmodi actus potissimum sunt credere, sperare, diligere et pœnitere, sicut oportet, ut nobis justificationis gratia conferatur : ut concilium Tridentinum docuit, et, ante illud, concilium Milevitanum et Arausicanum. Motio divina dicitur, ut distinguatur a gratia habituali, et ab aliis virtutibus et habitibus infusis. Hæc enim gratia, seu auxilium speciale, non est habitus infusus aut qualitas nobis inhærens, sed actio qua Deus hominem movet ad bene operandum vel cum eo operatur. Dicitur autem auxilium speciale, ut distinguatur ab auxilio et concursu generali quo Deus concurrit cum homine, sicut cum aliis causis secundis, ad actiones ejus naturales, seu quæ vires naturæ ejus non superant, ut sunt in homine intelligere, et appetere res humanas. Ad actus enim supernaturales requiritur auxilium quoddam supernaturale, et speciale, quo elevetur homo supra facultatem naturæ, quod solus Deus præstare potest juxta illud : *Gratiam et gloriam dabit Dominus* (*Psal.* LXIX). De hac porro actuali gratia frequens est sermo in Scripturis, conciliis et Patribus. Illa enim verba Joan. VI : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum,* et illa Thren. V : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur,* quid aliud quam actualem Dei gratiam significant? Quidquid etiam concilium Tridentinum, et alia antiquiora, et D. Augustinus sæpissime docent de divina vocatione, inspiratione, illustratione, et interna motione, unctione, doctrina, et inclinatione voluntatis, ad hanc gratiam actualem pertinet. Denique de hac actuali gratia, ut dictum est, potissimum in hac collatione agitur. In hac enim consistit tota difficultas controversiæ et disputationis, tam de necessitate gratiæ ad omne opus bonum, quam de concordia ejusdem et concursu cum libero hominis arbitrio. Nulla enim de gratia habituali, sed de actuali tantum, sive auxilio speciali, inter Augustinum ejusque discipulos et Pelagium ejusque sequaces aut fautores Semipelagianos fuit contentio. Omissa igitur habituali gratia, actualis ulterius distinguitur in excitantem et adjuvantem. Excitans gratia, sive auxilium, nihil aliud est quam interior aliqua Spiritus sancti illuminatio et inspiratio, qua Deus cor hominis pulsat, illudque excitat, ut convertatur, vel ad fidem, vel ad pœnitentiam, vel ad amorem, aut alium quemlibet actum supernaturalem exercendum. Hoc constat ex dicto concilio sess. 6 cap. 5 et 6, et can. 3 et 4, ubi hoc auxilium nunc prævenientem Spiritus sancti inspirationem, nunc excitantem gratiam, nunc tactum

trii,[a] et quia etiam suis interdum motibus homo advertutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adjuvari. Nec enim cum voluerit quis sanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur. Quid autem prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impartiat? [b] Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam

A bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens : *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII).

CAPUT X.

De liberi arbitrii infirmitate.

Nam [c] libertatem Scriptura divina nostri confir-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

divinum per Spiritus sancti illuminationem, nunc divinam vocationem appellat. Dicitur enim excitans, quia veluti fungitur munere excitantis voluntatem nostram a somno peccati aut negligentiæ; et sicuti excitatio fit sine consensu dormientis, sic etiam agit gratia excitans sine nostra libertate. Unde et prævenions appellatur, quia prævenit omnem consensum B nostrum liberum; et operans, vel potius, ut Augustinus loquitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur, id est, sine nostro libero et deliberato consensu. Gratia autem adjuvans est ipsa divina cooperatio, directio, protectio (de qua titulus hujus collationis), quibus juvamur, tum ut eligamus et velimus, tum ut faciamus quod Deus prævenions inspiravit. Unde et cooperans et concomitans eadem nominatur, quia et nobiscum operatur, et nostrum consensum comitatur. Hinc Apocalypsis III ait Dominus : *Ego sto ad ostium, et pulso.* Ubi significatur prima gratia prævenions et excitans. Stare enim ad ostium et pulsare dicitur Deus per sanctam inspirationem, id est, illustrationem intellectus, et motionem voluntatis, quod ad gratiam excitantem pertinet. Secunda autem gratia adjuvans et cooperans, quæ jam ab eo incipit momento quo quis excitatus vocanti se Deo libere respondet, his denotatur verbis : *Si quis aperuerit januam, intrabo ad illum, et* C *cœnabo,* non solus, sed *cum eo.* Utraque etiam gratia significatur illa oratione Ecclesiæ: *Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere,* etc. Denique concilium Tridentinum utramque complectitur (*Sess.* 6 *cap.* 6), cum de præparatione ad justificationem agens : *Disponuntur,* inquit (scilicet peccatores adulti), *ad justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, fidem ex auditu concipientes,* etc. Utramque igitur gratiam agnoscunt catholici necessariam ad justificationem et salutem consequendam; neutram Pelagiani; priorem tantummodo ex parte Semipelagiani, ut ex dictis constat. Et hactenus quidem de gratia. De libero autem arbitrio, dicetur infra (*Cap.* 10), quod ad præsens institutum satis esse videbitur.

[a] Hoc jam satis ex dictis manet refutatum, et repugnat manifeste generali illi definitioni ipsius Collatoris (*Cap.* 3), qua dictum est, non solum actuum, sed et cogitationum bonarum ex Deo esse principium, quod etiam Prosper hic objicit. His adde præclaram hanc D. Bernardi sententiam (*Lib. de Gratia et Lib. Arbit.*) : *Conatus liberi arbitrii et cassi sunt, si non adjuventur; et nulli, si non excitentur.* Quibus verbis comprehenditur utraque gratia, excitans et adjuvans, superius declarata.

[b] Hic rursus sibi adversatur, suamque illam assertionem destruit Collator, abutiturque verbis Apostoli; quasi illud velle (id est, bonam voluntatem) habuerit Apostolus per naturæ bonum, hoc est, ex naturali facultate, qui profitetur ex Deo sibi esse sufficientiam, hoc est, facultatem etiam cogitandi dumtaxat.

[c] De libero arbitrio duo hic traduntur, quæ sunt certa fide tenenda : primo ejus libertas in homine, etiam post peccatum; secundo ejus infirmitas, seu *imbecillitas,* et impotentia ex peccato contracta, ad *bene operandum,* absque gratia Dei. Cui doctrinæ ex diametro repugnant duo errores contrarii, alter Manichæorum, alter Pelagianorum, Manichæi enim liberum arbitrium de medio tollebant, quos hodie Lutherani et Calvinistæ sequuntur; Pelagiani vero nimium extollebant, et plus illi quam gratiæ Dei tribuebant. Verum hæc ut commodius intelligantur, sunt hic aliqua notanda : 1° Liberum arbitrium secundum rem nihil aliud esse quam voluntatem rationalem, seu intellectualem, quamvis ejus radix et origo ab intellectu et perfecto rationis usu oriatur. Unde communiter vocatur liberum voluntatis arbitrium, aut libera voluntas. Hinc Augustinus in Enchiridio (*Cap.* 105) : *Aut voluntas,* inquit, *non est : aut libera dicenda est.* Et Damascenus (*Lib.* I *de Fide cap.* 22) definit voluntatem esse rationalem et liberum appetitum. Quod latissime omnium declarat probatque D. Bernardus libro de Concordia gratiæ et liberi arbitrii. Græci brevius et significantius dicunt αὐτεξούσιον, quod est sui ipsius, vel sui juris, habere potestatem, suarumque actionum esse dominum. Hinc D. Hieronymus lib. III adversus Pelagianos : *Quod Græci,* inquit, *dicunt* αὐτεξούσιον, *nos liberum arbitrium appellamus.* Ut autem intelligatur qua libertate dicatur liberum arbitrium, notanda secundo duplex divisio libertatis. Dividitur primo in libertatem naturæ, gratiæ, et gloriæ. Quæ divisio est D. Bernardi loco citato : *Triplex,* inquit, *nobis est proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione natura. In primam reformamur a gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primo nempe in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditi sumus nobilis Dei creatura; secundo reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura; tertio sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiam virtutis, novissima cumulum etiam jucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animalibus; in secunda carnem; per tertiam mortem subjicimus.* Ita D. Bernardus. Ex quibus intelligimus liberum arbitrium dici non a libertate gratiæ, quæ est libertas a peccato, neque a libertate gloriæ, quæ est libertas a miseria, sed a libertate naturæ. Quæ rursus dividitur in a libertatem a coactione, et libertatem a necessitate. Libertas a coactione est vis quædam qua voluntas non potest cogi. Libertas a necessitate est qua voluntas potest ex pluribus unum quodlibet eligere, et nullum necessario. Ad liberum autem arbitrium proprie pertinet libertas a necessitate, ut dictum est, non libertas a coactione. Nam homo appetit beatitudinem non coacte; nec tamen libere, quia necessario : et pecora necessario appetunt cibum, non coacte; nec tamen libere, quia carent libero arbitrio. Est igitur alia libertas a coactione, alia a necessitate. Neque vero requiritur ut sit voluntas libera ad elingendum bonum vel malum; nam hujusmodi libertas consequitur tantum diversos status liberi arbitrii. Alias enim vires habuit in statu innocentiæ, alias in statu peccati, alias in statu gratiæ, et alias in statu gloriæ : et posse eligere malum non perfectio, sed imperfectio dicenda est libertatis; proinde non solum Deo non convenit, sed nec an-

mat arbitrii, dicens : *Omni custodia serva cor tuum* (*Prov.* IV). Sed infirmitatem ejus Apostolus manifestat dicens : *Dominus custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu* (*Philip.* IV). Virtutem liberi arbitrii David enuntiat, dicens : *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII). Sed infirmitatem ejus idem orans similiter docet, *Inclina*, inquiens, *cor meum in testimonia tua et non in avaritiam* (*Ibid.*). Salomon quoque ait : *Inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus, et judicia ejus* (III *Reg.* VIII). Potestatem designat arbitrii nostri Psalmographus dicens : *Cohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum* (*Psal.* XXXIII). Infirmitatem ejus nostra protestatur oratio dicentibus nobis : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psal.* CXL). Arbitrii nostri facultas a Domino declaratur cum dicitur, *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isaiæ* LII). Fragilitatem ejus propheta decantat [*Lips. in marg.* denuntiat], dicens : *Dominus solvit compeditos* (*Psal.* CXLV). Et, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV). Audivimus in Evangelio Dominum convocantem ut ad eum properemus per liberum arbitrium : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Sed infirmitatem ejus idem Dominus protestatur, dicens : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum* (*Joan.* VI). Apostolus liberum arbitrium nostrum incitat, dicens : *Sic currite ut comprehendatis* (I *Cor.* IX). Sed infirmitatem ejus Joannes Baptista testatur cum ait : *Non potest homo accipere a se quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo* (*Joan.* III). Jubemur animas nostras sollicite custodire', dicente propheta : *Custodite animas vestras* (*Jerem.* XVII). Sed eodem spiritu alius proclamat propheta : *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI). Apostolus Philippensibus scribens, ut liberum eorum designet arbitrium, *Cum metu et tremore*, inquit, *vestram salutem operamini* (*Phil.* II). Sed ut infirmitatem ejus ostendat, adjungit, dicens, *Deus est enim*, inquit, *qui operatur in vobis, et velle et perficere pro bona voluntate* (*Ibid.*).

CAPUT XI.

Utrum bonam voluntatem nostram sequatur, an præcedat gratia Dei.

Et ita sunt hæc quodammodo indiscrete permixta atque confusa, [a] ut quid ex quo pendeat inter multos magna quæstione volvatur, id est, utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

gelis, nec hominibus beatis; sicut e diverso posse eligere bonum dæmonibus et damnatis non convenit, qui tamen libero pollent arbitrio. Hinc D. Augustinus (*Lib.* XXII *de Civit. c.* 30) de hac arbitrii varietate pro diversitate status cujusque agens : *Non ideo*, inquit, *liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum a delectatione peccandi usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem liberatum. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum conditus est rectus, potuit non peccare; sed potuit et peccare : hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit*, etc. His præmissis ac prænotatis, statuendæ sunt duæ propositiones ad elucidationem hujus cap., immo et totius collationis et disputationis de gratia et libero arbitrio necessariæ. 1° Adam liberi arbitrii a Deo conditus fuit potuitque in statu innocentiæ bene et male agere. Testatur id apertissime sacra Scriptura. Ecclesiastici XV : *Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui; adjecit mandata et præcepta sua*, etc. Idemque colligitur ex illis verbis Genesis I : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus*, etc. Imaginem siquidem Dei in homine tum aliis rationibus, tum maxime libertati arbitrii ascribunt Patres. Sic Damascenus lib. II de Orthod. Fide c. 12 : *Hominem*, inquit, *ad imaginem Dei esse, significat ipsum esse intellectualem; et liberi arbitrii*, αὐτεξούσιον. 2° Post lapsum primi hominis, liberum arbitrium, licet debilitatum et sauciatum sit, non tamen amissum aut exstinctum est. Omissis sacræ Scripturæ et SS. Patrum auctoritatibus innumeris, quas apud cardinalem Bellarminum et alios controversiarum tractatores lector requirat, sufficerit nobis Ecclesiæ definitio in concilio Tridentino expressa (*Sess.* VI *c.* 5), ubi primum *definitur homines, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque ad juvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponi : ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.* Et rursus canone 4 anathema dicitur, *si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit : sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere.* Et canone sequenti eodem anathemate percellitur, *qui liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re.* Atque hæc duo sunt fidei capita quæ de libero hominis arbitrio in hoc cap. traduntur, ut superius dictum est. Quæ tametsi vera sint, ac certissimis Scripturæ testimoniis confirmata, falsa tamen est conclusio, quam ex his intendit Auctor, nimirum arbitrium nostrum sic esse liberum, ut ad bonum et malum pari aut sufficienti polleat facultate, nec egeat gratiæ subsidio, nisi ad perficiendum id quod incœperit, non ad volendum et inchoandum; cum ex iisdem Scripturis gratiæ necessitas ad utrumque certissime comprobetur.

[a] Inter Pelagianos quidem, aut Semipelagianos, at non inter catholicos, quibus pro confesso et indubitato est omne initium bonæ voluntatis a Deo provenire, ut superius ostensum est. Triplex autem error et absurditas hic committitur. Primus, quia pariter condemnantur et errare dicuntur tam qui voluntatem bonam ex Dei fatentur nasci misericordia, ut catholici; quam qui e contrario asserunt gratiam ex bona pendere voluntate, ut Pelagiani. Secundus, quod nihilominus utraque sententia suscipienda decernitur, dum unius in Matthæo et Paulo, alterius in Zachæo et latrone exemplum et specimen prætenditur; quasi e duobus malis unum bonum, e duobus mendaciis una veritas confici et coalescere possit. Tertius, quod alterius partis, utpote erroneæ et Pelagianæ, exempla proposita sint falsa et erronea, ut ex sequentibus patet.

Deus; an quia Deus miseretur, consequamur bonæ voluntatis initium? Multi enim singula hæc quærentes ac justo amplius asserentes, variis sibique contrariis sunt erroribus involuti. Si enim dixerimus nostrum esse bonæ principium voluntatis, quid fuit in persecutore Paulo, quid in publicano Matthæo, quorum unus cruori ac suppliciis innocentum, alius violentiis ac rapinis publicis incubans attrahitur ad salutem? Sin vero gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, [a] quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis cælestibus inferentes, specialia vocationis monita prævenerunt? Consummationem vero virtutum et exsecutionem mandatorum Dei, si nostro deputaverimus arbitrio, quomodo oramus: *Confirma, Deus, hoc quod operatus est in nobis* (*Psal.* LXVII); et, *Opera manuum nostrarum dirige super nos* (*Psal.* LXXXIX)? Scimus [b] ad maledicendum Israeli Balaam fuisse conductum (*Num.* XXII), sed videmus maledicere cupienti non fuisse permissum. Custoditur Abimelech, ne Rebeccam tangens peccet in Deum (*Genes.* XX). Joseph fratrum livore distrahitur, ut descensio filiorum Israel in Ægyptum fieret, et illis de germani nece tractantibus, futuræ famis remedia pararentur. Quod idem Joseph a fratribus agnitus manifestat, dicens: *Nolite pavere, nec durum vobis videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos.* Et infra: *Præmisit enim me Dominus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum possitis habere. Non vestro consilio, sed voluntate Dei huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum totius domus ejus, et principem in terra Ægypti* (*Genes.* XLV). Et cum post obitum patris formidantibus fratribus suspicionem timoris auferret: *Nolite*, inquit, *timere; numquid Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis adversum me malum, et Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut impræsentiarum cernitis, et salvos faceret populos multos* (*Genes.* L). Quod etiam beatus David œconomice tunc factum in psalmo centesimo quarto similiter declarat, dicens: *Et vocavit famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum, in servum venumdatus est Joseph.* Hæc duo, id est, vel gratia Dei, vel liberum arbitrium, sibi quidem invicem videntur adversa, sed utraque concordant, et [c] *utraque nos* pariter debere suscipere, pietatis ratione colligimus, ne unum horum homini subtrahentes, ecclesiasticæ fidei regulam excessisse videamur. Nam [d] cum viderit nos Deus ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit atque confortat. *Ad vocem* enim *clamoris tui statim ut audierit respondebit tibi* (*Isaiæ* XXX). Et *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis tuæ, et eruam te, glorificabis me Ps.* XLIX). Et rursus si nos nolle vel intepuisse perspexerit, adhortationes salutiferas admovet cordibus nostris, quibus voluntas bona vel reparetur vel formetur in nobis.

CAPUT XII.

Quod voluntas bona nec semper gratiæ, nec semper sit homini tribuenda.

[e] Nec enim talem Deus hominem fecisse creden-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Respondet Prosper et fidem Zachæo, et latroni pietatem a Deo fuisse inspiratam, et utrumque divina vocatione præventum. *Qui enim illuxit in corde Matthæi publicani, et Pauli tunc Ecclesiam persequentis, ipse et in corde Zachæi et in corde crucifixi latronis illuxit; non enim Domini vox otiosa fuit cum Zachæum, qui quærebat videre eum, quis esset, compellare dignatus est dicens: Zachæe, festinans descende quia hodie in domo tua oportet me manere. Et non præparavit sibi ejus animum, cujus elegit hospitium?*

[b] Vide collat. 24 cap. 17.

[c] Non ita tamen, ut in quibusdam hominibus voluntas gratiam, in aliis gratia præveniat voluntatem; sed ut in omnibus voluntas gratiam subsequatur. Alioqui enim si auferatur liberum arbitrium cum a gratia prævenitur, auferatur etiam gratia cum a libero arbitrio prævenitur; sicque alterum homini subtrahatur. Porro circa hunc locum a D. Antonino relatum Petrus Maturus sæpius a me citatus (*Ubi supra cap.* III) hæc annotavit: *Joannes Cassianus, Chrysostomi auditor, medium se statuens inter eos qui cum catholicis affirmant nos Dei gratia præveniri, et inter eos qui cum Pelagianis asserunt nos Dei gratiam prævenire, docuit quosdam sua voluntate divinam gratiam antevertere, quorumdam vero voluntates a divina gratia præverti. Prosper Rhegiensis episcopus adversus hanc Cassiani opinionem disputavit peculiari volumine, cui titulus est de Libero Arbitro, Sixtus Senens. lib.* VI *Biblioth. annot.* 183. *Prosperi sententiam confirmant Augustinus in lib. de Prædest. Sanct. c.* 2, *et lib.* II *contra duas epistolas Pelagianorum c.* 9, *et lib. de Prædest. et Gratia cap.* 10, *et lib. de Ecclesiæ Dogmatibus c.* 44; *et Fulgentius de Incarnatione et Gratia Christi c.* 18; *D. Thomas in* 1-2, *q.* 109, *art.* 9, *et* 2-2, *q.* 6, *a.* 1; *et ipse D. Antoninus in* IV *part. Summæ tit.* 9, *c.* 5, § 4, *et c.* 6 § 1. *Quod etiam in concilio Trident. sess.* 6 *c.* 5 *definitum est, et can.* 3. *Idem etiam concilium Arausicanum* II, *c.* 6, *et Milevitanum, c.* 5, *ante statuerunt.* Hæc ipse.

[d] Hoc commentum superius (*Cap.* 8 *et* 9) aliis atque aliis verbis inculcatum et refutatum est: quod et ab ipso Pelagio damnatum asserit Prosper in concilio Palæstino in causa ipsius congregato.

[e] Plures itidem absurditates hic notari possunt. Primo quia imperite allegat exemplum Adami, quem constat rectum et omni vitio carentem a Deo creatum fuisse; cum hic non agatur de libero arbitrio in statu innocentiæ et naturæ integræ, sed in statu naturæ corruptæ per peccatum Adami. Nam debilitas, seu imbecillitas liberi arbitrii non est ex prima institutione naturæ, sed ex peccato contracta. Secundo male ratiocinatur Collator hoc modo: Si homo non possit velle bonum ex se, ergo caret libero arbitrio. Negatur consecutio. Sufficit enim ad libertatem arbitrii quod hoc possit, suppositis supponendis, nempe auxiliis divinæ gratiæ, quæ omnibus præsto sunt, ut superius ipsemet professus est (*Cap.* 8). Alioquin eodem argumento colligeretur non solum ad incipiendum, sed nec ad perficiendum gratia Dei indigere, contra ipsum Collatorem. Tertio perperam etiam produxit, ad probandam arbitrii libertatem et facultatem, textum illum Geneseos: *Ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis, sciens bonum et malum* (*Genes.* III). Quasi diabolus Adæ vera prædixerit et promiserit, et his verbis significetur quid Adam per peccatum consecutus sit, et non potius quid amiserit: cum hæc verba secundum communem sensum tractatorum, id est, interpretum, per ironiam dicta censeantur; ut intelligeretur quanta derisione et ludibrio dignus esset Adam, *qui non solum*

dus est, qui nec velit umquam nec possit bonum. Alioquin nec liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodo malum ut velit et possit, bonum vero a semetipso nec velle nec posse concessit. Et quomodo stabit illa Domini post prævaricationem primi hominis lata sententia : *Ecce Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum et malum* (*Genes.* III)? Non enim talis ante fuisse putandus est, qui boni esset prorsus ignarus; alioquin velut quoddam irrationabile atque insensatum animal eum fatendum est fuisse formatum. Quod satis absurdum atque a catholica fide omnimodis alienum est. Quinimmo, secundum sapientissimi Salomonis sententiam, *fecit Deus hominem rectum*, id est, ut tantummodo boni scientia jugiter frueretur, *sed ipsi quæsierunt cogitationes multas* (*Eccle.* VII); facti enim sunt (ut dictum est) scientes bonum et malum. Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat scientiam mali, boni vero quam acceperat scientiam non amisit. Denique non amisisse humanum genus post prævaricationem scientiam boni, etiam Apostoli sententia evidentissime declaratur, qua dicit : [a] *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, hi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; testimonium reddente illis conscientia et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Deus occulta hominum* (*Rom.* II). Quo sensu etiam Dominus per prophetam increpat Judæorum non naturalem, sed voluntariam cæcitatem, quam ipsi sibi contumaciter inferebant : *Surdi*, inquit, *audite; et, cæci, intuemini ad videndum.* [b] *Quis surdus nisi servus meus, et cæcus nisi ad quem nuntios meos misi* (*Isaiæ* XLII)? Et ne forte hanc eorum cæcitatem aliquis naturæ, non voluntati possit ascribere, alibi ait : *Educ foras populum cæcum et oculos habentem, surdum et aures ei sunt* (*Isaiæ* XLIII). Et iterum : *Qui habentes*, inquit, *oculos, non videtis, et aures, et non auditis* (*Ezech.* XIV). Dominus etiam in Evangelio : *Quia videntes*, inquit, *non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt* (*Matth.* XIII). Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ, dicens, *Auditu audietis, et non intelligetis, et videntes videtis, et non videbitis; incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos concluserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem illos* (*Isaiæ* VI). [c] Denique ut possibilitatem boni eis inesse designaret, increpat Pharisæos : *Quid autem*, inquit, *etiam ex vobis ipsis non judicatis quod bonum est* (*Luc.* XII)?

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

non fuerit factus qualis esse voluit, sed nec illud quod factus fuerat conservavit. Ita D. Augustinus lib. XI de Genesi ad litteram cap. 39. Quarto in ipsa conclusione peccavit Auctor, quia falsam conclusionem ex falso intellectu Scripturæ intulit dicens : *Concepit ergo Adam post prævaricationem, quam non habuerat, scientiam mali; boni vero quam acceperat scientiam non amisit. Quorum utrumque falsum est, quia et a quanto malo Adam cavere deberet, Deo præmonente, didicerat; et in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est.* Ita Prosper. Poterat quidem illa conclusio verum habere sensum, si de scientia experimentali, quam vocant, intelligeretur, qua post prævaricationem experiendo cognovit Adam discrimen inter bonum, quo ante lapsum fruebatur, et malum, quod peccando incurrit; atque inde cœpit habere scientiam boni et mali : qua ratione docent plerique dictam esse arborem scientiæ boni et mali, ab eventu nimirum, et ex eo quod esum ejus consecutum est. At hunc sensum non spectavit Auctor, neque D. Prosper, quod ad propositum non faceret.

[a] Duplex est expositio hujus sententiæ a Patribus tradita. Quidam enim exponunt de gentilibus ad fidem Christi jam conversis. Ita D. Ambrosius in Commentariis. Alii de gentilibus et infidelibus qui Christum prorsus ignorantes solo naturali lumine ducebantur. Ita Chrysostomus et alii Patres Græci, et ex Latinis Hieronymus ad Algasiam (*Epist.* 151 *q.* 8). Utramque expositionem refert Augustinus lib. de Spiritu et Littera cap. 28, sed priorem magis probat. Utramque etiam admittere videtur D. Prosper in hunc locum; sed neutram ostendit favere Collatori, qui hinc colligebat scientiam boni, seu lumen naturale, per se sufficere ad bene operandum, et proinde posse esse ex nobis initia virtutum et bonorum operum, absque auxilio gratiæ. Non primam, quia non dicuntur fideles ea quæ legis sunt facere, id est, legis præcepta servare, naturaliter, id est, ex viribus naturæ, sed, ut exponit Augustinus, naturaliter, id est, natura per gratiam reformata et restaurata (*August. contra Julian. lib.* IV *cap.* 3), vel, ut S. Thomas, naturali lege, et duce ratione, non tamen exclusa gratia. Non secundam, quia quamvis admitti possit gentiles sine fide et gratia posse aliquod bonum morale perficere, et aliqua legis præcepta servare; non tamen omnia, etiam secundum substantiam operis, cum Scriptura passim doceat legis observationem tribuendam esse gratiæ Dei. Ezech. XXXVI : *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Neque aliud significare voluit Apostolus, quam gentiles, quamvis sine lege essent, scripta videlicet in tabulis, non tamen omnino sine lege esse : quandoquidem ex eo quod interdum faciunt ex dictamine rationis, ostendunt se habere legem naturæ scriptam in cordibus suis, quæ tamen per se non sufficit ut id omne quod faciendum noverimus, etiam facere diligamus. Nam ut eleganter ait D. Bernardus (*Lib. de Gratia et Lib. Arbit.*), *non est ejusdem facultatis scire quid faciendum sit, et facere; quoniam et diversa sunt cæco ducatum, ac fesso præbere vehiculum. Et poeta : Video, inquit, meliora, proboque : deteriora sequor. Hinc servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, vapulabit plagis multis*, Luc. XII. *Et sapientes hujus sæculi merito damnati, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis*, etc. Rom. I.

[b] At non sic arguuntur et increpantur surdi et cæci, quasi ex facultate naturæ possint vel aures ad audiendum aperire, vel oculos ad videndum, cum scriptum sit : *Dominus illuminat cæcos* (*Psal.* CXLV). Et, *Mane erigit mihi aurem* (*Isaiæ* L); sed quia divinam illustrationem et apertionem nolunt admittere eique cooperari, sed in sua cæcitate et surditate perdurare. Unde excæcati et obdurati dicuntur.

[c] Huic assertioni jam paulo ante responsum est, qua non solum voluntatem boni, sed etiam possibilitatem, id est, facultatem, libero tribuit arbitrio; quasi vero idem sit, naturali judicio quod justum est posse discernere, et illud opere præstare et exsequi; scire quid faciendum sit, et facere: et tamquam hæc ab eis intelligentia naturalis exigatur, ut ex ea cognitione quod justum est exsequantur.

Quod utique eis non dixisset, nisi eos judicio naturali id quod æquum est scisset posse discernere. Unde cavendum est nobis ne ita ad Dominum omnia sanctorum merita referamus [a], ut nihil nisi id quod malum atque perversum est humanæ ascribamus naturæ. In quo quidem sapientissimi Salomonis, immo Domini, cujus hæc verba sunt, testimonio confutamur. Ita enim cum consummata templi exstructione oraret, effatus est : *Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel, et ait Dominus Deus ad David patrem meum : Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti hoc ipsum mente tractans ; veruntamen non tu ædificabis domum nomini meo* (III *Reg.* VIII). Hæc ergo [b] cogitatio atque iste tractatus regis David, utrumne bonus et ex Deo, an malus et ab homine fuisse dicendus est? Si enim bona atque ex Deo fuit illa cogitatio, cur ab eo a quo inspirata est, eidem negatur effectus? Si autem mala et ex homine fuit, cur laudatur a Domino? Restat ergo ut et bona et ex homine fuisse credatur. In quem modum etiam nostras quotidie cogitationes possumus judicare. Neque enim aut soli David bonum ex semetipso cogitare concessum est, aut nobis ne quid boni umquam sapere aut cogitare possimus, naturaliter denegatur. [c] Dubitari ergo non potest inesse quidem omnia animæ natu-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Immo contra cavendum nobis est, ne sic aliquod bonum naturæ ascribamus humanæ, ut non omnia sanctorum merita in Deum referamus. Sic enim definivit Cœlestinus I in epistola superius citata (*Cap.* 8), ex sententia Innocentii prædecessoris sui : *Quod omnia studia et omnia opera ac merita sanctorum ad Dei gloriam laudemque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat* [Al. *placuit*], *nisi ex eo quod ipsi donaverit.* Et clarius id expressit concilium Tridentinum his verbis (*Sess.* VI *c.* 16) : *Licet bonis operibus in sacris litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede carituruni* (*Matth.* IX *et* X); *et Apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis* (II *Cor.* IV); *absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidat vel glorietur ; et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* Hæc synodus. Quæ postrema verba sumpta sunt ex Augustino epistola 105 et aliis locis. Graviter poro invehitur Prosper in istam Collatoris sententiam, ut et Pelagianam et blasphemam eam pronuntiet : *Qui enim*, inquit, *evidentius, quid expressius secundum Pelagii Cœlestiique commentum ab ullo discipulo potuit definiri? Illi dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari, et ideo* [Al. *iidem*] *dicent gratiam Dei non ad singulos actus dari. Hic intra unam sententiam blasphemiam utramque conclusit dicens : Cavendum nobis esse, ne ita ad Deum omnia sanctorum merita referamus, ut nihil, nisi quod malum atque perversum est, humanæ ascribamus naturæ. Vult ergo esse multa propria hominum merita, quæ non sunt gratiæ largitate collata, quibus ad augendas naturales divitias quædam desursum munera debeantur. Vult nos gratiam Dei non ad singulos actus recipere, ac proinde non pro omni bono opere semper orare*, etc.

[b] Cogitationem, sive consilium aut tractatum regis David de ædificando templo fuisse bonum, et a Deo inspiratum, nulla ratione dubitari potest, cum opus esset ex se pium et honestum, et recta ejus intentio. Neque obstat quod ejus effectus seu exsecutio ob certas rationes fuerit ei denegata et filio ejus Salomoni reservata. Nam id non infrequens est, aut insolitum, ut probat Prosper duplici exemplo, altero e Scriptura petito, altero ex usu et praxi Ecclesiæ. Scriptura namque commemorat Apostolos, cum ardentissime vellent Evangelium omnibus gentibus prædicare, tamen non potuisse loqui verbum in Asia; et cum tentarent ire in Bithyniam, prohibitos fuisse a Spiritu Jesu (*Actor.* XVI). Quis eorum bonam voluntatem, et a Deo dubitet inspiratam, qui tamen eam noluit tunc temporis exsecutioni mandari? Sic Ecclesiæ bona est voluntas, et pium desiderium, dum quotidie pro omnibus inimicis suis, id est, *infidelibus orat*, ut convertantur ; et tamen pro multis id non impetrat. His adde duo alia exempla similia. Bona fuit voluntas Abrahæ *volentis immolare* filium suum, ut Deo obediret ; et tamen ejus exsecutio impedita (*Genes.* XXII). Sic bona fuit voluntas Pauli apostoli, qua tertio Dominum rogavit ut auferretur a se stimulus carnis qui eum colaphizabat ; et hoc tamen non obtinuit, dicente Domino : *Sufficit tibi gratia mea* (II *Cor.* XII).

[c] Refellit etiam D. Prosper hanc sententiam ; quæ tamen a SS. Patribus non raro usurpatur, sed alio sensu. Nam virtutum semina nobis naturaliter insita significare videntur S. Antonius apud Athanasium (*In Vita S. Antonii*) in exhortatione ad fratres habita, et Basilius homil. 9 in Hexaemeron, et in Regulis fusius disput. cap. 2. Eamdem expressius admittunt Chrysostomus homil. 2 in Epist. ad Ephesios : *Vides*, inquit, *quod ad ipsa natura habemus indita ad virtutem seminaria ; quæ vero malitiæ sunt, præter naturam sunt.* Hieronymus in cap. I ad Galatas : *Multi*, inquit, *absque fide, vel Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non apprimant vicinos, aliena non diripiant, magisque obnoxii ideirco judicio Dei fiant, quod habentes in se principia virtutum, et Dei semina, non credunt in eo sine quo esse non possunt.* Damascenus lib. III Orthod. Fid. cap. 14 : *Naturales sunt virtutes, et naturaliter, et æque in omnibus insunt, etsi non omnes æque operemur ea quæ sunt naturæ.* Verum aliter et magis proprie Patres isti virtutum semina acceperunt, quam Cassianus, quem Prosper impugnat. Nam semina virtutum, si proprie accipiantur, nihil sunt aliud quam lumen intellectus practici, et inclinatio voluntatis ad bonum prosequendum, et malum fugiendum, ut docet S. Thomas 1-2, q. 63 (*art.* 1 *et* 2). Atque hoc modo verum est semina virtutum inesse omni animæ rationali, et remansisse etiam post peccatum, nec posse penitus in homine aboleri ; cum sint prima et immobilia quædam principia rationis practicæ, quæ D. August. lib. II de Libero Arbitrio vocat *principia et lumina virtutum.* Sicut enim in intellectu speculativo certa quædam principia natura indidit, quæ philosophi vocarunt axiomata, seu dignitates, et maximas, quas nullus negare potest ; ut, *nihil simul esse et non esse, totum majus esse sua parte*, etc. ; ita etiam in intellectu practico sunt certa et omnibus nota quædam principia, quæ non aliud sunt quam de finibus humanis certa quædam judicia : ut, *beatitudinem esse appetendam, studendum sapientiæ, juste vivendum, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, postponenda deteriora melioribus*, et his similia. Cujusmodi judicium intellectus practici S. Thomas ex Hieronymo, et aliis antiquioribus, synderesim vocat ; alii apicem, et sublime mentis, quod semper inviolatum manet et incorruptum, quantumvis homo falsis opinionibus et pravis affectibus sit corruptus. At vero Cassianus per semina virtutum intellexit semina veræ pietatis, id est, bonas cogitationes, et pia de-

raliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta; sed nisi hæc opitulatione Dei fuerint excitata, ad incrementum perfectionis non poterunt pervenire, quia secundum beatum Apostolum, *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementem dat Deus* (I *Cor.* III). Adjacere autem homini in quamlibet partem, arbitrii libertatem, etiam [a] liber ille (qui dicitur Pastoris) apertissime docet, in quo [b] duo angeli unicuique nostrum adhærere dicuntur, id est, bonus ac malus, in hominis vero optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam Dei possit vel [c] negligere vel amare. Non enim præcepisset Apostolus, dicens : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini* (*Philip.* II), nisi scisset eam vel excoli a nobis posse, vel negligi. Sed ne crederent se ad opus salutis divino auxilio non egere, subjungit : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate* (*Ibid.*). Et idcirco Timotheum monens : *Noli*, inquit, *negligere gratiam Dei quæ est in te* (I *Tim.* IV). Et iterum : *Ob quam causam moneo te, ut resuscites gratiam Dei quæ est in te* (II *Tim.* I). Inde est quod etiam Corinthiis scribens hortatur et commonet ne indignos se gratia Dei infructuosis operibus exhiberent, dicens : *Adjuvantes autem et obsecramus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (II *Cor.* VI). Quam sine dubio quia in vacuum receperat Simon, non profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Non enim præceptis beati Patri maluit obedire, dicentis, *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, et ora Deum si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse* (*Actor.* VIII). Prævenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini, de qua dicitur : *Deus meus, misericordia ejus prævenict me* (*Psal.* LVIII). Et rursus, Dominum remorantem atque utiliter quodammodo subsistentem, ut nostrum experiatur arbitrium, voluntas prævenit nostra, cum dicitur : *Et* [d] *mane oratio mea prævenict te* (*Psal.*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

sideria, initia etiam fidei, et aliarum virtutum, quibus homo se præparare possit ad gratiam, et quorum intuitu conferatur illi gratia. Id enim aperte colligitur tum ex hoc loco, ubi asserit hæc virtutum semina sic esse omni animæ naturaliter insita, ut opitulatione divina non egeant, nisi ut ad incrementum perfectionis pervenire possint; tum ex præcedentibus, præsertim cap. 9, ubi ait *per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnumquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint.* Ubi notandum Pelagianos et eorum fautores beneficium creationis vocasse gratiam, atque hoc veluti pallio suam hæresim occultasse; cum enim urgerentur, ut gratiam Dei necessariam agnoscerent, fatebantur quidem sine Dei gratia nihil nos agere posse; sed nomine gratiæ liberum arbitrium atque id genus naturalia dona intelligi volebant : sicque Pelagius concilium Palæstinum callide elusit, teste D. Augustino epist. 105 et lib. de Gratia Christi cap. 3. Sententiam vero Collatoris de hujusmodi seminibus virtutum refellit Prosper his verbis : *Qui ergo dicit sine ullo opere gratiæ naturaliter omni animæ semina inesse virtutum, quid laborat ostendere, nisi de istis seminibus quædam germina præcedentium Dei gratiam pullulare meritorum?* hoc est, nihil aliud vult ostendere et probare, quam ista semina esse quædam in nobis merita quæ omnem Christi gratiam antecedant. Vide cætera apud eumdem.

[a] De libro Pastoris dictum est collat. 8 cap. 17, cujus testimonium hic a Collatore prolatum, ut nullius auctoritatis, a D. Prospero contemnitur (*Vide Bar. Tom.* II *Ann. sub anno* 159).

[b] Etsi hanc sententiam superius utcumque discusserim (*Collat.* 8 *cap.* 17), libet tamen hic insignem hujus sæculi theologum Joannem Maldonatum de eadem audire disputantem : *Illud etiam*, inquit (*In c.* XVIII *Matth.*), *apud auctores minus est certum, an singuli homines non solum bonum a quo defendantur, sed etiam malum a quo impugnentur, angelum habeant? Sed tamen et hoc ipsum antiquissima traditione, non Christianorum modo, sed etiam Hebræorum traditum est, ut scribit rabbi Moses lib.* III *Mor. cap.* 25. *Quam traditionem ex antiquo libro Pastoris, et ex epistola Barnabæ, quam olim inter Christianos in magna auctoritate fuisse legimus, veteres auctores probare solent ut Origenes homil.* 10 *in Lucam et lib.* III *de Principiis cap.* 2, *et Cassianus collatione octava cap.* 15 *et collat.* 13 *cap.* 12, *et Beda in cap.* XII *Act. Confirmant eamdem traditionem Gregorius Nyssenus in Vita Mosis, et auctor Imperfect. homil.* 5 *in Matthæum. Potest aliquod ejus rei vestigium in Scriptura notari. Nam D. Paulus datum sibi dicit angelum Satanæ qui se colaphizet* (II *Cor.* XII) : *quod etsi aliis modis intelligi potest, potest et hoc, et credibile est diabolum dæmoniorum principem in administratione regni sui Deum imitari, et quemadmodum Deus singulis hominibus singulos angelos præponit, ita eum opponere singulos dæmones.* Sic Maldonatus, ut apparet, in partem affirmantem et sententiam hujus Auctoris magis propendens. Quam etiam sequitur et defendit Joannes Durantus lib. II de Ritibus Ecclesiæ cap. 13. Vide Magist. Sentent. lib. II dist. 11. Huic tamen sententiæ multi refragantur, inter quos card. Bellarminus (*Lib. de Scrip. Eccl.*), quem lector consulat.

[c] Per se quidem negligere, at non per se, sed per gratiam Dei amare; hoc est, per se cadere, at non per se resurgere. *Facilis* enim *descensus Averni;*

> Sed revocare gradum, superasque ascendere ad auras,
> Hoc opus, hic labor est...

ait poeta (*Virg.* VI *Æneid.*). Et D. Bernardus lib. de Gratia : *Peccantis lapsus non dono ascribendus est potestatis, sed vitio voluntatis. Lapsus tamen ex voluntate, non æque ex voluntate resurgere jam liberum habet: quia etsi datum fuit voluntati posse stare, ne caderet; non tamen resurgere, si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in eam labi.*

[d] Iniqua et inepta instituitur collatio et comparatio voluntatis humanæ cum divina gratia, quasi paris essent facultatis, et quod in aliquibus gratia, hoc in aliis propria operetur voluntas; sicque gratia modo sit prævia, modo voluntatis pedissequa. Quod autem ait Psalmista : *Mane oratio mea prævenict te*, non sic accipiendum est, quasi prior voluntas ad eum accedat; prior illum invocet non vocata, non excitata, non prævenia, ut dictum est : *Cum nemo possit ad eum venire, nisi Pater cœlestis traxerit eum* (*Joan.* VI). Et, *Quis prior dedit ei, et retribuetur ei* (*Roman.* VIII)? Unde Augustinus versiculum illum exponens : *Jam mane*, inquit, *posteaquam nox infidelitatis et tenebræ transierunt. Quod mane, ut mihi esset, misericordia tua prævenit me. Quomodo enim invocarem, nisi crederem? quomodo crederem, nisi audirem? sed ut audita crederem, ipse me attraxit; quia in occulto a morte cordis, non quilibet medicus, sed ipse excitavit.* Sic Augustinus. Metaphorice autem dicitur voluntas, vel

LXXXVII). Et iterum : *Præveni in maturitate et clamavi, et prævenerunt oculi mei ad te diluculo* (*Psal.* CXVII). Advocat etiam nos et invitat cum dicit : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem mihi et contradicentem* (*Isaiæ* LXV). Et invitatur a nobis cum dicimus ei, *Tota die expandi manus meas ad te* (*Psal.* LXXXVII). Exspectat nos cum dicitur per prophetam : *Propterea* [a] *exspectat Dominus, ut misereatur vestri* (*Isaiæ* XXX), et exspectatur a nobis cum dicimus : *Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me* (*Psal.* XXXIX). Et, *Exspectavi salutare tuum, Domine* (*Psal.* CXVIII). Et confortat nos cum dicit, *Et ego erudivi et confortavi brachia eorum, et in me cogitaverunt malitiam* (*Ose.* VII). Et ut nosmetipsos confortemus hortatur, cum dicit, *Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate* (*Isaiæ* XXXV). Clamat Jesus, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII). Clamat etiam ad eum Propheta, *Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi dum spero in Deum meum* (*Psal.* LXVIII). Quærit A Dominus dicens : *Quæsivi et non erat vir, vocavi et non erat qui responderet* (*Isaiæ* LXVI). Quæritur et ipse a sponsa flebiliter conquerente. [b] *In cubili meo in noctibus quæsivi quem dilexit anima mea : quæsivi eum et non inveni; vocavi eum, et non respondit mihi* (*Cant.* III).

CAPUT XIII.

Quod gratiam Dei humani conatus compensare non possint.

Et ita semper gratia Dei nostro in bonam partem cooperatur arbitrio, atque in omnibus illud adjuvat, protegit ac defendit, [c] ut nonnumquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat vel exspectet; ne penitus dormienti aut inerti otio dissoB luto sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens, quibus, humanæ segnitiei torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam sub colore cujusdam desideri ac laboris impartit, [d] et nihilominus gratia Dei

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

actio nostra Deum prævenire, dum eum diligentius aut tempestivius solito invocat, ferventius ejus auxilium implorat, et quasi dormientem crebris et importunis clamoribus sollicitat, quemadmodum apostoli, dum in navi periclitantes clamaverunt : *Domine, salva nos, perimus* (*Matth.* VIII; *Psal.* CXVIII). *Hoc* enim est mane prævenire, hoc est, cito, celeriter, mature, vel ut in alio psalmo dicitur : *in maturitate, sive immaturitate,* id est, tempore matutino, immaturo, intempesta nocte : vel mane, id est, irradiante luce gratiæ et infidelitatis, ac peccati tenebris depulsis, ut D. August. exponit.

[a] Exspectat Deus ut misereatur nostri, non quia prius in nobis bonos motus voluntatis nostræ exploret et inspiciat, ut superius dixit Collator (*Cap.* 8 *et* 9,; vel quia prius a nobis invocari debeat aut possit sine præveniente ejus gratia, cum ipsum exspectare et invocare nostrum, munus sit divinæ gratiæ : sed quia quotidie *stat,* et *pulsat ad ostium* cordis nostri, hoc est, gratiam suam nobis offert, et tam externis objectis, beneficiis, exhortationibus, terroribus, periculis, quam internis inspirationibus ad pœnitentiam et opera justitiæ nos invitat; ut *si vocem* ejus *audiamus,* et pulsanti *aperiamus,* id est, vocationi ejus assensum præbeamus, *ad nos introeat,* nobiscum maneat, nobiscum *cœnet* (*Apoc.* III), id est, cooperetur ad salutem. Hinc D. Hieronymus : *Grandis,* inquit, *clementia Dei, ut exspectet nostram pœnitentiam; ut donec a vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur.* Ita concilium Arausicanum adversus Massilienses exposuit quomodo Deus exspectet vel non exspectet nos : *Si quis,* D inquit (*Can.* 9), *ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit; non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto per Salomonem dicenti : Præparatur voluntas a Domino, Proverb.* VIII; *et Apostolo salubriter prædicanti : Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere* (*Philip.* II), etc.

[b] In Vulgata editione hæc tantum habentur : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea ; quæsivi illum, et non inveni* (*Cant.* III).

[c] Hoc superius explosum et refutatum est. Ratio autem quam subdit Auctor, quod alioqui Deus penitus dormientibus aut inerti otio dissolutis dona sua conferre videretur, nullius est momenti. Non enim *solum*modo dormientes, inertes et otiosos a Deo vocari, excitari, invitari, et in vineam mitti (quæ prima Dei dona gratuita dicimus), manifestum est ex parabola operariorum, Matthæi XX ; verum etiam inimicos, rebelles, contradicentes, et gravissimos peccatores. Isaiæ LXV : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* Matthæi XXIII : *Quoties volui congregare filios tuos, et noluisti?* Et sexcentis aliis Scripturæ locis et exemplis.

[d] Sic nempe Massilienses sententiam Apostoli eludere conabantur. Cum enim dicerent initia bonæ voluntatis et bonorum operum esse posse ex nobis quæ sufficerent ad gratiam Dei impetrandam et promerendam, saltem de congruo; et illis ex adverso objiceretur a Patribus illa sententia Apostoli ad Romanos XI : *Si autem gratia, jam non ex operibus, aliàquin gratia jam non est gratia ;* respondebant gratiam Dei manere gratuitam, et veram gratiam, etiamsi detur occasione nostri laboris et conatus, quia hic labor minimus est et perquam exiguus, nec conferendus divinæ gratiæ et liberalitati. At vero Augustinus, Prosper, et alii gratiæ propugnatores, non solum contra Pelagium probant gratiam non dari ex meritis condignis liberi arbitrii, quia gratia jam non esset gratia, quæ quasi pro æquali pretio daretur, ut per se notum est; verum etiam contra Semipelagianos et Massilienses ostendunt gratiam dari ex meritis congruis liberi arbitrii ; quia sic non esset pura et absoluta gratia et misericordia, quia non omnino gratuita et indebita, sed antidoralis quædam et remuneratoria donatio, etiamsi pro exiguis laboribus et operibus donaretur : proinde concludunt verbis illis Apostoli excludi quæcumque opera nudi arbitrii, quæ vel minimam habere possint rationem meriti, causæ, vel occasionis, ob quam Deus gratiam suam vel ab æterno nobis præpararet, vel in tempore largiretur. Si enim aliquod ex nobis, id est, ex solis viribus liberi arbitrii, vel minimum meritum, vel minima causa præcederet, non esset gratia omnino liberaliter et gratuito, sive ex misericordia, sed gratitudinis ergo nobis collata : cujusmodi donatio antidoralis, ut vocant, etiam legibus humanis non censetur puta et gratuita donatio, ut habetur L. *Aquilius Regulus ff.* de Donationibus. Sic Augustinus lib. II ad Bonifacium cap. 8 : *Si sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito veniat adjutorium, ac si gratia Dei non gratis donabitur, sed merito nostro debitur.* Et lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2, recitata eorum sententia qui dicebant initium fidei, id est,

semper gratuita perseveret, dum exiguis quibusdam parvisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona, inæstimabili tribuit largitate. [a] Nec enim quia illius in cruce latronis præcesserat fides, idcirco pronuntiandum est, non ei beatam commorationem paradisi gratuito esse promissam (*Lucæ* XXIII), aut pœnitentiam David regis illam unius verbi qua dixit, *Peccavi Domino* (II *Reg.* XII), duo tam gravia ejus crimina, et non potius clementiam Dei abstulisse credendum est, ut per Nathan prophetam mereretur audire, *Et Dominus transtulit iniquitatem tuam, non morieris* (*Ibid.*). Quod igitur homicidium adulterio addidit, liberi utique arbitrii fuit; quod autem arguitur per prophetam, divinæ dignationis est gratia. Rursum quod peccatum suum humiliatus agnoscit, propriæ libertatis est opus. Quod vero sub brevissimo temporis puncto indulgentiam tantorum criminum promeretur, Domini miserentis est donum. Et quid de hac tam brevi confessione et incomparabili divinæ retributionis immensitate dicamus? cum beatus Apostolus ad illam magnitudinem futuræ remunerationis aspiciens, quid de illis tam innumeris persecutionibus suis pronuntiaverit considerare perfacile sit. Nam *momentaneum hoc*, inquit, *et leve tribulationis nostræ, supra modum* ultra comparationem, *æternum pondus gloriæ operatur in nobis* (II *Cor.* IV). De quo et alibi constanter enuntiat, dicens : *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Quantumlibet ergo enisa fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit; nec ita laboribus suis divinam imminuit gratiam, ut non semper gratuita perseveret, et idcirco prædictus Magister gentium, licet gratia Dei apostolatus gradum sortitum se fuisse testetur, dicens : *Gratia Dei sum quod sum* (II *Cor.* XV), tamen se quoque divinæ gratiæ respondisse pronuntiat, dicens, *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi* et obtinui, [b] *non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*Ibid.*). Nam cum dicit, *laboravi*, conatum proprii signat arbitrii. Cum dicit, *non autem ego, sed gratia Dei*, virtutem divinæ protectionis ostendit. Cum dicit, *mecum*, non otioso neque securo, sed laboranti ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat.

CAPUT XIV.

Quod tentationibus suis Deus virtutem humani experiatur arbitrii.

Quod etiam in Job, probatissimo athleta suo, cum eum diabolus expetisset ad singulare certamen, divinam legimus providisse justitiam [c]. Si enim contra

ALARDI GAZ.EI COMMENTARIUS.

ipsam voluntatem credenti posse haberi ex viribus naturæ subdit : *Non ergo receditur ab ea sententia quam Pelagius ipse in episcopali judicio Palæstino damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* S. Fulgentius lib. de Incarnatione et Gratia Christi (*Cap.* 12) : *Si vero*, inquit, *secundum opinionem illorum nostrum est velle credere, priusquam Dei gratia incipiat nos adjuvare, injuste gratia dicitur, quia non gratis datur hominibus, sed bonæ retribuitur voluntati.* Denique D. Prosper contra Collatorem cap. 6 : *Quomodo*, inquit, *non advertis te in illud damnatum incidere, quod, velis nolis, convinceris dicere, gratiam Dei secundum merita nostra dari, cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas?* Cæterum ex his non est consequens ut pari modo excludatur omnis ratio meriti ab operibus quæ fiunt ex præveniente Dei gratia et fide, quibus ad justificationem peccator disponitur. Non enim desinit esse gratia, quod tribuitur ipsi gratiæ; nec de his operibus loquitur Apostolus, cum ait : *Si ergo gratia, jam non ex operibus*, sed de his quæ fiunt ex solis viribus naturæ, nulla supposita gratia; quorum intuitu si donaretur gratia, profecto non esset mera, sed remuneratio aliquo modo debita, ut dictum est. Illa vero opera quæ ex divina gratia, inspiratione et speciali auxilio fiunt ante justificationem, cum sint ipsius gratiæ dona et effectus, nulla ratio prohibet quominus vere dici possint impetratoria et aliquo modo meritoria, tam majoris gratiæ actualis quam habitualis, quæ est ipsa justificatio, quod meritum vocant theologi meritum de congruo. Sic Augustinus epist. 105 : *Neque ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei; qua fide ille dicebat : Deus, propitius esto mihi peccatori, et descendit justificatus, merito fidei humiliatus.* Neque his repugnat concilii Tridentini decretum (*Sess.* 6 *cap.* 5), dum ait ipsius *justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur*, etc. Manifestum enim est loqui concilium de operibus quæ ipsam vocationem seu prævenientem gratiam antecedunt, in quibus nullum docet esse meritum, neque de condigno, contra Pelagianos, neque de congruo, contra Semipelagianos et Massilienses.

[a] Similia habet lib. XII Institut cap. 11.

[b] Ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ σὺν ἐμοί, *quæ mecum*, supple *est*. Non dixit : quæ in me, sed, *quæ mecum est*, ut ostenderet gratiam non solam, sed nobiscum operari. Unde Augustinus lib. de Libero Arbitrio cap. 15 : *Non autem ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum*; id est, *non ego solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.*

[c] Tres itidem errores in hoc capite continentur, ex præcedentibus consectarii, et a D. Prospero sufficienter refutati : quos proinde lectori dumtaxat indicasse sat erit. Primus error, Job ad tempus sibi relictum fuisse, et Dei ope destitutum, ut suis ipse viribus et suo Marte adversus diabolum decertaret; proinde patientiam ipsius non divinæ gratiæ, sed naturali ejus libertati et fortitudini esse tribuendam. Cui præter alia opponi potest doctrina abbatis Paphnutii, vel ipsius Cassiani collat. 3 cap. 17 et sequentibus. Nam illa collatio fere tota ex diametro pugnat cum hac collatione Chæremonis. Quantum enim hic liberum arbitrium comparatione gratiæ extollit, tantum ille deprimit et subjicit gratiæ, docetque adjutorio Dei semper indigere; initium bonæ voluntatis, et consummationem, fidem, intellectum, timorem Domini, denique tolerantiam, et victoriam tentationum a Deo esse, quod probat illis verbis Apostoli : *Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis : sed faciet etiam cum tentatione exitum* (vel, ut habemus, *proventum*), *ut possitis sustinere* (I *Cor.* X); ac tandem ita concludit (*Cap. ult.*) : *Per hæc quæ protulimus, non liberum arbitrium hominis volumus submovere, sed huic adjutorium et gratiam Dei per singulos dies ac momenta necessarium comprobare.* Secundus error, fidem centurionis et

inimicum non sua virtute, sed Dei solius fuisset gratia protegente congressus, et absque ulla virtute patientiæ suæ, divina tantum opitulatione suffultus, multiplices illas ac tota inimici crudelitate quæsitas tentationum moles et exitia pertulisset; quomodo non illam calumniosam diabolus quam prius emiserat vocem adversus eum justius iterasset : *Numquid gratis colit Job Deum? Nonne tu vallasti eum ac domum ejus et universam substantiam ejus per circuitum?* [a] *Sed aufer manum tuam*, id est, sine eum suis mecum viribus decerdare, *nisi in faciam tuam benedixerit tibi* (*Job.* I). Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calumniosus hostis post conflictum audeat iterare, non Dei, sed illius se victum viribus confitetur : licet etiam gratia Dei non in totum illi defuisse credenda sit, quæ tantam tentatori tentandi tribuit potestatem, [b] quantam et illum resistendi noverat habere virtutem, non eum ab illius impugnatione sic protegens, ut nullum virtuti humanæ relinqueret locum, sed hoc tantum procurans ne violentissimus inimicus animam ejus amentem faciens, et impotem sensu, impari eum atque iniquo certaminis pondere prægravaret. Quod ergo soleat interdum tentare Dominus fidem nostram, ut fortior vel gloriosior fiat, evangelici illius centurionis edocemur exemplo, cujus puerum cum sciret utique potestate sermonis sui se Dominus curaturum, offerre maluit præsentiam corporalem dicens : *Ego veniam et curabo eum*. Sed illo hanc ejus oblationem ferventioris fidei flagrantia supergrediente at quedicente : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed dic tantum verbo et sanabitur puer meus*, miratur eum Dominus atque collaudat, cunctisque illis qui ex Israelis populo crediderant præfert, dicens : *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* VIII). Nullius enim laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat prætulisset; alioquin dixisset : Non dedi tantam fidem in Israel. Quam explorationem fidei, etiam in illo magnificentissimo patriarcha divinam leginus dispensasse justitiam, cum dicitur : *Et factum est post hæc verba,* [c] *tentavit Deus Abraham* (*Genes.* XXII). Non enim illam fidem quam ei Dominus inspirabat, sed illam quam vocatus semel atque illuminatus, a Domino per arbitrii libertatem poterat exhibere, experiri voluit divina justitia. Unde non immerito fidei ejus constantia comprobatur, atque ad eum, subveniente gratia Dei, quæ eum paulisper subre-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Abrahæ a Deo tentatam et comprobatam fuisse, non quam ipse Deus inspiraverat, sed quam illi per arbitrii libertatem poterant exhibere : *Nullius enim*, inquit, *laudis esset ac meriti, si id in eo Christus quod ipse donaverat prætulisset.* At præter ea quæ a divo Prospero contra hanc sententiam afferuntur, contrarium etiam docent illa Paphnutii verba, collat. 3 c. 16 : *In tantum universa quæ ad salutem pertinent, Apostoli sibimet a Domino largita senserunt, ut ipsam quoque fidem præstari sibi a Domino postularent, dicentes: Domine, auge nobis fidem* (*Luc.* XVII). *Plenitudinem ejus non libero arbitrio pæsumentes, sed Dei sibi credentes munere conferendam.* Tertius error, qui tamen cum præcedentibus coincidit, ita semper divinam gratiam, arbitrium hominis invitare, ut illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, ut non etiam propriis eum conatibus congredi adversum spiritales faciat inimicos. Ita Collator. At contra docent Patres non posse solis naturæ viribus, et sine divina ope, ullam veram tentationem ab homine superari, et contrarium asserunt esse Pelagianum. Sic enim synodus Palæstina, apud Augustinum epist. 106, Pelagium urget : *Fateatur Pelagius quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis et illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Cælestinus I in epistola ad episcopos Galliæ cap. 6 : *Nemo*, inquit, *etiam baptismatis gratia renovatus, idoneus est ad superandas diaboli insidias, et ad evincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adjutorium perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* S. Augustinus lib. de Perfectione justitiæ sub finem : *Quisquis*, inquit, *negat nos orare debere ne intremus in tentationem negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non esse homini necessarium, sed, sola lege accepta, humanam sufficere voluntatem), ab auribus omnium removendum, et ore omnium anathematizandum esse non dubito.* Denique Prosper in hunc locum, postquam ostendit totam illam sancti Job victoriam ex Dei auxilio et gratia partam, tandem ita concludit : *Quisquis igitur in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda, universorum fidelium clamant : Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo.*

[a] Textus perperam citatus, et pejore glossa depravatus. Textus Græcus habet : Ἀλλὰ ἀπόστειλον τὴν χεῖρά σου. Cui Latinus et Vulgatus respondet : *Sed extende paululum manum tuam, et tange cuncta quæ possidet* (*Job.* I), etc. Cui etiam Chaldaica paraphrasis consonat, et omnes interpretes consentiunt; nisi quod aliqui, *mitte*, pro, *extende*, legunt, verbo Græco magis accedentes. Quid igitur sibi vult : *Aufer manum tuam*, pro, *extende*, vel, *mitte manum tuam?* An auferre idem quod extendere, vel mittere? Et hoc etiam admisso, quid ad hunc locum, quo de gratia Dei agitur, quasi idem esset ad sensum historiæ, auferri manum Dei protectricem, *id est*, externam Dei protectionem, qua vallata et munita erat domus Job et universa substantia ejus; et auferri auxilium gratiæ, quo destitutus Job cogeretur propriis viribus cum diabolo confligere, *Cum non sit potestas super terram quæ comparetur ei qui factus est ut nullum timeret* (*Job.* XLI).

[b] Rectius dixisset, ut notat Prosper : *Quantam et illi resistendi noverat se dedisse virtutem. Unius enim verbi correctio totam istam gloriam quam humanis viribus assignare voluit, sobrietate aliqua temperasset, ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, et Dei adjutorio, et libero hominis ascriberetur arbitrio.* Vide cætera.

[c] Tentare aliquando est ad peccatum incitare, ut Act. V, I Corinth. VII, I Thessal. III, Jac. I, etc. Hoc modo diabolus tentare dicitur, unde et Satan, id est, tentator appellatur (*S. Thom.* I *part.*, *q.* 114, *a.* 2). Homines etiam mali, tamquam diaboli ministri, sic alios tentare solent, Deus nequaquam. *Intentator enim malorum est, ipse autem neminem tentat*, Jac. I. Aliquando tentare est cognoscendi causa inquirere et explorare quomodo et diabolus homines et Deus tentat. Aliter tamen Deus, aliter homines et dæmones. Hi ut cognoscant quod ignorant, Deus ut quod scit scire etiam cognoscatur, quemadmodum si explorando experiendoque didicisset; aut ut ii quos tentat esse cognoscant, ut D. Augustinus interpretatur. Ita Genes. XXII, Exod. XVI, Deut. VIII et XIII, et alibi passim.

liquerat ut probaret, ita dicitur : *Ne inferas manum tuam in puerum, neque facias ei quidquam; nunc enim scio quia times Dominum tu, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Gen.* XXII). Quod tentationis genus nobis quoque ad probationis meritum posse contingere, in Deuteronomio satis evidenter a legislatore prædicatur : *Si surrexerit,* inquit, *inter vos propheta aut qui somnium se vidisse dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et serviamus diis alienis quos ignoratis, ne audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentans tentat te Dominus Deus, utrum diligas eum in toto corde tuo, et custodias mandata illius, an non* (*Deut.* XXIII). Quid ergo? Cum istum prophetam aut somniatorem surgere permiserit Deus, itane eos quorum fidem probare disposuit, protecturus esse credendus est, ut nullum penitus locum, quo suis viribus cum tentatore confligant, libero eorum reservet arbitrio? [a] Et quid eos necesse est vel tentari, quos ita infirmos novit ac fragiles, ut nequaquam virtute sua valeant resistere tentatori? Sed utique nec tentari eos justitia Domini permississet, nisi parem in eis resistendi scisset inesse virtutem, qua possent æquitatis judicio in utroque merito vel rei vel laudabiles judicari. Tale est et illud quod ab Apostolo dicitur : *Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non* [b] *apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus qui non permittet vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione exitum, ut sustinere possitis* (I *Cor.* X). Cum enim dicit : *qui stat videat ne cadat,* sollicitam reddit arbitrii libertatem, quam utique noverat, percepta gratia, vel stare per industriam, vel cadere per negligentiam posse. Cum autem infert, *tentatio vos non apprehendat nisi humana,* infirmitatem eorum et inconstantiam necdum robustæ mentis exprobrat, qua adhuc spiritalium nequitiarum turbinibus non poterant impugnari, adversum quos semetipsum vel illos perfectos noverat quotidie dimicare; de quibus ad Ephesios dicit : *Jam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI). Cum vero subjungit : [c] *Fidelis autem Deus qui non permittit vos tentari supra id quod potestis* (*I Cor.* X); non utique optat ne eos Dominus tentari permitteret, sed ne supra id quod sustinere poterant, tentarentur. Illud enim indicat humani arbitrii facultatem, hoc vero Domini gratiam tentationum luctamina moderantis ostendit. In his igitur omnibus approbatur ita semper divinam gratiam arbitrium hominis incitare, ut illud non in omnibus taliter protegat ac defendat, ut non etiam propriis eum conatibus congredi adversum spiritales faciat inimicos, in quibus vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem suam superatus intelligat, et ita discat non de sua fortitudine, sed de divino semper sperare suffragio, atque ad suum jugiter recurrere protectorem. Et ut hoc non nostra conjectura, sed evidentioribus adhuc Scripturæ testimoniis approbetur, illud [d] quod in Jesu Nave legitur retractemus : *Has,* inquit, *gentes dimisit Dominus, ac disperdere noluit, ut in eis experiretur Israelem, utrum custodiret mandata Domini Dei sui, et haberent consuetudinem cum hostibus præliandi* (*Judic.* III). Et ut incomparabili Creatoris nostri clementiæ mortale aliquid, non pro æqualitate pietatis, sed ex aliqua indulgentiæ similitudine comparemus : [e] si nutrix pia atque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Optima responsio redditur infra, qua seipsum Collator confutat et secum pugnat : *ut vel gratiam Dei victor, vel infirmitatem suam superatus intelligat, et ita discat non de sua fortitudine, sed de divino semper sperare suffragio, atque ad suum jugiter recurrere protectorem.* Sic ipse. At quomodo gratiam Dei victor intelligat et agnoscat, si suis viribus et propriis conatibus, ut ibi dicitur, et sine gratia victor evadat, et cur non de sua fortitudine sperare possit, si parem sibi intelligat resistendi inesse virtutem, secluso Dei suffragio et subsidio? Vide quomodo hæc cohæreant.

[b] Ita legendum videtur ex sententia Cassiani, quia Græce habetur εἵλῃφεν, *apprehendit*; pro quo Latinus interpres legisse videtur εἵλῃφέτω, *apprehendat*. Illam enim veram esse lectionem contendit ipse Cassianus lib. V Institutionum cap. 16, ut ibi videre est. Cæterum Vulgata editio præferenda, cui et auctoritas SS. Patrum suffragatur, et sacri concilii Tridentini approbatio, ut illic annotavimus.

[c] Non significat Apostolus nos aliquando tentari, aut tentationem sustinere nostris viribus, quasi hæc sit humana tentatio, quæ non superat vires liberi arbitrii, ut hic Auctor subtiliter interpretatur; sed significat Deum non permittere nos tentari supra vires ex gratia acceptas : et esse quasdam tentationes aliis graviores et diuturniores (quales experti etiam viri sanctissimi, Antonius, Hilarion, Hieronymus et alii), quibus superandis et evadendis majore et potentiore opus sit gratia et auxilio divino, quod facienti quod in se est secundum acceptam gratiam, non denegatur. Unde fidelis Deus dicitur, quia promissis non deest, hoc est, non deficit a promissa gratia, quam scit nobis esse necessariam ad vincendas qualescumque tentationes; sed facit cum tentatione proventum, id est, augmentum gratiæ pro ratione et gravitate tentationis, vel exitum, ἔκβασιν, id est evadendi facultatem, ut D. Cyprianus exponit (*Lib.* II *Testim. c.* 91).

[d] Non sic accipiendum, quasi hæc, quæ hic citantur verba, in libro Josue (qui et Jesus Nave dictus est) scripta habeantur, cum ex libro Judicum prompta sint, ut notatur, sed quia in ipso Jesu Nave, id est, temporibus et sub imperio Josue contigerint; qui cum alias gentes debellasset, noluit tamen Deus has ab eo debellari, ut in eis experiretur, id est, probaret et exerceret Israelem, etc. Quamquam etiam liber Judicum possit ex parte liber Jesu Nave, seu Josue, nuncupari, cum ipse primus Judicum exstiterit, et ejus extremæ res gestæ, nec non obitus et sepultura in eodem libro describantur. Unde D. Hieronymus lib. adversus Helvidium (*Cap.* 2) : *Cum in sepultura Jesu liber, qui ex nomine ejus appellatur, expletus sit, rursum in Judicum volumine, quasi vivens, resurgensque describitur, et sub* ἀνακεφαλαιώσει *opera ejus prædicantur, et legitur : Misit Jesus populum, et abierunt filii Israel, unusquisque in hæreditatem suam, ut possiderent terram. Et servivit populus Domino cunctis diebus Jesu,* etc.; *statimque subjungitur : Et mortuus est Jesus Nave, servus Domini, centum decem annorum* (*Judic.* II).

[e] Hæc similitudo, licet videatur aptissima et in

sollicita diu sinu parvulum gestat, ut quandoque ingredi doceat, et primum quidem eum reptare permittit, dehinc erectum, ut alternis passibus innitatur, dextræ suæ virtute sustentat; mox paululum derelictum, si titubantem viderit, protinus apprehendit, nutantem suscipit, lapsum erigit, et vel arcet a casu, vel etiam decidere leviter [*Lips. in marg.* leniter] sinens, elevat post ruinam : cum autem eum ad pueritiam vel adolescentiæ ac juventutis perduxerit robur, quædam etiam pondera vel labores quibus non opprimatur, sed exerceatur, injungit, et cum æmulis decertare permittit; quanto magis cœlestis ille omnium pater novit, quem sinu gratiæ suæ gestet, quem liberæ voluntatis arbitrio in conspectu suo exerceat ad virtutem, et tamen adjuvat laborantem, exaudit vocantem, non relinquit quærentem, eripit de periculo interdum etiam nescientem!

CAPUT XV.

De multiplici vocationum gratia.

Per quæ etiam evidenter ostenditur [a] *inscrutabilia esse judicia Dei et investigabiles vias ejus* (*Rom.* XI), quibus ad salutem humanum attrahit genus. Quod etiam evangelicarum vocationum exemplis possumus approbare. Andream namque ac Petrum cæterosque apostolos, nihil de salutis suæ remedio cogitantes, spontanea gratiæ suæ dignatione præelegit (*Matth.* IV). Zachæum ad conspectum se Domini fideliter extendentem et exiguitatem staturæ suæ sycomori celsitudine sublevantem non solum suscipit, verum etiam bene lictione cohabitationis illustrat (*Luc.* XIX). Invitum ac repugnantem attrahit Paulum (*Actor.* IX). Alium ita præcepit sibi inseparabiliter inhærere, ut ei postulanti brevissimas pro sepultura patris non concedat inducias (*Matth.* VIII). Cornelio precibus et eleemosynis jugiter insistenti, velut remunerationis vice via salutis ostenditur, eique angeli visitatione præcipitur ut accersiens Petrum, verba salutis ab eo, quibus una cum omnibus suis salvaretur, agnoscat (*Actor.* X). Et ita multiformis illa sapientia Dei salutem hominum multiplici atque inscrutabili pietate dispensat, ac secundum capacitatem uniuscujusque gratiam suæ largitatis impertit, ut ipsas quoque curationes non secundum uniformem majestatis suæ potentiam, sed [b] secundum mensuram fidei in qua unumquemque reperit.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

multis conveniat, tamen in hoc deficit et claudicat, quod in proposito est præcipuum et maxime spectandum, nempe quod robur et vires pueri ad ambulandum et laborandum non dependent a nutrice, sicut facultas et robur nostræ voluntatis et arbitrii ad bene agendum et vivendum pendet a gratia Dei, sed ei a natura insunt et cum ætate crescunt. Fungitur tamen divina gratia vice nutricis, immo et obstetricis, erga nos eadem præstans officia quæ nutrix erga parvulum; atque eatenus subsistit hæc similitudo et comparatio divinæ gratiæ cum nutrice et obstetrice. Hinc Job XXVI dicitur, *obstetricante manu Dei eductus coluber*, il est, diabolus expulsus de cordibus fidelium ; et alibi comparat se Deus matri, Isa. LXVI : *Sicut mater consolatur filios, ita et ego consolabor vos*, etc.; immo et aquilæ volanti, et provocanti pullos suos ad volandum, Deut. XXXII; et gallinæ congreganti pullos sub alas, Matth. XXIII.

[a] Sententia est Apostoli (*Rom.* XI) : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Ubi Græca vox sonat inscrutabilia, quomodo etiam legit D. Augustinus lib. de Gratia cap. 22. Cujus vocis emphasim notavit Chrysostomus : *Quia non tantum*, inquit, *non comprehendi, sed nec scrutari quidem possunt : tanta est profunditas judiciorum Dei. Investigabiles* autem negative positum, pro, *impervestigabiles*. Alludit enim Apostolus ad locum Isaiæ XL : *Et non est investigatio viæ ejus*, ut annotat ibidem D. Hieronymus. Porro multiplices divinæ vocationis modos, quos hic recenset Auctor, quibus homines ad salutem attrahit Deus, ad tria genera revocavit abbas Paphnutius collat. 3 cap. 3, ubi ait : *Tres vocationum sunt ordines*, etc.; ac deinde sequenti cap. : *Primus ex Deo est, secundus per hominem, tertius ex necessitate*, etc.

[b] Fallax propositio disjunctiva, quæ ut vera sit cum alterum tantummodo membrum verum esse sufficiat, secundum dialecticos, sic tamen ingeritur et proponitur ac si utrimque vera; hoc est, quasi in aliquibus Deus fidem reperiat quam non dederit, quod falsum et erroneum: in aliis vero quam ipse largitus sit, quod verum atque catholicum. Tota porro difficultas hujus capitis in illis verbis consistit : *secundum mensuram fidei*, etc. Quibus hæc similia habentur infra : *Largitas Dei secundum capacitatem humanæ fidei etiam ipsa formatur*. Quibus verbis significare voluit posse nos fidem ex nobis ipsis habere; ac proinde fidem inter liberi arbitrii bona, non inter Dei dona, ut ait Prosper, esse numerandam; et prout majorem aut minorem quisque fidem ex seipso habeat, ita majorem aut minorem a Deo percipere gratiam. Cui opinioni favere videtur illa sententia parabolæ evangelicæ, qua dicitur *Homo peregre proficiscens* (per quem Christus significatur) *distribuisse sua dona sive talenta suis servis, et uni dedisse quinque, alii duo, alii vero unum : unicuique secundum propriam virtutem* (*Matth.* XXV). Quam propriam virtutem Pelagiani interpretabantur fidem cujusque, quam ex nobis ipsis esse oportere dicebant, ut propria cujusque virtus dici posset; pro cujus capacitate sive mensura Deus nobis suam gratiam plus minusve largiretur, quasi non et ipsa fides inter dona gratiæ censeri deberet. In quo errore cum etiam D. Augustinus aliquando versatus fuisset, ut ipsemet pluribus in locis fatetur (*Lib.* I *Retract. c.* 23 *et lib. de Prædest. c.* 3); re tamen melius perspecta, seipsum correxit; et Pelagii hæresim, præter alios Patres, valide oppugnans, docuit quibus Scripturæ testimoniis ab eo errore fuisset revocatus. Sunt autem hæc loca præcipua, quibus hæc veritas speciatim comprobatur : Matth. XXIX : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Joan. VI : *Hoc est opus Dei, ut credatis in illum quem misit Pater.* Ephes. II : *Gratia salvati estis per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Philipp. II : *Vobis donatum est, non solum ut in eum credatis*, etc. Ad hæc præter alias rationes, utuntur Patres hac probatione velut efficacissima, quod Ecclesia orat pro infidelibus, ut convertantur ad fidem, et pro iisdem ad fidem conversis Deo gratias agit, quorum utrumque certissimum est divinæ gratiæ argumentum. His accessit auctoritas concilii Arausicani canone 5, 6, 7 et 8, quibus contra Pelagianos et eorum reliquias definitur : *Sicut augmentum, ita et initium fidei, ipsumque credulitatis affectum Dei donum esse, damnantur autem quicumque vel initium fidei naturaliter nobis inesse dicunt, vel per naturæ vigorem evangelicæ prædicationi consentire*

vel sicut unicuique ipse partitus est, maluerit exercere. Credentem namque quod ad emundationem lepræ suæ voluntas Christi sola sufficeret, solo voluntatis suæ curavit assensu, dicens : *Volo, mundare* (*Matth.* VIII). Alteri deprecanti ut adveniens perimpositionem manus suæ defunctam filiam suscitaret, ingressus domum ejus, eodem modo quo ille speraverat, id quod rogabatur indulsit (*Matth.* IX). Alii credenti summam salutis in verbi ejus prædicatione consistere, ac respondenti, *Dic tantum verbo et sanabitur puer meus* (*Matth.* IX), per sermonis imperium resolutos artus pristino robore solidavit, dicens : *Vade et sicut credidisti, fiat tibi* (*Ibid.*). Aliis de tactu fimbriæ ejus sperantibus medicinam, ubertim sanitatis dona largitus est. Aliorum morbis medelam rogatus indulsit. Aliis spontaneam præstitit medicinam. Alios hortatus est ut sperarent, dicens : *Vis sanus fieri Joan.* V)? Aliis non sperantibus ultro ingessit auxilium. Aliorum desideria priusquam voluntati eorum satisfaceret exploravit, dicens : *Quid vultis ut faciam vobis* (*Matth.* XX)? Alii ignoranti viam qua id quod concupierat obtineret, benignus ostendit : *Si credideris,* inquiens, *videbis gloriam Dei* (*Joan.* XI). Inter alios ita virtutem curationum affluenter effudit, ut de eis evangelista commemoret, *Et curavit omnes languidos eorum* (*Matth.* XIV). Inter alios vero immensa illa beneficiorum Christi abyssus ita obturata est, ut dicatur : *Et non poterat inter illos Jesus facere virtutes propter incredulitatem illorum* (*Matth.* XIII). Et ita largitas Dei secundum capacitatem humanæ fidei etiam ipsa formatur, ut huic quidem dicat, *Secundum fidem tuam fiat tibi* (*Matth.* XI); illi vero, *Vade et sicut credidisti fiat tibi* (*Matth.* VIII); alii autem, *Fiat tibi sicut vis* (*Matth.* XV), et rursum alteri, *Fides tua te salvam fecit* (*Matth.* IX).

CAPUT XVI.

De gratia Dei, eo quod humanæ fidei transcendat angustias.

[a] Nemo autem æstimet hæc a nobis ob hoc fuisse prolata, ut nitamur astruere summam salutis in nostræ fidei ditione consistere; secundum quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum uniuscujusque definiunt. Sed absoluta plane pronuntiamus sententia, etiam exuberare gratiam Dei et transgredi interdum humanæ infidelitatis angustias. Quod in illo evangelico factum fuisse regulo reminiscimur, qui dum facilius credit ægrotantem filium suum posse curari, quam mortuum suscitari, præsentiam Domini festinus implorat, dicens : *Domine, descende priusquam moriatur filius meus* (*Joan.* IV). Cujus infidelitatem licet his sermoni-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nos posse affirmant, absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti. Quam sententiam idem Patres plenius explicant capite ultimo, asserentes, *nos credere debere quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea in Deum credere possit, nisi gratia eum et misericordia divina prævenerit.* Idemque variis exemplis et testimoniis Scripturæ declarant. Cui doctrinæ inhærentes Patres concilii Tridentini sess. 6 can. 3 *anathemate damnant, si quis dixerit sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere posse, sicut oportet :* quod non est aliud quam credere fide Christiana, sive catholica, non fide humana, aut quocumque assensu rerum divinarum, qui non innitatur primæ veritati, sed vel experientiæ, vel cuicumque rationi humanæ, cujusmodi etiam in dæmonibus et in infidelibus fides reperitur. *Nam et dæmones credunt et contremiscunt*, ait D. Jacobus (*Jac.* II). Quod autem attinet ad illam particulam parabolæ evangelicæ : *Unicuique secundum propriam virtutem* (*Matth.* XXV) optime D. Hieronymus et Beda eam interpretantur, ut idem sit, ac, prout quisque se ad recipiendam gratiam magis minusve disponit, gratia scilicet Dei præveniente et adjuvante, ut docet concilium Tridentinum (*Sess.* 6, *c.* 5 *et* 6). Hoc enim ecclesiasticum est dogma, licet hæretici repugnent, quo quisque majori fide et dilectione se ad justificationem disponit, eo majorem Dei gratiam infundi : dummodo hæc fides, et dilectio, et quæcumque alia dispositio, ex Dei dono et auxilio esse agnoscatur, eique accepta feratur. Hinc D. Thomas ad objectionem illam sibi ex Evangelio factam ita respondet (2-2, *q.* 24, *a.* 3) : *Dicendum quod illa virtus, secundum quam sua dona Deus dat unicuique, est dispositio, vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam accipientis; sed hanc etiam dispositionem vel conatum prævenit Spiritus sanctus, movens mentem hominis, vel plus, vel minus, secundum suam voluntatem,* etc.

[a] Sollicitus, ut apparet, et anxius Collator, ne ex suis scriptis convinceretur cum Pelagio sentire gratiam Dei secundum merita nostra dari; et proinde gratiam non esse gratiam, quod tam absurdum visum est Patribus, ut in concilio Palæstino (quod primum contra Pelagium celebratum est) ipse etiam Pelagius, licet ficte et simulate, illud damnaverit; duplici subterfugio se excusare nititur : primo, quod non dixerit salutis nostræ summam (quam alias vocat perfectionem consummationemque) *in nostræ fidei ditione consistere*, hoc est in fide quam ex nobis ipsis habere possimus, quasi totum salutis nostræ negotium libero arbitrio ascriberet, sed gratiam omnino necessariam agnoscat ad perfectionem et salutem consequendam; secundo, quod eamdem gratiam fateatur sæpenumero excedere, et superare meritum fidei nostræ, quod pluribus Scripturæ exemplis declarat. At contra utramque excusationem tria objicit Prosper, quibus ipsum ostendit in illam, quam vocat, *profanam opinionem*, hoc est, dogma Pelagii, velit, nolit, incidere : 1° Quod et si non perfectionem, tamen initium salutis ex nobis esse docuerit, quod quidem sufficit ut gratia dicatur secundum merita nostra dari Initium enim salutis vel intelligitur ipsa fides, quia est fundamentum et initium totius justificationis, ut docent Patres Tridentini sess. 6 cap. 8, vel ipse affectus et desiderium salutis, per quod gratiam, qua salvemur, impetramus. Itaque initium salutis esse ex nobis, est posse nos mereri donum fidei, et reipsa consequi ipsam fidem, credendo sine auxilio gratiæ Dei; vel posse concipere serium salutis desiderium, quo gratiam justificationis impetremus et mereamur, saltem de congruo, ut dictum est. 2° Quod dixerit centurionem, cujus fides Domini voce laudata est (*Matth.* VIII), nullius fore laudis ac meriti, si id in eo Deus quod ipse donaverat commendasset : unde sequitur totum meritum in fide propria, non a Deo donata consistere. 3° Quod superiori cap. disertis verbis assuerit Deum secundum capacitatem uniuscujusque gratiam suæ largitatis impertire, quod quid aliud est quam gratiam secundum merita cujusque dari?

bus Christus arguerit : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis Joan.* IV), tamen secundum infirmitatem fidei ejus, gratiam suæ divinitatis exercuit, nec præsentia corporali, quemadmodum ille crediderat, lethales febrium morbos, sed verbo suæ potestatis exclusit, dicens: *Vade, filius tuus vivit* (*Ibid.*). Quam superabundantiam gratiæ, etiam in illius paralytici curatione Dominum legimus effudise, cum ei languoris sui tantum quo corpus fuerat resolutum remedia poscenti, animæ prius ingerit sospitatem, dicens : *Constans esto, fili, dimittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* IX). Post quod, non credentibus Scribis posse eum remittere humana peccata, ad confundendam incredulitatem eorum, etiam membra ejus paralyseos valetudine resoluta, potestatis suæ sermone restrinxit, dicens : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere : Remittuntur tibi peccata, aut dicere : Surge, et ambula? Ut sciatis autem quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico : Surge, et tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Ibid.*). Similiter autem in illo qui tringinta et octo annos juxta natatoriæ crepidinem fustra decumbens, de aquæ illius motu speraverat medicinam, munificentiam ultroneæ largitatis ostendit. Nam cum volens eum ad salutis remedia provocare, dixisset ei : *Vis sanus fieri* (*Joan.* V) ? Cumque ille de humani adjutorii inopia quereretur, ac diceret : *Hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* ; incredulitati ejus et ignorantiæ veniam tribuens, pristinæ eum sanitati, non illa qua speraverat via, sed qua Dominus voluit miseratione restituit, dicens : *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (*Ibid.*). Et quid mirum, si hæc Domini potestate gesta narrantur, cum similia etiam per servos suos divina gratia fuerit operata? Ingredientibus namque templum Petro et Joanne, cum ille claudus ex utero matris qui gressum penitus ignorabat, eleemosynam postularet; illi non vilia æra quæ poscebat infirmus, sed gressus officia largiuntur, et parvissimæ stipis sperantem solatia, inspe- A ratæ salutis præmiis locupletant, dicente Petro : *Argentum et aurum non est mihi ; quod autem habeo hoc tibi do, in nomine Jesu Christi Nazareni, surge et ambula* (*Actor.* III).

CAPUT XVII.

De inscrutabili dispensatione Dei.

* Per hæc igitur exempla quæ de evangelicis protulimus monumentis, evidentissime poterimus advertere, diversis atque innumeris modis et inscrutabilibus viis, Deum salutem humani generis procurare, et quorumdam quidem volentium et sitientium cursum ad majorem invitare flagrantiam ; quosdam vero etiam nolentes invitosque compellere, et nunc quidem ut impleantur ea quæ utiliter a nobis desiderata perspexerit, adjuvare; nunc vero etiam ipsius sancti B desiderii inspirare principia, et vel initium boni operis vel perseverantiam condonare. Inde est quod orantes non solum protectorem ac salvatorem, sed etiam adjutorem ac susceptorem Dominum proclamamus. In eo enim quod prior advocat, et ignorantes nos atque invitos attrahit ad salutem, protector atque salvator est; in eo autem quod annitentibus nobis opem ferre, refugientesque suscipere ac munire consuevit, susceptor ac refugium nominatur. Denique hanc dispensationis Dei multiplicem largitatem beatus Apostolus mente pertractans et in quoddam immensum atque interminabile pietatis Dei pelagus se incidisse conspiciens, exclamavit : O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! C Quis enim cognovit sensum Domini (*Rom.* XI)? Hujus ergo scientiæ admirationem quam ille talis ac tantus gentium magister expavit, evacuare conabitur quisquis crediderit illius inæstimabilis abyssi profunditatem humana ratione se posse metiri. Nam qui ad plenum dispensationes Dei, quibus salutem in hominibus operatur, vel mente concipere, vel disserere se posse confidit, proculdubio impugnans Apostolicæ sententiæ veritatem scrutabilia esse Dei judicia et vestigabiles vias ejus, profana pronuntia-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

* Conclusio est et fere complexio præcedentium eorum. Cum enim hactenus docuerit quosdam naturæ meritis, quosdam gratia Dei salvari; sive initium salutis et gratiæ in quibusdam ex viribus liberi arbitrii, in aliis ex præveniente Dei auxilio provenire, consequens est duo esse genera hominum in Ecclesia, unum eorum qui volentes et spontanei salventur, alterum eorum qui nolentes et nihil minus cogitantes invitentur et trahantur; proinde Christum non omnium salvatorem, sed quorumdam tantummodo susceptorem et adjutorem dici debere, quod multis argumentis confutat D. Prosper. Qua occasione, quod hucusque dilatum est, non prætermittendum hoc loco videtur ut lectorem moneamus, ex his quæ hactenus sunt disputata manifestum evadere, non immerito a gravissimis theologis redargui Petrum Ciaconium, Cassiani, ut vocant, scholiastem, quod dum Cassiano, plusquam oportuit, favere ejusque sententiam, tam in libris Institutionum quam Collationum, ab errore vindicare studuit, ipse se iisdem errorum laqueis implicarit, concedens plane cum ipso aliquod initium gratiæ et salutis ex nobis. Sic enim propositione tertia, ubi admittit aliquam peccati detestationem et dolorem ex solo naturali judicio et facultate, qui sit initium justificationis; et ibidem fatetur Deum quorumdam esse susceptorem, quorumdam vero salvatorem ; quia hos omnino prævenit, ab aliis prævenitur (*Gab. Vasquez in* I *part. disp.* 91 *cap.* 11). Propositione secunda admittit quamdam dispositionem et præparationem remotam ad gratiam, ex bono usu et operibus moralibus liberi arbitrii, contra communem sententiam theologorum, de qua vide Bellarminum lib. VI de Gratia cap. 5. Propositione quinta aperte fatetur orationem, seu orandi affectum et conatum aliquem ex bono naturæ posse depromi, ut per eum quadamtenus gratia Dei digni reddamur, et eam impetremus : quæ sunt ipsissima Massiliensium placita, a summis pontificibus, conciliis et aliis Patribus damnata, ut ex dictis constat. Hæc et alia in propositionibus Ciaconii ex Cassiano collectis non satis caute scripta, et non levi animadversione digna, studiosus lector observabit, quæ hactenus satis superque sunt refutata.

bit audacia, ipso quoque Domino hæc ad eos ita testante : *Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus; quia sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris* (*Isaiæ* LV). Hanc igitur dispensationem atque amorem suum, quem nobis tribuere Dominus indefessa pietate dignatur, volens humanæ affectionis motu exprimere, nec inveniens in hac creatura talem charitatis affectum, cui eum comparare dignius posset, tenerrimis piæ matris visceribus comparavit, et utitur quidem hoc exemplo, quia charius aliud in natura hominum non potest inveniri, dicens : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui* (*Isaiæ* XLIX)? Sed non contentus hac comparatione, transcendit eam confestim atque subjungit, dicens : *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (*Ibid.*).

CAPUT XVIII.

Definitio Patrum, eo quod liberum arbitrium ad salvandum non sit idoneum.

Per quod evidenti ratione colligitur ab his qui non loquacibus verbis, sed experientia duce, vel magnitudinem gratiæ, vel modulum humani metiuntur arbitrii, quia non levibus cursus, nec fortibus prælium, nec sapientibus panis, nec prudentibus divitiæ, nec scientibus gratia, *sed operatur hæc omnia unus atque idem spiritus dividens unicuique prout vult* (1 *Cor.* XII). Et idcirco fide non dubia et, ut ita dicam, palpabili experientia comprobatur, universitatis Deum, velut piissimum patrem, benignissimumque medicum, secundum Apostolum indifferenter omnia in omnibus operari, et nunc quidem salutis inspirare principia, et inserere unicuique bonæ voluntatis ardorem; nunc vero ipsius operationis effectum, et consummationem donare virtutum, et nunc a ruina jam proxima lapsuque præcipiti etiam invitos et inscios revocare; nunc autem occasiones et opportunitates salutis ingerere, ac præcipites violentosque conatus a lethalibus dispositionibus inhibere; [a] et alios quidem volentes, currentesque suscipere; alios vero nolentes, reniteutesque pertrahere, et ad bonam cogere voluntatem. Totum vero non semper resistentibus, nec perseveranter invitis nobis a divinitate concedi; et summam salutis nostræ, non operum nostrorum merito, sed cœlesti gratiæ deputandam, ita Domini ipsius vocibus edocemur : *Et recordabimini viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum quibus polluti estis in eis, et displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitiis vestris quas fecistis, et scietis quia ego Dominus cum benefecero vobis propter nomen meum, non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel* (*Ezech.* XX). Et idcirco hoc ab omnibus catholicis Patribus definitur, qui perfectionem cordis, non inani disputatione verborum, sed re atque opere, didicerunt divini esse muneris. Primum ut accendatur unusquisque ad desiderandum omne quod bonum est, sed ita ut in alterutram partem plenum sit liberæ voluntatis arbitrium. Itemque etiam secundum, divinæ esse gratiæ ut effici valeant exercitia prædicta virtutum, sed ita ut possibilitas non exstinguatur arbitrii. Tertium quoque, ad Dei munera pertinere, ut acquisitæ virtutis perseverantia teneatur, sed ita ut captivitatem libertas addicta non sentiat. Sic enim universitatis Deus omnia in omnibus credendus est operari, ut incitet, protegat atque confirmet, non ut auferat quam semel ipse concessit arbitrii libertatem. Si quid sane versutius humana argumentatione ac ratione collectum huic sensui videtur obsistere, vitandum magis est quam ad destructionem fidei provocandum. Non enim fidem ex intellectu, sed intellectum ex fide meremur, sicut scriptum est, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isaiæ* I), quia quemadmodum et Deus omnia operetur in nobis et totum libero ascribatur arbitrio, cui dicitur : *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ manducabitis* (*Isaiæ* VII), [b] ad plenum humano sensu ac ratione non potest (ut arbitror) comprehendi.

CAPUT XIX.

Doctrina catholica beati Dionysii Richelii Carthusiani præcedenti collationi ab ipso substituta.

Inseparabiliter adest nobis divina protectio, et tanta est pietas Salvatoris circa propriam creaturam, ut non solum comitetur, sed et præcedat eam jugiter providentia sua. Quod expertus Propheta Domino apertissime confitetur : *Deus meus, misericordia ejus prævenit me* (*Psal.* LVIII).

Nec solum benigne inspirat desideria sancta; sed et occasiones præstat salutis, et opportunitatem bonis effectibus, errantibusque demonstrat directio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] *Non ita tamen*, ait S. Prosper, *ut juxta novam illam partitionem superiori capite positam, aliorum salvator, aliorum susceptor, sed usquequaque omnium fidelium et susceptor et salvator sit Christus. Unde orantes non aliquorum protectorem et salvatorem, et aliquorum adjutorem ac susceptorem*, ut superius dixit Collator, *sed omnium et protectorem, et salvatorem, et adjutorem, et susceptorem ipsum proclamamus.* Sed quomodo hic paulo ante dixit, *Deum velut piissimum patrem, benignissimumque medicum, secundum Apostolum, indifferenter omnia in omnibus operari*, si vera sit ista distinctio et differentia ab ipso excogitata, ut alii sint salvati, alii tantummodo suscepti? Quomodo indifferenter, si tam differenter Deus erga hos et illos se habeat et operetur? Et cum in cæteris beneficiis prius enumeratis totum Deo tribuatur, cur in hoc postremo, quod est salvare vel salvatorem esse, quo cætera omnia concluduntur et continentur, pars ei tantummodo assignatur?

[b] Si non ad plenum, certe *ad sobrietatem* (quomodo Apostolus (*Rom.* XII), jubet nos sapere, *non plusquam oportet, sapere*) jam utcumque ex iis quæ hactenus in hanc collationem scripta sunt, comprehensum et explicatum puto. In quibus sane spero neminem mihi vitio daturum quod de nostri Collatoris, id est, Cassiani erroribus tam libere, tam aperte scripserim, eosque propalarim ac refutarim, quos magis tegere aut excusare debuerim. Absit enim ut Cassiani, quam veritatis ac publicæ utilitatis studiosior, præter, immo contra fidem et officium ingenui

nem viæ salubris. Unde fit ut inveniatur a non quærentibus se, et palam appareat inter illos qui eum non interrogabant, totaque die expandat manus suas ad populum non credentem et contradicentem sibi : resistentes quoque et longe positos vocet, invitos alliciat ad salutem, peccare volentibus subtrahat copiam voluntatis explendæ, et benigne resistat properantibus ad mala, ut jam *non sit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX), *qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II) ; *et hoc non ex nobis : sed donum Dei est, non ex operibus, ne quis glorietur* (*Ephes.* II). Quid est enim quod ait Salvator? *Nemo venit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.* XIV). Et *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit illum* (*Joan.* VI). Quid item est quod oramus? *Dirige in conspectu tuo viam meam* (*Psal.* V), et : *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea* (*Psal.* XVI). Quid tandem est quod Deus promittit? *Dabo eis cor novum et spiritum novum tribuam in visceribus eorum. Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis et operemini* (*Ezech.* XXXVI). Et quid est quod Propheta a Domino hoc ipsum postulat dicens : *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L). Et denuo : *Lavabis me*, inquit, *et super nivem dealbabor* (*Ibid.*). Item quid est quod fertur de Deo? *Qui docet hominem scientiam* (*Psal.* XCIII). Et, *Dominus illuminat cæcos* (*Psal.* CXLVI). Vel quod orantes dicimus cum Propheta : *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in mortem* (*Psal.* XII) ; nisi quod in his omnibus declaratur gratia Dei, qua homo semper indigeat adjuvari a Domino?

Infirmitatem quippe liberi arbitrii Apostolus manifestat, dicens : *Dominus custodiat corda vestra, et intelligentias vestras* (*Philipp.* IV). Eamdem David orando docet, cum inquit : *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (*Psal.* CXVIII). Salomon quoque : *Inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, et custodiamus mandata ejus, et cæremonias ejus* (III *Reg.* VIII). Infirmitatem ejusdem fatetur illa oratio nostra : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Psalm.* CXL). Item propheta : *Dominus*, inquit, *solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos* (*Psal.* CXLV). Et rursus : *Dirupisti vincula mea* (*Ps.* CXV), etc. Item Christus apud Joannem : *Nemo*, inquiens, *potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI). Et beatissimus Joannes Baptista asserit : *Non potest homo a se accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo* (*Joan.* III). Unde Propheta in spiritu clamans : *Nisi*, ait, *Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* CXXVI). Et Apostolus : *Deus est*, inquit, *qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philip.* II).

Porro, si arbitrio nostro ascribimus consumma-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

interpretis, vel errasse dissimulem, vel errata defendam. Quin potius, quod in præfatione mea prænonui ac professus sum, hoc identidem profiteor, ac præ me fero : *Amicus quidem Cassianus ; sed magis amica veritas. Error enim, cui non resistitur, approbatur ; et veritas cum minime defensatur, opprimitur*, ait Innocentius pontifex (*Apud Gratian. dist.* 83). Humanum quippe est labi et errare, at in errore perseverare diabolicum aut hæreticum : a qua quidem nota longissime semper abfuit Cassianus, semper catholicus, atque inter catholicos auctores habitus, vel ipso teste D. Prospero ejus impugnatore et antagonista acerrimo (*Vide plura in præfat. nostra*). Quid vero mirum si, ut homo, aliquid humani passus sit, et nimio veritatis indagandæ studio subinde a veritatis tramite aberrarit, præsertim iis in rebus adeo obscuris et difficilibus, necdum id temporis ab Ecclesia definitis et ad plenum elucidatis? Num id vel ejus auctoritati in cæteris scriptis derogare, vel ab ejus lectitandi studio religionis ac pietatis studiosos avertere aut abalienare debeat? minime vero ; immo potius ad ejus complexum, lectionem ac studium tanto magis accendere atque inflammare, quod jam omni ejus errore palam detecto, et contraria veritate manifestata, nullius periculi vel fraudis metus aut suspicio residua sit, quominus tuto ac secure in eo versari eumque evolvere ac revolvere liceat, præsentibus antidotis et documentis ubique in promptu et in omnem incursum et occasionem exhibitis ac suppeditatis. Nam ut præclare scribit D. Hieronymus ad Augustinum (*Epist.* 97) : *Solis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendi aliquid errasse firmissime credam ; at si aliquid in eis offendero quod videatur contrarium veritati ; nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Ita D. Hieronymus. Et alibi (*Epist.* 76) de hujusmodi antiquis scriptoribus, quorum scripta nonnullis erroribus aspersa noscuntur, suam sententiam et concilium profert his verbis : *Ego Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum, Arnobium, Apollinarium, et nonnullos ecclesiasticos scriptores, Græcos pariter et Latinos ; ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem : Omnia probate : quod bonum est, tenete*, etc. Sic igitur Cassianus legendus ut quivis alius auctor catholicus, ut quiquid in eo veritati ac pietati consentaneum amplectamur ; si quid vero alienum, respuamus, et veritatis antidoto falsitatis virus elidamus. Cæterum cum adeo varia et diversa sint hominum ingenia, et variorum ingeniorum varii gustus et veluti quædam ὀρέξεις, ut quod uni sapiat alteri nauseam et fastidium pariat ; committere certe nolui, quin aliud itidem fercului legentibus, quasi convivis apponerem, quod fortasse magis arridebit, quam præcedentium disputationum difficilis et obscura tractatio : sanam dico et catholicam doctrinam Dionysii Carthusiani viri nominus sanctitate quam eruditione clarissimi, de gratia Dei et libero hominis arbitrio, quam ex dictis abbatis Chæremonis majori ex parte ita artificiose collegit, ut expunctis et abstersis erroribus totam puram, orthodoxam, piam ac salutarem exhiberet ; eamque post finem capitis decimi octavi, quasi ex persona ipsius Chæremonis, reliquæ collationi substitueret ac subrogaret : functus hac in parte, non paraphrastæ, ut in cæteris, sed censoris et correctoris officio. Sic igitur Dionysius collationem Chæremonis a capite decimo octavo ad finem usque prosequitur.

tionem virtutum, exsecutionemque mandatorum; quomodo oramus : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis* (*Psal.* LVII). Et, *Opera manuum nostrarum dirige super nos*(*Psal.* LXXXIX)? Scimus Balaam fuisse conductum ad maledicendum filiis Israel; sed videmus sibi id cupienti non esse permissum (*Num.* XXII). Custoditus est Abimelech, ne Rebeccam tangendo peccaret in Dominum (*Genes.* XXI). Joseph fratrum livore est venditus; ut fieret descensio filiorum in Ægyptum, et illis de nece Joseph tractantibus provideretur fami futuræ, quod Joseph a fratribus agnitus reserat dicens : *Nolite pavere, nec durum vobis videatur quod vendidistis me in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos* (*Genes.* XLV). Et rursus : *Præmisit enim me Deus, ut reservemini super terram, et escas ad vivendum habere positis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum, qui fecit me quasi patrem Pharaonis, et dominum totius domus ejus, et principem in omni terra Ægypti* (*Ibid.*). Cumque post obitum patris sui auferret suspicionem timoris formidantibus fratribus suis : *Nolite,* inquit, *timere, numquid Dei resistere possumus voluntati? Vos cogitastis adversum me malum, et Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvaret populos multos* (*Gen.* L). Quod etiam factum œconomicum seu dispensatorium David canit in psalmo : *Vocavit,* inquiens, *famem super terram, et omne firmamentum panis contrivit. Misit ante eos virum; in servum venundatus est Joseph* (*Psal.* CIV). Sic igitur virtutem efficaciamque gratiæ Dei statuamus, ne excessisse regulam ecclesiasticæ fidei videamur. Ecclesiastica regula est, prædicante Apostolo : *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (1 *Cor.* XII). Ecclesiastica regula est : *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (1 *Cor.* XV). Et : *Misericordiam consecutus sum; ut fidelis essem* (1 *Cor.* VII). Ecclesiastica est : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtus Dei, et non ex nobis* (II *Cor.* IV). Ecclesiastica regula est : *In nullo terreamini ab adversariis; quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, et hoc a Deo. Vobis datum est per Christum, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut patiamini pro eo* (*Philip.* I). Ecclesiastica regula est : *Cum tremore et timore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in nobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philip.* II). Ecclesiastica regula est : *Non quia idonei simus cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (II *Cor.* III). Hanc regulam firmat Deus dicens : *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a patre meo* (*Joan.* VI). Et : *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me* (*Ibid.*). Et : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV) Et : *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos* (*Ibid.*). Et : *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit revelare* (*Matth.* XI). Et : *Sicut Pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V). Et : *Beatus es, Simon Barjona, quoniam caro et sanguis non revelavit tibi; sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Hac regula nulli hominum aufertur voluntas, quia virtus gratiæ non hoc in voluntatibus operatur, ut non sint, sed ut ex malis bonæ, et ex infidelibus sint fideles, et qui ex semetipsis erant tenebræ lux efficiantur in Domino, quod mortuum erat vivificetur, quod jacebat erigatur, quod perierat inveniatur. Hoc in omnibus prorsus hominibus, qui *eruuntur de potestate tenebrarum, et transferuntur in regnum dilectionis* (*Coloss.* I) filii Dei, sine cujusquam exceptione personæ agere credimus gratiam Salvatoris. Quia sicut hic [Auctor hujus collationis] idem probabiliter definivit, dicimus atque defendimus, non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis et initium bonæ voluntatis inspirat et virtutem atque opportunitatem eorum quæ recte cupimus tribuit peragendi : *Omne* enim *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* I). Qui et incipit quæ bona sunt, et exsequitur et consummat in nobis. Cum enim Deus nos tepuisse conspexerit, ingerit cordibus nostris orationes [*Al.* cogitationes] salutiferas, quibus bona voluntas reformatur in nobis.

Rectum quidem et omni vitio carentem creatum esse hominem primum, in quo omnium hominum concreata natura est, dubitare fas non est, eumque tale accepisse liberum arbitrium, ut si auxiliantem sibi dominum non desereret, possent in nobis quæ naturaliter acceperat, perseverare, quia vellet; et merito perseverantiæ in eamdem beatitudinem perveniret, ut nec vellet decidere in deteriora nec posset : sed ipso libero arbitrio, quo quamdiu voluit, bonus mansit, a proposita sibi lege discessit; nec denuntiari sibi mortis supplicium formidavit, deserens Deum, et sequens diabolum; rebellis Domino servatori, et inimico obediens peremptori. Fuit ergo Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et ex illo perierunt omnes. Quod ita non falso dixit beatus Ambrosius, sicut non falso ipsa veritas ait : *Venit Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat* (*Luc.* XIX). Naturæ enim humanæ illa prævaricationis universalis ruina, nec substantia prærepta est, nec voluntas; sed lumen decusque virtutum, quibus fraude invidentis exuta est. Perditis autem per quæ ad æternam atque inamissibilem corporis animæque incorruptionem poterat pervenire, quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitam, quæ tota est damnabilis et pœnæ? Propter quod natos in Adam renasci oportet in Christo, ne in illa quis inveniatur generatione quæ periit. Nam si posteri Adæ in illis virtutibus naturaliter agerent in quibus Adam fuit ante peccatum, non essent natura filii iræ, non essent tenebræ, nec sub potestate tenebrarum, Salvatoris gratia non indigerent, quia non frustra boni essent, nec justitiæ præmio fraudarentur, habentes ea bona quorum amissione primi patres de paradiso exulare

meruerunt. Nunc autem cum sine sacramento regenerationis æternam mortem nemo possit evadere, nonne ex istius remedii singularitate apertissime patet, in quam profundum malum totius generis humani natura demersa sit, illius prævaricatione in quo omnes peccaverunt, et quidquid ille perdidit, perdiderunt? Perdidit autem primus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine. Et impie altiora sectando, a veritatis scientia et obedientiæ pietate dejectus est, nec ipso saltem timore sibi reliquo, ut ab interdictis vel metu caveret pœnæ, qui abstinebat amore justitiæ. Liberum ergo arbitrium, id est, rei sibi placitæ spontaneus appetitus, ubi usum bonorum quæ acceperat fastidivit, et, vilescentibus sibi salutis suæ præsidiis, insanam cupiditatem ad experientiam prævaricationis intendit, bibit omnium vitiorum venenum, et totam naturam hominis intemperantiæ suæ ebrietate madefecit. Inde, priusquam edendo carnem Filii hominis, et bibendo sanguinem ejus, lethalem digerat cruditatem, labitur memoria, errat judicio, nutat incessu, neque ullo modo idoneus est ad illud bonum eligendum et concupiscendum quo se sponte privavit. Quia non sicut potuit Deo non impellente corruere, ita potest Deo non erigente consurgere. Ne etenim credamus nos non indigere divino auxilio ad exercendum opus salutis, Apostolus ait : *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate* (*Philipp.* II). Ideoque et Timotheum admonuit : *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te* (I *Tim.* IV). Itemque : *Ob quam causam admonco te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te* (II *Tim.* I). Hinc quoque Corinthiis scribens hortatur, ne per opera infructuosa facerent se indignos gratia Dei, dicens : *Adjuvantes obsecramus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (II *Cor.* VI). Quam quia in vacuum Simon receperat, non profuit ei perceptio gratiæ salutaris. Non enim curavit obedire præcepto sacratissimi Petri dicentis : *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua et roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis suis. In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse* (*Actor.* VIII). Prævenit ergo hominis voluntatem misericordia Domini juxta quod scriptum est : *Deus meus, misericordia ejus prævenit me* (*Psal.* LVIII). Insuper advocat nos Dominus, et invitat, quemadmodum ait : *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem mihi* (*Isaiæ* LXV), Exspectat nos Deus, sicut loquitur per Prophetam : *Propterea exspectat Deus ut misereatur vestri* (*Isa.* XXX). Confortat nos, secundum quod ait : *Et ego erudivi eos, et confortavi brachia, et in me excogitaverunt malitiam* (*Oseæ* VII). Clamat Dominus Jesus : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat* (*Joan.* VII). Quærit nos Dominus, dicens : *Quæsivi, et non erat vir; vocavi, et non erat qui responderet* (*Isa.* LII).

Et ita gratia Dei semper cooperatur arbitrio nostro in bonum, atque in omnibus sic adjuvat, et protegit illud, ut semper gratuita perseveret, dum inæstimabili largitate tribuit parvis conatibus gloriam tantæ immortalitatis, tantaque dona perennis felicitatis. Nonne quod David brevissimo temporis puncto obtinuit tantorum indulgentiam criminum, donum erat Dei miserentis? Denique quid dicamus de hac tam brevi Davidis confessione, tamque incomparabili divinæ miserationis ac retributionis immensitate? cum certum sit, quid Apostolus ad futuræ beatitudinis magnitudinem intuens pronuntiaverit de innumerabilibus atque gravissimis persecutionibus suis : *Momentaneum*, inquit, *et leve hoc tribulationis nostræ, supra modum, et ultra comparationem, et æternum gloriæ pondus operatur in nobis* (II *Cor.* IX. Unde et alibi constanter fatetur : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Quamtumlibet ergo enixa et conata fuerit humana fragilitas, comparari futuræ retributioni non poterit, nec suis laboribus ita diminuet gratiam Creatoris, ut non perseveret semper gratuita. Idcirco præfatus gentium doctor, quamvis testetur se gradum apostolatus sortitum gratia Dei, dicens : *Gratia Dei sum id quod sum* (I *Cor.* XV), tamen affirmat se respondisse et cooperatum esse gratiæ divinæ, subdendo : *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (*Ibid.*). Cum enim ait : *Non autem ego, sed gratia Dei mecum*, ostendit virtutem protectionis divinæ. Et cum ait, *mecum*, testatur gratiam Dei cooperatam esse sibi non otioso, neque securo, sed laboranti ac desudanti. Itaque Dominus volens motu humanæ affectionis exprimere suæ pietatis dispensationem, et amorem, quem nobis tribuere indefessa pietate dignatur, nec in creaturis inveniens charitatem, cui eum dignius compararet, comparavit eum tenerrimis matris visceribus, et utitur hoc exemplo, quoniam charius eo inveniri in creaturis non valet : *Numquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Verumtamen non contentus hac comparatione, transcendit eam confestim, subdendo : *Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (*Isaiæ* XLIX).

Per quod evidenti ratione colligitur, summam nostræ salutis deputandam esse cœlesti gratiæ, non meritis actionum nostrarum, Deo per prophetam loquente : *Recordabimini viarum vestrarum et omnium scelerum vestrorum, et displicebitis vobis ipsis in malitiis vestris, et scietis, quia ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima, domus Israel.* (*Ezech.* XII). Hinc asseritur ab universis catholicis Patribus, qui perfectionem cordis didicerunt, non inani disputatione, sed digna conversatione, hoc divini muneris esse primum, ut accedat unusquisque ad desiderandum omne quod bonum est, sed ita ut plenum sit liberæ voluntatis arbitrium in partem utramque. Secundum vero opus divinæ gratiæ asserunt, ut effici valeant exercitia præfata virtutum, ita ut possibilitas arbitrii non tollatur. Tertio ad gratiam pertinere testantur, ut

virtutes acquisitæ perseveranter serventur; sed ita, ut libertas captivitatem non sentiat. Sic etenim Deus universorum credendus est omnia in omnibus operari, ut incitet, protegat et confirmet, non ut auferat libertatem quam semel donavit. Porro, si quid humana argumentatione et ratione versutum collectum videatur his derogare, vitandum est potius quam ad destructionem fidei proponendum aut pro- A vocandum. Non enim meremur fidem ex intellectu, sed intellectum ex fide, quemadmodum scriptum est : *Nisi credideritis non intelligetis* ; quia, ut arbitror, plene comprehendi non potest ratione humana qualiter Deus omnia operetur in nobis, et nihilominus totum ascribatur libero arbitrio, cum Dominus loquitur : *Si volueritis et audieritis me, quæ bona sunt terræ comedetis* (*Isa.* I) [a].

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hucusque Dionysius, velut ex persona Chæremonis abbatis, hanc collationem catholice prosecutus, hoc nomine certe magnopere commendandus, quod vel e stercore gemmas, vel ex luto aurum purum putum, hoc est, ex falsa et erronea veram et catholicam doctrinam elicuerit expresseritque; quam et Joan. Lavardinus in sua Gallica translatione, cæteris omissis, solummodo retinendam et exprimendam provide prudenterque judicavit; merito et ipse laudandus quod dubiam aut periculosam doctrinam rudibus aut infirmis mentibus patrio sermone noluerit exhibere.

Tandem vero Cassianus hujus collationis ut cæterarum enarrator, in fine cap. 18 eam ita concludit : *Hoc nos B. Chæremon confirmatos cibo laborem fecit tam invii itineris non sentire.* Cibo nimirum spirituali, non corporali.

COLLATIO DECIMA QUARTA,

Quæ est prima abbatis Nesterotis.

DE SPIRITALI SCIENTIA.

CAPUT PRIMUM.

Sponsionis [a] nostræ et itineris ordo compellit, ut abbatis [b] Nesterotis præclari in omnibus summæque scientiæ viri institutio subsequatur. Qui cum sacrarum Scripturarum nos aliqua memoriæ commendasse et eorum intelligentiam desiderare sensisset, talibus nos adorsus est verbis : Multa quidem scientiarum in hoc mundo sunt genera, tanta siquidem earum quanta et artium disciplinarumque varietas est. Sed cum omnes aut omnino inutiles sint, aut B præsentis tantum vitæ commodis prosint, nulla est tamen quæ non habeat proprium doctrinæ suæ ordinem atque rationem, per quam ab expetentibus possit attingi. Si ergo illæ artes ad insinuationem sui certis ac propriis lineis diriguntur, quanto magis religionis nostræ disciplina atque professio, quæ ad contemplanda invisibilium sacramentorum tendit arcana, nec præsentis quæstus, sed æternorum retributionem expetit præmiorum, certo ordine ac ratione subsistit! [c] Cujus quidem duplex est scien-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, promissionis nuper in procemio harum Collationum his verbis editæ (*Præfat. collat.* 11) : *Nunc ut etiam itineris nostri ratio cognoscatur, trium in alia eremo consistentium, quos primos vidimus, Patrum septem collationes, pari conscriptas stylo, vobis credidi consecrandas; quibus ea quæ de perfectione in præteritis opusculis nostris obscurius forsitan sunt comprehensa vel prætermissa suppleantur.*

[b] Hic secundus inter tres anachoretas, quos in solitudine juxta Panephysim habitasse retulit Auctor collat. 11 cap. 3, cum quibus hæ septem collationes sequentes habitæ, quarum duæ huic Nesteroti attribuuntur, prior hæc de spiritali scientia, posterior de charismatibus divinis. De Nesterone abbate (Nestero enim, vel Nesteron ibi vocatur, non Nesteros, ut hic) duo narrantur exempla virtutum in Vitis Patrum, unum lib. IV cap. 8 : *Abbas Nestero major ambulabat in eremo cum aliquo fratre, et videntes draconem fugerunt. Et dicit ei frater ille : Et tu, Pater, times? Respondens senex, dixit : Non timeo, Fili, idcirco, sed expedit; idcirco enim draconem fugi quoniam habui effugere spiritum vanæ gloriæ.* Alterum ejusdem libri cap. 15 : *Interrogavit senex* (abbas Pastor) *fratrem Nesteronem, dicens : Abba Nesteron, quomodo acquisisti virtutem hanc, ut quando emergit tribulatio* [Al. *turbatio*] *aliqua in monasterio, non loquaris, neque te medium facias? Ille autem nihil loquebatur. Et cum multum rogaretur a sene, dicit ei : Ignosce mihi, abba, quia quando intravi initio in congregationem, dixi animo meo, Tu et asinus unum estote. Sicut ergo asinus vapulat et non loquitur, injuriam patitur et non respondet; sic et tu, quemadmodum in psalmo legitur : Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII). Hæc ibi.

[c] Cujus, religiosæ scil. diciplinæ et professionis antea memoratæ. Vulgaris autem est divisio scientiæ in speculativam et practicam ab Aristotele tradita (*Metaph. lib.* I *et* VI) : cujus etiam consideratione C distinguitur a Patribus duplex vita, activa et contemplativa (*Hieron. lib.* II *in Lam. Jerem.*). D. Gregorius lib. VI Moral. cap. 28 : *Duæ,* inquit, *sunt vitæ, in quibus nos Deus Omnipotens per sacrum eloquium erudit, activa videlicet et contemplativa.* Siquidem vita hominis, ut docet S. Thomas (*S. Thom.* 2-2, *q.* 179), præcipue attenditur secundum operationem intellectus, quæ quidem operatio versatur aut circa inquisitionem et cognitionem veritatis, quod pertinet ad contemplationem, aut circa actiones exteriores, quæ dicitur vita activa. Unumquodque enim vivens ostenditur vivere ex operatione sibi maxime propria ad quam maxime inclinatur : sicut plantarum vita dicitur in hoc consistere quod nutriuntur et generantur : animalium vero in hoc quod sentiunt et moventur : hominum vero in hoc quod intelligunt et secundum rationem agunt. Quia ergo quidam homines intendunt præcipue contemplationi veritatis, quidam intendunt principaliter exterioribus D actionibus, inde est quod vita hominis convenienter dividitur in activam et contemplativam. Hæc S. Thomas. Unde patet idem esse, sive dicatur duplex hominis vita, sive duplex scientia. Agitur autem in hac collatione, non de quacumque scientia humana, sed, ut docet titulus, de spiritali scientia, i. e. scientia rerum spiritualium cum pietate et charitate conjun-

tia. Prima practice, id est, actualis, quæ emendatione morum et vitiorum purgatione perficitur; altera theorice, id est, quæ in contemplatione divinarum rerum et sacratissimorum sensuum cognitione consistit.

CAPUT II.

Quæ via sit ad theoreticen.

Quisquis igitur [a] ad theoreticen voluerit pervenire, [b] necesse est ut omni studio atque virtute actualem primum scientiam consequatur. Nam hæc practice absque theoretica possideri potest, theoretice vero sine actuali omnimodis apprehendi non potest. Gradus enim quidam ita ordinati atque distincti sunt, ut humana humilitas possit ad sublime conscendere : qui si invicem sibi ea qua diximus ratione succedant, potest ad altitudinem perveniri, ad quam sublato primo gradu non potest transvolari. Frustra igitur ad conspectum Dei tendit, qui vitiorum contagia non declinat : [c] *Spiritus namque Dei effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I).

CAPUT III.

Quod actualis perfectio duplici ratione subsistat.

Hæc autem [d] actualis perfectio duplici ratione subsistit. Nam primus ejus modus est, ut omnium natura vitiorum et curationis ratio cognoscatur. Secundus ut ita discernatur ordo virtutum, earumque perfectione mens nostra formetur, ut illis non jam velut coacta et quasi violento imperio subjecta famuletur, sed tamquam naturali bono delectetur atque pascatur, et arduam illam atque angustam viam cum oblectatione conscendat. Quo enim modo, vel virtutum rationem, qui secundus in actuali disciplina gradus est; vel rerum spiritalium et cœlestium sacramenta, quæ in theoriæ gradu sublimiore consistunt, valebit attingere, qui naturam vitiorum suorum nec potuit intelligere, nec nisus est exstirpare? Consequenter enim pronuntiabitur progredi ad excelsiora non posse, qui non evicerit planiora : multoque minus ea quæ sunt extrinsecus apprehendet, quisquis intelligere ea quæ sibi sunt inserta non quiverit. Sciendum tamen est, duplici nobis laboris intentione sudandum, tam in expellendis vitiis quam in virtutibus acquirendis. Et hoc non nostra capimus conjectura, sed illius sententia perdocemur, qui solus officii [*Lips. in marg.* opificii] sui vires rationemque cognoscit : *Ecce*, inquit, *constitui te hodie super gentes et super regna, ut* [e] *evellas et destruas et disperdas et dissipes et ædifices et plantes* (*Jerem.* I). In expulsione enim noxiarum rerum quatuor esse necessaria designavit, id est, evellere, destruere, dispergere, dissipare. In perficiendis vero virtutibus et his quæ ad justitiam pertinent acquirendis, ædificare tantummodo atque plantare. Unde liquido patet difficilius convelli atque eradicari inolitas corporis atque animæ passiones, quam spiritales exstrui plantarique virtutes.

CAPUT IV.

Quod actualis vita erga multas professiones ac studia derivetur.

Hæc [f] igitur practice quæ duobus, ut dictum est,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cta, ut ex sequentibus patebit : quæ et inter dona Spiritus sancti connumeratur : *Et hæc est scientia sanctorum*, ait S. Thomas (2-2, *q.* 10, *art.* 3), *de qua dicitur Sapient.* X : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et dedit illi scientiam sanctorum.*

[a] Theoricam vocat D. Hieronymus in Lament. Hieremiæ. *Una*, inquit, *et sola est theorica, id est, contemplatio Dei, cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum media postponuntur.* Et Dionysius similiter theoricam legit, non theoreticam. Et theoricam etiam substantive accipit Hieronymus, ut hic theoreticen Cassianus (*Col.* I, *c.* 2). At vide cætera quæ de theorica et theoretica alias notavimus.

[b] Gregorius ubi supra (VI *Moral. cap.* 28) exponens illa verba : *Ingredieris in abundantia sepulcrum* (*Job.* V). *Vir*, inquit, *perfectus in abundantia sepulcrum ingreditur; quia prius activæ vitæ opera congregat, et postmodum carnis sensum per contemplationem mortuum huic mundo funditus occultat. Undecunque subditur : Sicut infertur acervus in tempore suo. Actionis namque tempus primum est, contemplationis extremum: unde necesse est ut perfectus quisque prius virtutibus mentem exerceat, atque hanc postmodum in horreum quietis condat.* Et infra : *Hinc est quod Jacob pro Rachel servivit, et Liam accepit, eique dicitur : Non est consuetudinis in terra nostra, ut minores ante tradamus ad nuptias quam majores* (*Gen.* XXIII). *Rachel namque visum principium. Lia autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem, nisi contemplativa; quid per Liam, nisi activa vita signatur? In contemplatione quippe principium, quod Deus est, quæritur; in operatione autem sub gravi necessitatum fasce laboratur. Unde et Rachel pulchra, sed sterilis; Lia autem lippa est, sed fecunda, quia nimirum mens cum contemplando otium appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat : cum vero ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, sed amplius patitur. Post Liæ ergo amplexus ad Rachelem Jacob pervenit; quia perfectus quisque ante activæ vitæ ad fecunditatem jungitur, et post contemplativæ ad requiem copulatur.* Similia habet idem Gregorius homilia 14 in Ezechiel. et Isidorus lib. III de Summo Bono cap. 15. Vide etiam S. Thomam *2-2, q.* 182, art. 1, et Cajetanum ibidem.

[c] Invertit ordinem textus sacri, qui sic habet : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I). LXX Interpr. Spiritus sanctus disciplinæ fugiet dolum, et recedet a cogitationibus stultis.

[d] Activæ vitæ duo sunt officia, sive activa vita in duobus consistit, nempe in expurgatione vitiorum et acquisitione virtutum : quod aliis verbis dixit Psalmista : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI). Quæ sunt prima præcepta sive officia justitiæ Christianæ.

[e] Notat div. Hieronymus illud, quod ex Hebraico addidit, *Dissipes*, sive *depotas*, in LXX non haberi : *Et considerandum*, inquit, *quod quatuor tristibus duo læta succedunt : neque enim ædificari poterant bona, nisi destructa essent mala : nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima*, etc. Huc spectat illud Boethii carmen (*Lib.* III *de Consol. Philosomet.* I) :

> Qui serere ingenuum volet agrum,
> Liberat arva prius fruticibus,
> Falce rubos filicemque resecat,
> Ut nova fruge gravis Ceres eat.
> Tu quoque falsa tuens bona, prius
> Incipe colla jugo retrahere :
> Vera dehinc animum subierint.

[f] Activæ vitæ opera, quamvis multiplici, possunt ad tria genera revocari : quorum primum ea opera

subsistit modis, erga multas professiones studiaque dividitur. [a] Quidam enim summam intentionis suæ erga eremi secreta et cordis constituunt puritatem, ut in præteritis Heliam et Heliseum, nostrisque temporibus beatum Antonium aliosque ejusdem propositi sectatores, familiarissime Deo per silentium solitudinis cohæsisse cognoscimus. Quidam erga institutionem fratrum et pervigilem cœnobiorum curam, omnem studii sui sollicitudinem dederunt; ut nuper abbatem [b] Joannem, qui in vicinia [c] civitatis (*Lips. in marg.* in vicina civitate) cui nomen Thmuis grandi cœnobio præfuit, ac nonnullos ejusdem meriti viros apostolicis etiam signis claruisse meminimus. Quosdam [d] xenodochii et susceptionis pium delectat obsequium, per quod etiam in præteritis Abraham patriarcham et Loth Domino placuisse scimus, et nuper beatum [e] Macarium singularis mansuetudinis ac patientiæ virum, qui xenodochio

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

complectitur, quæ ad propriam emendationem perfectionemque pertinent, ut sunt opera pœnitentiæ, jejunia, vigiliæ, orationes, etc.; de quibus potissimum hic agitur. Secundum ea quæ non sine merito nostro ad animarum conversionem et proximorum salutem spectant, ut opera misericordiæ, quæ dicuntur spiritualia: de quibus div. Gregorius (*Hom. 14 in Ezech.*): *Vita*, inquit, *activa est, errantem corrigere, ad humilitatis vitam superbientem proximum revocare; quæ singulis quibuscum est expediunt, dispensare*, etc. Tertium est eorum quæ cum proprio etiam profectu ad necessitates et usus temporales et corporales nostri aut aliorum diriguntur, quæ dicuntur opera misericordiæ corporalia: de quibus etiam intelligitur illud ejusdem Gregorii: *Quæ singulis quibuscum est expediunt, dispensare; et commissis nobis, qualiter subsistere valeant, providere.*

[a] Hujus loci suffragio usus est div. Thomas ad comprobandam et confirmandam religionum seu religiosorum ordinum varietatem ac diversitatem. Ita enim scribit (2-2, *q.* 148, *art.* 2): *Religionis status ordinatur ad perfectionem charitatis quæ se extendit ad dilectionem Dei et proximi. Ad dilectionem autem Dei directe pertinet contemplativa vita, quæ soli Deo vacare desiderat. Ad dilectionem autem proximi directe pertinet vita activa, quæ deservit necessitatibus proximorum. Et sicut ex charitate diligitur proximus propter Deum, ita etiam obsequium delatum in proximos redundat in Deum, secundum illud Matth.* XXV: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Unde et hujusmodi obsequia proximis facta, in quantum ad Deum referuntur, dicuntur esse sacrificia quædam, secundum illud ad Hebræos ultimo: Beneficentiæ et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Et quia ad religionem proprie pertinet sacrificium Deo offerre, consequens est quod convenienter quædam religiones ad opera vitæ activæ ordinentur: unde in Collationibus Patrum, abbas* Nesteros distinguens diversa religionum studia, dicit: Quidam summam intentionis suæ erga eremi secreta et cordis constituunt puritatem: quidam erga institutionem fratrum et cœnobiorum curam: quosdam Xenodochii, id est, hospitalitatis, delectat obsequium.*

[b] De quo Cassianus lib. v. cap. 27 et 28 et alibi sæpius: cui etiam tribuenda videtur Collatio decima nona Joannis Abbatis nomine inscripta, quantum ex circumstantiis conjicere licet. Cæterum multi alii exstiterunt hujus nominis celebres Anachoretæ, ut videre est in Vitis Patrum, et apud Palladium, et alios.

[c] Ita hoc nomen urbis restituit Ciaconius, cum antea non solum in antiquis codicibus, verum etiam in editione Plantiniana corrupte legeretur Thmuius, vel Thymus. Fuit autem Θμοῦις sive Thmuis, Ægypti oppidum, teste div. Hieronymo in Catalogo. *Aristeas*, inquit, *de urbe Ægypti, quæ vocatur Thmuis.* Rursus ibidem in Serapione: *Serapion* Θμούεως *episcopus, qui ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit*, etc. Ejusdem urbis mentio fit in oraculis Sibyllinis. Ab hirco vero sic dictam tradit idem Hieronymus libro II in Jovinianum, his verbis: *Urbes quoque apud Ægyptios ex animalium vocabulis nuncupantur, Leonto, Cyno, Lyco, Busiris, Thmuis, quod interpretatur hircus.* Et in Esaiæ cap. XLVI: *Pleraque oppida apud Ægyptios ex bestiis et jumentis habent nomina,* κυνῶν *a cane,* Λεών *a leone,* Θμοῦν *lingua Ægyptia ab hirco,* Λυκῶν *a lupo.* Hæc Hieronymus. De eadem civitate Baronius in notis ad Martyrologium (21 *Martii*) hæc annotavit: *Posita hæc civitas erat in ea provincia Ægypti, dicta Schethi, quæ a Schythis Orientalibus Schytai appellata sæpius reperitur. A Schythis enim Ægyptios fuisse debellatos auctor est Justinus Histor. lib.* II. *Quod dicta civitas Thmueos in Schethi fuerit, constat ex epistola S. Germani episcopi Capuani et aliorum legatorum ad Hormisdam papam, quam habemus apud nos manuscr., in qua hæc leguntur de monachis Schethi seu Schythiæ: Isti de sua provincia episcopos accusant, inter quos est Paternus Thmuitanæ civitatis antistes*, etc. Hæc ex notis Baronii.

[d] Xenodochium, id est, domus hospitalis seu hospitium publicum, quo hospites, id est peregrini, excipiuntur: quod genus Hierosolymis primum ab Hircano exstructum fuisse auctores sunt Josephus et Hegesippus (*Joseph.* XIII *Antiquit. cap.* 16, *Hegesipp. lib.* I). Constantinopoli vero Zoticus quidam presbyter Romanum xenodochium erexit tempore Constantini imperatoris (*Baron.* 17 *Martyrol.* 31 *Decemb.*). Sicut itidem Romæ S. Fabiola νοσοκομεῖον id est, infirmorum hospitium, et in portu Romano S. Pammachius xenodochium primi instituisse feruntur. Nam de Fabiola ita D. Hieronymus: *Prima omnium* νοσοκομεῖον *instituit in quo ægrotantes colligeret de plateis, et consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foveret.* Et de xenodochio Pammachii ibidem: *Xenodochium in portu Romano situm totus pariter mundus audivit.* Hæc Hieronymus. Meminit et Palladius (*Lausiac.* VII) xenodochii in monte Nitriæ siti, cui monachi præerant. Ex quibus antiqua xenodochiorum institutio observari potest; unde ordines hospitalariorum nomen accepere.

[e] Duos exstitisse Macarios Ægyptios sanctitatis laude et anachoreticæ vitæ studio celebres alibi notavimus; quorum alter Alexandrinus dictus est, eo quod, ut scribit Palladius (*Lausiac.* XXIX), in Ecclesia Alexandrina functus est presbyterio: alter vero simpliciter Ægyptius est appellatus. De priori autem, sive Alexandrino Macario, hic agi suadere videtur loci circumstantia hic designata, cum apud Alexandrinam xenodochio præfuisse perhibetur: de cujus etiam charitate eximia erga ægrotos et mira abstinentia narrat Palladius hoc præclarum exemplum: *Cum aliquando cupiisset vesci uvis recentibus perbellisque ad se missis, ostendens continentiam eas misit ad alium fratrem laborantem, qui ipse quoque uvas desiderabat. Qui cum eas accepisset, rursus hoc ipsum fecit, etsi ipse valde vesci cuperet. Postquam autem ad multos fratres deinde venerunt uvæ, cum nullus eis vesci voluisset, postremus qui eas acceperat, eas rursus misit ad Macarium, tamquam magnum ei donum largiens. Qui, cum rem curiose inquisitisset, admiratus, et Deo actis gratiis* ob tantam eorum continentiam, ne

* Corrupte in quibusdam legitur, *abbas Nestor*, vel *Nestorius*.

ita apud Alexandriam præfuit, ut nulli eorum qui A solitudinis secreta sectati sunt, inferior sit credendus. Quidam eligentes ægrotantium curam, alii intercessionem quæ pro miseris atque oppressis impenditur, exsequentes, aut doctrinæ instantes, aut eleemosynam pauperibus largientes, inter magnos ac summos viros, pro affectu suo ac pietate viguerunt.

CAPUT V.

De professionis arreptæ perseverantia.

Quapropter hoc unicuique utile atque conveniens est, ut secundum propositum quod elegit, sive gratiam quam accepit, summo studio ac diligentia ad operis arrepti perfectionem pervenire festinet; et aliorum quidem laudans admiransque virtutes, [a] nequaquam a sua quam semel elegit professione disce- B dat, sciens, secundum Apostolum, unum quidem esse corpus Ecclesiæ, multa autem membra, et habere eam donationes secundum gratiam quæ nobis data est differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, sive qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate (*Rom.* XII). Nec enim ulla membra aliorum sibi membrorum possunt ministeria vindicare, quia nec oculi manuum, nec nares aurium utuntur officio : et idcirco non omnes apostoli, non omnes prophetæ, non omnes doctores, non omnes gratias habent curationum, non omnes linguis loquuntur, non omnes interpretantur.

CAPUT VI.

De infirmorum mobilitate.

Solent enim hi qui necdum sunt illa quam arripuerunt professione fundati, cum audierint quosdam in diversis studiis ac virtutibus prædicari, ita eorum laude succendi, ut imitari eorum protinus gestiant disciplinam, in quo irritos necessario impendit conatus humana fragilitas. Impossibile namque est unum eumdemque hominem simul universis quas superius comprehendi, fulgere virtutibus[b]. Quas si quis voluerit pariter affectare, in id eum incidere necesse est, ut dum omnes sequitur, nullam integram consequatur; magisque ex hac mutatione ac varietate dispendium capiat quam profectum. Multis enim viis ad Deum tenditur, et ideo unusquisque illam quam semel arripuerit, irrevocabili cursus sui intentione conficiat, ut sit in qualibet professione perfectus.

CAPUT VII.

Exemplum castitatis quo docetur non omnia ab omnibus æmulanda.

Absque illo dispendio quo feriri monachum diximus, qui mobilitate mentis ad studia cupit transire diversa, etiam hinc periculum mortis incurritur, quod nonnumquam recte quædam ab aliis gesta, malo ab aliis præsumuntur exemplo; et ea quæ nonnullis bene cesserant, perniciosa ab aliis sentiuntur. Nam ut quiddam exempli gratia proferamus, velut si quis illam viri illius imitari virtutem velit, quam solet C [c] abbas Joannes, non ad imitationis formulam, sed

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ipse quidem ex iis tandem comedit. Hæc ibi. Idem etiam aliis verbis refertur in Vitis Patrum.

[a] Locus egregius de transitu ab una religione ad aliam, et stabilitate loci, quam monachi, præsertim Benedictini, ex instituto suæ Regulæ (*Cap.* 10) expresse profitentur : de qua Div. Bernardus lib. de Præcepto et Dispensatione hæc inter alia scribit : *Prescribat stabilitatis pactum* (i. e. votum) *omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago et curioso discursui, totius denique inconstantiæ levitati; non tamen his quæ in professionis serie sequuntur, morum videlicet conversioni et obedientiæ, quæ secundum Regulam fit; nam si hæc ibidem, pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium, obtineri forte nequiverint, duce spiritu libertatis, transire indubitanter suadeo ad locum alium, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Sane de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum, meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio,* D *sive licentia sui senioris* (i. e. prælati) *egredietur. Egressus tamen si melius invenerit et elegerit, meo nihilominus jam consilio non regrediatur ad inferius bonum quod reliquerat et contempserat præ meliori; præsertim si illud melius tale fuerit, quod ejus primæ professioni congruere videatur.* Et paulo post : *Forte vult aliquis de Cluniacensibus institutis ad Cisterciensium sese stringere paupertatem, eligens præ illis nimirum consuetudinibus magis Regulæ puritatem, Si me consulit, non consulo, si non sane id abbatis sui usurparit assensu. Quamobrem? Primo propter scandalum ipsorum, quos deserat. Deinde quia certa pro dubiis relinquere tutum non est. Forsitan enim hoc tenere potest, illud non poterit. Tertio suspectam habeo levitatem, qua id sæpe, quod facere volumus, antequam probemus, experti jam nolumus, uno prope momento idipsum et cupientes et respuentes tam leviter quam irrationabiliter. Quales utique non paucos frequenter experimur, qui una vix hora in una voluntate durantes, aura levitatis impulsi, vagi et instabiles hac et illac velut ebrii, nutant, mutantque pro experimento judicium; immo sine judicio fluctuantes et tumultuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca revisunt; semper quod non habent, cupientes, et quod habent, fastidientes.* Hæc div. Bernardus. Sed de hoc transitu plura si desideras, adi S. Thomam (**2-2**, *q.* 189, *a.* 8).

[b] Ob hanc causam Cassianus lib. V Institutionum cap. 4 ex sententia B. Antonii docet monachum, qui post cœnobiale propositum (i. e. professionem monasticam vel cœnobiticam) fastigia nititur sublimioris perfectionis attingere, atque ad arcam anachoreseos pervenire, non debere ab uno, quamvis summo, universa genera virtutum expetere : *Alius enim,* inquit, *scientiæ floribus exornatur, alter discretionis ratione robustius communitur, alter patientiæ gravitate fundatur; alius humilitatis, alius continentiæ virtute præfertur; alius simplicitatis gratia decoratur. Hic magnanimitatis, ille misericordiæ, iste vigiliarum, hic taciturnitatis, ille laboris studio cæteros supereminet. Et idcirco monachum spiritalia mella condere cupientem, velut apem prudentissimam, debere unamquamque virtutem ab his qui eam familiarius possident deflorare, et in sui pectoris vase diligenter recondere, nec quid minus aliquis habeat, discutere; sed hoc tantum quid virtutis habeat, contemplari, studioseque decerpere. Cunctus namque si ab uno volumus mutuari, aut difficile aut certe numquam idonea ad imitandum nobis exempla poterunt reperiri.*

[c] De quo supra (*Cap.* 6) : si enim alium intelligeret, puto, aliqua nota discriminasset.

tantummodo pro admiratione proferre. Nam quidam veniens ad prædictum senem habitu sæculari, cum ei quasdam frugum suarum primitias detulisset, ferocissimo quemdam dæmonio arreptum ibidem reperit. Qui cum abbatis Joannis obtestationes ac præcepta despiciens, testaretur se numquam ad illius imperium de corpore, quod obsederat, migraturum, hujus adventu perterritus, cum reverentissima nominis illius inclamatione discessit. Cujus tam evidentem [a] gratiam senex non mediocriter admiratus, eoque amplius obstupescens quod eum sæculari cerneret habitu, cœpit ab eo vitæ ac professionis ejus ordinem diligenter inquirere. Cumque ille sæcularem se atque uxorio vinculo obligatum esse dixisset, beatus Joannes excellentiam virtutis ejus et gratiæ mente pertractans, quænam illi esset conversatio attentius explorabat; [b] ille se rusticum et quotidiano manuum opere victum quærere, nec ullius boni esse se conscium testabatur, nisi quod numquam ante ad ruris opera mane exercenda procederet, neque vespere domum reverteretur, nisi in Ecclesia pro quotidianæ vitæ commeatu largitori ejus Deo gratias retulisset, neque se umquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi prius Deo primitias eorum ac decimas obtulisset, et numquam se boves suos per alienæ messis traduxisse confinium, nisi eorum prius ora clausisset, ne vel parum damni per incuriam ejus proximus sustineret. Et cum hæc quoque abbati Joanni, necdum ad comparationem tantæ gratiæ, qua eum prælatum sibi esse cernebat, idonea viderentur, atque ab eo quidnam esset illud quod tantæ gratiæ meritis conferri posset, sciscitans scrutaretur, ille reverentia tam sollicitæ inquisitionis astrictus, uxorem se parentum vi imperioque compulsum, cum profiteri monachum vellet, ante undecim annos accepisse confessus est, quam, nemine etiam nunc conscio, [c] sororis loco a se virginem custodiri testabatur. Quod factum cum audisset senex, tanta est admiratione permotus, ut coram ipso publice proclamaret: Non immerito dæmonem qui se despexerat, illius non tolerasse præsentiam, cujus ipse virtutem non solum in juventutis ardore, sed ne nunc quidem sine discrimine castitatis auderet appetere. Quod factum abbas Joannes licet summa admiratione prætulerit [*Lips. in marg.* protulerit], tamen neminem monachorum, ut experiretur, hortatus est, sciens multa recte ab aliis gesta, magnam aliis imitantibus intulisse perniciem, nec usurpari ab omnibus posse, quod paucis Dominus speciali munere contulisset.

CAPUT VIII.

De spiritali scientia.

Sed ad expositionem scientiæ de qua sumptum est sermonis exordium revertamur. Itaque, sicut superius diximus, practice erga multas professiones ac studia derivatur. [d] Theoretice vero in duas dividitur partes, id est, in historicam interpretationem, et intelligentiam spiritalem. Unde etiam Salomon cum Ecclesiæ multiformem gratiam enumerasset, adjecit: [e] *Omnes enim quid apud eam sunt, vestiti sunt dupliciter* (*Prov.* XXXI). [f] Spiritalis autem scientiæ genera sunt, tropologia, allegoria, anagoge; de quibus in Proverbiis ita dicitur, [g] *Tu autem describe tibi ea tri-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vide quanta sit virtus et gratia castitatis et continentiæ virginalis: quam etiam in laico et rustico homine ferre dæmon non potuit.

[b] Insigne et rarum pietatis exemplum in homine rustico. Similia narrat Palladius in Vita Paphnutii abbatis. Et de S. Antopio simile quippiam refert auctor anonymus in Vitis Patrum lib. VII cap. 15 novæ editionis.

[c] Hoc exemplo docent Patres licere conjugatis ex mutuo consensu continentiam vovere et servare. Cujus rei exstat apud Palladium simile exemplum Ammonis monachi, qui cum invitus uxorem duxisset, decem et octo annos ei cohabitans, sororis loco eam habuit; et se pariter ac illam virginem custodivit. Quod quantum Deo placuerit, inde manifeste innotuit, quod ejus animam S. Antonius in cœlum ab angelis deferri cum summa gloria viderit, ut refert Athanasius in Vita S. Antonii. Alterum itidem simile apud Gregorium Turonensem de Gloria confessorum cap. 32, ubi refert, quod cum ex duobus conjugibus, qui perpetuam continentiam ex consensu servaverant, altera mortua esset, alter in hæc verba prorupit: *Gratias tibi ago, omnipotens Conditor, quod hanc puellam, sicut tradidisti mihi impollutam et ab omni voluptatis contagio puram, ita tibi restituo; illa vero, etiamsi mortua esset, subridens ait: Sile, vir Dei, quia non est necesse proloqui nostrum, nemine interrogante, secretum.*

[d] Theoreticen, sive theoricam scientiam, refert hic abbas potissimum ad cognitionem seu intelligentiam et interpretationem sacrarum Scripturarum, quam docet esse duplicem, nempe historicam sive litteralem, et mysticam sive spiritualem. Historica intelligentia, sive interpretatio, est quam verba Scripturæ primo et immediate præ se ferunt; mystica vero quæ alio respicit quam ad id quod verba immediate significant. Et hos duos sensus docet D. Hieronymus significatos esse per librum scriptum intus et foris. Ezech. II et Apoc. V. Vide collat. 8 cap. 3, et quæ ibi notata.

[e] Variat nonnihil a Græcis codicibus, in quibus nunc ita legitur: Πάντες γὰρ οἱ παρ' ἐνδεδυμένοι εἰσι. Δίσσας χλαίνας ἐποίησε. Id est, *omnes qui apud eam sunt, vestiti sunt. Duplices vestes fecit* (*Prov.* XXXI). Videtur autem Cassianus legisse δίσσως pro δίσσας, id est, *dupliciter* pro *duplices*. Porro Vulgata versio habet: *Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus*. Cujus sententiæ D. Hieronymus aliam affert interpretationem ab ea quæ hic traditur multum diversam; per mulierem illam fortem, Ecclesiam catholicam intelligens.

[f] Aliis verbis triplex Scripturarum sensus mysticus a theologis assignari solet, allegoricus, tropologicus, anagogicus (*S. Thom.* I *part. q.* 1; *Sixtus Senen. lib.* III *Biblioth.*; *Bellar. lib.* III *de Verbo Dei cap.* 3). Allegoricus dicitur qui ad Christum vel Ecclesiam spectat; tropologicus qui ad mores, anagogicus qui ad futuram vitam seu Ecclesiam triumphantem. Ita quatuor in universum assignantur sensus Scripturæ, de quibus vulgares exstant versiculi:

> Littera gesta docet, quid credas allegoria,
> Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

[g] Magna versionum varietas circa hanc sententiam. Vulgata versio: *Ecce descripsi tibi eam tripliciter in*

pliciter, super latitudinem cordis tui (*Prov.* XXII). Itaque historia præteritarum ac visibilium agnitionem complectitur rerum quæ ita ab Apostolo replicatur: [a] *Scriptum est* enim, *quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et alium de libera; sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem* (*Galat.* IV). Ad allegoriam autem pertinent quæ sequuntur, quia ea quæ in veritate gesta sunt, alterius sacramenti formam præfigurasse dicuntur: *Hæc enim*, inquit, *sunt duo testamenta: unum quidem de monte Sina, in servitutem generans, quod* [*Lips. in marg.* quæ] *est Agar: Sina enim mons est in Arabia, qui comparatur huic, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis.* Anagoge vero de spiritalibus mysteriis ad sublimiora quædam et sacratiora cœlorum secreta conscendens, ab Apostolo ita subjicitur. *Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum* (*Ibid.*). Tropologia est moralis explanatio, ad emendationem vitæ et instructionem pertinens actualem, velut si hæc eadem duo Testamenta intelligamus practicen et theoreticen disciplinam; vel certe si Jerusalem aut Sion animam hominis velimus accipere, secundum illud, *Lauda, Jerusalem, Dominum; laula Deum tuum, Sion* (*Psalm.* CXLVII). Igitur prædictæ quatuor figuræ in unum ita A si volumus confluunt, ut [b] una atque eadem Jerusasalem quadrifariam possit intelligi: secundum historiam civitas Judæorum, secundum allegoriam Ecclesia Christi, secundum anagogen civitas Dei illa cœlestis quæ est mater omnium nostrum; secundum tropologiam anima hominis, quæ frequenter hoc nomine aut increpatur, aut laudatur a Domino. De his quatuor interpretationum generibus Apostolus ita dicit: *Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina* (II *Cor.* XIV)? [c] Revelatio namque ad allegoriam pertinet, per quam ea quæ tegit historica narratio spirituali sensu et expositione reserantur, ut, verbi gratia, si illud aperire tentemus, quemB admodum *patres nostri omnes sub nube fuerint, et omnes in Mose baptizati sint in nube et in mari, et* quemadmodum *omnes eamdem escam spiritalem manducaverint, et eumdem spiritalem de consequenti petra biberint potum; petra autem erat Christus* (I *Cor.* X); quæ expositio præfigurationi corporis et sanguinis Christi, quem quotidie sumimus, comparata, allegoriæ continet rationem. Scientia vero quæ similiter ab Apostolo memoratur, tropologia est, qua universa quæ ad discretionem pertinent actualem, utrum utilia vel honesta sint, prudenti examinatione discernimus, ut est illud: Cum apud nosmetipsos *judicare* præcipimur, utrum *deceat mulierem non velato capite*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cogitationibus, et scientia (*Prov.* XXII). LXX: *Et tu autem exscribe ea tibi ipsi tripliciter in consilium et cogitationem.* Chaldæa: *Et ecce, ea scripsi tibi in tribus vicibus, in consiliis et scientia.* Div. Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. 12: *Præcipitur*, inquit, *Salomone dicente: Tu autem describe ea tripliciter in consilio, et scientia, ut respondeas sermones veritatis iis qui proponunt tibi.* Quæ verba sic interpretatur: *Triplex in corde nostro descriptio et regula Scripturarum est: prima ut intelligamus eas juxta historiam, secunda juxta tropologiam, tertia juxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum quæ scripta sunt ordo servatur. In tropologia de littera ad majora consurgimus, et quidquid in priori populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, et ad animæ nostræ emolumenta convertimus. In spirituali θεωρίᾳ ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine et cœlestibus disputamus*, etc. Et in cap. XVI Ezechielis: *Jubetur nobis ut eloquia veritatis, id est, Scripturas sanctas intelligamus tripliciter: primum juxta litteram, secundo medie per tropologiam; tertio sublimius, ut mystica quæque cognoscamus.* Rursus in cap. IV Amos: *Debemus*, ait, *Scripturam sacram primum secundum litteram intelligere, facientes in ethica* [Id est, *in praxi*] *quæcumque præcepta sunt; secundo juxta allegoriam, id est, intelligentiam spiritualem; tertio secundum futurorum beatitudinem.* Hactenus D. Hieronymus. Ex quibus intelligimus distinctionem illam spiritualium sensuum non semper a Patribus accurate observari, aut prædictis vocabulis exprimi, ut notavit card. Bellarminus lib. III de verbo Dei cap. 3. Nam Hieronymus loco citato ad Hedibiam nomine tropologici comprehendit etiam allegoricum. et e contrario in cap. IV Amos nomine allegorici comprehendit tropologicum. At in Ezechielem sub tertia specie, quam vocat *sublimem sacramque intelligentiam*, comprehendit allegoricum et anagogicum.

C [a] Quatuor sensus in hac Apostoli sententia reperiuntur; historicus in his verbis: *Abraham duos filios habuit*; allegoricus in his: *Quæ sunt duo Testamenta*, etc.; tropologicus: *Quomodo tunc is qui secundum carnem*, etc.; anagogicus denique in illis: *Illa autem, quæ sursum est Jerusalem*, etc.

[b] Aliud exemplum quatuor istorum sensuum in uno Jerusalem vocabulo. Quatuor enim modis accipitur Jerusalem in Scripturis: 1° historice pro illa urbe Judæorum notissima, 2° allegorice pro Ecclesia catholica, 3° tropologice pro anima fideli, 4° anagogice pro felicitate æterna seu Ecclesia triumphante. Ita div. Hieronymus (*In cap.* XLIX *Isaiæ, et in Ezech. cap.* XVI) eam vocem quadrifariam interpretatur, et juxta hunc quadruplicem sensum exponi potest psalmus CXLVII: *Lauda, Jerusalem, Dominum.*

[c] Aliter div. Thomas hæc quatuor distinguit et explicat (*In Commentario*): *Illustratio mentis*, inquit, *ad cognoscendum vel est de divinis, et hæc illustratio pertinet ad donum sapientiæ. Divinorum enim est revelatio, quia quæ sunt Dei nemo novit, nisi Spiritus Dei,* I *Corinth.* II; *et ideo dicit: In revelatione, qua scilicet mens illuminatur ad cognoscendum divina. Vel est de terrenis, et non de quibuscumque, sed de illis tantum quæ sunt ad ædificationem fidei, et hoc pertinet ad donum scientiæ; et ideo dicit: In scientia, non geometriæ, nec astrologiæ, quia hæc non pertinent ad ædificationem fidei, sed in scientia quæ est sanctorum. Sap.* X: *Dedit illi scientiam sanctorum. Vel est de eventibus futurorum, et hoc pertinet ad donum prophetiæ, et ideo dicit, Aut in prophetia; quæ sic definitur a Cassiodoro* (*In prologo super Psalmis, cap.* 1): *Prophetia est divina inspiratio rerum futurarum immobili veritate denuntians. Vel est de agendis moralibus, et hoc pertinet ad doctrinam; et ideo dicit, Aut in doctrina. Rom.* XII: *Qui docet in doctrina; et Proverb.* XIII: *Doctrina bona dabit gratiam.*

orare Deum (I *Cor.* XI). Quæ ratio, ut dictum est, moralem continet intellectum. Item prophetia, quam tertio Apostolus intulit loco, anagogen sonat, per quam ad invisibilia ac futura sermo transfertur, ut est illud : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent. Si enim credimus quod Christus mortuus est et resurrexit, ita et Deus eos qui dormierunt, per Jesum adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cælo; et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi* (I *Thess.* IV). Qua exhortationis specie anagoges figura præfertur. Doctrina vero simplicem historiæ expositionis ordinem pandit, in qua nullus occultior intellectus, nisi qui verbis resonat, continetur, sicut est illud : *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die, et quia visus est Cephæ* (I *Cor.* XV). Et : *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (*Galat.* IV). Sive illud : *Audi, Israel, Dominus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI).

CAPUT IX.

Quod de actuali scientia proficiatur ad spiritalem.

Quapropter si vobis cura est ad spiritalis scientiæ lumen, non inanis jactantiæ vitio, sed emundationis gratia pervenire, illius primum beatitudinis cupiditate flammamini, de qua dictum est : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V); ut etiam ad illam de qua angelus ad Danielem ait pervenire possitis : *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, sicut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Daniel.* XII); et in alio propheta : [a] *Illuminate vobis lumen scientiæ dum tempus est* (*Ose.* X). Tenentes itaque illam quam habere vos sentio diligentiam lectionis, omni studio festinate actualem, id est, ethicam, quam primum ad integrum comprehendere disciplinam. Absque hac namque illa quam diximus theoretica puritas non potest apprehendi, quam hi tantum, qui non aliorum docentium verbis, sed propriorum actuum virtute perfecti sunt, post multa operum ac laborum stipendia, jam quasi in præmio consequuntur. Non enim a meditatione legis intelligentiam, sed de fructu operis acquirentes, cum Psalmographo canunt : *A mandatis tuis intellexi* (*Psalm.* CXVIII). Et excoctis passionibus universis, fiducialiter dicunt : *Psallam et intelligam in via immaculata* (*Psalm.* C). Ille enim psallens intelligit quæ canuntur, qui in via immaculata gressu puri cordis innititur. Et ideirco si scientiæ spiritali sacrum in corde vestro vultis tabernaculum præparare, ab omnium vos vitiorum contagione purgate, et curis sæculi præsentis exuite. Impossibile namque est animam quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritualium sensuum, aut tenacem sacrarum lectionum fieri. Observate igitur in primis, et maxime tu, [b] Joannes, cui magis ad custodienda hæc quæ dicturus sum, ætas adhuc adolescentior suffragatur, ne studium lectionis ac desiderii tui labor vana elatione cassetur, [c] ut indicas

ALARDI GAZEI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata versio : *Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ; innovate vobis novale : tempus autem requirendi Dominum, cum venerit, qui docebit vos justitiam Dei.* Div. Hieronymus : *Pro eo*, inquit, *quod nos diximus : Metite in ore misericordiæ, LXX transtulerunt, Vindemiate fructum vitæ* (*Ose.* X).

[b] Joannem Cassianum alloquitur, cui adhuc juveni, et in sacri studii et doctrinæ tirociniis agenti, atque ad rerum divinarum cognitionem anhelanti, taciturnitatem et silentium, ut maxime conveniens ac necessarium, studiose commendat. Quis vero crederet Cassianum id de seipso proditurum et scriptis mandaturum fuisse, nisi ad ædificationem instructionemque juniorum monachorum judicasset expedire? quemadmodum div. Augustinum Ecclesiæ doctorem eximium delicta juventutis suæ et ignorantias suas in libris Confessionum, ad Dei gloriam, sui humiliationem et aliorum utilitatem, enarrare palamque deplorando profiteri non puduit. Porro eamdem silentii legem Cassiano monacho (nostro, ut reor, Cassiano), utpote suo quondam apud Chrysostomum familiari collegæ et condiscipulo, gravissimus ille idemque sanctissimus Isidorus Pelusiotes serio commendavit (*Lib.* I, *epist.* 309 *edit. Billiano*), dum nimiam ejus dicacitatem et linguæ intemperantiam, in ipso præsertim vitæ monasticæ tirocinio, notavit et coercuit his ad eum scriptis : *Te caducam et corruptioni obnoxiam vitam fugisse atque ad monasticum studium cursu contendisse audio, atque interim tamen procacem ac petulantem linguam habere ac temere loqui. Quod quidem nihil aliud est quam murum firmum atque hostibus inaccessum exstruere, ipsisque portam ad ingressum apertam relinquere. Quod si et murum ab omni periculo liberum servare cupis, atque hostibus te firmum ac robustum ostendere, linguam, quam maxime poteris, in potestate tene, a qua et celeres et ingentes ruinæ contingunt.* Hæc Isidorus. Cujus salutari monitione Cassianum haud parum profecisse, ac linguam deinceps in sua potestate tenuisse, magnumque ori suo silentium indixisse, vel ex hoc colligimus, quod alias etiam notavimus, quod fere in omnibus his Collationibus solum Germanum socium suum cum illis Patribus collocutum commemorat, cum ipse interea præsens et taciturnus eos audiret, eorumque dicta et responsa memoriæ commendaret, quæ postea litterarum monumentis consignavit.

[c] Locus peculiaris, de religioso silentio, monachis omnibus, maxime junioribus et sacræ doctrinæ candidatis, excolendo et observando, dignus certe qui nonnullis SS. Patrum sententiis et exemplis eodem spectantibus amplificetur et illustretur; cum præsertim alias occurrente ejus mentione et commendatione, eam tractationem in hunc locum retulerimus. Quod igitur ad sententias Patrum attinet, cum in hoc genere innumeræ afferri possent, nulla tamen huic loco accommodatior et cumulatior quam doctrina sanctiss. Patris nostri Benedicti, qui, descripta et præscripta monasticæ obedientiæ norma, nihil prius habuit quam ut discipulos suos, id est, cœnobitas, ad taciturnitatis et silentii studium et amorem invitaret, ita exhortans (*Cap.* 6 *Regulæ*) : *Faciamus quod ait propheta : Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXVIII). *Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere monachus,*

summum ori tuo silentium. Hic est enim primus disciplinæ actualis ingressus : *Omnis* quippe *labor hominis in ore ipsius* (*Eccles.* VI); et ut omnium seniorum instituta atque sententias intento corde et quasi muto ore suscipias; ac diligenter in pectore tuo condens, ad perficienda ea potius quam ad docenda festines. Ex hoc enim cenodoxiæ perniciosa præsumptio, ex illo autem fructus spiritalis scientiæ pullulabunt. Nihil itaque in collatione seniorum proferre audeas, nisi quod interrogare te aut ignoratio nocitura, aut ratio necessariæ cognitionis impulerit, ut quidam vanæ gloriæ amore distenti, pro ostentatione doctrinæ, ea quæ optime norunt interrogare se simulant. Impossibile enim est eum qui proposito acquirendæ laudis humanæ, studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri. Nam qui hac passione devictus [*Lips. in marg.* devinctus] est, ne- A cesse est ut aliis quoque et maxime superbiæ vitiis obligetur, et ita in actuali atque ethica congressione prostratus, scientiam spiritalem quæ ex ea nascitur minime consequetur. Esto ergo per omnia *citus ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Jac.* I), ne cadat in te illud quod notatur a Salomone : [a] *Si videris virum velocem in verbis, scito quia spem habet insipiens magis quam ille* (*Prov.* XXIX). Nec quemquam verbis docere præsumas, quod opere ante non feceris. Hunc enim nos ordinem tenere debere, etiam exemplis suis Dominus noster instituit, de quo ita dicitur : *Quæ cœpit Jesus facere et docere* (*Actor.* I). Cave ergo ne ante actum prosiliens ad docendum, in illorum numero deputeris, de quibus in Evangelio Dominus ad discipulos suos loquitur : *Quæ dicunt* B *vobis servate et facite, secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. Alligant autem*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quanto magis a malis verbis propter pœnam peccati debet cessare! In quæ verba commentans Turrecrematus, decem rationes affert ob quas silentii et taciturnitatis gravitas religiosis præcipue amanda sit, e quibus quatuor dumtaxat præcipuus et huic loco quem tractamus maxime consentaneas annotasse sufficerit : *Primo*, inquit, *quia per illam homo evitat multa peccata, quæ ex loquacitate oriri solent. Et hanc causam inducit S. Pater Benedictus, cum ait : Quia scriptum est : In multiloquio non effugies peccatum* (*Prov.* X). *Climacus in libro de Scala Spirituali, gradu* 11, *qui est de loquacitate : Loquacitas*, inquit, *est ignorantiæ certum argumentum, detractionis janua, scurrilitatis dux, mendacii opifex, compunctionis desolatio, acediæ auctor sive evocatrix, somni præcursor, intentæ fixæque cogitationis dissipatio custodiæ exterminatio, et ideo bene dicitur Ecclesiastici* X : *Qui multis utitur verbis, lædit animam suam. Secundum causa, quia taciturnitas multum convenit statui et conditioni discipulorum; cujusmodi sunt viri religiosi, qui in schola virtutum continue se exercent. Nam ut dicit Sidonius in epist.* 21, *Pythagoras adeuntibus discipulis prius legitur tacendi patientiam quam loquendi monstrasse doctrinam. Et ut ait Hieronymus in epist. ad Nepotianum : Hippocrates adjuravit discipulos, antequam eos doceret, et in verba sua jurare compulit, et juramenti extorsit silentium. Et hanc rationem inducit B. P. Benedictus dicens : Nam loqui et docere magistrum condecet, tacere et audire discipulo convenit. Tertia ratio, quia hoc exposcere videtur ipsum religiosi nomen, quod a religando originem traxit, teste beato Augustino* (*Lib. de Vera Religione cap.* 55, *et lib.* I *Retract. c.* 13), *ut illud in primis membrum religare studeas quod religatione maxime opus habet, nempe linguam. Unde Sapiens monet : Verbis tuis fucito stateram, et frenos oris tui rectos. Et religiosissimus David orat : Pone, Domine, custodiam ori meo* (*Psal.* CV), etc. *Beatus vero Jacobus peremptoriam fert sententiam : Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam,* D *sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (Jac. I). *Hinc Arsenio ad perfectionem et religiosam vitam tendenti vox de cœlo facta est dicens : Arseni, fuge, et tace, et quiesce* (*In Vitis Patrum*). *Quarta, quia taciturnitas maxime juvat, et disponit ad contemplationem et collocutionem cum Deo. Climacus ubi supra* (*Gradu* 11) : *Studiosus silentii appropiat Deo, ipsique jugiter in abscondito cordis assistens illustratur a eo. Thren.* III : *Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Et sequitur : Sedebit solitarius, et tacebit, quia levabit se supra se, id est, supra conditionem humanam. Quibus verbis ad vivum depingi videtur verus religiosæ vitæ cultor, verusque monachus, id est, solitarius, ut notavit div. Hieronymus in epist. ad Eustochium* (*Epist.* 22). Hactenus sententiæ et rationes a Turrecremato productæ de silentio monachorum. Jam ut ad exempla Patrum veniamus, qui silentium arctissime in religiosa vita eremitica vel cœnobitica coluerunt, habes imprimis in Vitis Patrum discipulum S. Antonii Paulum Simplicem, qui ob linguæ lapsum, quia quæsierat num Christus ante prophetas vixisset, triennii silentium ori suo indixit; et Agathonem abbatem, qui lapillo ori imposito tacere didicit, et ad annos tres siluit. *Pambo vel Pambus abbas*, ut est in Historia Tripartita (*Lib.* VIII c. 1), *cum sine litteris esset, accessit ad quemdam ut doceretur psalmum. Et cum audisset primum versum psalmi trigesimi octavi : Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, secundum versum non passus est audire, dicens : Si potuero opere hoc implere, hic versus tantummodo mihi sufficiet. Multo deinde tempore post reversus, cum interrogaretur, cur tamdiu ad magistrum redire distulisset,* C *nondum se illud quod didicerat perfecisse dixit.* Ammonius, teste Palladio (*Lausiac.* 48), pater ter mille monachorum Tabennensium, tantum cum illis exercuit silentium, ut viderentur esse in solitudine, unoquoque occulte peragente suum vitæ institutum. Theonas quoque abbas, teste eodem (*Lausiac.* 50), vir sanctus in domuncula inclusus tempore tringinta annorum silentium exercuit. Joannes Silentiarius ex episcopo solitarius, teste Cyrillo monacho ejus synchrono, totos 47 annos usque ad annum ætatis 104 siluit. Severus Sulpitius, auctore B. Hieronymo in Catalogo illustrium virorum, *a Pelagianis deceptus, agnoscens loquacitatis culpam, silentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum quod loquendo contraxerat tacendo penitus emendaret.* S. Thomas Aquinas doctor Angelicus in adolescentia silentium tantopere coluit, ut alias notavimus, ut apud condiscipulos bovis muti nomen obtinuerit. Albertus vero Magnus cum in disputationibus eximium ejus explorasset ingenium, deprehenderetque quorsum tenderet istud silentium : *Bos*, inquit, *iste talem aliquando edet mugitum, ut sonum ejus totus orbis exaudiat.* Hæc de silentio cursim annotata sufficiant, nam ad alia explicanda properamus.

[a] Vulgata versio : *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correctio* (*Prov.* XXIX). Ubi div. Hieronymus apposite ad hunc locum : *Grave quidem vitium stultitiæ, sed non levius est verbositatis. Nam sæpe contingit ut idiota aliquis, et ipsarum quoque inscius litterarum, citius verbi salutiferæ correctionis accipiat quam is qui affluentia præditus sermonis, magis sua quæ novit, vel quæ se nosse autumat, jactanter proferre quam dicta sapientium audire contendit.*

onera gravia et importabilia, et imponunt ea super humeros hominum; ipsi autem digito suo nolunt ea movere (*Matth.* XXII). Si enim ille [a] *qui unum mandatum minimum solvens docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* V); qui multa et majora negligens docere præsumpserit, consequens profecto est ut jam non minimus in regno cœlorum, sed in gehennæ supplicio maximus habeatur. Et ideo cavendum tibi est ne illorum ad docendum inciteris exemplis, qui peritiam disputandi ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt ea quæ voluerint ornate copioseque disserere, scientiam spiritalem possidere creduntur ab his qui vim ejus et qualitatem discernere non noverunt. Aliud namque est facilitatem oris et nitorem habere sermonis, et aliud venas ac medullas cœlestium intrare dictorum, ac profunda et abscondita sacramenta purissimo cordis oculo contemplari, quod nullatenus humana doctrina, nec eruditio sæcularis, sed sola puritas mentis per illuminationem sancti Spiritus obtinebit.

CAPUT X.

De apprehendenda veræ scientiæ disciplina.

Festinandum igitur tibi est, si ad veram Scripturarum scientiam vis pervenire, ut humilitatem cordis immobilem primitus consequaris, quæ te non ad illam quæ inflat, sed ad eam quæ illuminat scientiam charitatis consummatione perducat. [b] Impossibile namque est immundam mentem donum scientiæ spiritalis adipisci. Et idcirco omni cautione devita ne tibi per studium lectionis, non scientiæ lumen, nec illa perpetua quæ per illuminationem doctrinæ promittitur gloria, sed instrumenta perditionis de arrogantiæ vanitate nascantur. Deinde hoc tibi est omnimodis enitendum, ut, expulsa omni sollicitudine et cogitatione terrena, [c] assiduum te ac potius jugem sacræ præbeas lectioni, donec continua meditatio imbuat mentem tuam et quasi in similitudinem sui formet, [d] arcam quodammodo ex ea faciens Testamenti, haut et manus operetur cibum, et animus lectione saturetur. Et ad Lætam de Institutione filiæ (*Epist.* 7) : *Orationi lectio, lectioni succedat oratio.* In Epistolam ad Ephes. V : *Omni studio legendæ nobis Scripturæ sunt, et in lege Domini meditandum die ac nocte; ut probati trapezitæ sciamus quis nummus probus sit, quis adulter.* D. item Benedictus pluribus in locis suæ Regulæ (*Cap.* 38, 42 *et* 43) lectionem sacram suis cœnobitis commendat, jubetque certis horis in ea occupari, præsertim diebus dominicis, et in Quadragesima; et inter instrumenta bonorum operum ponit *lectiones sanctas libenter audire.* Ubi vide duodecim utilitates lectionis sacræ apud Turrecrematum fuse explicatas : quas Smaragdus abbas paucioribus verbis ita complexus est : *Lectionis sacræ cognitio cultoribus suis sensus acumen ministrat, intellectum multiplicat, torporem excutit, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, salubrem gemitum facit, et lacrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facundiam, æterna laborantibus promittit præmia, spiritales divitias auget; vaniloquium vanitatesque compescit, et desiderium Christi patriæque cœlestis accendit. Quæ semper orationi socia semperque debet esse connexa. Orationibus enim mundamur, lectionibus autem instruimur. Et ideo qui vult cum Deo semper esse, frequenter orare, frequenter debet legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur; cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Omnis ergo profectus ex lectione, oratione et meditatione procedit. Quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ autem didicerimus, meditationibus conservamus; et ut conservata a nobis impleantur, oratione adipiscimur* (*Bernard. serm.* 50 *ad sororem*).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Div. Gregorius homil. 12 in Evangelia : *Mandatum,* inquit, *solvit et docet, qui non vult opere implere quod docet. Quomodo ergo in eo minimus vocabitur, qui ad hoc nullo modo intrare permittitur? Quid itaque per hanc sententiam, nisi præsens Ecclesia regnum cœlorum dicitur? In qua doctor qui mandatum solverit, minimus vocatur; quia cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur.*

[b] Superiori cap. dixit : *Impossibile namque animam quæ mundanis vel tenuiter distentionibus occupatur, donum scientiæ promereri, vel generatricem spiritalium sensuum aut tenacem sacrarum lectionum fieri.* Et iterum : *Impossibile est eum qui proposito acquirendæ laudis humanæ, studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri.* Rursus cap. 14 : *Impossibile est immundam animam, quantalibet desudaverit lectionis instantia, adipisci scientiam spiritalem.* Et cap. 16 : *Nullus in quo adhuc carnalium passionum, et maxime fornicationis, dominatur affectus, spiritalem poterit scientiam possidere.* Quomodo autem, et quo sensu veræ sint hujusmodi sententiæ, cum videas multos malos, immo pessimos, homines magna Scripturarum scientia pollere, alibi est utcumque explicatum, et infra plenius explicatur cap. 14. Libet tamen hic addere quæ de hoc argumento tam diserte quam erudite scribit R. P. Pererius lib. XV suorum Commentariorum in Danielem : *Possunt quidem,* inquit, *etiam improbi multa de rebus divinis intelligentia consequi : nam et in summis flagitiis sæpe fidem divinam retinent, quæ velut quædam lux est humanæ menti ad intelligendas aliquatenus res sacras; et scientia sacrarum litterarum inter gratias gratis datas numeratur : ideoque sceleratis etiam hominibus donari potest. Verum isti divinas quidem res intelligunt, sed non ut par est. Nuda enim est, et jejuna, ipsisque infructuosa ea cognitio, quippe principali effectu et fructu caret : hic autem est Dei amor, et obedientia, vitiorum curatio, emendatio vitæ, recta morum institutio, studium juvandi quam plurimos, et ad salutem æternam adducendi; ut uno verbo dicam, intenta et frequens in omnium virtutum cultu honestarumque rerum tractatione exercitatio.* Hucusque Pererius.

[c] Ita div. Hieronymus ad Nepotianum (*Epist.* 2 *et* 4) : *Divinas Scripturas sæpius lege, immo numquam de manibus tuis deponantur.* Et ad Rusticum monachum : *Numquam de manu tua et oculis tuis recedat liber. Discatur psalterium ad verbum; ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis; scribantur libri,*

[d] Spectat illa verba Apostoli ad Hebræos IX : *Arcam Testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ Testamenti.* Quomodo dicat Apostolus urnam auream manna continentem et virgam Aaron fuisse in arca Testamenti asservatas, cum III Regum VIII dicatur non fuisse aliud in arca nisi duas tabulas lapideas, quas posuit Moyses, non est hujus loci discutere. Sufficit ex sententia Apostoli hæc tria fuisse aliquando in arca Testamenti, quæ moraliter hic et tropologice ad mentem sive animam veri religiosi, sive hominis perfecti, referuntur, quemadmodum et Origenes eamdem arcam retulit : *Arca aurea,* inquiens (*Homil.* 11 *super Numeros*), *in qua sunt tabulæ Testamenti, ut opinor, non aliud quam mens nostra esse declaratur, in qua legem*

bentem in se scilicet duas tabulas lapideas, id est, duplicis instrumenti perpetuam firmitatem; urnam quoque auream, hoc est, memoriam puram atque sinceram, quæ reconditum in se manna perpetua tenacitate conservet, spiritalium scilicet sensuum et angelici illius panis perennem cœlestemque dulcedinem; nec non etiam virgam Aaron, id est, summi verique pontificis nostri Jesu Christi salutare vexillum, immortalis memoriæ semper viriditate frondescens. Hæc namque est virga quæ posteaquam de radice Jesse succisa est, vivacius mortificata revirescit. [a] Hæc autem omnia duobus cherubim, id est, historicæ et spiritalis scientiæ plenitudine proteguntur. [b] Cherubim enim interpretatur scientiæ multitudo, quæ propitiatorium Dei, id est, placiditatem pectoris tui jugiter protegent, et a cunctis spiritalium nequitiarum incursibus obumbrabunt. Et ita mens tua non solum in arcam divini Testamenti, verum etiam in regnum sacerdotale provecta, per indissolubilem puritatis affectum, quodammodo absorpta spiritalibus disciplinis, illud implebit pontificale mandatum, quod a legislatore ita præcipitur : *Et de sanctis non egredietur, ne polluat sanctuarium Dei* (*Levit.* XXI), id est, cor suum, in quo jugiter habitaturum se Dominus repromittit, dicens : *Inhabitabo in eis, et inter illos ambulabo* (*Levit.* XXVI; II *Cor.* VI). Quamobrem diligenter memoriæ commendanda est et [c] incessabiliter recensenda sacrarum series Scripturarum. [d] Hæc etenim meditationis jugitas duplicem nobis confert fructum. Primum quod dum in legendis ac parandis lectionibus occupatur mentis intentio, [e] necesse est ut nullis noxiarum cogitationum laqueis captivetur; deinde quod ea quæ creberrima repetitione percursa, dum memoriæ tradere laboramus, intelligere id temporis obligata mente non quivimus, postea ab omnium actuum ac visionum illecebris, præcipueque nocturna meditatione taciti revoltentes, clarius intuemur, ita ut occultissimorum sensuum, quos ne tenui quidem vigilantes opinatione percepimus, quiescentibus nobis et vel soporis stupore demersis, intelligentia reveletur.

CAPUT XI.

De multiplici intellectu divinarum Scripturarum.

Crescente autem per hoc studium innovatione mentis nostræ, etiam Scripturarum facies incipiet innovari, et sacratioris intelligentiæ pulchritudo quodammodo cum proficiente proficiet. [f] Pro capacitate enim humanorum sensuum, earum quoque species coaptatur, et vel terrena carnalibus, vel divina spiritalibus apparebit, ita ut hi quibus antea videbatur

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Dei debemus habere descriptam. Hæc autem mens aurea debet esse, id est, pura et pretiosa, in qua legem Dei semper habeamus descriptam, sicut dicit Apostolus : Scriptam non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tubulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, etc. (II *Cor.* III). At D. Gregorius hæc de prælatis et rectoribus peculiariter interpretatur, in quorum mentibus, velut id arca Testamenti, debet esse cognitio divinæ legis, quæ per tabulas designatur, et manna dulcedinis, seu mansuetudinis, et virga districtionis et severitatis : *Miscenda est*, inquit (*Libr.* XX *Moral. cap.* 6 *et Epistol. lib.* I *c.* 24), *lenitas cum severitate, et faciendum quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subjecti, neque nimia benignitate solvantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est; quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni pastoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis.* De aliis significationibus arcæ Testamenti, vide Origenem lib. III in Epist. ad Romanos, Ambrosium in epist. ad Hebræos cap. IX, Isidorum super Exodum cap. XLIII et Bernardum in sermone quodam de Beata Maria tom. II.

[a] Alludit ad illud quod subjicit Apostolus ibidem : *Superque eam* (arcam) *erant cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium.*

[b] Consentiunt Patres, Dionysius Areopagita cœlestis hierarchiæ cap. 7 : *Sanctos quidem seraphim ii, qui Hebrææ linguæ periti sunt, incendentes, sive inflammantes; cherubim vero multitudinem scientiæ, sive sapientiæ effusionem significare aiunt.* Div. Hieronymus epist. 103 : *Verum Cherubim quod interpretatur scientiæ multitudo,* etc. Gregorius XXXIII Moral. cap. 25. *Cherub plenitudo scientiæ interpretatur.* Vide eumdem homil. 25 in Evangelia.

[c] Id est, frequentissime legenda, scrutanda, meditanda : eo sc. modo, quo illud exponitur : *Sine intermissione orate*, et illud psal. I : *Et in lege ejus meditabitur die, ac nocte*, et similia : non enim significatur non posse hominem justum aut religiosum vel ad punctum temporis a lectione et meditatione divinæ legis vacare; sed frequentissime debere animum ad legis præcepta revocare, lectioni et orationi frequenter incumbere, et divinæ legis suæque professionis memorem semper esse, dum aliquid cogitandum, dicendum, faciendum occurrit; præsertim ubi periculum est ne justitia vel religio violetur (*Vide supra Collat.* 10 *cap.* 4).

[d] Utilitates sacræ lectionis et meditationis superius exposuimus : quibus adde duplices hic recensitas, Quas itidem notavit Isidorus lib. III de Summo Bono, cap. 8 : *Geminum*, inquiens, *confert donum lectio sanctorum Scripturarum, sive quod intellectum mentis erudit, seu quod a mundi vanitatibus hominem abstractum ad amorem Dei perducit.* Idemque Smaragdus ubi supra.

[e] Div. Ambrosius in quodam sermone (*Serm. de jejunio Domini*) : *Sacrarum litterarum lectio ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit, et insidias a nobis diabolicæ tentationis excludit.* Chrysostomus homil. 25 in Genesim : *Quod ad augendas corporis vires sensibilis cibus facit, id animæ lectio Bibliorum præstat. Spirituale enim alimentum est, et fortem reddit animam et constantem, non permittens ut a cogitationibus absurdis capiatur; sed levem et alatam faciens, in cælum ipsum, ut dicitur, transfert.* D. Augustino hoc itidem remedium suggestum est, ut e cœno luxuriosæ vitæ tandem emergeret. Nam ut ipse refert in libris Confessionum (*Lib.* VIII *c.* 12), cum se sub quadam fici arbore stravisset, cum lacrymis divinam implorans gratiam, vocemque audisset : *Tolle, lege; tolle, lege;* concitus rediit ad locum ubi codicem Apostoli reposuerat. *Arripui*, inquiens, *aperui et legi in silentio capitulum quo primum conjecti sunt oculi mei : Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XII); et, *Curam carnis ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.*

[f] Physicum est axioma : *Quidquid est in recipiente, est per modum recipientis, quod hic aptare licet.*

crassis quibusdam nebulis involuta, nec subtilitatem ejus deprehendere, nec fulgorem valeant sustinere. Sed ut hoc ipsum quod astruere nitimur, aliquo clarius pandatur exemplo, unum legis testimonium protulisse sufficiat, per quod etiam omnia præcepta cœlestia secundum mensuram status nostri ad omne hominum genus probemus extendi. Scriptum est in lege : *Non fornicaberis* (*Exod.*, XX). Hoc ab homine carnalium adhuc obscenitatum passionibus obligato secundum simplicem litteræ sonum salubriter custoditur. Ab eo autem qui jam ab hac actione lutulenta et impuro discessit affectu, [a] necesse est idipsum spiritaliter observari, ut scilicet non solum a cæremoniis idolorum, sed etiam ab omni superstitione gentilium et auguriorum omniumque signorum et dierum ac temporum observatione discedat, vel certe ne quorumdam verborum aut nominum conjecturis, quæ sinceritatem fidei nostræ polluunt, implicetur. Hac enim fornicatione etiam Jerusalem dicitur constuprata, quæ *fornicata est in omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso* (*Jerem.* III). Et quam Dominus iterum increpans per prophetam : *Stent*, inquit, *et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi* (*Isaiæ* XLVII). De qua fornicatione et alibi arguens eos Dominus, ait : *Spiritus fornicationis decepit eos, et fornicati sunt a Deo suo* (*Ose.* IV). Quisquis vero a gemina hac fornicatione discesserit, habebit tertiam quam devitet, quæ in lege et Judaismi superstitionibus continetur. De quibus Apostolus : *Dies*, inquit, *observatis et menses et tempora et annos* (*Galat.* IV). Et iterum : *Ne tetigeris, ne gustaveris, neque conjecturaveris* (*Coloss.* II). Quæ de superstitionibus, legis dicta esse non dubium est, in quas si quis inciderit, proculdubio mœchatus a Christo, ab Apostolo non meretur audire : *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI); sed illud ad eum quod sequitur voce ejusdem Apostoli dirigetur : *Timeo autem vos, ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri a simplicitate quæ est in Christo Jesu* (*Ibid.*). Quod si immunditiam hujus quoque fornicationis effugerit, habebit quartam quæ hæretici dogmatis adulterio perpetratur. De qua idem B. Apostolus : *Ego*, inquit, *scio, quia post discussionem meam intrabunt lupi graves in vos, non parcentes gregi, et ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se* (*Actor.* XX). Hanc etiam qui potuerit declinare, caveat ne subtiliore peccato in fornicationis vitium collabatur, quæ scilicet in cogitationum pervagatione consistit, quia omnis cogitatio non solum turpis, sed etiam otiosa, a Deo quantulumcumque discedens, a perfecto viro immundissima fornicatio deputatur.

CAPUT XII.

Interrogatio, quomodo possit ad oblivionem sæcularium carminum perveniri.

Germanus : Ad hæc ego occulta primum compunctione permotus, ac deinde graviter ingemiscens, Hæc, inquam, omnia quæ copiosissime digessisti majora mihi intulerunt desperationis augmenta quam hactenus sustinebam. Quippe cui præter illas generales animæ [b] captivitates, quibus non dubito infirmos quosque pulsari extrinsecus, [c] speciale

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Notat hic quatuor species fornicationis spiritalis. Prima est idololatria; secunda, omnis superstitio gentilium, in auguriis et observationibus dierum et temporum; tertia, superstitio Judaica in cæremoniis legalibus. Quarta, hæresis. Addit et quintam speciem, generalem fornicationem, quæ est omne peccatum quo quis a Deo avertitur et ad creaturam convertitur. De qua fornicatione div. Augustinus lib. II Confessionum cap. 6 : *Fornicatur*, inquit, *anima, cum avertitur abs te, et quærit extra te, quæ pura et liquida non invenit, nisi cum redit ad te.* Et libro contra Adimantum cap. 7 : *Est autem animæ fornicatio aversio a fecunditate sapientiæ, et ad conceptum temporalium illecebrarum corruptionumque conversio.*

[b] Id est, innatas et ingenitas tum animi tum corporis infirmitates et miserias omnibus hominibus communes quibus quasi vinculis anima in corpore, velut in carcere captiva constringitur, deprimitur ac distinetur. Quas animæ captivitates in se deplorans Apostolus, *Infelix*, ait, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII)? easque paucis his verbis complexus div. Bernardus (*Serm.* 5 *in Dedicat.*) : *Quid necesse est singulas ejus miserias numerare, quam sit onerosa peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis et ignorantiæ impleta?*

[c] Horum occasione verborum quæri posset num expediat monachis studere aut studuisse liberalibus disciplinis, grammaticæ, poeticæ, rhetoricæ, philosophiæ, et similibus? Apparet enim ex hoc loco id non modo inutile monacho, verum etiam noxium et perniciosum censeri; quandoquidem orationi et meditationi magnum afferat incommodum, ac proinde salutis impedimentum, dum mens historiarum, fabularum, carminum, etc., recordatione in oratione distrahitur, et a sanctioribus exercitiis et occupationibus, hujusmodi phantasmatibus avocatur, ut hic abbas Germanus in seipso expertus et dolens testatur. Cui accedit gravissima auctoritas et exemplum memorabile div. Hieronymi, qui se eam ob causam graves pœnas divinitus luisse commemorat, quod Ciceronem avidius et frequentius lectitaret, rem ita enarrans in epistola ad Eustochium (*Epist.* 20) : *Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sorore, cognatis, et, quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter cœlorum me regna castrassem, et Hierosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio ac labore confeceram, carere omnino non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam; post noctium crebras vigilias, post lacrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus; si quando in memetipsum reversus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus; et quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum culpam esse putabam, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, media ferme Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, et sine ulla requie : quod dictu quoque incredibile sit, sic infelicia membra depasta est, ut ossibus vix hærerem. Interim parantur exsequiæ, et vitalis animæ calor, toto frigescente jam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat; cum subito raptus in spiritu, ad tribunal Judicis pertrahor, ubi tantum luminis et tantum erat ex circum-*

impedimentum salutis accedit, pro illa quam tenuiter videor attigisse notitia litterarum, in qua me ita vel

A instantia pædagogi, vel continuæ lectionis macera-vit intentio, ut nunc mens mea poeticis velut infecta

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

stantium claritate fulgoris, ut projectus in terram sursum aspicere non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat : Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus : Ubi enim thesaurus tuus, ibi et cor tuum (*Matth.* v). *Illico obmutui, et inter verbera* (*nam cædi me jusserat*), *conscientiæ magis igne torquebar, illum mecum versiculum reputans : In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI)? *Clamare autem cœpi, et ejulans dicere : Miserere mei, Domine, miserere mei : hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsidentis genua provoluti, qui astabant precabantur ut veniam tribueret adolescentiæ, et errori locum pœnitentiæ commodaret, exacturus deinde cruciatum, si gentilium litterarum libros aliquando legissem. Ego qui in tanto constrictus articulo, vellem etiam majora promittere, dejerare cœpi, et nomen ejus obtestans dicere : Domine, si umquam habuero codices sæculares, si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus revertor ad superos, et mi-* B *rantibus cunctis oculos aperio, tanto lacrymarum imbre perfusos, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur : testis est tribunal illud ante quod jacui ; testis judicium triste, quod timui ; ita mihi numquam contingat in talem incidere quæstionem ; liventes fateor habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legerem.* Hactenus div. Hieronymus. Dubitant porro nonnulli an hæc vere et realiter, an imaginarie tantum ei in somnis contigerint, hoc est, an revera vapularit, vereque ad Christi tribunal raptus fuerit S. Hieronymus. Qua de re egregiam habet disputationem R. P. Nicol. Serarius societatis Jesu insignis theologus, productis in utramque partem multis argumentis (*In prolegom. Biblic. cap.* 28). Certe qui Hieronymi verba attendit, dubitare vix potest historiam ab eo verissimam describi. Sed utut sit, hoc certe fatendum est, div. Hieronymum si non vera, saltem imaginaria illa vapulatione et flagellatione, C sui officii fuisse divinitus admonitum, et a Ciceronis aliorumque gentilium nimio studio et lectione coercitum. Quibus tamen non obstantibus, dico perquam utile et honestum esse monachos et religiosos omnes liberalibus disciplinis institui, aut his a juventute instructos et excultos esse, idque multiplici ratione e sacris canonibus et antiquitatis exemplis petita. Primum ratione sacerdotii, cum monachi omnes hoc tempore, non, ut olim, inter laicos censeantur, sed ad clericatum et ordines sacros, et denique ad sacerdotium, opportuno tempore, cessante legitimo impedimento, promoveri jubeantur. Sic enim Clement. V, in concilio Viennensi, *ad ampliationem cultus divini statuit ut monachi quilibet ad monitionem sui abbatis se faciant ad omnes ordines sacros* (*excusatione cessante legitima*) *promoveri* (*Clement. Ne in agro, de statu monach.*). Quod si litteraturam aliquam et scientiam saltem linguæ Latinæ, etiam in minoribus ordinibus requirit Ecclesia (*Concil. Trident. ss.* 23, *cap.* 11, *de Reformat.*), immo ab eorum susceptione arcet omnino illitteratos (*Apud Gratian dist.* 36, *cap. Illitteratos*); quanto magis in majoribus, præsertim in sacerdotio, ne in illam sententiam impingatur qua Dominus per prophetam dicit : *Quia tu scientiam repulisti, repellam te et ego, ne sacerdotio fungaris mihi* (*Ose.* IV). Et si monachis Pachomianis, id temporis certe laicis, legimus injunctum, *ut omnino nullus esset in monasterio qui non edisceret litteras et de Scripturis aliquid teneret* (ut habet articulus 80 Regulæ S. Pachomii), quanto magis id sanciri et servari debet in domiciliis cœnobiisque monachorum, utique clericorum! Hinc pontifex ibidem subdit : *Ut ipsis monachis proficiendi in scientia via opportuna non desit, in singulis ipsorum monasteriis*, quibus ad hoc suppetunt *facultates, idoneus teneatur magister, qui eos in primitivis scientiis instruat diligenter* (*Concil. Colon.* c. 30 *et* 31). Ubi primitivas scientias vocat grammaticam, logicam et philosophiam, ut exposuit Benedictus XII pontifex in sua constitutione Benedictina (*Constit. Bened.* XII, *ad tit. de litterarum Palæstra*), cujus verba mox citabimus (*Cap.* 6).

Secundo ratione studii theologici, quod monachis omnibus maxime commendatur, cui inferiores scientiæ subserviunt. Unde Benedictus pontifex loco citato : *Quia*, inquit, *per exercitium lectionis acquiritur scientiæ margarita, et per studium sacræ paginæ ad cognitionem excellentiæ divinæ familiarius pervenitur, ac per agnitionem humani juris animus rationabilior efficitur, et ad justitiam certius informatur ; nos cupientes ut viri ejusdem ordinis seu religionis in agro Dominico laborantes, in primitivis, ac deinde in divini et humani canonici, videlicet jurium, scientiis instruantur ; constitutioni Clementis papæ, quinti, et prædecessoris nostri, de monachis in scientiis instruendis, infra monasteria quibus degunt editæ, inhærentes : illam volumus et præcipimus firmiter observari ; et nihilominus adjiciendo statuimus, et ordinamus, ut in quibuslibet ecclesiis cathedralibus, monasteriis, prioratibus, et aliis conventualibus et solemnibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates ordinis seu religionis hujusmodi, deinceps habeatur magister* (*Vide cap. Quia nonnullis, de magistris*), *qui monachos eorum doceat in hujusmodi scientiis primitivis, videlicet grammatica, logica et philosophia*, etc. Eodem spectat decretum concilii Tridentini (*Sess.* 5, *cap.* 1. *de reformat.*), quo statuitur ut in omnibus monasteriis lectio theologica habeatur. Porro licet ad theologiæ qualecumque studium et aliquam Scripturarum lectionem et intelligentiam, profanas scientias, rhetoricam, philosophiam, aliasque id genus disciplinas prænosse ac prædidicisse minime necesse sit, ad perfectiorem tamen ac utiliorem necessarias esse, vel certe, ut minimum, perutiles, C nemo negaverit. Quod SS. Patres et Ecclesiæ doctores Scripturarum peritissimi, et summi theologi, non suo tantum exemplo, sed scriptis etiam et auctoritatibus docuerunt. Div. Hieronymus magno oratori Romano quærenti cur in *opusculis suis* sæcularium litterarum exempla poneret, et candorem Ecclesiæ ethnicorum sordibus pollueret, ut ipse aiebat, respondens, qua ratione et quorum exemplo id faciat, et faciendum approbet, late exponit, hæc inter alia scribens (*Epist.* 84) : *Quis enim nescit, et in Moyse, et in Prophetarum voluminibus quædam assumpta de gentilium libris ; et Salomonem philosophis Tyri et nonnulla proposuisse, et aliqua respondisse? Unde in exordio Proverbiorum* (*Prov.* 1) *commonet ut intelligamus sermones prudentiæ, versutiasque verborum, parabolas, et obscurum sermonem, dicta sapientum, et ænigmata, quæ proprie dialecticorum et philosophorum sunt. Sed et Paulus apostolus Epimenidis poetæ abusus versiculo est, scribens ad Titum* : Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί, id est, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri* (Tit. 11). *Cujus heroici hemistichium postea Callimachus usurpavit. In alia quoque epistola, Menandri pœnil senarium,* Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, id est, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala* (1 Cor. XV), *et apud Athenienses in Martis curia disputans, Aratum testem vocat : Ipsius enim et genus sumus* (Actor XVII), *quod Græce dicitur :* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *et est clausula versus heroici. Et ne parum hoc esset, doctor Christiani exercitus, et orator invictus, pro Christo causam agens, etiam inscriptionem fortuitam torquet in argumentum fidei. Didicerat enim a vero David extorquere de manibus hostium gladium et Goliæ superbissimi caput proprio mucrone truncare* (1 *Reg.* XVII). Legerat in *Deuteronomio Domini voce præceptum, ne*

carminibus, illas fabularum nugas historiasque bellorum quibus a parvulo primis studiorum imbuta est

A rudimentis, orationis etiam tempore meditetur, psallentique, vel pro peccatorum indulgentia supplicant

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

lieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos, et ungues corporis amputandos, et sic eam habendam in conjugio (*Deut.* XXI). *Quid ergo mirum si et ego sapientiam sæcularem propter eloquii venustatem et membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Israelitidem facere cupio? Etsi quidquid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado, et mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth?* Ita div. Hieronymus. S. Augustinus lib. II de Doctrina Christiana (*Cap.* 16 *et seqq.*), non modo philosophiam theologo utilem esse docet, sed et rhetoricam, poeticam, dialecticam, politicam, arithmeticam, historiam, et generatim quidquid a gentilibus rationi congruenter, acute ingenioseque inventum, memoriæque proditum est. Augustinum imitatus Cassiodorus libro instit. divin. lectionum : *Quidquid*, ait, *in Scripturis divinis de talibus rebus* (artibus ac disciplinis liberalibus) *inventum fuerit, præcedenti notitia melius probatur intelligi; constat enim quasi in origine per Spiritum sapientiæ rerum istarum indicia fuisse seminata, quæ postea doctores sæcularium litterarum ad suas regulas prudentissime transtulerunt.* Et cap. 25, cosmographiam commendat; cap. 26 et 27, grammaticam, rhetoricam, dialecticam, geometriam, arithmeticam, astronomicam, aliamque omnem liberalem disciplinam : *Est enim*, inquit, *rerum istarum proculdubio, sicut et patribus nostris visum est, utilis et non refugienda cognitio, quando eam in litteris sacris, tamquam in origine generalis perfectæque sapientiæ ubique reperis esse diffusam.* Rursus cap. 28 : *Multi patres nostri talibus litteris eruditi, et in lege Domini permanentes ad veram sapientiam pervenerunt; sicut beatus Augustinus, lib. de Doct. Christiana, meminit dicens : Non aspicimus quanto auro et argento, et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus et doctor suavissimus, et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Et ut de vivis taceam, quanto innumerabiles Græci?* Hæc ille. Quibus adde div. Ambrosium, Hieronymum, ipsumque Augustinum, aliosque Patres, quos in omni genere sæcularium scientiarum excelluisse constat. Quid, quod olim pleraque monasteria, præsertim Benedictinorum fuisse videantur studiosorum gymnasia, et scholæ sacrarum litterarum, aliarumque disciplinarum, non quod ab initio in hunc potissimum finem erecta atque instituta fuerint monasteria, ut in iis litterarum studia publice exercerentur, ut hæretici nugantur; sed quia cum pietatis ac religionis studio conjunctæ in plerisque monasteriis bene institutis maxime floruerint (*Vide Hieron. Platii lib.* II *de Bono Relig. cap.* 32 *et* 33), et multis temporibus, cum alibi pene ab omnibus destitutæ contemptui haberentur, sedem sibi ac domicilium apud monachos retinuerint, atque inde multos præclarissimos viros, pontifices, doctores, antistites, sanctitatis et doctrinæ laude insignes, Ecclesiæ catholicæ subsidio et ornamento produxerint, et velut lucernas ardentes super candelabrum erexerint, *Ut lucerent omnibus qui in domo Dei sunt* (*Matth.* V *et Luc.* XVI). Cujus rei testis locupletissimus Joannes Trithemius lib. I de Viris Illust. ordinis div. Benedicti, cujus egregia narratione, licet satis prolixa, ad majorem hujus rei fidem ac perspicuitatem visum operæ pretium hunc locum illustrare : *A principio*, inquit (*Cap.* 6; *vide eumdem in Chron. Hirsaug. anno* 952), *ordinis nostri, usque ad tempora Henrici imperatoris quarti, multi viri doctissimi in eo floruerunt, sicut in secundo libro hujus opusculi, ex parte, quantum poterimus, explicabimur. Nam adhuc sancto Benedicto vivente, et ordine per diversa terrarum spatia diffuso, plerique nobiles eruditissimique juvenes monasticis institutis secundum Regulam ejus colla submiserunt, qui non solum in Scripturis divinis, sed etiam in sæcularibus litteris peritissimi habebantur. E quibus clarissimus ille senator Cassiodorus, vir undecumque doctissimus, senatoria dignitate deposita, pro Dei amore monachus cœnobialis efficitur. Succedente vero tempore summum monachis erat studium Scripturarum, et in omnibus disciplinis bonarum artium amor discendi continuus. Nam qui docti ad conversionem venerant, minoribus fratribus præcepta discendi utiliter ministrabant; nec minor ætas proficiendi desiderium impedire potuit, quæ magistrorum imperio regebatur. Ut vero paucos e pluribus in exemplum demus, Bonifacium et Rabanum archiepiscopos Moguntinos, Bedam quoque presbyterum intueamur; quorum primus Bonifacius adhuc puer quinque annorum, in Anglia, monasterio traditur, ubi in tantum profecit jugi studio Scripturarum, ut doctor et apostolus Germanorum habeatur. Exstant ejus ad diversos elegantes epistolæ. Exstant et varia syntagmata,* B *quibus ingenii ejus vena redundans fluenta sacræ doctrinæ effudit. Rabanus etiam, qui etiam Bonifacio in archiepiscopatu sextus in ordine successit, in monasterio Fuldensi puer ad conversionem venit; qui quantum in Scripturarum scientia profecerit, infinita pene testantur volumina quæ composuit. Et non solum in expositione sacrarum litterarum, sed etiam in omnibus humanitatis artibus peritissimus fuit. Quantum in poesi valuerit, atque carminibus, mirabile opus de sancta cruce indicat: quantum in historiis veterum exercitatus fuerit, insigne volumen ejus de Universo prænotatum declarat. Rhetoricæ artis notitia in scriptis et epistolis ejus copiose relucere dignoscitur. Beda monachus et presbyter venerabilis, toto notus in orbe, cum esset annorum septem, a parentibus cœnobio traditur, cujus opera in universa Ecclesia laudibus attolluntur. Illi sanctissimi viri, atque in Scripturis peritissimi doctores, quidquid de scientia Scripturarum norunt, in monasteriis sub Regula ordinis didicerunt. Non mittebantur causa discendi ad externas nationes, cum in cœnobiis* C *semper haberent bonarum artium præceptores. Taceo de cæteris pluribus eruditissimis viris, ad monasticam in pueritia venientes, tam doctrina quam sanctitate gloriosi effulserunt. Magna in eis fervebat devotio; arsit in eorum mentibus regularis disciplinæ zelus commendandus, qui eos numquam sinebat esse otiosos. Salvo enim officio divino, cui omnes devote insistebant, de reliquo, monachi studio vacabant Scripturarum, quibus non solum illuminabantur intellectu, sed etium compungebantur affectu. In exercitio monachorum sancto semper viget amor, qui eos de lectione ad orationis vigilantiam vocat studiosos. Nam qui se in sacris Scripturis amplius exercitassent, vacantibus horis, studio et expositionibus earumdem intendebant, libros conficientes, et varios tractatus, quibus studia fratrum suorum ad Deum quotidie provocabant. Cæteri autem fratres, juxta quod Regula vetat, otio non vacabant, sed post orationes operi manuum directe insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, et a doctoribus* D *edita ex schedis ad mundum redigebant. Alii scriptos codices artificiose conglutinabant; nullius manus huic sancto deerat officio; gaudebant se omnes participes haberi studiorum, quæ in expositionibus Scripturarum gerebantur. Juniores etiam fratres disciplinis instituebantur scholasticis, prout unicuique eorum conveniebat : alii in grammatica, alii in orthographia, in rhetorica nonnulli vel dialectica; quidam in musica, arithmetica, et arte computistica; alii in philosophia; atque alii in his jam fundati ad Scripturas introducebantur theorcticas; nullus in cœnobiis locus dabatur otio, sed suis studiis atque laboribus singuli insistebant. Unde etiam multi sanctissimi doctissimique in omni scientia Scripturarum viri eum magna laude nominis sui et ordinis evaserunt. Hæc Trithemius de doctoribus nostri ordinis et mirabili studio monachorum antiquitus,*

aut impudens poemàtum memoria suggeratur, aut quasi bellantium heroum ante oculos imago versetur, taliumque me phantasmatum imaginatio semper eludens, ita mentem meam ad supernos intuitus aspirare non patitur, ut quotidianis fletibus non possit expelli.

CAPUT XIII.

Responsio, quo pacto memoriam eorum possimus abolere.

Nesteros : De hac ipsa re unde tibi purgationis maxima nascitur desperatio, [a] citum satis atque efficax remedium poterit oboriri, si eamdem diligentiam atque instantiam quam te in illis sæcularibus studiis habuisse dixisti, ad spiritalium Scripturarum volueris lectionem meditationemque transferre. Necesse est enim mentem tuam tamdiu illis carminibus occupari, quamdiu sibi aliqua quæ intra semetipsam recolat, simili studio et assiduitate conquirat, ac pro illis infructuosis atque terrenis, spiritualia atque divina parturiat. Quæ cum profunde alteque conceperit, atque in illis fuerit enutrita, vel expelli priores sensim poterunt, vel penitus aboleri. Vacare enim cunctis cogitationibus humana mens non potest, et ideo quamdiu spiritualibus studiis non fuerit occupata, necesse est eam illis quæ pridem didicit implicari. Quamdiu enim non habuerit quo recurrat, et indefessos exerceat motus, necesse est ut ad illa quibus ab infantia imbuta est, collabatur, eaque semper revolvat quæ longo usu ac meditatione concepit. Ut igitur hæc in te scientia spiritalis perpetua soliditate roboretur, nec ea jam temporarie perfruaris, sicut illi qui eam non suo studio, sed aliena relatione contingunt, et velut aereo, ut ita dixerim, odore percipiunt, sed ut sensibus tuis inviscerata quodammodo et perspecta atque palpata condatur, illud omni observantia custodire te convenit, ut etiamsi ea quæ optime nosti, forte audieris in collatione proferri, [b] non ex hoc quod tibi jam nota sint, aspernanter fastidioseque suscipias, sed ea cordi tuo illa aviditate commendes, qua debent desiderabilis salutis verba, vel auribus nostris indesinenter infundi, vel de nostro ore jugiter proferri. Quamvis enim adhibeatur sanctarum rerum crebra narratio, numquam tamen animæ, sitim veræ scientiæ sustinenti, satietas generabit horrorem, sed ea quotidie velut nova ac desiderata suscipiens; quanto frequentius hauserit, tanto avidius vel audiet, vel loquetur, et confirmationem potius perceptæ scientiæ ex eorum repetitione quam ullum ex frequenti capiet collatione fastidium. Evidens namque est tepidæ ac superbæ mentis indicium, si verborum salutarium medicinam, quamvis studio nimiæ assiduitatis ingestam, fastidiose negligenterque suscipiat. [c] *Anima* enim *quæ in satietate est, favis illudit; animæ autem egenti etiam amara dulcia videntur* (*Prov.* XXVII). Si itaque hæc diligenter excepta, et in recessu mentis condita atque indicta, fuerint taciturnitate signata, postea ut vina quædam suave olentia et lætificantia cor hominis, cum sen-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ut præfert titulus ejus capitis. His demum accedit tertia ratio administrationum sive spiritualium, sive temporalium, quas monachi tum in monasteriis, tum extra monasteria exercere debent ; nec tamen possunt convenienter, religiose, prudenterque, ut par est, nisi multa et varia rerum cognitione, usu et exercitatione præditi atque instructi, ut per se notum est. Quis enim alios regere, docere, concionari, confessiones excipere, aliaque munera ecclesiastica rite administrare possit, si litterarum expers aut non mediocriter saltem in eis versatus fuerit? Quis vero temporalem œconomiam, ut par est, exercere, monasterii negotia procurare, bona itidem communia recte administrare (quod ex decreto Concilii Tridentini (*Sess.* 25, *c.* 2, *de Regularibus*) ad solos officiales pertinet), nisi arithmeticæ, politicæ, œconomicæ, aliarumque hujusmodi disciplinarum uteumque gnarus et peritus? Quamobrem optime consulunt prælati suis monachis et cœnobitis, ac de suis itidem monasteriis optime merentur, dum illos hujusmodi scientiis liberalibus a juventute imbui atque ab optimis et scientissimis præceptoribus more veterum informari curant, quibus pro suo quisque captu ad munia sive spiritualia sive temporalia suo tempore exercenda idoneus efficiatur, et vel lectione, vel alia functione et exercitatione occupatus, otium, quo nihil in religione perniciosius, sedulo devitet, et ad majora pietatis et doctrinæ incrementa quotidie magis ac magis provehatur.

Ad id vero quod superius ex sententia Germani abbatis objiciebatur, facile responderi potest hujusmodi incommodum sive impedimentum, quod subinde orantibus aut meditantibus ex poetarum vel historiarum lectione provenit, dum mens earum rerum recordatione distrahitur, multis aliis commodis et utilitatibus abunde compensari; nec tantam vim habere, ut orationis vel meditationis fructum, nisi volentibus et consentientibus, nobis auferre vel impedire queat; deinde monachos hoc tempore non soli contemplationi vacare debere, ut illi solitarii monachi et anachoretæ antiquitus solebant, sed multis operibus et exercitiis vitæ activæ, pro cujusque ordinis et religionis instituto, quibus illa scientiarum adjumenta maxime conducant. Quod si meliorum magisque necessariarum ac utilium *rerum studium* et cogitationem obturbent istiusmodi profana, conandum sane ut e memoria deleantur et eradantur, ut sapientissime monet abbas Nesteros. Sin vero suis locis et temporibus coerceantur, et opportune ad divinam gloriam assumantur, eorum certe non est procuranda oblivio, ut ex dictis patet.

Ad exemplum D. Hieronymi respondet Serarius, non Ciceronis et Plauti, quos ibi nominatim recenset, non aliorum gentilium lectionem in Hieronymo castigabilem et, aut vere, aut imaginarie, per quasdam rerum species et phantasmata, castigatam, et reprehensam fuisse; sed ipsum lectionis modum. Primo quia hosce auctores avidius, frequentius, diligentiusque quam sacras litteras legeret, cum præsertim sæculum jam deseruisset, solitudinem petiisset, Deoque deberet vacare omnium maxime; secundo, quod præ his profanis auctoribus sacras litteras fastidiret, et stylum Scripturæ velut incultum et insipidum horreret; ut ipsemet profitetur.

[a] Contraria enim contrariis curantur, et clavus clavum expellit.

[b] Notent hæc qui conciones aut exhortationes sæpius auditas aut sibi notas aspernantur aut fastidiunt ; quibus illud congruit, quod in Actis Apostolorum legitur : *Athenienses ad nihil aliud vocabunt, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi* (*Actor.* XXVII).

[c] De hac sententia vide notata superius (*Collat.* XII, *cap.* 5), et D. Gregorium lib. VII Moral. cap. 7.

sus canitie et patientiæ fuerint vetustate decocta, cum magna sui fragrantia de vase tui pectoris proferentur, et tamquam perennis fons de experientiæ venis et irriguis virtutum meatibus redundabunt, fluentaque continua velut de quadam abysso tui cordis effundent. Eveniet namque in te illud quod in Proverbiis ad illum dicitur qui hæc opere consummavit : [a] *Bibe aquas de tuis vasis, et de puteorum tuorum fonte supereffluant tibi aquæ de tuo fonte, in tuas autem plateas pertranseant aquæ tuæ* (*Prov.* v). Ac secundum Isaiam prophetam, *eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non dificient aquæ, et ædificabuntur in te deserta a sæculis, fundamenta generationis et generationis suscitabis, et vocaberis ædificator sepium, avertens semitas iniquitatum* (*Isaiæ* LVIII). Illa etiam tibi beatitudo proveniet, quam idem propheta promittit : *Et non faciet Dominus avolare a te ultra doctorem tuum, et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc via, ambulate in ea, neque ad dextram neque ad sinistram* (*Isaiæ* XXX). Atque ita fiet ut non solum omnis directio ac meditatio cordis tui, verum etiam cunctæ evagationes atque discursus cogitationum tuarum, sint tibi divinæ legis sancta et incessabilis ruminatio.

CAPUT XIV.

Quod immunda anima neque tradere neque percipere possit scientiam spiritalem.

Impossibile est autem hæc, sicut præfati sumus, inexpertum quemquam vel agnoscere vel docere. Nam qui nè ad percipiendum quidem capax est, quomodo erit idoneus ad tradendum? De quibus tamen etiamsi aliquid docere præsumpserit, ineffícax proculdubio et inutilis usque ad aures tantummodo audientium ejus sermo perveniet, cor autem eorum penetrare non poterit, inertia operum et infructuositate suæ proditus vanitatis; quia non de thesauro bonæ promitur conscientiæ, sed de inani jactantiæ præsumptione. Impossibile namque est immundam animam quantalibet desudaverit lectionis instantia, adipisci scientiam spiritalem. Nemo enim in vas fetidum atque corruptum unguentum aliquod nobile aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit. Facilius enim quamvis [b] odoratissimum myrum semel horrendis imbuta fetoribus testa contaminat, quam ut aliquid ex eo suavitatis aut gratiæ ipsa concipiat; quia multo citius munda corrumpuntur, quam corrupta mundantur. Ita igitur et vas pectoris nostri nisi prius fuerit ab omni fetidissima vitiorum contagione purgatum, non merebitur suscipere illud benedictionis unguentum de quo dicitur per Prophetam : *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aâron, quod descendit in oram vestimenti ejus* (*Psal.* CXXXII); nec illam scientiam spiritalem et eloquia Scripturarum, quæ *dulciore* sunt *super mel et favum* (*Psal.* XVIII), impolluta servabit. *Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci cum tenebris? Quæ autem conventio Christi ad Belial* (II *Cor.* VI)?

CAPUT XV.

Objectio de eo quod multi immundi scientiam habeant, et sancti non habeant.

Germanus : Definitio ista nequaquam videtur nobis veritate fulciri, aut probabili ratione subnixa. Cum enim omnes qui fidem Christi aut nequaquam suscipiunt, aut impia dogmatum pravitate corrumpunt, immundi cordis esse manifestum sit, quomodo multi Judæorum atque hæreticorum, vel etiam catholicorum qui diversis vitiis involvuntur, perfectam Scripturarum scientiam consecuti, de spiritalis doctrinæ magnitudine gloriantur; et econtra sanctorum vivorum innumera multitudo, quorum cor ab omni peccatorum contagione purgatum est, simplicis fidei puritate contenta [*Lips. in marg.* contecta], profundioris scientiæ ignorat arcana? Quemadmodum ergo stabit ista sententia quæ scientiam spiritalem soli cordis tribuit puritati?

CAPUT XVI.

Responsio quod mali scientiam veram habere non possunt.

Nesteros : Haud recte virtutem definitionis explorat, qui non omnia diligenter prolatæ sententiæ verba perpendit. Prædiximus namque hujusmodi homines disputandi tantum habere peritiam, et elocutionis ornatum, cæterum Scripturarum venas et arcana

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita etiam legit D. Hieronymus in cap. XXXII Ezechielis, ex translatione LXX. Vulgata autem lectio : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui : deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide* (*Prov.* V). Quæ verba enarrans D. Gregorius in Pastorali (*Par.* III, 25) : *Aquam,* inquit, *prædicator de sua cisterna bibit, cum ad cor suum rediens prius audit ipse quod dicit. Bibit idem sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi bene subjungitur : Deriventur fontes tui foras et in plateis aquas divide. Rectum quippe est ut ipse prius bibat, et tunc prædicando aliis influat : fontes quippe foras derivare, est exterius aliis vim prædicationis infundere; in plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine juxta uniuscujusque qualitatem divina eloquia dispensare,* etc. Vide etiam S. Ambrosium lib. de Paradiso cap. 3.

[b] Myrum, ait Ciaconius, sive μύρον, Græcis unguentum est; unguenta autem olim odoratissima ac pretiosissima fieri solere etiam div. Joannes in Evangelio testatur, cum narrat Mariam accepisse libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxisse pedes Jesu, domumque impletam fuisse ex odore unguenti. Utitur hac voce tamquam Latina, Hilarius in Psalmum CXXXII : *Aaron,* inquit (*Cap.* XII), *myro confusionis ungitur.* Et paulo post : *Ut igitur hoc myrum omnes fetentes odores exstinguit.* Et S. Hieronymus, vel Rufinus potius, in translatione commentariorum Origenis in Epistolam ad Romanos cap. V hæc habet : *Vel iterum cum peccatricem mulierem non prohibebat contingere pedes suos, vel lacrymis rigare, vel capillis tergere, vel myro perungere.* In excusis Cassianis legebatur : *odoratissimam myrrham,* aut vitiosius *odoratissimum myrrhum.* Hæc Ciaconius, quem in hac correctione secuti sumus.

spiritalium sensuum intrare non posse.[a] Etenim vera scientia non nisi a veris Dei cultoribus possidetur, quam is utique non habet populus, cui dicitur : *Audi, populе stulte, qui non habes cor, qui habetis oculos et non videtis, et aures et non auditis* (*Jerem.* v). Et iterum : *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne mihi sacerdotio fungaris* (*Ose.* IV). Cum enim *in Christo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* esse dicantur (*Coloss.* III), quomodo is qui Christum invenire contempsit, aut inventum sacrilego ore blasphemavit, aut certe catholicam fidem immundis operibus polluit, veram scientiam assecutus esse credendus est? *Spiritus enim Dei disciplinæ effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sapient.* I). Non ergo alias ad scientiam spiritalem nisi hoc ordine pervenitur, quem unus prophetarum eleganter expressit, dicens : *Seminate vobis ad justitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ* (*Ose.* X). Primum ergo seminandum nobis est ad justitiam, hoc est, ut actualem perfectionem operibus justitiæ propagemus; deinde metenda est nobis spes vitæ, id est, virtutum spiritualium fructus, expulsione vitiorum carnalium congregandi, et ita illuminare nobis lumen scientiæ poterimus. Quem ordinem etiam Psalmographus teneri debere decernit, dicens : *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia ejus* (*Psal.* CXVIII). Non enim prius dixit : *Beati qui scrutantur testimonia ejus*, et post intulit : *Beati immaculati in via*; sed prius, inquit, *beati immaculati in via* : per hoc evidenter ostendens, neminem recte posse ad perscrutanda Dei testimonia pervenire, nisi prius per actualem conversationem in via Christi immaculatus incedat. Hi ergo, quos dixisti, non istam quam immundi habere non possunt, sed τῆς[b] ψευδωνύμου, hoc est, falsi nominis scientiam possident, de qua beatus Apostolus : *O*, inquit, *Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ* (I *Tim.* VI), quod in Græco dicitur : ἐκτρεπόμενος τὰς βεβήλους[c] κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. De istis ergo qui imaginem quamdam scientiæ videntur acquirere, vel de his qui cum sacrorum voluminum lectioni ac memoriæ Scripturarum diligenter insistant, carnalia tamen vitia non relinquunt, in Proverbiis eleganter exprimitur :[d] *Sicut inauris aurea in naribus suis, ita mulieri male moratæ species* (*Prov.* XI). Quid enim prodest quempiam ornamentum eloquiorum cœlestium et illam pretiosissimam Scripturarum speciem consequi, si eam, lutulentis operibus vel sensibus inhærendo, quasi immundissimam terram subigendo confringat, aut cœnosis libidinum suarum polluat volutabris? Fiet enim ut id quod recte utentibus decori esse consuevit, non solum istos ornare non possit, verum etiam majoris cœni colluvione sordescat. *Ex ore* enim *peccatore non est pulchra laudatio* (*Eccli.* XV) : Cui dicitur per Prophetam, *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* XLIX)? De hujusmodi animabus, quæ nequaquam stabiliter timorem Domini possidentes (de quo dicitur, [e] *Timor Domini disciplina et sapientia est*) Scripturarum acquirere sensum de jugi earum meditatione conantur, satis proprie in Proverbiis memoratur : [f] *Ut quid fuerint* [Lips. in marg. *ad quid sunt*] *divitiæ insipienti? Possidere enim sapientiam excors non poterit* (*Prov.* XV, *sec.* LXX). In tantum vero ab illa eruditione sæculari quæ carnalium vitiorum sorde polluitur, vera hæc et spiritalis scientia submovetur, ut [g] eam in nonnullis elinguibus ac pene illitteratis sciamus nonnumquam mirabiliter viguisse. Quod in apostolis multisque etiam sanctis viris evidentissime comprobatur, qui non inani philosophorum *delectabantur* luxuria, sed veris spiritalis scientiæ *fructibus* cur-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Veram hic scientiam Dei vocat, quam supra spiritualem, id est, cum vera pietate et gratia Spiritus sancti conjunctam; quæ certe cum immunditia carnis, vel spurcitiis aliisque similibus vitiis consistere nequit, et non nisi a veris Dei cultoribus possidetur. Huc spectat doctrina S. Thomæ (2-2, *q.* 10, *art.* 3), qua donum scientiæ (quod hic Auctor vocat scientiam spiritalem) confert cum dono intellectus, cum sit utrumque donum Spiritus sancti apud Isaiam; *Sicut dictum est*, inquit, *de dono intellectus, quod non quicumque intelligit, habet donum intellectus; sed qui intelligit, quasi ex habitu gratiæ : ita etiam de donoscientiæ intelligendum, quod illi soli donum scientiæ habeant, qui ex infusione gratiæ rectum judicium habent circa credenda et agenda, ita quod in nullo devient a rectitudine justitiæ. Et hæc est scientia sanctorum, de qua dicitur Sap.* X : *Justum deduxit Dominus per vias rectas, et dedit illi scientiam sanctorum.*

[b] Ψευδώνυμος a ψευδής, id est, falsus ac mendax; et ὄνομα, quod est nomen.

[c] Id est, vocum inanitates, seu vanitates, ut Chrysostomus, et OEcumenius legunt. At noster interpres legit καινοφωνίας, id est, vocum novitates, quomodo etiam legit div. Ambrosius. Porro Ciaconius et alii postrema tantum verba referunt, ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Dionysius more suo Græca omittit.

[d] Ita ex Græca translatione : Vulgata autem : *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua.* Hujus sententiæ tres sensus affert div. Hieronymus; secundus huic loco maxime proprius et accommodatus est hic : *Qui ornamentum divinorum eloquiorum meditando consequitur, sed male vivendo insequitur, circulum aureum habet in naribus; sed more suis terram subigere non desistit, quia quod odore justitiæ percepit, immunda actione sordidavit. Ideoque talis anima pulchra et fatua esse censetur, quia carnalibus dedita illecebris pulchra est per scientiam, sed per actionem fatua.*

[e] Vulgata editio : *Timor Domini disciplina sapientiæ.*

[f] Vulgata, *Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?*

[g] De talibus vide annotationem satis amplam ad lib. V Institutionum cap. 34 et Cassianum ibid. cap. 33 : *Vidimus*, inquit, *abbatem Theodorum summa sanctitate et perfecta scientia præditum non solum in actuali vita, sed etiam notitia Scripturarum; quam ei non tam studium lectionis vel litteratura mundi contulerat quam sola puritas cordis, siquidem vix ipsius quoque Græcæ linguæ perpauca verba aut intelligere posset, aut proloqui.*

vabantur. De quibus et in Actibus Apostolorum scriptum est : *Videntes autem Petri constantiam et Joannis, et comperto quod homines essent sine litteris et idiotæ, admirabantur* (*Actor.* IV). Et idcirco si tibi curæ est ad ejus immarcescibilem fragrantiam pervenire, cunctis primum conatibus elabora, ut a Domino puritatem castitatis obtineas. Nullus enim in quo adhuc carnalium passionum et maxime fornicationis dominatur affectus, spiritalem poterit scientiam possidere. *In corde* enim *bono requiescet sapientia; et qui timet Deum, inveniet scientiam cum justitia* (*Prov.* XIV). Hoc autem quo prædiximus ordine ad spiritalem scientiam perveniri, etiam beatus Apostolus docet. Nam cum universarum virtutum suarum non solum catalogum texere, verum etiam ordinem earum vellet exponere, ut quæ quam sequeretur vel quæ quam parturiret exprimeret, post aliquanta intulit, dicens : [a] *In vigiliis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta* (I *Cor.* VI). In qua conjugatione virtutum evidentissime nos voluit erudire, de vigiliis atque jejuniis ad castitatem, de castitate ad scientiam, de scientia ad longanimitatem, de longanimitate ad suavitatem, de suavitate ad Spiritum sanctum, de Spiritu sancto ad charitatis non fictæ præmia pervenire. Cum igitur hac disciplina atque hoc ordine tu quoque perveneris ad scientiam spiritalem, habebis proculdubio, sicut diximus, nec sterilem, nec inertem, sed vivam fructuosamque doctrinam, semenque salutaris verbi, quod cum a te fuerit audientium cordibus commendatum, subsequens Spiritus sancti imber largissimus fecundabit, ac secundum id quod pollicitus est propheta, *dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terra, et panis frugum terræ tuæ erit uberrimus et pinguis* (*Isaiæ* XXX).

CAPUT XVII.

Quibus ratio perfectionis debeat aperiri.

Cave [b] etiam ne hæc quæ tam lectione quam experientiæ sudore didiceris, cum te ætas maturior provexerit ad docendum, vanæ gloriæ seductus amore, immundis hominibus passim ingeras, illudque quod sapientissimus Salomon interdixit, incurras : [c] *Noli applicare impium ad pascua justi, neque seducaris saturitate ventris;* [d] *non enim expediunt stulto deliciæ,* [e] *nec opus est sapientia ubi deest sensus* (*Prov.* XIX). Magis enim ducitur insipientia; quia, [f] *servus durus non emendabitur verbis. Si enim intellexerit, non obediet* (*Prov.* XXIX). Et, [g] *In aures imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos* (*Prov.* XXIII). Et, [h] *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos* (*Matth.* VII). Oportet itaque ut hujusmodi hominibus spiritalium sensuum contegens sacramenta efficaciter canas : *In corde meo abscondi eloquia tua ut non peccem tibi* (*Psal.* CXVIII). Sed dicis forsitan : Et quibus divinarum Scripturarum dispensanda sunt sacramenta? Docet te sapientissimus Salomon : [i] *Date,* inquit, *ebrietatem his qui in*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quatuor combinationes sive conjugationes virtutum his verbis complexus est Apostolus, jejunia vigiliis, scientiam castitati, suavitatem longanimitati, charitatem Spiritui copulans atque conjungens, quia nimirum *Charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum* (*Rom.* V), cujus est speciale donum et maxime proprium.

[b] Docet arcana sacræ doctrinæ et spiritualis scientiæ non esse hominibus immundis, id est, carnalibus, aut luxuriosis propalanda; sed spiritualibus et castis. *Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Hinc Apostolus ad Corinthios scribens (I *Cor.* II) : *Non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.* Et ad Hebræos V : *Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; perfectorum autem est solidus cibus; eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.* Quam doctrinam B. Dionysius Areopagita Pauli discipulus Timotheo item discipulo serio inculcavit initio Ecclesiasticæ Hierarchiæ, his verbis : *Observa diligentius ne sancta sanctorum efferas, neve profanis luminibus violanda permittas; verum revereberis magis, nequaquam ea passim rudibus tradens, sed sanctis solis sanctarum rerum intelligentiam secretius pandens.*

[c] Μὴ προσαγάγῃς ἀσεβῆ νομῇ δικαίου (*Prov.* XXIV, sec. LXX). Ita quidem habent vulgati et mss. libri Græci : et totidem verbis hoc testimonium refert Lucifer Calaritanus libro De non conveniendo cum hæreticis. At S. Cyprianus lib. III ut ad Quirinum cap. 55 non videtur legisse, νομήν, hoc est, pascua, sed μόνην, hoc est, habitaculum sive tabernaculum. Sic enim citat : *Ne adduxeris impium in habitaculum justorum.* Et S. Hieronymus in Michæam : *Ne inducas impium in tabernaculum justorum.* Sed vox Hebræa ambigua est ad utrumque. Hæc Ciaconius. Porro Vulgata lectio est : *Ne insidieris, et quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus* (*Prov.* XIX); cui Chaldæa satis accedit : *Ne insidieris impie habitaculo justi, neque projicias domum habitationis ejus.*

[d] Vulg. : *Non decent stultum deliciæ.*

[e] Ἄγεται, *ducitur*; non, *dicitur*, ut vitiose antea legebatur. Vulgatus textus : *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.*

[f] Vulgata : *Servus verbis non potest erudiri; quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit* (*Prov.* XXIX). Div. Hieronymus : *Servus est quilibet peccator, recte quidem intelligens, sed in opere veritatis absque flagelli disciplina respondere contemnens. De talibus ait Veritas : Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens, digne plagis vapulabit multis* (*Lucæ* XII).

[g] Vulgata : *In auribus insipientium nihil loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.*

[h] Matthæi VII : *Nolite dare sanctum canibus.* Isidorus Pelusiotes (*Lib.* I) epist. 143 : *Margaritas,* inquit, *ne ante porcos projiciamus, divino interdicto prohibemur, hoc est, ante eos qui in vitiosis affectionibus volutantur, ac porcinum vitæ genus sequuntur; ne forte conculcent eas pedibus, nimirum in sceleratis suis studiis divino numini contumeliam inferentes.*

[i] Vulgata : *Date siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt corde. Bibant, et obliviscantur egestatis suæ, et doloris sui non recordentur amplius.* Cujus sententiæ commentarium, quem hic affert, pene ad verbum a D. Hieronymo mutuatus est hic abbas Nesteros, vel ipse Cassianus. Sic enim div. Hieronymus : *Siceram,* inquit, *et vinum, hoc loco supernam divinæ sapientiæ consolationem dicit, quæ illis est exhibenda cordibus quæ in infimis consolari refugiunt, et quidquid occurrit in præsenti amaro suscipiunt ani-*

tristitia sunt, et vinum bibere his qui in doloribus sunt, ut obliviscantur paupertatis, et dolorum suorum non meminerint amplius (*Prov.* XXXI), id est, his qui pro pœnitudine actuum pristinorum mœrore atque tristitia deprimuntur, spiritalis scientiæ jucunditatem, velut *vinum* quod *lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII), affluenter infundite, eosque salutaris verbi crapula refovete, ne forte jugitate mœroris ac lethali desperatione demersi, *abundantiore absorbeantur tristitia qui ejusmodi sunt* (II *Cor.* II). De illis vero qui in tepore ac negligentia constituti, nullo cordis sui dolore mordentur, ita dicitur : *Nam,* [a] *qui suavis et sine dolore est, in egestate erit* (*Prov.* XXI). Quanta potes igitur cautione devita ut ne vanæ gloriæ amore detentus, illius quem propheta collaudat, particeps esse non possis, *qui pecunium suam non dedit ad usuram* (*Psal.* XIV). Omnis enim qui eloquia Dei (de quibus dicitur (*Psal.* XI), *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*) humanæ laudis amore dispensat, pecuniam suam erogat ad usuram, non solum nulla pro hac laude præmia, sed etiam supplicia meriturus. Ob hoc enim pecuniam Domini maluit profligare, ut ex ea temporalem consequeretur ipse mercedem, non ut Dominus, sicut scriptum est, *veniens, reciperet quod suum est cum usura* (*Lucæ* XIX).

CAPUT XVIII.

Quibus de causis spiritualis doctrina infructuosa sit.

Duabus [b] autem ex causis inefficacem spiritalium rerum constat esse doctrinam. Nam aut ille qui docet inexperta commendans, vano verborum sono instruere nititur auditorem ; aut certe nequam ac vitiis refertus auditor salutarem spiritalis viri sanctamque doctrinam obturato corde non recipit. De quibus dicitur per prophetam, [c] *Excæcatum est cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos concluserunt, nequando videant oculis suis, et auribus suis audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem illos* (*Isaiæ* VI).

CAPUT XIX.

Quod plerumque etiam indigni gratiam salutiferi sermonis accipiunt.

[d] Nonnumquam tamen dispensatoris nostri Dei, *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* (I *Tim.* II), munifica liberalitate conceditur ut is qui indignum se prædicationi evangelicæ reprehensibili conversatione præbuit, pro salute multorum spiritalis doctrinæ gratiam consequatur. Quibus autem modis etiam charismata curationum ad expellendos dæmones a Domino concedantur, consequens est ut simili disputatione pandamus, quam consurgentes ad refectionem in vesperam reservemus, quia efficacius semper corde concipitur quidquid sensim et absque nimio labore corporis intimatur.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

mo, solis, quæ nondum vident, gaudiis cœlestibus tota mente inhærentes, juxta eum qui dixit : Negavit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum (*Psal.* LXXVI). *Item, Date siceram mœrentibus* (*Prov.* XXI), etc. *His qui pro panitudine actuum pristinorum mœrore atque tristitia deprimuntur, spiritualis scientiæ jucunditatem, velut vinum, quod lætificat cor hominis, affluenter infundite; eosque salutaris verbi crapula refovete; ne forte jugitate mœroris de tali desperatione demersi, abundantiore tristitia absorbeantur.*

[a] Vulg. : *Omnis piger semper in egestate.*

[b] Doctrina prædicationis duabus ex causis redditur inanis et inefficax : 1° ex parte seu vitio prædicatoris ; 2° ex culpa auditorum. Vid. div. Gregorium homil. 17 in Evangelia.

[c] Apud Isaiam legitur : *Excæca cor populi hujus.* Septuaginta autem transtulerunt : *Excæcatum sive incrassatum est cor populi hujus. Quod eo fecere consilio, ne gentiles, hæc apud Isaiam legentes, putarent Deum auctorem hujus excæcationis.* Dicitur enim Deus excæcare aut indurare, non quod cæcitatem aut duritiam immittat, sed quia deserit prius desertus, et non suppeditat gratiam, qua destitutus homo præceps ruit in multa peccata, sicque paulatim induratur et excæcatur suo vitio et culpa.

[d] Opportune se offert ad hunc locum illustrandum D. Gregorius XXXI Moralium cap. 35 : *Sæpe,* inquit, *doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, et sæpe propter auditoris culpam subtrahitur sermo doctori. In his ergo quæ ubertim prædicat doctor, nulla elatione se efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia, ejus repleatur lingua; et in his quæ doctor steriliter dicit, auditor non succenseat, ne fortasse doctoris lingua, non pro sua, sed pro auditoris reprobatione torpescat. Pro auditoris namque gratia datur bonus etiam malis sermo doctoribus, sicut potuerunt Pharisæis suppetere verba prædicationis, de quibus scriptum est* (*Matth.* XXIII) : *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; propter auditorum vero reprobationem bonis etiam doctoribus sermo subtrahitur, sicut ad Ezechielem contra Israelem : Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, et eris mutus, nec quasi vir objurgans, quia domus exasperans* (*Ezech.* III). *Aliquando autem sermo prædicationis propter utrosque datur, aliquando propter utrosque subtrahitur. Propter utrosque enim datur, sicut divina voce Paulo apud Corinthios dicitur : Nolite timere, sed loquere. Et paulo post : Quia populus multus est mihi in hac civitate. Propter utrosque vero subtrahitur, sicut Heli sacerdos et pravam filiorum cognovit actionem, et dignam increpationis non exercuit vocem.* Hæc Gregorius et quæ sequuntur.

COLLATIO DECIMA QUINTA,

Quæ est secunda abbatis Nesterotis,

DE CHARISMATIBUS DIVINIS.

CAPUT PRIMUM.

Post [a] synaxin vespertinam ad repromissam narrationem intenti, [b] psiathiis pariter ex more consedimus. Cumque silentium aliquantisper pro senis reverentia præberemus, taciturnitatem verecundiæ nostræ tali prævenit eloquio : Usque ad [c] spiritalium rationem charismatum proferendam præcedens disputationis ordo pervenit, quam tripartitam esse majorum traditione percepimus. Prima siquidem curationum causa est, cum pro merito sanctitatis electos quosque ac justos viros signorum gratia comitatur, sicut Apostolos multosque sanctorum signa ac prodigia secundum auctoritatem Domini fecisse manifestum est, ita dicentis : *Infirmos curate, mortuos sus-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vocabulum synaxis, quamvis varie a Patribus sumatur, pluresque habeat significationes, ut alias notavimus (*Lib.* II *Institut. c.* 26, *et collat.* 7 *c. ult.*), tamen apud Cassianum passim denotat conventum, seu congregationem monachorum ad orandum divinasque laudes decantandas et celebrandas; quemadmodum et apud S. Ephrem in epistola quadam ad Joannem Monachum, ubi ait : *Neque corporalium necessitatum prætextu synaxim vestram neglexeritis.* Et lib. de Virtute cap. 5 : *Si ante cunctos in synaxim ac congregationem prodeas et persistas donec absolvatur, non in hoc te efferat cogitatio,* etc. Vespertinam itaque synaxim vocat vespertinum conventum ad orationem, vel ipsam orationem, psalmodiam aut officium vespertinum. Vide alias notationes de eadem voce.

[b] De psiathiis eorumque duplici usu apud veteres monachos, alibi abunde dictum (*Lib.* IV *Instit. cap.* 23, *et collat.* 1 *c. ult.*).

[c] Χάρισμα, idem quod gratia sive donum gratuitum. Sumptum hoc vocabulum et apud Latinos retentum ex Apostolo I ad Corinthios XII, ubi de variis donis et gratiis Spiritus sancti agens : *Æmulamini,* inquit, *charismata meliora.* Quod D. Thomas exponit *potiores gratias.* Tertullianus vero (*Lib.* I *ad Uxorem* c. 3), eamdem sententiam spectans : *Meliorum,* ait, *donationum sectatores simus.* Sumitur autem gratia apud theologos non pro quocumque Dei beneficio naturali aut spirituali, quomodo Pelagiani hæretici gratiæ nomine liberum arbitrium atque alia id genus naturalia dona intelligi volebant, ut testatur D. Augustinus (*Lib. de Gratia Christi c.* 3 *et seq.*) : sed pro solis Dei donis et beneficiis supernaturalibus, id est, quæ naturæ facultatem superant et gratis a Deo hominibus etiam indignis conferuntur (*Vide collat.* 13 *c.* 9). Distinguitur autem a theologis (*S. Thom.* 1-2, *q.* 111, *art.* 1 *et* 4) duplex gratia : una quidem per quam ipse homo Deo conjungitur, quæ vocatur gratia gratum faciens, de qua actum est superiore collatione; altera vero per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc ut ad Deum reducatur. Hujusmodi autem donum vocatur gratia gratis data, quia supra facultatem naturæ et supra merita personæ homini conceditur : sed quia non datur ad hoc ut homo ipse per eam justificetur, sed potius ut ad justificationem alterius cooperetur, ideo non vocatur gratum faciens. Et de hac dicit Apostolus I ad Corinthios XII : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem,* scilicet aliorum. Porro cum varia sint dona gratiæ gratis datæ, quæ alias dicuntur charismata, quemadmodum docet Apostolus illis verbis : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus,* etc.; *unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* (id est, conferuntur dona spiritualia, sed visibilia, ut sint argumentum et manifestatio invisibilis Spiritus accepti). *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Tamen in hac collatione quæ de Charismatibus divinis inscribitur, non promiscue de omnibus charismatibus seu gratiis gratis datis agitur, sed proprie et peculiariter de duobus, nempe de gratia sanitatum sive sanationum, id est, gratia sanandi et curandi morbos, et operatione virtutum, id est, signorum et miraculorum, ut ex consequentibus patebit. Cur autem gratia sanitatum distinguatur etiam ab Apostolo ab operatione virtutum seu miraculorum, cum sit ipsa miraculosa et per divinam virtutem fiat, respondet D. Thomas (2-2, *q.* 178, *a.* 2 *et* 4), quod gratia sanitatum commemoratur seorsum, quia per eam confertur homini aliquod beneficium peculiare, scilicet corporalis sanitatis, præter beneficium commune, quod exhibetur in omnibus miraculis, ut scilicet homines adducantur in notitiam Dei. Horum autem charismatum triplicem seu tripartitam rationem postmodum assignat Auctor, cur scilicet ejusmodi dona aliquibus conferantur. Verum tertia ratio non tam ad veram gratiam gratis datam, sive sanitatum, sive miraculorum, quam ad fictionem et simulationem, aut imitationem quamdam diabolicam ejusmodi gratiarum refertur, quam diabolus in suis ministris operatur, ut infra dicetur plenius. Utramque vero causam sive rationem, hoc est, primam et secundam, D. Thomas (*In Commentar.*) exposuit simul cum utriusque gratiæ discrimine his verbis : *Pertinet ad gratiam gratum facientem quod per eam Spiritus sanctus inhabitet, quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam, sed solum ut per eam Spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem. Manifestatur autem per hujusmodi gratias Spiritus sanctus dupliciter : uno modo ut inhabitans Ecclesiam, et docens, et sanctificans eam; puta cum aliquis peccator, quem non inhabitat Spiritus sanctus, facit miracula ad ostendendum quod fides Ecclesiæ quam ipse prædicat sit vera. Unde dicitur Hebr.* II : *Contestante Deo signis, et prodigiis, et variis Spiritus sancti distributionibus. Alio modo manifestatur per hujusmodi gratia Spiritus sancti, ut inhabitans eum cui tales gratiæ conceduntur. Unde dicitur Act.* VI *quod Stephanus, plenus gratia, faciebat prodigia et signa multa, quem Spiritu sancto plenum elegerunt. Sic autem non conceduntur hujusmodi gratiæ, nisi sanctis. Et ne hujusmodi manifestatio vana videatur, subdit : Ad utilitatem* (scilicet communem, *in quo designatur finis harum gratiarum*), *et hoc vel dum probatur vera doctrina Ecclesiæ, et sic fideles confirmantur et infideles convertuntur, vel dum sanctitas alicujus proponitur aliis in exemplum. Unde dicitur infra : Ad ædificationem Ecclesiæ quærite, ut abundetis. Et* c. X : *Non quærens quod mihi utile, sed quod multis, ut salvi fiant.*

citate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date (*Matth.* x). Secunda, cum, ob ædificationem ecclesiæ vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt, fidem, sanitatum virtus etiam a peccatoribus indignisque procedit. De quibus Salvator in Evangelio : *Multi,* inquit, *dicent mihi in illa die : Domine, Domine,* [a] *nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus : et tunc confitebor illis quia numquam novi vos : Discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Et econtrario, si offerentium vel infirmorum desit fides, etiam illos quibus curationum dona collata sunt non sinit sanitatum exercere virtutem. De qua re Lucas evangelista : *Et* [b] *non poterat,* inquit, *Jesus facere inter eos virtutes, propter incredulitatem illorum* (*Luc.* IV). Unde idem Dominus : *Multi,* inquit, *leprosi erant in Israel sub Eliseo propheta, et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus* (*Matth.* XIII). [c] Tertius curationum modus etiam colludio dæmonum ac factione simulatur, ut dum homo manifestis criminibus A obligatus, propter admirationem signorum sanctus ac Dei famulus creditur, etiam vitiorum ejus æmulatio suadeatur, et per hoc obtrectationis aditu [*Lips. in marg.* auditu] reserato, etiam religionis sanctitas infametur, vel certe ut is qui curationum dona habere se credit, per superbiam cordis elatus gravius elidatur. Inde est quod invocantes eorum nomina quos nulla merita sanctitatis nec ullos spiritales fructus habere cognoscunt, [d] uri se eorum meritis, ac de obsessis simulant corporibus effugari. De] quibus in Deuteronomio : *Si surrexit,* inquit, *in medio tui propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, et prædixerit signum atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi : Eamus et sequamur deos alienos, quos* B *ignoras, et serviamus eis; non audias verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra* (*Deut.* XIV). Et in Evangelio : *Exsurgent,* inquit, *pseudochristi et pseudoprophetæ,* [e] *et dabunt signa magna et prodigia, ita ut*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Hieronymus in hunc locum : *Prophetare, et virtutes facere, et dæmonia ejicere, interdum non ejus meriti est qui operatur; sed vel invocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, et utilitatem eorum qui vident et audiunt, conceditur, ut licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum honorent ad cujus invocationem fiunt multa miracula. Nam et Saul, et Balaam, et Caiphas, prophetaverunt, nescientes quid dicerent* (I *Reg.* X, *Num.* XXIII, *Joan.* XI); *et Pharao, et Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt* (*Genes.* XLI, *Daniel.* II); *et in Actibus Apostolorum, filii Scevæ Judæi videbantur ejicere dæmonia* (*Act.* XIX). *Sed et Judas apostolus cum animo proditoris multa signa inter apostolos fecisse narratur.* Hæc S. Hieronymus (*Vide infra cap.* 6).

[b] Duobus modis exponitur : 1° *Non poterat,* id est nolebat, propter eorum incredulitatem; quemadmodum fratres Joseph dicuntur *non potuisse fratri suo quidquam pacifice loqui, quia oderant eum* (*Gen.* XXXVII), id est, noluisse; et ut Christus ait Joan. VII : *Non potest mundus odisse vos :* 1° non vult odisse, cum vos mundati sitis; 2° *Non poterat,* id est, non conveniebat nec decebat ut faceret : quemadmodum filiis Zebedæi dixit : *Non est meum dare vobis* (*Matth.* XX). Nolo dare vobis, quia non congruit adhuc carnalibus et mundanis.

[c] De hac dæmonum collusione ac simulatione, qua fingunt se a magis cogi et eorum imperio de obsessis corporibus violenter expelli, actum est supra (*Collat.* 8 *c.* 20). Hunc autem modum recensuit Auctor, non quod ad charismata divina et dona supernaturalia curationum et miraculorum de quibus hic agitur, vere pertineat, ut cuivis notum est, sed quod illorum similitudinem quamdam et speciem præ se ferat. Imitatur enim diabolus, ut simia, quantum potest, divinas actiones; sed eas attingere et assequi non potest. Proinde quamvis tum per se, tum per suos ministros, Deo permittente, multa possit operari quæ hominibus mira et mirabilia videantur (*S. Thom.* I *parte, q.* 111, *a.* 4, *et* 2-2, *q.* 178, *a.* 2), non tamen vera miracula, quæ scilicet superent omnem facultatem rerum naturalium (qualia sunt suscitare mortuos, cæcos illuminare, et hujusmodi), aut absolute mirabilia, de quibus intelligitur illud psalmi : *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus* (*Psal.* LXXI). Itemque, *qui facit mirabilia magna solus* (*Psal.* CXXXV). Exempli gratia, solet *dæmon interdum,* per magos et maleficos, morbos curare qui hominibus videntur et sunt revera immedicabiles; verum hic nullum est miraculum, quia nihil agit dæmon quod superet vires totius naturæ, sed utitur causis et mediis naturalibus, applicando activa passivis, quorum vires et facultates omnes multo accuratius et perspicacius novit quam ulli experientissimi medici; vel certe removendo causas morborum quas ipsemet occulte immisit. Vide D. Augustinum lib. III de Trinitate cap. 7 et 10, et de Civitate Dei lib. X cap. 16.

[d] Uri non pro urgeri, ut in priore editione opinatus sum, sed proprie pro comburi positum nunc C existimo, cum ex vitis multorum sanctorum constet dæmones corpora possidentes non raro clamasse : *Uror, uror,* etc. Sæpe etiam ab energumenis id auditum est : Quo modo enim ab igne, licet corporeo, vere uruntur, hoc est, incendium quoddam internum et spiritale patiuntur dæmones in inferno, secundum probabiliorem sententiam : ita etiam sanctorum præsentia et virtute vere cruciari et quodammodo uri Deo ita volente, non est improbabile. Vide exempla apud Cæsarium et Surium.

[e] Signa et prodigia Antichristi et ministrorum ejus, qualia futura sint, declarat Apostolus, cum de Antichristo loquens dicit, *ejus adventum fore secundum operationem Satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus* (II *Thess.* II). Mendacia autem erunt, vel quia plerumque phantastica et meræ præstigiæ. Videbitur enim mortuos suscitare, ægros sanare, etc. Sed illusorie et præstigiatorie : qualia olim miracula Apollonius Thyaneus et D Simon Magus fecisse leguntur, vel quia etiamsi quædam eorum veraciter fiant, utpote naturæ facultatem non excedentia, cujusmodi sunt, ventos et tempestates excitare, ignem cœlo educere, ægros aut languidos subito curare : tamen in genere miraculorum, qualia se facere jactabit Antichristus, falsa erunt et mendacia, cum vera miracula omnem naturæ facultatem superent, et proinde solius Dei virtute fiant, qui falsitatis testis aut approbator esse nequit (*Vide S. Thomam,* 2-2, *q.* 178, *a.* 1). Unde Augustinus XX] de Civit. cap. 19 : *Solet,* inquit, *ambigi, utrum propterea dicta sint signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur. An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuisse, nisi divinitus, fieri, virtutem diaboli nescientes : maxime*

in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV).

CAPUT II.

In quo quis sanctos viros debeat admirari.

Quapropter numquam debemus eos qui hoc affectant, in his virtutibus admirari, sed potius intueri, utrum vitiorum omnium expulsione et morum emendatione perfecti sint. Quod utique non pro alterius fide, aut diversitate causarum, sed pro uniuscujusque studio, Dei gratia dispensante conceditur. [a] Hæc namque actualis scientia, quæ alio vocabulo charitas ab Apostolo nuncupatur (II *Cor.* XIII), et universis linguis hominum et angelorum, et plenitudini fidei quæ etiam montes transferat, et omni scientiæ ac prophetiæ et erogationi omnium quando *tantam, quantam numquam habuit, accipiet potestatem. Non enim quando de cælo ignis cecidit, et tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Job, uno impetu absumpsit; et turbo irruens, et donum dejiciens, filios ejus occidit, phantasmata fuerunt; quæ tamen fuerunt opera Satanæ, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sunt prodigia et signa mendacii, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum sit, seducentia eos signis atque prodigiis, qui seduci merebuntur : pro eo quod dilectionem veritatis, inquit Apostolus, non receperunt, ut salvi fierent.* Sic Augustinus.

[a] Illa scilicet, de qua in superiore collatione, quæ in expellendis vitiis et virtutibus acquirendis occupatur, ut ibi dictum est.

[b] Sancti viri miracula, quæ hic dicuntur opera signorum, nequaquam affectant, sed maxime refugiunt, nisi necessitate aut charitate compulsi : idque duplici ratione : 1° ob periculum ostentationis et inanis gloriæ, 2° ob periculum tentationis Dei, quorum utrumque docuit Christus suo exemplo vitandum. Primum, cum miracula a se facta, vetuit aliquoties publicari : cum discipulos gestientes et gloriantes, quod etiam dæmonia subjicerentur ipsis, statim repressit dicens : *Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem,* nempe ob superbiam, et addidit : *In hoc nolite gaudere, quia spiritus subjiciuntur vobis : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis* (*Luc.* X.) Similiter quum scribæ et Pharisæi dicerent : *Magister, volumus a te signum videre,* respondit : *Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei,* etc. (*Matth.* XII *et* XVI). Et cum jussu Pilati ductus esset ad regem Herodem cupientem videre aliquod signum ab eo fieri, nihil illi, multa licet interroganti, respondit (*Luc.* XXIII). Quod ideo procul dubio fecisse credendus est, quod ex mera curiositate aut vanitate signa illa ab iis peterentur. Posterius vero, quando docuit hoc esse tentare Deum, miraculum sine necessitate aut justa ratione velle facere. De quo D. Augustinus tractatu 2 in Epist. Joannis : *A Satana,* inquit, *tentatus est Christus de miraculo, quando ei dixit : Mitte te deorsum : quia scriptum est : Angelis suis mandavit de te ut suscipiant te, nequando offendas ad lapidem pedem tuum. Ille restitit tentatori. Si enim faceret miraculum, non videretur, nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse. Fecit enim quando voluit tamquam Deus, sed tanquam infirmos curans : nam si tunc faceret, quasi tantummodo miraculum facere velle putaretur. Sed ne id homines sentirent, attende quid respondit; et quando tibi talis tentatio evenerit, dic illud et tu : Redi post me, Satanas : scriptum est enim : Non tentabis Dominum Deum tuum, id est, si hoc fecero, tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere, quando tibi hoc suggerit inimicus : Qualis homo es? qualis Christianus? modo vel unum miraculum fecisti? aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febricitantes sanasti? Si vere esses alicujus meriti, faceres aliquod miraculum. Responde, et dic : Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum : non ergo tentabo Deum quasi tunc pertineam ad Deum, si fecero miraculum; et non pertineam, si non fecero.* Ita Augustinus. Porro Christi exemplo edocti SS. Patres quanta cum difficultate et circumspectione ad facienda miracula accesserint, et post facta quam humiliter se gesserint, docent exempla SS. Antonii apud Athanasium, Hilarionis apud D. Hieronymum, Macarii et aliorum apud Palladium, Benedicti apud Gregorium. De Hillarione ita scribit S. Hieronymus : *Sexagesimo tertio vitæ suæ anno cernens grande monasterium et multitudinem fratrum secum habitantium turbasque eorum qui diversis languoribus et immundis spiritibus occupatos ad se deducebant, ita ut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur; flebat quotidie, et incredibili desiderio conversationis antiquæ recordabatur. Interrogatus a fratribus quid haberet, cur se conficeret, ait : Rursum ad sæculum redii, et recepi mercedem meam in vita mea. En homines Palæstinæ et vicinæ provinciæ existimant me alicujus esse momenti.* D. Augustinus cupiditatem miraculorum aut signorum, quæ subinde viris perfectis molestiam exhibet, in seipso coercuisse se dicit his verbis : *A te, Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petant! Sed obsecro te per regem nostrum et patriam Hierusalem, simplicem, castam, ut quemadmodum longe est a me ista consensio, ita sit semper longe atque longius* (*Lib.* X *Confess. cap.* 35). De sanctiss. legislatore nostro Benedicto D. Gregorius : *Cum rusticus filio orbatus clamaret : Redde filium meum, redde filium meum, et fratres instarent, ut ejus petitioni acquiesceret, mox Dei famulus valde contristatus est, dicens : Recedite, fratres, recedite : hæc nostra non sunt; sed sanctorum apostolorum : quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille quem nimius cogebat dolor, in sua petitione persistens, juransque quod non recederet, nisi ejus filium resuscitaret, obtinuit tandem quod optabat* (*Lib.* II *Dial. cap.* 32). Habes alia duo exempla Pimenii et Bessarionis anachoretarum in Vitis Patrum. Sed si pateris, lector, audisse juvabit et aliud non minus jucundum quam serium, et ad monasticam spectans disciplinam, de duobus pueris ab abbate correptis et castigatis, quod ex miraculo per eorum simplicitatem et innocentiam facto cujusdam vanæ facultatum, ipsique postremo glorioso martyrio apostolica auctoritate præfertur. Nam cum dinumerasset universa charismatum genera, atque dixisset : *Alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum* (*I Cor.* XXII), et reliqua; de charitate dicturus, quemadmodum eam cunctis prætulerit charismatibus, paucis advertite : *Et adhuc,* inquit, *supra modum excellentiorem vobis viam demonstro* (*Ib.*). Per quod evidenter ostenditur perfectionis ac beatitudinis summam, non in illorum mirabilium operatione, sed in charitatis puritate consistere. Nec immerito : omnia enim illa evacuanda ac destruenda sunt : charitas vero perpetuo permansura. [b] Ideoque a Patribus nostris opera ista signorum nequaquam videmus affectata; quinimmo cum ea Spiritus

sancti gratia possiderent, numquam exercere voluerunt, nisi forte extrema illos et inevitabilis necessitas coarctasset.

CAPUT III.

De suscitato mortuo ab abbate Macario.

Sicut et [a] ab abbate Macario, qui habitationem [b] Scythioticæ solitudinis primus invenit, [c] mortuum suscitatum esse reminiscimur. Nam cum hæreticus quidam qui [d] Eunomii perfidiam sectabatur, sinceritatem catholicæ fidei arte dialectica subvertere conaretur, magnamque jam hominum multitudinem decepisset, rogatus a catholicis viris, qui ruina tantæ subversionis gravissime movebantur, beatus Macarius, ut simplicitatem totius Ægypti ab infidelitatis naufragio liberaret, advenit. Quem cum hæreticus arte dialectica fuisset aggressus, et Aristotelicis ignorantem spinis [e] vellet abducere, beatus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

gloriæ specimen dedissent, Sulpitio Severo rem ita enarrante : *Cuidam solitario, qui nuper ad eremum secesserat, neque amplius ab hoc monasterio quam sex millibus tabernaculum sibi constituerat, panem abbas per duos pueros miserat; quorum major habebat ætatis annos quindecim : minor duodecennis erat. His ergo inde redeuntibus aspis miræ magnitudinis venit obviam : cujus occursu nihil perterritis, ut ante pedes eorum venit quasi incantata carminibus, cærulea colla deposuit, minor ex pueris, manu eam apprehensam, ac pallio involutam ferre cœpit : deinde monasterium quasi victor ingressus, in occursum fratrum captivam bestiam, resoluto pallio, non sine jactantiæ tumore deposuit. Sed cum infantium fidem atque virtutem cæteri prædicarent, abbas ille altiori consilio, ne infirmior ætas insolesceret, utrumque virgis compescuit, multum objurgatos, cur ipsi, quod per eos operatus fuerat Dominus, prodidissent : opus illud non suæ fidei, sed divinæ fuisse virtutis : discerent potius Deo in humilitate servire, non in signis et virtutibus gloriari : quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate.* Hæc ipse (*Dial.* I *cap.* 9).

[a] Ægyptio illo seniore, de quo supra (*Sozomen. l.* III, *c.* 13), ut colligitur ex Sozomeno, qui de duobus Macariis agens, miraculum quod hic narratur Macario Ægyptio nominatim et diserte ex communi relatione attribuit, hæc de eo scribens : *Ægyptium fama est mortuum ad vitam revocasse, quo homini, qui contra sentiret, posset persuadere mortuorum fore resurrectionem. Vixit annos circiter nonaginta, quorum sexaginta in solitudine contrivit. Qui simul ut studio monasticæ, et severæ disciplinæ, cum adolescens esset, se dedidit, sic in eo excelluit; ut a monachis παιδαριογέρων, hoc est, adolescens senis* [*Al.* puer senilis] *more, et gravitatem præ se ferens nuncuparetur. Ubi autem annum jam ætatis egit quadragesimum, presbyter ordinatus est : alter vero diu post presbyter institutus*, etc. Hujus porro Macarii memoria fastis ecclesiasticis consignatur XVIII calend. Februarii in hæc verba : *In Ægypto S. Macarii abbatis discipuli B. Antonii vita et miraculis celeberrimi* (*In Martyrol. Rom.*). Idemque inter scriptores ecclesiasticos annumeratur a Gennadio (*De Vir. illust. c.* 10), et quinquaginta millium monachorum Pater asseritur in Vitis Patrum (*Lib.* I *in Vita Posthumii cap.* 7). Quod autem ad vocabulum attinet, vitiose Macharius impressus legitur etiam apud Plantinum. Scribendum enim est hoc nomen sine aspiratione, et recte annotavit Ciaconius. Nam Græce dicitur μακάριος quæ : vox beatum significat, ut notum est, et vide sequentem notam.

[b] Alias Schyticæ vel Sceticæ. De qua alibi pluribus in locis dictum est. Scribit porro Sozomenus ubi supra, utrumque Macarium summa cum laude monasteriis in solitudine Sceti et monte qui ibi est positis præfuisse : atqui mirum non est, si senior hic Ægyptius, primus ibidem habitationem invenerit, ut hic dicitur. Unde et Palladius scribit (*Lausiac.* XIX) Macarium Alexandrinum venisse ad Magnum Macarium, qui erat in Scete, subditque lepidum exemplum de nomine Macarii, et pulchra ejus allusione, ac fructu *inde* consecuto : *Cum essent*, inquit, *ambo Nilum transmissuri, accidit ut ipsi maximum pontonem ingrederentur : in quem ingressi sunt duo tribuni cum magno fastu et apparatu. Postquam ergo tribuni viderunt ipsos veteribus pannis indutos et sedentes in angulo, humilem illam et tenuem vivendi rationem, beatum judicabant. Unus autem ex ipsis tribunis dixit ad ipsos : Beati estis vos, qui mundum illuditis. Respondens autem Macarius, qui erat urbanus, dixit eis : Nos quidem mundum illusimus : vos autem mundus illudit. Scias autem te non tua sponte hoc dixisse, sed prophetice. Ambo enim vocamur Macarii, hoc est, beati. Is autem ejus sermone compunctus, cum domum venisset, vestes exuens, delegit vitam agere solitariam, multas faciens eleemosynas.* Hæc ibi.

[c] Habes hoc miraculum itidem relatum a Palladio (*Ubi supra*), Nicephoro (*Lib.* IX, *c.* 14), præter Sozomenum superius citatum. Exstat eadem historia apud Evagrium, seu potius Rufinum in Vitis Patrum (*Lib.* II *cap.* 28), late quidem descripta, sed cum nonnulla varietate et distinctione, quam hic annotasse juvabit. Sic enim ipse de Macario agens : *Aiebant præterea aliquando venisse ad eum hæreticum quemdam Hieracitam, quod genus hæreseos invenitur apud Ægyptum. Hic cum per multam loquendi artem plurimos fratrum, qui habitabant in eremo, conturbaret, ausus est etiam coram ipso fidei suæ asserere pravitatem. Cui cum resisteret senior, et contradiceret, ille verba simpliciora argumentis callidis eludebat. Sed cum videret sanctus fidem fratrum periclitari : Quid opus est, inquit nos verbis contendere ad subversionem audientium? Exeamus ad sepulcra fratrum qui nos præcesserunt in Domino, et cui nostrum concesserit Dominus suscitare mortuum de sepulcro, sciant omnes quia illius fides probatur a Deo. Sermo hic omnibus qui aderant fratribus placuit. Processerunt ad sepulcra, et hortatur Macarius Hieracitam, ut evocaret mortuum in nomine Domini. At ille : Tu, inquit, domine, qui proposuisti, prior evoca. Et Macarius prosternens se in orationem ante Dominum, ubi sufficienter oravit, elevatis sursum oculis suis, ait ad Dominum : Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat, ostende, elevato mortuo hoc. Et cum hoc dixisset, fratris cujusdam nomen, qui nuper fuerat sepultus, evocavit, cui ille cum de tumulo respondisset, accedentes fratres continuo, quæ superposita fuerant auferunt, et eductum cum de sepulcro, resolutis fasciolis quibus constrictus erat, exhibuerunt viventem. Hieracita vero, ubi hæc vidit, obstupefactus in fugam vertitur. Quem fratres quoque omnes insequentes extra terminos terræ illius exturbaverunt.* Ita Rufinus : quæ licet in miraculo suscitati mortui cum Auctore nostro conveniant, in reliqua tamen narratione haud parum discrepant : viderit lector, utri potius credendum putet.

[d] Eunomius hæresiarcha turpissimus, cujus etiam alibi (*Collat.* 7 *cap.* 32) facta est mentio, sub. Valente imperatore (teste Suida) Arii fautor, non modo Dei Filium cum Ario creaturam asserens; sed et Spiritum sanctum Filii creaturam blasphemans; contra quem D. Basilius et Didymus præclara volumina scripserunt. Synodus autem Constantinopolitana prima contra eum et Macedonium congregata, utrumque damnavit. Vide Baronium tomo III et IV Annaum.

[e] Id est, syllogismorum et sophismatum argutias

Macarius apostolica multiloquium ejus brevitate [*Lips. in marg.* auctoritate] concludens, Non est, inquit, in verbo regnum Dei, sed in virtute. Eamus igitur ad sepulcra, et nomen Domini super mortuum qui primus inventus fuerit, invocemus, ac, sicut scriptum est (II *Cor.* IV), ostendamus ex operibus fidem nostram, ut manifestissime rectæ fidei documenta ejus testimonio declarentur, et perspicuam veritatem non inani disputatione verborum, sed virtute signorum, et illo quod non potest falli indicio comprobemus. Quo audito hæreticus coram circumstanti plebe pudore constrictus, cum ad præsens præbere se conditioni propositæ simulasset assensum, seque affuturum in crastinum promisisset, postero die exspectantibus universis qui studiosius et acumina quasi spinas pungentia. Spectasse videtur Auctor quemdam locum D. Hieronymi, ubi de variis gentilium philosophorum et hæreticorum erroribus agens : *Omnia,* inquit (*In Nahum cap.* III), *dogmata eorum cum frigeant et volare non possint, sedem sibi ac requiem inter Aristotelis et Chrysippi spineta reperiunt, Inde Eunomius profert : Quod natum est, non fuit antequam nasceretur*, etc.

[a] Nilus Ægypti fluvius mirum in modum augetur circa solstitium æstivum, adeo ut per totam spatiatus Ægyptum, terram pluviis omnibus destitutam, suis aquis irriget, fecundissimoque limo obducat et operiat. De hac Nili eluvie et incremento ejusque causis, vide Plinium lib. V cap. 9.

[b] Hunc morem Ægyptiacum, condiendi scilicet corpora defunctorum pigmentis sive aromatibus, nimirum ad repellendam putrefactionem, et bonum odorem conciliandum, tradunt Herodotus lib. II, Diodorus Siculus lib. I, Plato in Phædone, Cicero Tuscul. I, Plinius lib. XI cap. 37, et lib. XVI cap. 11. Atque is ritus ab Ægyptiis per patriarcham Joseph ad Judæos translatus est. Sic enim *Joseph præcepit servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem. Quibus jussa explentibus, transierunt 40 dies : iste quippe mos erat cadaverum conditorum Gen.* L : *Sic et corpus Asæ regis Judæ sepultum legimus plenum aromatibus et unguentis meretriciis quæ erant pigmentariorum arte confecta.* II *Paralip.* XVI. Idem etiam in Christi corpore sepeliendo observatum tradunt Evangelistæ (*Matth.* XXVI, *Marc.* XIV, *Luc.* XXI, *Joan.* XI et XIX). Et id ipse de se futurum prædixerat illis verbis : *Bonum opus in me operata est : mittens enim hoc unguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Quod opere expletum narrat Joannes : *Venit,* inquit, *Nicodemus ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.* Sed et apud gentiles tum Græcos, tum Romanos, mos iste receptus, ut defuncti corpus aqua primum ablueretur, deinde ungeretur. De Romanis celebrantur Ennii versus :

> Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit.

Item Virgilius VI Æneidos :

> Pars calidos latices et ahena undantia flammis
> Expediunt, corpusque lavant frigentis et ungunt.

Hinc pollinctores dicti, qui cadavera ungebant et aromatibus suffarciebant. Quos LXX ἐνταφιαστὰς vocarunt. De quibus D. Augustinus lib. I Locutionis de Genesi (*Cap. ult.*) : *Non enim,* inquit, *ipsi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorum ; quod non est Græce* ἐνταφιάσαι, *sed* ἐντάψαι. *Illi ergo* ἐνταφιασταὶ *id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel siccando, vel involvendo, vel alligando ;* ad condictum locum, spectaculi hujus cupiditate confluxerant, exterritus de conscientia suæ infidelitatis aufugit, ac protinus ab universa Ægypto transmigravit. Quem cum beatus Macarius usque ad horam nonam cum populis præstolatus, pro sua conscientia declinasse vidisset, assumens plebem quæ ab illo fuerat depravata, ad condicta sepulcra perrexit. Hunc autem Ægyptiis morem [a] Nili fluminis invexit alveus, ut quoniam universa illius latitudo terræ instar immensi pelagi, non parvo anni tempore solita aquarum eruptione contegitur, ita ut nulla tunc cuiquam humandi copia humani corporis tribuatur, nisi post transvectionem decursam, [b] corpora vero mortuorum pigmentis condita redolentibus, [c] in editioribus cellulis recondantur. Nam ma-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

in quo opere Ægyptiorum cura præcellit. Ita Augustinus. Porro apud Christianos jam inde a Christi exemplo mos idem obtinuit, maxime in sepeliendis sanctorum virorum corporibus. Unde Tertullianus in Apologetico : *Sciant,* inquit (*Cap.* 24), *Sabæi pluris et charioris suas merces sepeliendis Christianis profligari,* id est, majorem copiam thuris et aromatum in sepeliendis cadaveribus apud Christianos, quam in sacrificiis gentium absumi. Prudentius quoque, quæ in Ecclesiis Occidentalibus in vestiendis et ungendis defunctorum corporibus fieri solita essent, hisce versibus enarrat :

> Hinc maxima cura sepulcris
> Impenditur : hinc resolutos
> Honor ultimus accipit artus,
> Et funeris ambitus ornat :
> Candore nitentia claro
> Prætendere lintea mos est :
> Aspersaque myrrha, Sabæo
> Corpus medicamine servat.

D. item Gregorius in Cantica (*Cap.* XI), mortuorum corpora myrrha condita fuisse tradit, ne putrescerent. Denique Aimoinus monachus Benedictinus et historicus, corpora defunctorum magna cura uncta et aromatibus condita fuisse refert, lib. IV, cap. 33. Vide Onuphrium (*Lib. de Ritis sepeliendi*).

[c] Id est, speluncis eminentioribus et ab inundationis periculo remotis. Etiam Romanis sepultos natare piaculum erat : adeo ut si fluminis incursu reliquiæ sepultorum contingerentur, consulto pontifice, in alium locum transferre liceret. Lib. I Cod. de Religios. et Sumpt. Funer. Unde et agri olim inculti, petrosi et multum aridi humandis corporibus coemebantur ex lege ; de qua Cicero de Leg. lib. II. Siculus Faccus de conditionibus agror. : *In locis,* ait, *saxosis et sterilibus, etiam in mediis possessionibus sepulcra faciunt.* Sidonius Apollin. lib. I epist. 8 inter alia soli Ravennatis incommoda : *Vivi sitiunt, sepulti natant.* Isidorus lib. XV Etymol. cap. 11 : *Apud majores,* inquit, *potentes, aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum est, ut super cadavera, aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.* Lucanus lib. VIII :

> Et Regum cineres exstructo monte quiescant.

Virgilius VI Æneidos :

> At pius Æneas ingenti mole sepulcrum
> Imponit, suaque arma viro, remumque tubamque,
> Monte sub aereo.

Porro solemne itidem fuisse tam Ægyptiis quam Judæis mortuos in cellulis sive speluncis excavatis et cameratis sepelire, manifestum est, tum ex Genesis XXIII cap., ubi Abraham legitur ad sepeliendam Saram uxorem emisse ab Ephron Hethæo speluncam

dens ebrietate continua terræ illius [a] solum humandi arcet officium. Si qua enim cadavera defossa susceperit, evomere ad superficiem suam inundationum nimietate compellitur. Cum igitur antiquissimo cuidam cadaveri beatus Macarius astitisset, ait : O homo, si venisset huc mecum hæreticus ille filius perditionis, et astante ipso nomen Christi Dei mei invocans exclamassem, utrumne coram his, qui pene ejus fuerant fraude subversi, surrecturus fuisses, edicito. Tum ille consurgens, annuentis voce respondit. Quem interrogans abbas Macarius quidnam fuisset aliquando cum frueretur hac vita, vel qua hominum fuisset ætate, aut si nomen Christi tunc temporis cognovisset? ille se sub antiquissimis regibus vixisse respondit, Christique nomen asseruit illis se nec audisse temporibus. Cui rursus abbas Macarius, Dormi, inquit, in pace cum cæteris in tuo ordine, a Christo in fine temporum suscitandus. Hæc igitur ejus virtus et gratia quantum in ipso fuit semper fortasse latuisset, nisi eum necessitas totius provinciæ periclitantis, et erga Christum plena devotio amorque sincerus, istud exercere miraculum compulisset. Quod utique ut ab eo fieret, non ostentatio gloriæ, sed charitas Christi et totius plebis extorsit utilitas, ut beatum quoque Heliam fecisse Regum lectio manifestat, qui ignem de cœlo super hostias impositas [b] pure, idcirco descendere postulavit, ut periclitantem pseudoprophetarum præstigiis fidem totius populi liberaret (III *Reg.* XXVIII).

CAPUT IV.

De miraculo quod Abbas Abraham in mulieris fecit uberibus.

Quid etiam [c] abbatis Abrahæ gesta commemorem, qui [d] παῖς, id est, simplex, pro simplicitate morum et innocentia, cognominatur? Qui [e] cum metendi gratia ad Ægyptum de eremo diebus Quinquagesimæ perrexisset, et a muliere quadam parvulum suum lactis inopia jam tabidum atque [f] seminecem præferente, lacrymosis precibus fuisset obstrictus, calicem ei aquæ potandum impresso crucis signaculo dedit, cujus haustu confestim mirum in modum arida jam penitus ubera copia lactis redundante confluerunt.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

duplicem; tum ex Evangelio, ubi Joseph legitur, *Posuisse corpus Jesu in monumento suo novo, quod exciderat in petra* (*Matth.* XXVII). Cæteros item Hebræorum, quibus opum facultas suppeteret, id ipsum facere solitos, argumento sunt ea quæ S. Epiphanius (*Hæres.* III) narrat his verbis : *Ducunt miserum adolescentem post solis occasum in propinquas tumbas : sepulcra enim sic appellantur; speluncæ videlicet in petris effossæ atque constructæ*, etc. Porro hujusmodi speluncæ Romanis cryptæ dictæ sunt, in quibus martyrum corpora tempore persecutionis condebantur, e quibus educta sunt corpora SS. martyrum, quibus ditatum nuper est nostrum Belgium in templis Societatis Jesu. Vide Baronium in Martyrolog. ad 3 Jan.

[a] Solum hoc loco substantivum, id est, humus. Sic igitur construi debet hæc periodus : *Solum terræ illius madens ebrietate continua arcet humandi officium*, etc., quasi diceret : terra illa perpetuo ebria seu madens impedit quominus ibi sepeliantur corpora. Et sic cohæret sequentibus : *Si qua enim cadavera susceperit*, supple solum terræ illius.

[b] Pure dixit, quia sine ullo igne supposito. Hanc tamen vocem omisit Dionysius. Alii habent : *Super hostias impositas pyræ, pie idcirco descendere postulavit*, etc., ut observavit Cuychius.

[c] Primo hujus nominis abbatis Abrahæ occursu suspicatus sum illum Abraham, sive Abrahamium, vel Abramium sanctum eremitam hoc loco designari, cujus vitam beatus Ephrem luculento sermone descripsit, cujus et memoria celebratur in Martyrologio Romano 16 Martii. At, re attentius inspecta, facile agnovi aliter se habere; et alium hic abbatem Abraham, sive Abrahamium ab illo denotatum. Nam ille Syrus, et S. Ephrem Syri discipulus, ut ipsemet et alii testantur (*S. Ephrem. in Testam.*; *Sozomen. l.* III *c.* 15; *Niceph. l.* IX, *c.* 16); hic vero Ægyptius, ut ex hoc textu manifeste colligitur. Ille quinquaginta annis in cellula mansit inclusus, ut refert S. Ephrem: hic ab eremo Thebaidis, quæ superior Ægyptus vocatur, descendit in Ægyptum inferiorem, metendi gratia, ut hic dicitur; hic παῖς, id est, puer, ob simplicitatem et innocentiam cognominatus : ille non item. Denique nihil inter illius Syri Acta fusius a Metaphraste enarrata legitur eorum, quæ huic Abrahæ Ægyptio attribuuntur hic miracula. Itaque non *alium hic abbatem* Abraham intelligendum existimo quam illum cui postrema et vigesima quarta collatio a Cassiano descripta tribuitur, quæ *de Mortificatione*, inscribitur : de quo proinde plura ibidem, quæ occurrerint, dicenda erunt.

[d] Ciaconius et alii tantummodo habent : παῖς, *pro simplicitate, et innocentia*. Et revera παῖς, proprie non simplicem, sed puerum aut famulum significat, ut satis notum est. Potuit tamen hoc nomen huic abbati imponi ratione simplicitatis et innocentiæ qua puero similior videbatur, quam viro, æmulatus, opinor, illam salvatoris sententiam : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* V).] ✠

[e] Adverte veteres monachos et eremitas olim tempore messis ad metendum segetes de suis cellulis aut monasteriis fuisse egressos : quorum proposito exemplo D. Benedictus suos cœnobitas pie admonet, *ut si necessitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur : quia tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut et Patres nostri et apostoli*. Porro Quinquagesimam hic intellige totum tempus quod vocamus Paschale, ut alibi monuimus. De quo ex professo agitur collatione 21, cui titulus : *De remissione Quinquagesimæ* (*Vide etiam lib.* III *Inst. cap.* 11). At qui potuit, inquies, tempus Paschale, sive ante Pentecosten, ad metendum, esse idoneum, et maturis jam frugibus opportunum? Potuit certe, cum non solum in Ægypto, verum etiam in Palæstina aliisque regionibus messis in mense Maio ut plurimum contingeret. Nam inter Pascha et Pentecosten apud Judæos messem fieri solitam satis constat ex Levitico et Deuteronomio (*Levit.* XXIII. *Deut.* XVI). *In Ægypto autem* (ut Plinius) *omni serunt mense, et ubicumque imbres æstivi non sunt, ut in India et Æthiopia*; et alibi : *In Ægypto hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo metuntur* (*Plin. l.* XVII *c.* 18 *et l.* XVIII *c.* 7). Alibi etiam scribit binas messes et binas æstates contingere media inter illas hieme (*Lib.* VI *c.* 17).

[f] Seminex, id est, semimortuus, aut semivivus, moribundus. Ovidius lib. I Metaph. :

> Atque ita semineces partim ferventibus artus
> Mollit acquis.

Sidonius lib. I epist. 7, *pietas Augusta seminecem... vel exsilio muncretur*.

CAPUT V.

De claudi cujusdam curatione, quam idem est operatus.

Vel cum idem ipsa pergens ad vicum, circumdatus est illudentium turbis, qui subsannantes ostendebant ei quemdam hominem contracto genu multis jam annis gressus officio destitutum et antiqua debilitate reptantem; ac tentantes eum, Ostende, aiebant, abba Abraham, si servus es Dei, et restitue hunc pristinæ sanitati, ut nomen Christi quem colis vanum non esse credamus. Tunc ille confestim invocato Christi nomine, inclinans se et apprehendens aridum pedem hominis traxit, cujus tractu continuo siccum genu curvumque directum est, ac recepto usu gressuum, quem oblivioni jam tradiderat annosa debilitas, lætus abscessit.

CAPUT VI.

Quod meritum uniuscujusque non ex signis debeat æstimari.

Hi itaque viri nihil sibi pro talium mirabilium virtute donabant, quia [a] non hæc suo merito agi, sed Domini misericordia fatebantur, apostolicis verbis in admiratione signorum humanam gloriam refutantes: *Viri fratres,* inquiunt, *quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare* (*Actor.* III)? Nec quemquam in donis ac mirabilibus Dei, sed potius ex propriis virtutum fructibus prædicandum esse censebant, qui industria mentis et operum virtute generantur. Plerumque enim, ut supra jam dictum est (*Cap.* I), [b] hoquoque auctores testantur. Possunt itaque mali et infideles, subinde invocato Christi nomine aut divina virtute, dæmones expellere, aliaque miracula facere, si Deus eorum ministerio uti aut cum ipsis, ut instrumentis, concurrere dignetur, ad ipsorum aut aliorum utilitatem, aut ad manifestandam suam gloriam et virtutem: modo non id attentent aut præsumant ad confirmationem sui erroris aut falsi dogmatis, ut superius dictum est. Nam et Julianus Apostata signo crucis facto dæmones subito effugavit, teste Gregorio Nazianzeno (*Orat.* I *in Jul.*), et Historia Ecclesiastica (*Theodoret. l.* III, *c.* 3; *Sozom. l.* V, *c.* 2); et Epiphanius (*Hæres.* 30) refert de Josepho homine Judæo, quod necdum credens, in nomine Jesu, hominem a dæmonio obsessum liberaverit. Alius item Judæus apud Gregorium Magnum (*Dial. l.* III, *c.* 7), dum in templo Apollinis, ubi dæmones convenerant, jaceret, eis deprehensus quod cruce signatus esset, eos confestim in fugam vertit clamantes: *Væ, væ: vas vacuum, sed signatum.* Cæterum cum miracula vera sint quædam divina testimonia, secundum illud ad Hebræos II: *Contestante Deo signis, et portentis, et variis virtutibus* (utitur enim Deus miraculis, quasi sigillo in testimonium et confirmationem veritatis, sicut utuntur reges et alii sigillo litteris apposito ad fidem faciendam), fieri nequit ut vel Judæus, vel hæreticus, vel alius infidelis ad astruendam et comprobandam falsitatem miraculum ullum verum edat, aut dæmones expellat, quod et inter miracula reponi potest. Unde sequitur neque hæreticos, cum nihil aliud spectent nisi ut doctrinam erroneam quam profitentur stabiliant et confirment, neque Antichristum ejusque pseudoprophetas et pseudoapostolos miraculum ullum umquam fecisse (quod tamen hæretici sæpe tentarunt) nec facturos esse: ut merito Apostolus omnia Antichristi signa et prodigia falsa, seu mendacia futura pronuntiarit (I *Thess.* II). De quo supra. Verum hic objici posset miraculum illud Pauli Novatiani episcopi, quod narrat Socrates his verbis (*Lib.* VII, *c.* 17): *Judæus quidam veterator Christianam fidem simulans, sæpius baptizatus fuit: per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines dolo ludificatus non habebat amplius quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianum episcopum venit; ait se magna cupiditate baptismatis recipiendi flagrare: per ejus manum, ut illud assequatur, orat. Paulus ejus probat institutum: verum se non prius illi baptismum daturum ait, quam sit fidei articulus institutus, diesque complures jejuniis vacaverit. Judæus contra voluntatem jejunare coactus, acriter instare uti baptismo donetur. Paulus quoniam illum tam obnixe baptismum petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias. Cumque vestem candidam pro illo emisset, et alveum baptisterii*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic Paulus et Barnabas cum Lystrenses cives ob sanatum claudum divinos honores eis deferre vellent, *Conscissis tunicis exsilierunt in turmas, clamantes et dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus similes vobis homines,* etc. (*Act.* XIV).

[b] Malos homines, id est, mortali culpa obstrictos, sed fideles, posse dæmones ejicere, aliaque miracula quæ per virtutes significantur, edere, et non raro edidisse, multis exemplis et auctoritatibus Scripturæ compertum est. Saul enim postquam ab eo Dominus discesserat, Davidem innocentem persequens, cum in cuneum prophetarum venisset, facto super eum Spiritu Domini cum cæteris prophetavit (I *Reg.* XIX), unde exiit proverbium: *Num et Saul inter prophetas* (*Matth.* X)? Prophetavit et Caiphas homo impius, *Quia pontifex erat anni illius* (*Joan.* XI). Fecit et Judas miracula, dum in Christum credebat, eique adhærebat: nam et potestatem cum aliis apostolis accepit, et gloriatus est cum aliis, quod sibi dæmonia subjicerentur (*Luc.* X): *Et tamen fur erat, et loculos habebat* (*Joan.* XII). Et ut D. Hieronymus sentire videtur, jam tum proditionem animo agitabat, idemque manifeste colligitur ex illis verbis Christi: *Multi dicent in illa die: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus?* etc. (*Matth.* VII). Quibus non respondet ipsos mentiri, aut falsum dicere, quemadmodum responsurus esset, si non vere prophetassent, et dæmones ejecissent, aut vera miracula non fecissent, sed tantum: *Numquam novi vos.* Notitia scilicet approbationis, ut vocant theologi. Paulus denique satis ostendit per fidem absque charitate miracula patrari posse, dum ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum,* etc. (I *Cor.* XIII). Unde merito hic abbas superius (*Cap.* 1 *hujus collat.*) hanc secundam causam hujusmodi signorum, seu curationum assignavit: *Cum ob ædificationem Ecclesiæ, vel eorum qui infirmos suos ingerunt, vel eorum qui curandi sunt, fidem, sanitatum virtus etiam a peccatoribus indignisque procedit.* Verum hic amplius dicit etiam *homines mente corruptos et reprobos circa fidem,* id est, infideles, ut sunt Judæi, pagani, hæretici, *plerumque,* id est, sæpenumero, *in nomine Domini et dæmonia ejicere, et virtutes maximas operari,* eosdemque in fine sæculi dicturos: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus?* etc. Quod quidem sane, et cum grano salis, ut dicitur, intelligendum est. Multis siquidem exemplis constat etiam per homines infideles vera miracula facta esse, ut et Chrysostomus (*Homil.* 25 *in Matth.*), et Hieronymus (*Comment. in Matth.*) docent. Nam Balaam, falsus alioquin et infidelis propheta, præclaram de Christo ejusque ortu edidit prophetiam; et verba illa Domini: *Multi dicent in illa die,* etc., non solum ad fideles, verum etiam ad infideles referri possunt, ut iidem

mines mente corrupti ac reprobi circa fidem, in nomine Domini et dæmonia expellunt, et virtutes maximas operantur. De quibus cum apostoli causarentur et dicerent, *Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum,* licet eisdem ad præsens responderit Christus : *Nolite prohibere, qui enim non est adversum vos, pro vobis est* (*Luc.* IX). Tamen eis in fine dicentibus, *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus?* responsurum se esse testatur, quia *numquam novi vos, discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII). Et idcirco etiam istos quibus hanc gloriam signorum atque virtutum pro merito sanctitatis ipse concessit, ne in his extollantur, admonet dicens : *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X).

CAPUT VII.

Quod charismatum virtus non in mirabilibus, sed in humilitate consistat.

Denique ipse auctor signorum omnium atque virtutum, cum ad doctrinæ suæ magisterium discipulos advocaret, quid ab eo veri atque electissimi sectatores peculiariter discere deberent, evidenter ostendit : *Venite,* inquit,[a] *et discite a me,* non utique ut dæmones cœlesti potestate pellatis, non ut leprosos emundetis, non ut cæcos illuminetis, non ut mortuos suscitetis : hæc enim etiamsi per quosdam servos meos operor, non potest se inserere laudibus Dei humana conditio, nec ullam sibi in hoc minister et famulus decerpere portionem, ubi solius divinitatis est gloria : Vos autem, inquit, hoc *discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Hoc enim est quod cunctis generaliter discere et exercere possibile est,[b] opera autem signorum atque virtutum,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

aqua impleri jussisset, Judæum eo deduxit, ut illi baptismun impertiret. Verum aqua universa, divina quadam virtute, quæ oculis cerni percipive non poterat, subito exhausta est. At cum neque episcopus, neque alii, qui aderant, accurate considerarent qua ratione id accidisset, sed aquam per foramen quod in imo alveo fuit, per quod etiam alias aquam solebant educere, effluxisse existimarent, alveum baptismi de integro, foraminibus undique in eo firme obturatis, diligenter implent. At cum Judæus esset secundo in alveum baptisterii deductus, aqua rursus penitus evanuit. Itaque Paulus : O homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti. Quare ubi ob miraculum a multis eo concursum erat, forte quidam Judæum de facie novit, eumque ab Attico episcopo Constantinopolitano baptizatum viderat. Hoc miraculum per Paulum Novationum episcopum editum fuit. Hactenus Socrates, et ipse Novatianus. Ad hoc miraculum sibi objectum respondens cardinalis Bellarminus, docet non fuisse miraculum Novatiani erroris, sed veri baptismi, quod perspicuum, inquit, est ex eo, quod idem Socrates subjungit, cognitum paulo post fuisse eum Judæum jam antea baptizatum ritu catholico ab Attico episcopo Constantinopolitano. Itaque Deus quia noluit irrideri baptismum in Ecclesia rite susceptum, non permisit impostorem Judæum ab hæretico episcopo iterum baptizari. Ita Bellarminus (*Lib. de Notis Eccles. c.* 14). Vide plura, si lubet, apud Baronium tomo quarto Annalium (*Anno Christi* 419, *in fine*), ubi docet hanc narrationem Socratis, hominis Novatiani, non carere suspicione falsitatis : ac demum concludit miraculum illud (ut verum fuisse credatur) cessisse in confirmationem potius catholicæ veritatis, quam ad Pauli merita illustranda, quem Socrates laudibus ornat. Hæc illi. Sed quod ab illis prætermissum, hic ex Nicephoro adjiciendum existimavi huic loco consentaneum. Sic enim ille postquam eamdem historiam enarravit : *Non obiter,* inquit, *hoc quidem recensui : verum ut scire possimus gratiam divinam persæpe etiam se apud indignos exhibere, nullo inde contracto detrimento. Maxime vero illa admiratione digna est, quæ sic varie rebus novis se ostendit per dignos simul, et aliquando etiam, si hoc usus postulet, per indignos.* Hæc Nicephorus : quæ quatenus vera sint, aut falsa, ex dictis facile colligi potest : indignos enim hic vocare videtur, quos superius improbos et infideles diximus. Gratiam vero divinam intelligit gratiam miraculorum, ut ex antecedentibus liquet.

[a] Vulgata est et concionatoribus decantata similis D. Augustini sententia serm. 10 de Verbis Domini : *Discite a me non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere et mortuos suscitare, sed : Quoniam mitis sum et humilis corde* (*Lib. de Sancta Virginit. cap.* 35). Alibi idem Augustinus eamdem sententiam expendens sic admirabundus exclamat : *Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus a te, quoniam mitis es et humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi a te, qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? Ita plane : non enim aliter invenitur requies animæ; nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat,* etc. Locus est pulcherrimus et lectu dignissimus.

[b] D. Augustinus hanc objectionem gentilium ita eludit : *Cur, inquiunt, nunc illa miracula quæ prædicatis facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente, non credit* (*Lib.* XX *de Civit. c.* 19). Subdit tamen, et narrat toto capite multa miracula curationum etiam suo tempore facta, licet non omnibus nota, per merita et orationes sanctorum. Et *lib.* LXXXIII Quæstionum q. 79 : *Ideo,* inquit, *non omnibus sanctis ista tribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis majora dona esse, quam in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.* D. Gregorius homil. 29 in Evangelia, exponens illa verba Christi : *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur,* etc. *Numquid,* ait, *fratres mei, quia ista non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut etiam ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda; quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra jam coaluisse videamus : et si semel radicem fixerunt, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit : Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus* (I *Corinth.* XIV). *Habemus de his signis atque virtutibus, quæ adhuc subtilius considerare debeamus. Sancta quippe Ecclesia quotidie spiritaliter facit, quod tunc per apostolos corporaliter faciebat. Nam sacerdotes ejus, cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt, et habitare malignos spiritus in eorum mente contradicunt, quid aliud faciunt nisi dæmonia ejiciunt? Et fideles quique, qui jam veteris vitæ sæcularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, Conditoris sui laudes et potentiam quantum prævalent narrant, quid aliud faciunt, nisi linguis novis loquuntur? Qui dum bonis suis exhortationibus malitiam de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt. Et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam*

nec semper necessaria, nec omnibus conceduntur. [a] Humilitas est ergo omnium magistra virtutum, ipsa est cœlestis ædificii firmissimum fundamentum, ipsa est donum proprium atque magnificum Salvatoris. Ista etenim universa miracula quæ Christus operatus est, sine periculo elationis exercet, qui mitem Dominum, non sublimitate signorum, sed patientiæ atque humilitatis virtute sectatur. Qui vero immundis spiritibus imperare, aut languentibus sanitatum dona conferre, aut aliquod signum mirabile populis gestit ostendere, quamvis in ostentationibus suis Christi invocet nomen, tamen alienus a Christo est, quia humilitatis magistrum superba mente non sequitur. Nam etiam cum ad Patrem remeans quoddam, ut ita dixerim, conderet testamentum, hoc discipulis dereliquit : *Mandatum,* inquit, *novum de vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII). Statimque subjunxit, *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Non ait, si signa atque virtutes similiter feceritis, sed si dignam directionem ad invicem habueritis, quam certum est nisi mites atque humiles servare non posse. Quapropter numquam monachos probos nec morbo cenodoxiæ vacuos nostri majores esse dixerunt, qui semetipsos [b] exorcistas coram hominibus profitentur,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

minime pertrahuntur, mortiferum quidem est quod bibunt, sed non eis nocebit. Qui quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum eis tota virtute concurrunt, et exemplo suæ operationis illorum vitam roborant : qui in propria actione titubant, quid aliud faciunt, nisi super ægros manus imponunt, ut bene habeant? Quæ nimirum miracula, quanto spiritalia, tanto meliora sunt, quanto per hæc non corpora, sed animæ suscitantur. Hæc itaque signa, fratres charissimi, auctore Deo, si vultis, facitis. Ex illis enim exterioribus signis obtineri vita ab hæc operantibus non valet. Nam corporalia illa miracula ostendunt aliquando sanctitatem, sed non faciunt. Hæc vero spiritalia, quæ fiunt in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere et mali possunt : istis autem perfrui nisi boni non possunt. Nolite ergo, fratres, amare signa quæ possunt cum reprobis haberi communia, sed hæc quæ modo diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto occulta, et de quibus apud Dominum eo major sit retributio, quod apud homines minor est gloria. Hucusque D. Gregorius.

[a] Tria humilitatis elogia, eaque præcipua paucis verbis complexus est : 1° quod sit mater et magistra omnium virtutum. Ita S. Gregorius XXIII Moralium (*Cap.* 13) : *Vera doctrina humilitatem, quæ magistra est omnium, materque virtutum, et loquendo dicere, et vivendo conatur ostendere; ut eam apud discipulos veritatis plus operibus quam sermonibus eloquatur.* 2° Quod sit cœlestis et spiritualis ædificii fundamentum. De quo præter alia quæ alibi protulimus, Chrysostomus in Genesim (*Homil.* 35 : *Ubique modum servemus, et bonis operibus nostris humilitatem, quasi fundamentum substruamus, ut secure virtutes superextruere valeamus. Virtus enim non est, nisi conjunctam habeat humilitatem. Qui hoc fundamentum recte jecerit, poterit in quantam voluerit altitudinem structuram excitare. Hæc est inexpugnabilis turris; hæc omne continet ædificium, non sinens ipsum, vel a ventorum violentia, vel ab imbrium impetu, vel a spirituum vi dejici; sed omnibus insidiis inaccessum facit et invictum, quasi ex adamante constrictum esset.* D. Bernardus in eamdem sententiam lib. de Consideratione : *Pretiosissimus fundus, bonus fundus est, humilitas, in qua omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino.* 3° Quod sit proprium et magnificum donum Salvatoris. Hinc D. Gregorius XXXIV Moralium: *Quanta humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter docendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus*; et cap. sequenti : *Sicut evidentissimum reproborum signum superbia est, ita econtra humilitas electorum. Cum erga quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cujus serviat potestate rectoris.* Similia habet D. Augustinus XIV de Civitate Dei (*Cap.* 13), ubi docet duas civitates, Dei videlicet et diaboli, hoc est, societatem justorum et impiorum, hisce duabus notis et veluti tesseris, humilitate et superbia, potissimum a se invicem distingui.

[b] Ἐξορκίζω, id est, adjuro. Unde exorcistæ adjuratores, qui immundos spiritus ex obsessis seu possessis corporibus per nomen Domini adjurando expellunt. De quibus D. Augustinus lib. X de Civitate (*Cap.* 22) : *Vera,* inquit, *pietate homines Dei aeream potestatem inimicam, contrariamque pietati exorcizando ejiciunt, non placando.* Hoc significari dicit D. Hieronymus per infantem illum qui apud Isaiam de foramine petræ colubrum manu educit. Porro notandum jam inde ab initio duplicem in Ecclesia fuisse potestatem pellendi dæmones, et proinde duo exorcistarum genera : alteram solis clericis seu ecclesiasticis personis communicatam, per ecclesiasticam videlicet ordinationem : unde inter minores ordines tertius dicitur exorcistarum, ordo sane celebris et passim apud Patres decantatus, ex quo etiam fidei nostræ veritatem contra adversarios frequenter C astruunt, ut Justinus in Dialogo cum Tryphone, Tertullianus ad Scapulam, Lactantius lib. II Divin. Institut., Cyprianus in epist. ad Demetrianum; alteram etiam laicis hominibus, sive qui nullo ordine initiati sunt, communem : quæ quidem adhuc duplex est : altera generalis, qualem in ipsis Ecclesiæ primordiis consecutos esse constat plerosque fideles ex illa generali Christi promissione : *Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient* (*Marc.* XVI) : quæ tamdiu in Ecclesia viguit, quamdiu ad fidei propagationem et confirmationem visa est necessaria : unde et Tertullianus scribit etiam a militibus dæmones fuisse expulsos, et parentes solitos exorcizare filios suos (*De Cor. mil. cap.* 11, *de Idol. cap.* 11); alia specialis, quæ quibusdam in signum eximiæ sanctitatis, vel in ædificationem Ecclesiæ ex peculiari dono collata fuit; quod donum Apostolus inter alia dona Spiritus sancti, seu gratias gratio datas, ut diximus, sub gratia sanitatum aut operatione virtutum comprehendit (I *Cor.* XIII). Quo in D genere maxime claruerunt plurimi sancti anachoretæ, quamvis laici, nulloque ordine Eccles. consecrati, et in his Antonius, Paulus simplex, Hilarion, et alii. Tales erant illi monachi, de quibus hic agitur, qui hoc dono et virtute exorcizandi ad ostentationem et inanem gloriam subinde abutebantur; et exorcistarum munus, tametsi laici, coram aliis profitebantur, ultroque exercebant, ut opinionem sanctitatis venarentur : quamquam nihil vetat quosdam ex ipsis fuisse clericos et ordinibus initiatos; cum e diverso viri sancti, ut dictum est, hoc maxime refugerent nisi vel charitate, vel precantium importunitate coacti, ob causas supra explicatas (*Cap.* 2). Ita sanctus Benedictus energumenam ad se adductam ad S. Remigium remisit, ut scribit Hincmarus in hujus Vita. Sic S. Laurentius Justinianus, patriarcha Venetus, rogatus ut dæmonem a muliere expelleret : *Ne petatis,* inquit, *a me, quod præstare non possum.*

et inter admirantium turbas hanc quam vel meruerunt, vel præsumpserunt gratiam jactantissima ostentatione diffamant : sed incassum. [a] *Qui* enim *innititur mendaciis, hic pascet ventos, idem autem ipse sequitur aves volantes* (*Prov.* x). Sine dubio enim eveniet eis illud quod in Proverbiis dicitur : [b] *Sicut venti et nubes et pluviæ manifestissimæ sunt, ita qui gloriatur in dato falso* (*Prov.* xxv). Et ideo si quis coram nobis horum aliquid fecerit, non de admiratione signorum, sed de ornatu morum debet apud nos esse laudabilis; nec utrum dæmonia ei subjecta sint, sed utrum [c] charitatis membra, quæ describit Apostolus, possideat, inquirendum.

CAPUT VIII.

Quod mirabilius sit de semetipso vitia, quam de altero dæmones extrusisse.

[d] Et revera majus miraculum est de propria carne

Eodem modo respondit Gregorius Lingonensis, et ipse sanctissimus episcopus, teste Gregorio Turonensi.

[a] Abest hæc sententia tam ab Hebræo quam a Græco LXX, ut notavit P. Delrius (*In Adagia*). Citatur tamen a Clemente Alexand. lib. I Strom. et a D. Augustino lib. III cont. Cresconium cap. 9 his verbis : *Qui fidit in falsis, hic pascit ventos, id est, fit esca spiritibus malis.* Eodem allusit Oseas propheta cap. XII dicens : *Ephraim pascit ventum et sequitur astum : tota die mendacium et vastitatem multiplicat.* Ubi D. Hieronymus interpretatur pascere ventum, *Spe vana se decipere.* Rupertus, *spiritu superbiæ inflari.*

[b] Vulgata versio : *Nubes, et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens.* Cui Chaldæa paraphrasis magis consonat : *Diei nubium, et venti, in quo non est pluvia; similis est vir, qui gloriatur in dono falsitatis.* Ubi D. Hieronymus docet hunc versiculum continere etiam illud quod dicit Apostolus : *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (I *Tim.* III).

[c] Illis nimirum verbis : *Charitas patiens est, benigna est,* etc. (I *Cor.* I). Ubi quindecim virtutum officia exprimuntur, quibus veluti membris, perfecta charitas integratur et constat.

[d] Aliis verbis eamdem sententiam expressit, hanc collationem ita concludens (*Cap. ultim.*) : *Major quippe est virtus, ac sublimior gratia, internam libidinem carnis exstinguere, quam requitias dæmonum, exterius irruentes, signo Domini, ac virtutis Altissimi potentia subjugare, vel de obsessis corporibus divini nominis invocatione propellere.* Aptissime vero his respondent et consonant quæ de mirabilibus Dei operibus in sanctis suis disseruit abbas Chæremon collat. 12 cap. 12, ubi hæc inter alia : *Quis enim in se opera Domini non miretur, cum insatiabilem ventris ingluviem, et sumptuosam gulæ perniciosamque luxuriam ita in se viderit esse compressam, ut vix ipsum exiguum ac vilissimum cibum raro percipiat? Quis non obstupescat opera Dei, cum illum ignem libidinis quem naturalem antea et velut inexstinguibilem esse credebat, ita refriguisse persenserit, ut ne simplici quidem corporis motu se sentiat incitari? Quomodo non virtutem Domini contremiscat quisque, cum homines quondam diros ac truculentos, qui ad summum iracundiæ furorem etiam blandissimis subditorum irritabantur obsequiis, ad tantam transisse viderit lenitatem, ut non solum jam nullis commoveantur injuriis, sed etiam cum illatæ fuerint, summa magnanimitate congaudeant?* etc. *Et rursus cap. sequenti : Istud ergo est mirabile opus Dei, hominem carneum carnales affectus in carne positum respuisse; et in tanta rerum atque incursuum varietate, unum tenere animi statum, atque immobilem in omni accidentium permutatione durare.* Hæc ibi. Quibus consentanea scribit B. Gregorius lib. III Dialog. cap. 17; ubi etiam docet majus esse miraculum, prædicationis verbo atque orationis solatio peccatorem convertere, quam carne mortuum resuscitare (*Vide S. Thom.* 1-2, *q.* 111, *art.* 5, *et q.* 113, *art.* 9 *et* 10).

[e] Ita D. Gregorius Nazianzenus verissime scripsit tanto animi morbum quam corporis graviorem esse, quanto animus corpore præstantior : *Hic enim,* inquit alio loco, *præter voluntatem existit, ille a voluntate proficiscitur : hic una cum hac vita finitur, ille nos hinc migrantes comitatur : hic denique miseratione dignus est, ille odio, apud eos quidem qui mentis sunt compotes.*

[f] Cyrillus apud S. Thomam (*In Catena aurea*) : *Sed cur, Domine, non sinis lætari in honoribus a te collatis? cum scriptum sit : In nomine tuo exsultabunt tota die* (*Psal.* LXXXVIII). *Sed Dominus eos ad majus gaudium erigit. Unde subdit : Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Ita Cyrillus. Itaque non vetat Christus discipulos gaudere, quod dæmonia eis subjicerentur : hoc enim donum Dei erat, de quo gaudere licet, modo et donum ipsum et gaudium in auctorem suum referatur : sed docet minus gaudendum quam de eo quod ipsorum nomina scripta essent in cœlo : nomina autem scripta esse in cœlo, idem ac scripta esse in libro vitæ, ut aliis verbis Scriptura solet dicere (*Exod.* XXXII, *Psal.* LXVIII, *Philip.* IV, *Act.* III). Docent porro theologi (D. Thom. I *p.*, *q.* 24) duobus modis homines scribi in libro vitæ, aut secundum æternam Dei prædestinationem, quæ falli aut mutari non potest; aut secundum præsentem cujusque justitiam, quæ mutari potest : et illos semel scriptos numquam deleri; hos deleri rescribique, prout nunc ex justis injusti, nunc rursus ex injustis justi efficiuntur.

[g] Hoc superius (*Cap.* 6) aliis verbis inculcatum, ubi ait : *Viri sancti* (miracula patrantes) *nihil sibi pro talium mirabilium virtute donabant : quia non hæc sua merito agi, sed Domini misericordia fatebantur, Apostolicis verbis in admiratione signorum, humanam gloriam refutantes. Viri fratres, inquiunt, quid admiramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare* (*Actor.* III)? His enim verbis usus est Petrus apostolus, postquam claudum ex utero matris suæ, invocato nomine Jesu Christi Nazareni, curasset, populo ad id miracu

A fomitem luxuriæ eradicare, quam expellere immundos spiritus de corporibus alienis; et magnificentius signum est virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere, quam aeris principatibus imperare; plusque est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quam valetudines alterius febresque corporeas expulisse. Postremo multis modis præclarior virtus sublimiorque profectus est, animæ propriæ curare languores, quam corporis alieni. [e] Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior ejus est salus; quantoque pretiosioris excellentiorisque est substantiæ, et tanto gravioris ac perniciosioris est et ruinæ.

CAPUT IX.

Quantum præcellat vitæ probitas opera signorum.

B Et de illis quidem curationibus ita beatissimis Apostolis dicitur : [f] *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur* (*Luc.* X). Hoc [g] enim faciebat non

C

D

eorum potestas, sed virtus Dominici nominis invocati, et idcirco monentur ut ex hac parte nihil sibi beatitudinis aut gloriæ audeant vindicare, quæ Dei tantum potentia ac virtute perficitur, sed ex illa vitæ suæ cordisque intima puritate, ob quam nomina eorum inscribi merentur in cœlis.

CAPUT X.

Revelatio de perfectæ castitatis experimento.

Et ut hoc ipsum quod diximus, vel testimoniis veterum, vel divinis oraculis approbemus, quid [a] beatus Paphnutius, vel de admiratione signorum, vel de gratia senserit puritatis, immo quid angeli revelatione cognoverit, ipsius verbis atque experimentis rectius proferamus. Hic namque ita multis vigens annis districtione præcipua, ut crederet se etiam carnalis concupiscentiæ laqueis penitus absolutum, concurrente et stupente. Idemque a Paulo et Barnaba apud Lystrenses factitatum et prædicatum (*Act.* XIV) ibidem annotavimus. Confirmat eamdem doctrinam S. Athanasius in Vita Antonii, ita scribens (*Cap.* 52) : *Numquid suæ virtutis imperio curabat Antonius? Numquid suæ possibilitatis arbitratur esse quod fecerat? Orationibus, non præceptis, dæmones cesserunt, et ad Christi Dei nostri nominationem semper universa perfecta sunt. Nemo sapientum sanitatum admirationem ascribat Antonio, sed Domino Jesu, qui solitam erga creaturas suas exhibens benevolentiam, nunc quoque per electum famulum suum indulgenter exercuit. Antonius tantum orabat, et vitæ ejus merito cuncta Dominus largiebatur.* Hæc Athanasius, quæ et de alio quocumque viro sancto miracula faciente dici possunt. Verum ad pleniorem horum intelligentiam observanda doctrina D. Thomæ his verbis tradita (2-2, *quæst.* 178, *a.* 1) : *Dicendum quod sicut prophetia se extendit ad omnia quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia quæ supernaturaliter fieri possunt : quorum quidem causa est divina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest. Et ideo impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Sed tamen hoc potest contingere, quod sicut mens prophetæ movetur ex inspiratione divina ad aliquid supernaturaliter cognoscendum, ita etiam mens miracula facientis moveatur ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi quod Deus sua virtute facit. Quod quandoque quidem fit præcedente orante, sicut cum Petrus Tabitham mortuam suscitavit* (*Act.* IX). *Quandoque etiam non præcedente manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante, sicut Petrus Ananiam et Sapphiram mentientes morti increpando tradidit* (*Act.* V). *Unde Gregorius dicit in secundo Dialogorum* (*Cap.* 30), *quod sancti aliquando ex potentia miracula exhibent, aliquando ex postulatione. Utrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui utitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel ejus locutione, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui* (*Vide ibi Cajetanum*). *Unde, Josue* X, *cum Josue dixisset, quasi ex potestate : Sol, contra Gabaon non movearis, subditur postea : Non fuit ante et postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Hactenus S. Thomas. Unde patet quomodo sancti secundum Gregorium aliquando miracula faciant quasi ex potestate et imperio, cum constet omnia miracula divina virtute fieri, ut dictum est (*Vide S. Bernard. serm.* 13 *in Cant.*). Dicuntur enim hæc facere ex potestate, quando non præmissa immediate manifesta oratione, sed sola jussione statim miraculum aggrediuntur : sicut Josue sistendo so-

A eo quod cunctis infestationibus dæmonum, quibus diu aperteque conflixerat, superiorem se factum esse sentiret, dum, advenientibus viris sanctis, [b] pulmentum lenticulæ quod illi [c] atheram nominant, præpararet, manus ejus in clibano, ut assolet, flamma supervolitante, combusta est. Quo facto tristificatus, magnum in modum cœpit secum tacitus volvere : Cur ignis, inquiens, mecum non habet pacem, cum diriora mihi dæmonum cesserint prælia? aut quemadmodum me in illo metuendo examinis die per se transiturum ille ignis inexstinguibilis et inquisitor meritorum omnium non tenebit, cui nunc extrinsecus hic temporalis ac parvulus non pepercit? Cumque æstuanti hujuscemodi cogitationibus atque tristitia sopor subitus obrepsisset, adveniens angelus Domini, B Cur, inquit, Paphnuti, tristis es, quod necdum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, [d] cum adhuc resilem, et Petrus suscitando Tabitham, qui tamen preces ante præmiserat; et S. Benedictus, qui, ut refert Gregorius (*Ubi supra, cap.* 31), solo aspectu rusticum ligatum a vinculis solvit.

[a] De quo sæpius egimus, et pro Pafnutio, ut est in editione Plantini, Paphnutium legendum monuimus.

[b] De lenticula vide notata ad cap. 20 lib. IV Institutionum, sive de Institutis renuntiantium.

[c] Ἄθήρα sive ἀθάρα, ut notavit Ciaconius, Hesychio est edulium quoddam quod Ægyptii ex tritico et lacte conficiunt. Plinio potius medicamentum. Sic enim scribit : *Olyram ariucam diximus vocari : hac cocta fit medicamentum, quod Ægyptii atharam vocant, infantibus utilissimum ; sed et adultos illinunt eo.* Idem fere Dioscorides libro secundo, capite 114. S. Augustinus (non Hieronymus, ut vitiose impressum est) in Quæst. in Genesim, ad illud cap. XLV : *Et dedit* C *eis cibaria in viam. Verbum,* inquit, *zeda, quod hic omnes ore consono* ἐπισιτισμόν, *id est, cibaria, sive sitarcia interpretati sunt, in Psalterio quoque habetur. Ubi enim nostri legunt : Viduam ejus benedicens benedicam* (*Psal.* CXXXI), *licet in plerisque codicibus pro vidua, hoc est, pro* χήραν, *nonnulli legant* θήραν, *in Hebræo habet zeda, id est, cibaria ejus, benedicens benedicam. Porro* θήραν, *venationem magis potest sonare quam fruges; tametsi moris sit Ægyptiorum* θήραν *etiam far vocare, quod nunc corrupte atheram nuncupant.* Hæc Augustinus, seu quisquis auctor ejus libri.

[d] Sensit hoc etiam vir sanctus Ursinus presbyter (de quo B. Gregorius lib. IV Dialog. capite 11) : *Qui gravi febre correptus, et morti jam proximus, cum ejus soror aure naribus ejus propius admota exploraret num aliquis spiritus ei superesset, quantulo adnisu potuit, infervescens spiritu collegit vocem, atque erupit, dicens : Recede a me, mulier; adhuc igniculus vivit, paleam tolle.* Sic ille. Eodem spectat quod in Vitis D Patrum legitur his verbis (*Lib.* V *libello* 10) : *Dicebant de quodam sene, quia fuerit quinquaginta annos neque panem comedens, neque facile aquam bibens, et dicebat : Quia exstinxi fornicationem, et avaritiam, et vanam gloriam. Et quia abbas Abraham audierat quod hæc dixisset, venit ad eum, et dixit ei : Tu dixisti hunc sermonem? Et ille respondit : Etiam. Et dixit ei abbas Abraham : Ecce intras in cellam tuam, et invenis supra mattam tuam mulierem; potes non cogitare quia mulier est? Et dixit : Non, sed impugno cogitationem meam, ut non tangam mulierem illam. Dixit abbas Abraham : Ecce igitur non fornicationem interfecisti; quia vivit passio ipsa, sed alligata est. Iterum, si ambulas in via, et vides lapides, et testas vasorum, et in ipsis jacens aurum; quod videris, potes velut lapides*

deat in membris tuis carnalium motuum necdum ad purum excocta commotio? Cujus radices donec in tuis vivunt medullis, ignem istum materialem nequaquam tibi pacificum esse permittent, quem utique innoxium alias sentire non poteris, nisi omnes internos motus his indiciis in temetipso experiaris exstinctos. Vade et apprehende nudam et pulcherrimam virginem; et si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, hujus quoque visibilis flammæ mitis atque innoxius in modum illorum trium in Babylonia puerorum te allambet attactus (*Daniel.* III). Itaque senex ex hujusmodi revelatione perculsus non quidem experimenti divinitus demonstrati pericula consuluit, sed interrogans conscientiam suam, et puritatem sui cordis examinans, nec adhuc pon- B dus castimoniæ suæ hujus probationis ponderi compensare conjectans : Non mirum est, ait, si cedentibus mihi immundorum spirituum præliis, adustiones ignis quas dirissimis congressibus dæmonum inferiores esse credebam, adhuc adversum me senserim sævientes. Major quippe est virtus ac sublimior gratia, internam libidinem carnis exstinguere, quam nequitias dæmonum extrinsecus irruentes, [a] signo Domini ac virtutis Altissimi potentia subjugare, vel de obsessis corporibus nominis divini invocatione propellere. Huc usque abbas Nesteros orationem de vera charismatum operatione consummans, nos ad cellam senis Joseph, quæ sex ferme millibus ab ipso erat, properantes, doctrinæ suæ institutione prosecutus est.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

reputare? Et respondit : Non, sed resisto cogitationi meæ, ne colligam illa. Et dici ei abbas Abraham : Ecce ergo vivit passio, sed alligata est. Et dixit iterum abbas Abraham : Si audieris de duobus fratribus quia unus diligit te et bona de te loquitur, alius autem odit et detrahit tibi, et venerint ad te, utrosque æqualiter suscipis? Et dixit : Non, sed extorqueo animo ut similiter bene faciam ei qui me odit, sicut illi qui diligit me. Et dixit ei abbas Abraham : Vivunt ergo passiones, sed tantum a sanctis viris quodammodo religantur. Hæc ibi ex Græco auctore rudiuscule relata.

[a] Pessime in editione Lugdunensi positum est *sine Domini*, pro *signo Domini*, ut habent cæteri codices et Dionysius paraphrastes, et veritas exposcit. Est enim signum Domini signum sanctæ crucis, quod in exorcismis et dæmonum adjurationibus invocatione divini nominis adhiberi solet.

COLLATIO DECIMA SEXTA,

Quæ est prima abbatis Joseph.

DE AMICITIA.

CAPUT PRIMUM.

Beatus Joseph, cujus nunc instituta ac præcepta pandenda sunt, unus ex tribus quorum [a] in prima collatione fecimus mentionem, claræ admodum familiæ ac primarius civitatis suæ intra Ægyptum fuit, [b] quæ appellatur Thmuis, et ita non solum Ægyptia, sed etiam Græca facundia diligenter edoctus, ut vel nobis vel his qui eloquentiam Ægyptiam penitus ignorabant, non ut cæteri per interpretem, sed per semetipsum elegantissime disputaret. Qui cum institutionem suam nos desiderare sensisset, percun- C ctatus primum utrumnam essemus germani fratres, audiensque a nobis quod non carnali, sed spirituali essemus fraternitate devincti, nosque ab exordio renuntiationis nostræ, tam in peregrinatione, quæ ab utroque nostrum fuerat obtentu militiæ spiritalis arrepta, quam in cœnobii studio individua semper conjunctione sociatos, tali usus est sermonis exordio.

CAPUT II.

Disputatio ejusdem senis de infido amicitiarum genere.

[c] Amicitiarum ac sodalitatis multa sunt genera,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ex toto quidem numero undecima; prima autem e decem collationibus hujus secundæ classis, quæ cum tribus anachoretis, scil. Chæremone, Nesterote et hoc Josepho ibidem nominatis habitæ sunt.

[b] De hac civitate vide supra collat. 14 cap. 4.

[c] Præter Aristotelem, qui tres amicitiæ species recensuit (*Lib.* VIII *Ethic. c.* 3), delectabilem, utilem D et honestam, antiqui Patres etiam varia amicitiæ genera descripserunt. Clemens Alexandrinus lib. II Strom. cap. 9 : *Docemur,* inquit, *esse triplex genus amicitiæ : et eorum primum quidem genus est, idque optimum ac præstantissimum, id quod est ex virtute, valida enim est quæ est ex ratione dilectio. Secundum autem, ac medium, ex remuneratione : est autem hoc genus aptum ad societatem et communicationem, libenter impertiens, et vitæ conducibile. Tertium autem dicimus, quod est ex consuetudine.* Clarius S. Chrysostomus in Epistolam ad Colossenses : *Multæ,* ait, *sunt causæ ex quibus oritur amicitia, et ut turpes omittamus, quia malæ sunt, et bonas tantum in medium adducamus, aliæ sunt amicitiæ temporales, aliæ naturales, aliæ spirituales. Temporales oriuntur ex beneficio, ex communione mensæ, aut peregrinationis, aut artificii ejusdem, aut ex vicinia eadem, aut ex hujusmodi rebus aliis. Naturales sunt, patris erga filium, filii erga patrem, fratris erga fratrem, nepotis erga avum, matris erga liberos, uxoris erga virum. Et istæ quidem vehementiores illis esse videntur; videntur, inquam, quia sæpenumero illis inferiores sunt. Nam alicubi visi sunt amici germanius affecti quam fratres. Spiritalis vero dilectio omnes reliquas excellit, tamquam regina quædam suorum dominium habens, et splendido habitu conspicua. Nihil enim terrenum hic est, unde ista nascatur, quemadmodum in aliis; non enim ex consuetudine nascitur, non ex beneficentia, non ex natura, non ex tempore, sed e supernis descendit, ex ipso cælo.* Hæc Chrysostomus. Augustinus vero homilia 38 inter 50 : *De amicitia videte quid dicam. Sunt amici*

quæ diversis modis humanum genus dilectionis societate connectunt. Quosdam enim præcedens commendatio primum notitiæ, post etiam amicitiæ fecit inire commercia. In quibusdam vero contractus quidam seu [a] dati acceptive depactio, charitatis fœdera copulavit. Quosdam negotiationis seu militiæ vel artis ac studii similitudo atque communio amicitiarum vinculis nexuerunt, per quam ita etiam effera sibi invicem corda mansuescunt, ut etiam hi qui in silvis ac montibus latrociniis gaudent, et effusione humani sanguinis delectantur, suorum scelerum participes amplectantur ac foveant. Est etiam dilectionis aliud genus, quod instinctu naturæ ipsius et consanguinitatis lege connectitur, quo vel contribules, vel conjuges, vel parentes, seu fratres ac filii naturaliter cæteris præferuntur, quod non solum humano generi, verum etiam omnibus alitibus atque animantibus inesse deprehenditur. Nam pullos vel catulos suos naturali affectu instigante sic protegunt ac defendunt, ut frequenter pro ipsis etiam objicere se A periculis mortique non metuant. Denique etiam illa bestiarum vel serpentium vel alitum genera, quæ intolerabilis feritas ac lethale virus ab omnibus separat et secernit, ut sunt [b] basilisci, vel monocerotes, vel gryphes, cum etiam visu ipso cunctis perniciosa esse dicantur, inter se tamen pro originis ipsius affectionisque consortio pacata et innoxia perseverant. Sed hæc omnia quæ diximus genera charitatis, sicut malis ac bonis, feris etiam atque serpentibus videmus esse communia, ita etiam usque in finem certum est perseverare non posse. Etenim interrumpit ea frequenter ac dividit locorum discretio, et oblivio temporalis, et verbi vel causæ negotiorumque contractus. Ut enim ex diversis, vel lucri, vel libidinis, vel consanguinitatis ac necessitudinum B variarum societatibus acquiri solent, ita intercedente qualibet divortii occasione solvuntur.

CAPUT III.

Unde indissolubilis amicitia sit.

In his igitur cunctis [c] unum genus est insolubile

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ex certa amicitia, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia. Sunt enim homines qui pariter mala committunt, et ideo videntur sibi conjuncti. Excepta illa, est quædam amicitia carnalis, per consuetudinem cohabitandi, colloquendi, simul conversandi, ut contristetur homo, quando deseritur ab amico. Est ista amicitia et consuetudinis, non rationis. Habent illam et pecora. Est et alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem et mutuam benevolentiam. Eeodem modo Cassiodorus, lib. de Amicitia, multas ejus species distinguit, ex causis a quibus ipsa procedit: *Fons,* inquit, *et origo amicitiæ amor est, et quasi genus ad speciem. Nam cum amor sæpe sine amicitia, amicitia numquam sine amore consistit. Amor itaque quandoque ex naturæ instinctu, quandoque ex motu carnali, quandoque ex officio causam recipit, quandoque vero ex ratione sola, plerumque etiam ex ratione et affectione procedit.* Ita Cassiodorus, qui et hujus divisionis singula membra latius deinde explicat.

[a] Paraphrasis Dionysii : *Pactio dati et acceepti.* Pactio sive pactum dicitur duorum pluriumve in idem placitum, sive consensus, scilicet ad aliquid faciendum aut dandum, ut dixit textus in l. 1 ff. de Pactis. Unde omnis contractus generali nomine pactum dicitur. *Pactio dati et accepti* est contractus quidam inter dantem et accipientem, quo sibi mutuo obligantur, ut si minus ab accipiente expensum fuerit quam acceptum, datori restituatur; et contra, si plus expensum fuerit quam acceptum, acceptori restituatur. Unde et rario expensi atque accepti alias dicitur, de qua in fine l. Emptor ff. de Pact. Inde D tabulæ et codices dati et accepti apud Ciceronem pro Roscio Comœdo, Cœl. Rhodig. lib. XII cap. 21.

[b] Basiliscum alii regulum vocant, pari derivatione. Est vero serpentis genus quod, teste Plinio (*Lib.* VIII *cap.* 2), in solitudinibus Africæ freqùens, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula, ut quodam diademate insigne, sibilo reliquos omnes fugat serpentes; nec ut reliqui serpentes corpus impellit, sed celsus et a medio erectus incedens frutices et herbas necat, nec contactu solum, sed et afflatu. Monoceros animal unicum cornu gerens; unde et unicornis appellatur (*Isidor. Etym. lib.* XII *cap.* 4). Differt tamen a rhinocerote, quod hic in nare, ille in fronte cornu gestet; quem Plinius ita depingit: *Asperrimam feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. Hanc feram vivam negant capi.* Sic ille. Verum Patres monocerotem cum rhinocerote plerumque confundunt (*Commentarius Hieron. vel potius Bedæ in Job.; Isidor. ibidem, cap.* 13). Nam ubi legimus in Vulgata editione Job. XXXIX : *Numquid volet rhinoceros servire tibi?* alii legunt : *Numquid volet monoceros servire tibi?* Hinc D. Gregorius XXXI Moralium : *Rhinoceros iste, qui etiam monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur,* etc. Gryps, vel gryphus, unde gryphes, vel gryphi in plurali, animal pennatum et C quadrupes. Genus hoc ferarum in Hyperboreis montibus nascitur, omni ex parte leo; alis tantum et facie aquilis simile, equis vehementer infestum (*Plin. lib.* X *c.* 40, *Isidor. supra*). Unde Virgilius (*Ecloga* 8) :

Jungantur jam gryphes equis.

[c] Descriptio veræ et perfectæ amicitiæ, quæ in sola charitate consistit, immo est ipsissima charitas Christiana, quatenus includit mutuam quamdam benevolentiam et communicationem, ut docet S. Thomas (2-2, *q.* 23, *art.* 5), quæ quidem indissolubilis et æterna dicitur, non quod amitti non possit, sed quia qui charitatem habet, sic erga Deum et proximum affectus est, ut nulla tentatione nullave occasione velit a Deo separari, nec amicum etiam in adversis deserere, licet propter mutabilitatem humanæ voluntatis in contrarium abduci possit. Hinc Salomon ait : *Omni tempore diligit, qui amicus est; et frater in angustiis comprobatur* (*Proverb.* XVII, *vide Delrium in Adag.*). Et Ecclesiasticus ridet amicum temporarium. *Est,* inquit, *amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis* (*Eccli.* VI). Et S. Hieronymi dictum est (*Epist.* 41) : *Amicitia quæ desinere potest, vera numquam fuit.* Et Chrysostomus (*Homil.* 61 *in Matth.*) : *Qui caducis instabilibusque de causis amicitiam ineunt, eorum conjunctio perpetua esse non potest, sed vel contemptus, vel pecuniarum jactura, vel livor, vel gloriæ cupiditas, vel aliud hujusmodi amicitia dissoluta dissidium inducet; ubi si spiritualis esset radix, nulla res sæcularis eam evelleret. Ea certe charitas quæ Christi causa fundatur, firma, stabilis atque invicta est; nec ulla obtrectatione, non periculis, non morte, non alia re temporali conquassatur. Idcirco Paulus quoque dicebat : Charitas numquam excidit* (I *Cor.* I). *Omnia enim quæ sæculares amicitias tollunt, spiritualem amorem magis confirmant.* Ita Chrysostomus.

charitatis, quod nec commendationis gratia, nec officii vel munerum magnitudo contractusque cujusquam ratio, vel naturæ necessitas jungit, sed sola similitudo virtutum. Hæc, inquam, est quæ in nullis umquam casibus scinditur, quam non solum dissociare vel delere locorum vel temporum intervalla non prævalent, sed ne mors quidem ipsa divellit. Hæc est vera et indirupta dilectio, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concrescit. Cujus semel initum fœdus, nec desideriorum varietas, nec contentiosa dirumpet contrarietas voluntatum. Cæterum multos novimus in hoc proposito constitutos, qui cum pro charitate Christi flagrantissima essent sodalitate devincti, non perpetuo eam nec indirupte servare potuerunt; quia licet bono societatis principio niterentur, non tamen uno nec pari studio arreptum propositum tenuerunt, fuitque inter eos A quædam temporalis affectio, quia non æquali utriusque virtute, sed unius patientia servabatur. Quæ quamvis ab uno magnanimiter atque infatigabiliter retentetur, necesse est tamen eam alterius pusillanimitate dirumpi. Infirmitates namque eorum qui tepidius perfectionis expetunt sanitatem, quantalibet fortium tolerantia sustententur, ab ipsis tamen qui infirmi sunt non feruntur. Habent enim insitas sibi commotionum causas, quæ eos quietos esse non sinant : ut solent hi qui carnali ægritudine detinentur, stomachi sui infirmitatisque fastidia, coquorum vel ministrantium negligentiis imputare, et quantalibet eis obsequentium sollicitudo deserviat, *nihilominus* tamen sanis causas suæ commotionis ascribere, quas sibi utique vitio valetudinis suæ inesse B non sentiunt. Quamobrem [a] hæc est amicitiæ, ut

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ut igitur firma sit, constans atque insolubilis amicitia, duo requiruntur : 1° virtutis studium. Primum enim amicitiæ fundamentum in virtute statuendum est. D. Ambrosius lib. III Offic. (*Cap.* 15 *et* 16) : *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amiticia est.* D. Hieronymus ad Paulinum (*Epist.* 103) : *Vera illa necessitudo est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum Scripturarum studia conciliant* S. Augustinus ad Macedonium (*Epist.* 52 ; *vide plura infra c.* 5) : *Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis.* Neque hoc philosophi gentiles ignorarunt. Aristoteles enim in octavo Ethicorum (*Cap.* 3 *et* 8) tradit eam veri nominis et perfectam esse amicitiam, quæ non commodi aut voluptatis, sed virtutis causa tantum conciliatur. Lælius apud Ciceronem ita loquitur (*Lib. de Amicitia*) : *Hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse.* Bonos autem vocat *qui ita se gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas; nec in eis sit ulla cupiditas, vel libido, vel audacia.* Et paulo post : *Sine virtute amicitia nullo pacto esse potest.* Alterum in amicitia necessarium, virtutum quædam paritas, sive æqualitas. Si enim virtus in altero excellat, in altero deficiat, facile ex hac parte dissolvetur amicitia, ut hic abbas pluribus ostendit, cui et Patres et philosophi consentiunt. D. Ambrosius ubi supra : *Amicitia,* inquit, *æqualitatis magistra est, ut superior inferiori se præbeat æqualem, et inferior superiori. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia.* D. Hieronymus in Michæam (*Cap.* VII) : *Amicitia pares aut accipit aut facit. Ubi inæqualitas est, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia quam adulatio est. Unde et alibi legimus : Sit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans : Serves, inquit, animæ dimidium meæ.* Aristoteles loco citato : *Perfecta,* inquit, *amicitia est, qua viri boni pari virtute prædili inter se* D *conjuncti sunt et copulati.* Denique Tullius (cujus est de Amicitia liber, quem Lælium inscripsit) : *Ut ii,* inquit, *qui sunt in amicitia superiores exæquare se cum inferioribus debent, sic inferiores docere non debent se a suis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate superari. Dispares enim mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias; nec ob aliam causam boni improbis, improbi bonis, amici esse non possunt, nisi quod tanta est inter eos, quanta maxima potest esse, morum studiorumque distantia.* Hæc illi. Ex quibus sane non levis emergit scrupulus, cum ex iis sequi videatur ut neque inter nos et Deum, neque inter homines dispares et inæquales, hoc est, superiores et inferiores, ulla constare possit vera amicitia, quod certe tam rationi ac veritati repugnat, quam quod maxime. Ad hunc nodum dissolvendum hæc mihi occurrerunt annotanda (*Vide Gregor. Valent.*) : Primum duo loci insignes D. Thomæ (*In* 2-2, *disput.* 3, *q.* 1), huic itidem loco elucidando aptissimi : ex quibus vera amicitiæ ratio notioque cognoscatur. Prior hic est, qui ad charitatem erga Deum præcipue spectat, quæ inter omnes amicitias primum locum obtinet, et cæterarum regula ac norma censeri debet : *Charitas,* inquit (2-2, *q.* 65, *art.* 5), *non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quamdam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit mutuam redamationem cum quadam communicatione mutua, ut dicitur in* VIII *Ethicorum* (*Cap.* 2 *et* 3). *Et quod hoc ad charitatem pertineat, patet per id quod dicitur* I *Joan.* IV : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Et* I *Corinth.* I : *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus. Hæc autem societas hominis ad Deum, quæ est quædam familiaris* C *conversatio cum Deo, inchoatur quidem hic in præsenti per gratiam, perficietur autem in futuro per gloriam.* Alter locus hic notatus (2-2, *q.* 23, *art.* 1) : *Secundum Philosophum, in* VIII *Ethic., non quilibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia; quando scilicet sic amamus aliquem ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimur amare vinum, aut equum, aut aliquid hujusmodi, non est amor amicitiæ, sed cujusdam concupiscentiæ. Ridiculum enim est dicere quod aliquis habet amicitiam ad vinum vel ad equum. Sed nec benevolentia sola sufficit ad rationem amicitiæ; sed requiritur quædam mutua amatio, quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod suam beatitudinem nobis communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari, de qua quidem communi-* D *catione dicitur* I *Corinth.* I : *Fidelis Deus, per quem vocati esti in societatem Filii ejus. Amor autem super hanc communicationem fundatus est charitas. Unde manifestum est quod charitas est amicitia quædam hominis ad Deum.* Hæc S. Thomas. Ex quibus colligit Cajetanus amicitiæ nomine importar; seu involvi tres conditiones, scilicet benevolentiam, redamationem, seu amorem reciprocum, et communicatiouem, id est, rei alicujus communionem, puta sanguinis, qualis inter consanguineos; vel militiæ, qualis inter commilitones; vel religionis aut professionis, qualis inter monachos, etc. Et has conditiones ostendit in charitatem præcipue reperiri. Secundo notandum, cum dicitur amicitiam inter pares et æquales virtute aut virtutis studio esse debere, non

diximus, fida indissolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum parilitate fœderatur. *Dominus enim inhabitare facit* [a] *unius moris in domo* (*Psal.* LXVII). Et idcirco in his tantum indirupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, [b] unum velle ac nolle consistit. Quam si vos quoque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

intelligi virtutum paritatem seu æqualitatem absolutam quam vocant arithmeticam, sed geometricam seu proportionatam pro ratione personarum, seu pro statu et conditione cujusque. Aliud enim virtutis studium, alia perfectio requiritur in superioribus, alia in inferioribus; alia in religiosis, alia in sæcularibus; alia in senibus, alia in juvenibus. Ut igitur firma sit et stabilis amicitia, requiritur ut quisque amicorum pari studio pro ratione et proportione sui status suum præstet officium, quod est virtutem colere : nempe pater ut patrem decet, prælatus ut prælatum, monachus ut monachum, et sic de cæteris (*Arist. l.* VIII *Ethic. c.* 7). Et hoc est quod ait Ambrosius (*Ubi supra*) superiorem inferiori debere se præbere æqualem, et inferiorem superiori : et hic abbas, vel Cassianus hoc loco, amicitiæ fidam insolubilemque conjunctionem sola virtutum parilitate fundari. Quo etiam spectat illud Apostoli, quo tam superiores quam inferiores admonet, ut *honore se invicem preveniant,* et mutuis inter se charitatis, beneficentiæ, humilitatis officiis certent, *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis et solliciti invicem, cum sint invicem membra* (*Rom.* XI). Qua de re pulcherrime disserit toto cap. XII prioris ad Corinthios, et cap. itidem XII ad Romanos et alibi passim. Tertio notandum amicitiam veram, quemadmodum et pœnitentiam veram duobus modis accipi posse : uno modo, ut vera intelligatur amicitia in qua reperitur vera ratio amicitiæ, sicut dicimus Christum esse verum Deum et hominem; et verum aurum dicimus, quod non est aldulterinum (*Bonavent. in* IV *Sentent. dist.* 14). Atque hoc modo accepta vera amicitia opponitur falsæ, in qua scilicet non est verus amor, et aliæ conditiones supra recensitæ. Alio modo vera dicitur amicitia quæ constans et perpetua, non interrupta, quæque finem suum assequitur, finem, inquam, æternæ salutis, quem spectare debet vera et sincera amicitia, quæ et perfecta et perfectorum amicitia dicitur. Quomodo dici solet quod verus amor numquam perit. Et juxta Salomonem : *Omni tempore diligit, qui amicus est* (*Prov.* XVII). Quod de vero amico et vera amicitia prioris modi veritatem non habet. Eodem spectat illud D. Hieronymi : *Amicitia, quæ desinere potest, vera numquam fuit.* Cui similis est sententia quæ ex Augustino citari solet lib. de Amicitia : *Charitas quæ deseri potest, numquam vera fuit,* id est perfecta : quamquam liber ille certum auctorem non habet, nec ab Augustino profectus creditur (*Bellarm. in lib. de Script. Eccles.*) Ex his, puto, patet solutio difficultatis.

adeo frequenti : quamvis ipsi Apostoli et primi eorum discipuli Hierosolymis agentes re ipsa veri essent monachi, ut qui vitam monasticam sive cœnobiticam primi instituerint, ubi essent omnia communia, ut habetur Act. IV. Unde D. Hieronymus lib. de Viris Illustr. in Philone dicit talem primam Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt. Et Cassianus lib. II Instit. cap. 5 asserit a S. Marco evangelista Ægyptios monachos accepisse primam vivendi formam. Attamen ipsum monachorum et monasteriorum vocabulum etiam tempore apostolorum, vel paulo post, in Ecclesia notum et vulgatum fuisse, manifeste patet tum ex Dionysio Areopagita, qui et epistolam scripsit *ad Demophilum monachum* (*Epist.* 8), et lib. de Ecclesiastica Hierarchia prolixe explicat monasticæ professionis et institutionis formam; tum ex Philone, qui etiam Dionysio antiquior, in libro de Vita Contemplativa supplicum (*Cap.* 6), scribit, apud therapeutas illos Alexandrinos suum cuique fuisse sacrum domicilium, quod μοναστήριον vocabatur. Hoc igitur tempore verum est, quod ait Augustinus, xenodochia et monasteria novis appellata nominibus; rem tamen ipsam longe ante sua nomina exstitisse, cum etiam in Veteri Testamento filii prophetarum, et alii veri fuisse monachi, et monachorum duces ac principes a Patribus astruantur. At de his plura ad collat. 18, ubi ex professo de his agitur. Satis sit hoc loco ostendisse monachorum institutum non recens, sed ab initio nascentis Ecclesiæ viguisse; licet nomen ipsum non adeo vetus fuerit ac Christianorum, et illud tamen etiam apostolorum temporibus usurpatum, quod etiam in textu Hebræo prænuntiatum monuit D. Hieronymus.

[b] Celebris sententia Sallustii (*Conjur. Catilin.*), multis auctoribus itidem usurpata. D. Hieronymus epist. ad Demetriadem (*Epist.* 8 *de Serm. virginit.*) : *Sæcularis,* inquit, *sententia est : Eadem velle et eadem nolle, ea demum firma amicitia est.* Et in Apologia adversus Rufinum : *Si unum credimus, idem et volumus, et nolumus; ex quo firmas nasci amicitias etiam Catilina testatur.* S. Augustinus serm. 46 de Tempore : *Amicos conjunctio animorum facit; idem velle et nolle, sapiens hujus mundi ait, ea demum firma amicitia est.* Sidonius lib. V epist. 3 : *Namque, ut Crispus noster affirmat, idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.* Petrus Ven. lib. IV epist. 21 : *Ut in te uno et pene solo illam veræ amicitiæ definitionem expertus sim, idem scilicet velle et idem nolle.* Hanc porro amicitiæ legem egregie præstabant primi Christiani, quorum, ut in Actis Apostolorum legitur, *Erat cor unum et anima una* (*Actor.* IV), quos imitati SS. Patres Basilius et Gregorius Nazianzenus, præclarum hujus rei exemplum præbuere. Sic enim scribit ipse Nazianzenus : *Una utrique anima videbatur, duo corpora ferens. Unum hoc ab utroque nostrum agebatur, ut virtutem coleremus, atque ad futuras spes, vitæ nostræ rationes, accommodaremus; uterque alteri norma atque amussis, qua rectum a pravo discernitur.* Eodemque exemplo et imitationis studio noster Cassianus cum sancto abbate Germano (sic enim eum nominat) eodem amicitiæ vinculo ac lege constrictus, sic ab ipso tirocinio ac rudimentis vitæ spiritalis (ut ipse scribit), id est, a primordiis vitæ monasticæ, individuum deinceps contubernium tam in cœnobio quam in eremo tenuit, *ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi in utroque parilitatem, pronuntiarent unam mentem atque animam duobus inesse corporibus. Unde hic abbas Joseph percunctatus num fratres germani essent, audiensque quod non carnali, sed spiritali essent fraternitate devincti.*

[a] Μονοτρόπους verterunt LXX, id est homines unius modi et ritus, vel, ut alii interpretantur, solitarios. D. Hieronymus dicit haberi in Hebræo : *Dominus inhabitare facit monachos in domo.* Quod notasse debuerant qui monachorum nomen ut novitium aut novellum suggillant ac vellicant, monachomastiges et monachomachi sectarii, ab ejus antiquitate, νεογέννητοι καὶ νεόφυτοι, id est, remotissimi et novitii ipsi, recens nati, et tam novi quam novatores. Neque his repugnat quod scribit D. Augustinus tract. 97 in Joannem : *Xenodochia et monasteria postea sunt appellata novis nominibus : res tamen ipsæ et ante nomina sua erant, et religionis veritate firmantur.* Loquitur enim Augustinus, ut ex verbis ejus præcedentibus constat, de primis Christianis (*Vide notas Baron. in Martyrol. Octob.* 19), et tempore apostolorum, quo primum Antiochiæ appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum (*Actor.* XI), quo tempore nondum quidem monachorum et monasteriorum vocabula erant in usu, saltem

cupitis inviolabilem retentare, festinandum est vobis ut, expulsis primitus vitiis, mortificetis proprias voluntates, et ut, unito studio atque proposito, illud quo Propheta admodum delectatur, gnaviter impleatis : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII). Quod non localiter, sed spiritaliter oportet intelligi. Nihil enim prodest si moribus ac proposito dissidentes una habitatione jungantur, nec obest parili virtute fundatis, per locorum intervalla disjungi. Apud Deum namque morum cohabitatio, non locorum, unita fratres habitatione conjungit; nec potest umquam pacis integritas custodiri, ubi voluntatum diverstias invenitur.

CAPUT IV.

Interrogatio, utrum utile aliquid etiam contra votum fratris effici debeat.

Germanus : [a] Quid ergo, si uno volente perficere aliquid quod secundum Deum commodum et salubre perspexerit, alius non præstet assensum, exsequendumne etiam contra votum fratris est, an pro ejus arbitrio negligendum?

CAPUT V.

Responsio quod perpetua amicitia nisi inter perfectos stare non possit.

Joseph : Idcirco diximus [b] plenam atque perfectam amicitiæ gratiam nisi inter perfectos viros ejusdemque virtutis perseverare non posse, quos eadem voluntas unumque propositum aut numquam aut certe raro diversa sentire, aut in his quæ ad profectum spiritalis pertinent vitæ patitur dissidere. Quod si animosis cœperint contentionibus æstuare, liquet utique eos numquam secundum regulam quam prædiximus fuisse concordes. Sed quia nemo potest a perfectione habere principium, nisi qui ab ejus cœperit fundamento, et vos non quanta ejus sit magnitudo, sed quemadmodum ad eam perveniri possit, inquiritis, necessarium reor ut paucis regulam vobis ejus ac tramitem quemdam, per quem gressus vestri dirigantur, aperiam, ut patientiæ ac pacis bonum facilius obtinere possitis.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

occasionem et ansam arripuit in hac collatione de amicitia disserendi.

[a] Affinis est quæstio apud Ciceronem (*Lib. de Amicitia*), et Aulum Gellium (*Noct. Attic. lib.* I *cap.* 3), *Num amici gratia aliquando delinquendum sit?* At hæc quæstio inter Christianos, nedum inter monachos et religiosos, locum non habet, quibus illud constat quod ab Apostolis est traditum, *Deo obediendum esse magis quam hominibus* (*Actor.* V); et *dissipari a Deo ossa eorum, qui hominibus placent, quoniam Deus sprevit eos* (*Psal.* LII). Quod et Cicero satis intellexit, dum ait : *Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris.* Et rursus (*Ubi supra*) : *Hæc igitur prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati; turpis enim excusatio est, cum in cæteris peccatis, tum si quis contra rempub. se amici causa fecisse fateatur.* Et post multa : *In talibus stabilitas amicitiæ confirmari potest, cum homines benevolentia conjuncti primum cupiditatibus iis quibus cæteri serviunt imperabunt, deinde æquitate justitiaque gaudebunt, omniaque alter pro altero suscipiet; neque quidquam umquam, nisi honestum et rectum, alter ab altero postulabit. Itaque in iis perniciosus est error, qui existimant libidinum peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam : virtutum enim amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes.*

[b] Commendat rursus et inculcat hanc seniorum sententiam, verbis nonnihil immutatis, cap. 24 : *Charitas stabilis atque indirupta non poterit perdurare, nisi inter viros ejusdem virtutis atque propositi.* Eademque rursus hanc collationem ita concludit : *Certissima ergo est prudentissimorum virorum illa sententia : veram concordiam et individuam societatem nisi inter emendatos mores ejusdemque virtutis ac propositi viros stare non posse.* Porro huc pertinet amicitiæ definitio a Cicerone tradita, et a D. Augustino magnopere commendata, cum ad Marcellinum quemdam veterem amicum et e gentili catechumenum factum ita scribit (*Epist.* 155) : *Nosti ut definierit amicitiam Romani* (*ita ait quidam* [*Lucan. l.* VIII]), *maximus auctor Tullius eloquii. Dixit enim, et sanctissime ac verissime dixit : Amicitia est rerum humanarum et divinarum cum benevolentia et charitate summa consensio. Tu autem, mi charissime, aliquando mihi consentiebas in rebus humanis : porro in divinis, quarum mihi illo tempore nulla luxerat virtus, utique in majore illius definitionis parte, nostra amicitia claudicabat. Erat enim rerum tantummodo humanarum, non etiam divinarum, quamvis cum benevolentia et charitate consensio*, etc. *Nunc vero quantum de te gaudeo, quibus explicem verbis, quando eum, quem quodammodo habui diu amicum, habeo jam verum amicum? Accessit enim etiam rerum consensio divinarum; quoniam qui mecum temporalem vitam quondam benignissima jucunditate duxisti, nunc spe vitæ æternæ mecum esse cœpisti. Ita fit ut inter quos amicos non est rerum consensio divinarum, nec humanarum plena esse possit ac vera. Necesse est enim ut aliter quam oportet humana æstimet, qui divina contemnit; nec hominem recte diligere noverit, quisquis eum non diligit qui hominem fecit. Proinde non dico, Nunc mihi plenius amicus es, qui eras ex parte; sed quantum ratio indicat, nec ex parte eras, quando nec in rebus humanis mecum amicitiam veram tenebas. Rerum quippe divinarum, ex quibus recte humana pensantur, socius mihi nondum eras, sive quando nec ipse in eis eram, sive posteaquam eas sapere cœpi, a quibus tu longe abhorrebas. Nolo autem succenseas, nec tibi videatur absurdum, quod illo tempore, cum in vana mundi hujus æstuarem, quamvis me multum amare videreris, nondum eras amicus meus, quando nec ipse mihi amicus eram, sed potius inimicus; diligebam quippe iniquitatem, et revere, quia divina sententia est, quia scriptum est in sanctis libris : Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Cum ergo odissem animam meam, verum amicum quomodo habere poteram, ea mihi optantem, in quibus ipse meipsum patiebar inimicum? Gratias itaque Deo, quod te mihi amicum facere tandem aliquando dignatur; nunc enim nobis est rerum humanarum cum benevolentia et charitate consensio in Christo Jesu Domino nostro, verissima pace nostra, qui duobus præceptis cuncta præconia divina conclusit dicens : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tamquam teipsum. In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ* (*Matth.* XXII). *Hæc duo, si mecum firmissime teneas, amicitia nostra vera ac sempiterna erit, et nos non solum invicem, sed etiam ipsi Domino sociabit.* Hæc de vera amicitiæ definitione non minus eleganter quam subtiliter D. Augustinus; quæ licet prolixe dicta, tamen ad hujus loci, immo ad totius hujus collationis et disputationis de vera amicitia intelligentiam elucidationemque existimavi omnino recitanda.

CAPUT VI.

Quibus modis inviolabilis possit societas retentari.

Prima [a] igitur sunt veræ amicitiæ in contemptu substantiæ mundialis et omnium quas habemus rerum despectione fundamina. Perquam enim injustum atque impium est, si post abrenuntiatam mundi et omnium quæ in eo sunt vanitatem, pretiosissimæ fratris dilectioni supellex vilissima quæ superfuit [*Lips. in marg.* superfluit], præferatur : secundum est ut ita suas unusquisque resecet voluntates, ne se sapientem atque consultum esse judicans, suis malit quam proximi definitionibus obedire. Tertium est ut sciat omnia, etiam quæ utilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis ac pacis; quartum ut credat nec justis nec injustis de causis penitus irascendum; quintum ut adversus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si adversus alium ipse moveatur, nisi eam, quantum in se est, etiam de fratris mente depulerit. Postremum illud est, quod generale vitiorum omnium peremptorium esse non dubium est, ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum. Quæ persuasio non solum nullam in corde tristitiam residere permittit, verum etiam universos concupiscentiarum ac peccatorum omnium comprimet motus. Hæc igitur quicumque tenuerit, amaritudinem iræ atque discordiæ nec pati poterit nec inferre. His autem cessantibus, cum primum [b] ille æmulus charitatis in cordibus amicorum tristitiæ sensim venena suffuderit, necesse est ut frequentibus jurgiis paulatim dilectione tepefacta, amantium corda diu exulcerata quandoque dissociet. Nam qui per callem prædictæ directionis ingreditur, in quo ab amico umquam suo poterit dissidere, qui primam litium causam quæ ex parvulis rebus vilissimisque materiis generari solet, nihil suum vindicans, radicitus amputaverit, illud quod in Actibus Apostolorum legimus de unitate credentium omni virtute custodiens? *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia* (*Actor.* IV). Deinde quemadmodum ab eo seminarium dissensionis exsurget, qui non suæ, sed fratris serviens voluntati, Domini atque auctoris sui fuerit imitator effectus, qui loquens ex persona hominis quem gerebat, *Non veni,* inquit, *ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* V)? Quo autem modo ullum contentionis fomitem suscitabit, qui de intelligentia ac sensu suo, non tam proprio judicio quam fratris cedere [*Lips. in marg.* credere] decrevit examini, pro ejus scilicet arbitrio, vel probans sua inventa, vel improbans, et Evangelicum illud pii cordis humilitate consummans, *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Matth.* XXVI)? Aut qua ratione aliquid quo frater mœstificetur, admittet, qui bono pacis nihil judicat esse pretiosius, Dominicæ illius sententiæ memoriam non amittens, *In hoc cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII), per quam velut spiritali signaculo gregem ovium suarum in hoc mundo voluit Christus agnosci, atque hoc a cæteris, ut ita dixerim, charactere discerni? Qua vero ex causa vel in se recipere vel in alio residere rancorem tristitiæ sustinebit, cui summa definitio est, [c] iracundiæ, quæ perniciosa et illicita est, justas causas esse non posse, eodemque se modo, succensente sibi fratre, orare non posse, cum quasi fratri suo ipse succenseat, irrogatam illam Domini Salvatoris humili semper retinens corde sententiam, *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et sic veniens offer munus tuum* (*Matth.* V). Nihil enim proderit si te quidem asseras non irasci, et credas te implere illud mandatum quo dicitur, *Sol non occidat super iracundiam vestram,* et, *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* alterius vero tristitiam quam delinire tua mansuetudine potuisti, contumaci corde despicias. Eodem namque modo præcepti Dominici prævaricatione plecteris. Qui enim te irasci adversus alterum non debere dixit, nec alterius contemni tristitiam debere dixit; quia non interest apud Deum, qui omnes ho-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Traduntur hic octo media quibus vera et perfecta inter monachos amicitia ineatur, conservetur et augeatur : quæ memoriæ juvandæ causa breviter ita colligi possunt : 1° ut firmum et solidum jaciant fundamentum in religiosa paupertate, contemptu et abdicatione rerum temporalium; 2° ut suas quisque resecet voluntates, nec tam suis quam proximi definitionibus malit obedire; 3° ut sciat omnia, etiam quæ necessaria aut utilia æstimat, postponenda bono charitatis et pacis; 4° ut caveat iracundiam, quæ mater est discordiæ; 5° ut iram fratris contra se, etiam sine ratione conceptam, curare ac mitigare, æque ac suam desideret; 6° ut se de hoc mundo credat quotidie migraturum, quod est generale vitiorum omnium peremptorium; 7° ut etiam in opinionibus ad intellectum pertinentibus, fugiat contentiones; 8° ut numquam suo, sed magis alieno judicio fidat.

[b] Diabolus, *vel radix omnium malorum cupiditas,* charitatis æmula, et inimica, quam inferius vocat primam causam litium : de qua Cassiodorus (*De Amicitia cap.* 1) apte in hunc locum : *Amicitia quam mundana cupiditas introducit fraudulenta est : nihil verum, nihil securum, nihil stabile habet; bona hominis amat, non hominem; amorem metitur ex quæstu; fortunam votis amplectitur, non personam; juxta illud :*

> Non est personæ, sed prosperitatis amicus,
> Quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat

Et infra : *Audi B. Ambrosium* (*Lib.* III *Off. cap. ult.*) : *Non est, inquit, amicitia vectigalis, sed liberalis : virtus enim est, et non quæstus; non pecunia conciliatur, sed gratia; non litigatione prœliorum, sed concertatione mutuæ benevolentiæ gignitur et fovetur,* etc.

[c] Hæc, et quæ sequuntur, quo sensu intelligenda sunt, vide in annotationibus ad lib. VIII Institutionum. Prudenter autem dixit *iracundiæ,* non *iræ.* Nam ira sæpe justa est, et justas causas habet; non iracundia, ut suo loco dictum est.

mines vult salvos fieri, utrum te an alium quempiam perdas. [a] Unum siquidem cujuslibet interitu ei nascitur detrimentum; itidemque illi cui grata omnium perditio est, unum lucrum, vel tua vel fratris morte conquiritur. Quemadmodum postremo poterit vel tenuem contra fratrem retinere tristitiam, qui se credit quotidie, immo continuo ab hoc sæculo migraturum?

CAPUT VII.

Quod nihil charitati præponendum sit, nec iracundiæ postponendum.

Sicut ergo nihil præponendum est charitati, ita furori vel iracundiæ nihil est econtrario postponendum. Omnia namque quamvis utilia ac necessaria videantur, spernenda tamen sunt, ut iræ perturbatio devitetur; et omnia etiam quæ putantur adversa, suscipienda atque toleranda sunt, [b] ut dilectionis pacisque tranquillitas illibata servetur; quia nec ira atque tristitia perniciosius quidquam, nec charitate utilius credendum est.

CAPUT VIII.

Quibus de causis inter spiritales nascatur dissensio?

Nam quemadmodum carnales adhuc et imbecilles fratres ob vilem terrenamque substantiam cito inimicus ille disjungit, ita [c] etiam inter spiritales gignit pro intellectuum diversitate discordiam. Ex qua sine dubio contentiones rixæque verborum, quas Apostolus damnat (*Galat.* v), plerumque consurgunt; unde consequenter divortia inter unanimes fratres hostis invidus ac malignus interserit. Vera est namque sapientissimi Salomonis illa sententia, [d] *Odium suscitat contentio; universos vero qui non contendunt, protegit amicitia* (*Prov.* x).

CAPUT IX.

De amputandis etiam spiritalibus causis discordiarum.

Quapropter ad conservandam perpetuam et individuam charitatem, [e] nihil prodest primam causam amputasse dissidii, quæ nasci solet de rebus caducis atque terrenis, et universa despexisse carnalia, atque omnium quibus noster usus indiget rerum indiscretam communionem fratribus permisisse, nisi etiam secundam quæ sub specie spiritalium sensuum nasci solet similiter abscindentes, acquisierimus in omnibus humilem sensum et consonas voluntates.

CAPUT X.

De optimo examine veritatis.

Memini namque cum me adhuc adhærere consortio fratrum ætas junior hortaretur, hujusmodi nobis intelligentiam vel in moralibus disciplinis vel in Scripturis sacris frequenter insertam, ut nihil ea verius nihilque rationabilius crederemus. Sed [f] cum in unum convenientes sententias nostras promere

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic Cassianus lib. VIII Institut. cap. 13 : *Non enim ita nostris obsequiis communis omnium Dominus delectatur, ut quod in uno acquirit, perdat in altero, dominante tristitia. In cujuslibet namque dispendio unum patitur detrimentum, qui eodem modo omnium famulorum suorum salutem desiderat et exspectat.*

[b] S. Augustinus de Civitate Dei : *Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil soleat gratius audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri.* Idem, seu quis auctor ad fratres in eremo : *Scire,* inquit, *debetis, fratres, quod quædam sunt bona, quæ non sunt commoda; quædam jucunda, quæ non sunt bona : v. g. bona sunt jejunia, vigiliæ, macerationes, et similia. Hæc enim bona sunt, sed non jucunda, quia caro in his non jucundatur, sed læditur. Jucunda autem sunt comessationes, ebrietates, sed non bona. O monache, vix poteris invenire in præsenti unum quod sit bonum et jucundum. Cupis tamen illud invenire? persequere pacem, et amplectere eam. Hæc est enim sola virtus, quæ habet bonum et jucundum. Hæc est illa bonitas quæ nos habitare facit unius moris in domo, ut simul vivere simulque mori semper optemus. O pax, tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa felicitas, quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, a cunctis optatur. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit, et frangit inter homines, quoniam Antichristus est, et filius perditionis.*

[c] Ad hos spectat illa D. Gregorii salutaris admonitio : *Discordes,* inquit, *admonendi sunt, ut certissime sciant quia, quantislibet virtutibus polleant, spiritales nullatenus fieri possunt, si uniri per concordiam proximis negligant. Scriptum quippe est : Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, et pax* (*Galat.* v). *Qui ergo servare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Hinc Paulus ait : Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (I *Cor.* III)? *Hinc iterum dicit : Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam* (*Heb.* XII). *Hinc rursus admonens, ait* (*Ephes.* III) : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Greg. Pastoral. part.* III, *admon.* 2).

[d] Græce μῖσος ἐγείρει νεῖκος. Quod utroque modo verti potuit. Nam odium suscitat contentio, ut hic citatur, ubi μῖσος est accusativi casus, et νεῖκος nominativi; et odium suscitat contentionem, si contrarii sint casus; quomodo Latinus interpres vertit : *Odium suscitat rixas, et universa delicta operit charitas* (*Prov.* x).

[e] Causæ dissidiorum et discordiarum inter fratres sunt in duplici genere : carnales aliæ, cum de meo et tuo, hoc est, de rebus externis, quas hic abbas vocat utilissimas (ut sunt revera comparatione spiritalium et cœlestium), puta de vestibus, alimentis, loco digniore, præfectura, domicilio, utensilibus, juribus, aliisque commoditatibus contenditur; aliæ spiritales, cum de variis quæstionibus, sensibus Scripturæ, aliisque rebus controversis ad intellectum, ut hic dicitur, pertinentibus disceptatur, propriis opinionibus ultra quam par est inhærendo. Hinc D. Gregorius Nazianzenus præclaram habuit orationem *de moderatione in disputationibus servanda,* ubi hæc inter alia (*Orat.* 26) : *Quidnam in doctrina præstantissimum est? Pax. Addam etiam utilissimum. Contra, quid turpissimum et perniciosissimum? voluntatum disjunctio.* S. Ambrosius Officiorum libro primo (*Cap.* 22) : *Sermo dividitur in colloquium familiare et in tractatum disceptationemque fidei atque justitiæ. In utroque servandum ne sit aliqua perturbatio; sed tantum mitis, et placidus, et benevolentiæ plenus, et gratiæ, sine ulla sermo ducatur contumelia. Absit pertinax in familiari sermone contentio; quæstiones enim excitare inanes subtilitatis magis quam utilitatis afferre aliquid solet. Disceptatio sine ira, suavitas sine amaritudine sit, monitio sine asperitate, hortatio sine offensione.*

[f] Collationum sive collocutionum spiritalium fructum, simulque earumdem ritum ac modum apud antiquos monachos servari solitum, habes hic expressum. De quo etiam vide annotationem nostram ad collat. 2 cap. 2.

cœpissemus, quædam communi examinatione discussa primum ab altero falsa ac noxia notabantur, mox deinde ut perniciosa communi pronuntiata judicio damnabantur, quæ in tantum prius infusa a diabolo velut luce fulgebant, ut facile potuissent generare discordiam, nisi præceptum seniorum velut divinum quoddam oraculum custoditum ab omni nos contentione revocasset, quo ab illis legali quadam sanctione præscriptum est, ut neuter nostrum plus judicio suo quam fratris crederet, si numquam vellet diaboli calliditate deludi.

CAPUT XI.

Quod impossibile sit quemquam qui proprio fidit judicio, diaboli illusione non decipi.

Etenim sæpe illud quod Apostolus dicit probatum est evenire: [a] *Ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis* (II *Cor.* XI), ut obscuram ac tetram caliginem sensuum pro vero lumine scientiæ fraudulenter effundat [*Lips. in marg.* offundat]. Qui nisi humili et mansueto corde suscepti, maturissimi fratris vel probatissimi senioris reserventur examini, et eorum judicio diligenter excussi, aut abjiciantur, aut recipiantur a nobis, sine dubio venerantes in cogitationibus nostris pro angelo lucis angelum tenebrarum, gravissimo feriemur interitu. [b] Quam perniciem impossibile est evadere quempiam judicio proprio confidentem, nisi, humilitatis veræ amator et exsecutor effectus, illud quod Apostolus magnopere deprecatur, omni contritione cordis implerit. *Si qua ergo,* inquit, *consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes; nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores vobismetipsis alterutrum arbitrantes* (*Philip.* II); et illud, *Honore alterutrum prævenientes* (*Rom.* XII), ut plus unusquisque consorti suo scientiæ et sanctitatis ascribens, summam discretionis veræ in alterius magis quam in suo credat stare judicio.

CAPUT XII.

Quam ob causam non debeant inferiores in collatione contemni.

Sæpe autem accidit, sive illusione diaboli, sive intercessu erroris humani, quo nullus est in hac carne qui falli velut homo non possit, ut et [c] ille interdum qui acrioris ingenii scientiæque majoris est, aliquid falsum mente concipiat; et ille qui tardioris ingenii ac minoris est meriti, rectius aliquid veriusque persentiat. Et idcirco nullus [d] sibi, quamvis [*Al.* quavis] scientia præditus, inani tumore persuadeat quod possit collatione alterius non egere. Nam etiamsi judicium ejus diabolica non fallat illusio, elationis tamen et superbiæ graviores laqueos non evadet. Quis enim hoc sibi absque ingenti poterit usurpare pernicie, cum Vas electionis in quo Christus, ut ipse professus est (II *Cor.* XIII), loquebatur, ob hoc so-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Gregorius XXXIII Moralium (*Cap.* 22) ad illud Job XLI: *Quis revelabit faciem indumenti ejus? Leviathan,* inquit, *iste* (id est, diabolus) *aliter religiosas hominum mentes, aliter vero huic mundo deditas tentat. Nam pravis mala quæ desiderant aperte objicit; bonis autem latenter insidians, sub specie sanctitatis illudit. Illis, velut familiaribus suis, iniquum se manifestius insinuat; istis vero, velut extraneis, cujusdam quasi honestatis prætextu se palliat, ut mala quæ eis publice non valet, tecta bonæ actionis velamine subintromittat.*

[b] Perniciem vocat diaboli illusionem. Sic abbas Moyses collat. 2 cap. 10: *Vera,* ait, *discretio, non nisi vera humilitate acquiritur. Cujus humilitatis hæc erit prima probatio, si universa non solum quæ agenda sunt, sed etiam quæ cogitantur, seniorum reserventur examini, ut nihil quis suo judicio credens, illorum per omnia definitionibus acquiescat, et quid bonum vel malum debeat judicare eorum traditione cognoscat.* Et cap. sequenti: *Nullo namque alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum neglectis consiliis seniorum in suo judicio persuaserit ac definitione doctrinave confidere.* Hæc ille, qui et eadem collatione complura refert exempla monachorum et anachoretarum qui suo nimium judicio confisi, in gravissimos et stupendos errores prolapsi sunt. S. Dorotheus serm. 19: *Cum simus,* inquit, *subjecti multis passionibus pravisque affectibus, nostro judicio non debemus omnino fidere. Quando enim norma vel regula curva est et inflexa, numquam quod secundum eam dirigitur rectum efficitur, sed distortum*: S. Benedictus cap. 3 Regulæ. *Nullus in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem.* D. Bernardus serm. 2 et 3 de Resurrectione: *Quæ major superbia esse potest quam si unus suum judicium præferat universæ congregationis judicio, quasi solus haberet Spiritum Dei?* Et iterum: *In corde duplex est lepra, propria voluntas, et proprium consilium; lepra utraque nimis pessima, eoque perniciosior, quo magis interior.*

[c] Ob eamdem causam quam et titulus hujus cap. præfert D. Benedictus (*Cap.* 3) statuit, *ut quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem, et dicat ipse unde agitur; et audiens consilium fratrum, tractet apud se, et quod utilius judicaverit faciat. Ideo autem,* inquit, *omnes ad consilium vocari diximus, quia sæpe juniori Dominus relevat quod melius est.* Ubi respicere videtur illud Evangelium: *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI); et illud Apostoli (I *Cor.* XIV): *Si juniori revelatum fuerit, senior taceat.* Hinc Smaragdus abbas in eumdem locum Regulæ: *Sæpe,* inquit, *propter humilitatis gratiam, juniori Dominus revelat quod seniorem celat. Non enim personarum acceptor est Deus; sed in omni ætate, conditione, sexu, gente, is qui timet eum acceptus est illi* (*Actor.* X); *et in quibus vult, spirat* (*Joan.* III), *et gratiam sapientiæ benignis ministrat. Non enim in Daniel et Samuel ætatem discrevit, sed gratiam ministravit* (*Daniel* XIII, I *Reg.* III). *Cani enim sunt, dicit Scriptura, sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* II).

[d] Scribit Metaphrastes, S. Arsenium eremitam, licet doctissimum, tamen majoris humilitatis exercendæ causa consuesse etiam in rebus levioribus juniorum consilia exquirere et sequi. S. item Augustinus, tantus Ecclesiæ doctor, tanta fuit humilitate, ut vel a minimo quoque doceri ac moneri se paratum significet his ad S. Hieronymum scriptis (*Epist.* 15): *Identidem rogo ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim, secundum honorum vocabula quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit, tamen multis in rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio.*

tummodo se asserat Jerosolymam conscendisse, ut cum suis coapostolis Evangelium, quod gentibus, revelante et cooperante Domino, prædicabat, secreta examinatione conferret (*Galat.* II)? Per quod ostenditur non solum unanimitatem atque concordiam per hæc præcepta servari, verum etiam cunctas diaboli adversantis insidias et illusionum ejus laqueos non timeri.

CAPUT XIII.

Quod charitas non solum res Dei, sed etiam Deus sit.

Denique in tantum virtus charitatis extollitur, ut eam beatus Joannes Apostolus [a] non solum rem Dei, sed etiam Deum esse pronuntiet, dicens : *Deus charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo* (I *Joan.* IV). Nam usque adeo illam divinam esse perspicimus, ut illud Apostoli manifestissime vigere sentiamus in nobis, *quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui habitat in nobis* (*Rom.* V). Quod tale est, ac si dicat : Quoniam [b] Deus diffusus est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Qui etiam, cum ignoremus quid debeamus orare, [c] *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis* (*Rom.* VIII).

CAPUT XIV.

De gradibus charitatis.

Illam igitur [d] charitatem quæ dicitur ἀγάπη possibile est omnibus exhibere, de qua beatus Apostolus : *Ergo dum tempus habemus,* inquit, *operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI). Quæ in tantum omnibus est generaliter exhibenda, ut eam etiam inimicis nostris a Domino jubeamur impendere. Nam *Diligite,* inquit, *inimicos vestros* (*Matth.* V). [e] Διάθεσις autem, id est, affectio, paucis admodum, et his qui vel parilitate morum vel virtutum societate connexi sunt, exhibetur, licet etiam ipsa diathesis multam in se differentiam ha-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quomodo charitas et res Dei, id est, donum Dei, et Deus esse dicatur, ut sane intelligas, adverte primo secundum sacras Scripturas non eam solum dilectionem qua nos Deum diligimus, sed illam etiam qua nos diligit Deus, appellari charitatem : *Commendat,* ait Apostolus, *charitatem suam Deus in nobis seu erga nos.* Rom. V, et : *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos Deus.* Ephes. II. Illud etiam quod Paulus ait Rom. VIII : *Quis nos separabit a charitate Dei?* a quibusdam de charitate qua nos dilexit Deus, ab aliis de charitate qua nos Deum diligimus, accipitur. Utraque enim Dei charitas rectissime appellatur; illa, quia ipsi Deo intima, immo ipse Deus; hæc, quia ab ipso donata et collata. Unde et res et donum Dei. Rursum autem ipsa charitas qua diligitur a nobis Deus, duplex a theologis distinguitur : increata, quæ Deus est, de qua Joannes : *Deus charitas est*; et creata, de qua Paulus loquitur, cum eam dicit *in cordibus nostris diffusam per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (I *Joan.* IV). Necesse est enim alia sit a Spiritu sancto, quam ipse Spiritus in corda nostra diffundit. Porro Magister Sententiarum (*Lib.* I *Sentent. dist.* 17), eo quod persuasum haberet e Scripturis Spiritum sanctum præsentem adesse, et substantialiter eorum corda inhabitare quos sanctificat, non existimavit necessarium esse ullum charitatis habitum; immo vero nullam esse censuit creatam charitatem, in quam competere posset ea dignitatis commendatio quæ passim tribuitur charitati, ut quod manens in charitate in Deo maneat, et Deum habeat in se manentem : quod charitas transferat de morte ad vitam; quod Dei filios, quod templum Dei, quod Christi membra constituat, quod hominem arctissime Deo conjungat, unumque cum illo spiritum efficiat. Hæc, inquam, atque his similia cum longe transcendere arbitraretur creatæ charitatis vim, dignitatem, creatam sustulit charitatem, docuitque ipsam charitatem esse Spiritum sanctum, non autem habitum aliquem creatum, quales sunt habitus fidei, spei cæterarumque virtutum. At hæc Magistri sententia jam e scholis explosa est (*S. Thom.* 2-2 *q.* 23, *art.* 2; *Bellarm. lib.* I *de Gratia cap.* 9), illudque certe definitum, charitatem qua Deus nobis diligitur esse qualitatem seu habitum quemdam creatum et infusum, qui et virtus sit, et mater virtutum, et res sive donum Dei verissime appelletur. Siquidem D. Augustinus in epist. ad Hieronymum charitatem docet veram magnamque esse virtutem. Et lib. de Natura *et Gratia (Cap. 70)*, dicit charitatem inchoatam esse inchoatam in nobis justitiam, charitatem provectam esse provectam justitiam, charitatem perfectam esse perfectam justitiam. Atqui hæc incrementa non cadunt in charitatem increatam, ut notum est, neque ea justitia nostra est, qua justi proprie et formaliter nominemur et simus. Aptissime itaque D. Bernardus epist. 11 et in fine libri de diligendo Deo : *Recte,* inquit, *dicitur charitas et Deus et Dei donum; charitas enim dat charitatem, substantiva accidentalem.*

[b] Parum absum ut dicam : *Durus est hic sermo, et quis potest eum sustinere* (*Joan.* VI)? Improprie enim admodum, ne dicam incongrue, καταχρητικῶς, exponit illam sententiam Apostoli : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,* de charitate increata. Quis enim vel ita loquatur, vel libenter illud audiat, charitatem increatam, id est, Spiritum sanctum, diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis? ubi manifesta est et crassa tautologia. Melius itaque D. Augustinus lib. de Spiritu et Littera (*Cap.* 32) : *Charitas,* inquit, *Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei dicta est qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus qua nos salvos fecit, et fides Christi qua nos fideles facit.*

[c] Spiritus sanctus postulat sive interpellat pro nobis, id est, postulare nos docet, ut exponit D. Augustinus (*Tract.* 6 *in Joan. et epist.* 21). Quo modo dixit Christus apostolis : *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in nobis* (*Matth.* X). Et Apostolus : *Misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem : Abba, Pater* (*Galat.* IV), id est, clamare nos facientem.

[d] Ἀγάπη, Græcis amor, dilectio et charitas dicitur. Hinc Tertullianus (*In Apologetico cap.* 3) : *Vocatur,* inquit, *agape, id quod dilectio penes Latinos est.* Et D. Cyprianus lib. III ad Quirinum : *Agapen,* et *dilectionem fraternam religiose et firmiter exercendam.* Apud veteres Chistianos agape dicebatur cœna quædam, sive conviviolum, quo pauperes diebus dominicis et festivis excipiebantur. De qua vide collat. 24 cap. 12.

[e] Diathesis plura habet significata, quorum hæc præcipua, affectus, sive affectio, morbus, conditio, ratio, testamentum, quod et diatheca dicitur. Sumitur autem hic pro affectu, propensione, seu peculiari dilectione, qua conjunctiores præ cæteris magis complectimur, in qua tot sunt gradus quot conjunctionum et necessitudinum species et differentiæ, ut hic declaratur.

bere videatur. Aliter enim parentes, aliter conjuges, aliter fratres, aliter filii diliguntur, et in ipsa quoque horum affectuum necessitudine magna distantia est, nec uniformis parentum dilectio erga filios invenitur. Quod etiam Jacob patriarchæ probatur exemplo, qui cum esset duodecim filiorum pater, omnesque paterna charitate diligeret, tamen propensiore Joseph dilexit affectu, ut de eo aperte Scriptura commemoret : *Invidebant autem ei fratres sui, eo quod diligeret eum pater suus* (*Genes.* XXXVII), scilicet, non quod vir justus et pater non valde diligeret etiam cæteram prolem, sed quod hujus, quia typum Domini præferebat, affectui dulcius quodammodo atque indulgentius inhæreret. [a] Hoc etiam de Joanne evangelista legimus evidentissime designari, cum de ipso dicitur : *Discipulus ille quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIII), cum utique etiam reliquos undecim similiter electos ita præcipua dilectione complexus sit, ut hoc etiam evangelica attestatione designet, dicens : *Sicut dilexi vos, et vos diligite invicem* (*Joan.* XIII). De quibus et alibi dicitur : *Diligens suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit eos* (*Ibid.*). Sed hæc unius dilectio non erga reliquos discipulos teporem charitatis, sed [b] largiorem erga hunc superabundantiam amoris expressit, quam ei virginitatis privilegium et carnis incorruptio conferebat. Quæ idcirco velut sublimior cum quadam exceptione signatur, quia non eam odii comparatio, sed affluentior gratia exuberantissimi amoris extollit. Tale quid etiam ex persona sponsæ legimus in Cantico canticorum, dicentis : [c] *Ordinate in me charitatem* (*Cantic.* II). Hæc enim est vere charitas ordinata, quæ odio habens neminem, quosdam meritorum jure plus diligit ; quæque cum generaliter diligat cunctos, excipit tamen sibi ex his quos debeat peculiari affectione complecti; et rursum inter ipsos qui in dilectione summi atque præcipui sunt, aliquos sibi qui cæterorum affectui superextollantur excerpit.

A

B

C

CAPUT XV.

De his qui vel suam vel fratrum commotionem dissimulatione corroborant.

Econtra novimus, quod utinam nesciremus! nonnullos fratrum tantæ esse obstinationis atque duritiæ, ut [d] cum vel suos adversus fratrem vel fratris adversum se senserint animos excitatos, ad dissimulandam mentis suæ tristitiam, quæ ex indignatione alterutræ commotionis exorta est, secedentes ab eis quos humili satisfactione atque colloquio lenire debuerant, aliquos psalmorum incipiunt decantare versiculos. Qui dum conceptam cordis amaritudinem delinire se putant, insultando augent, quod statim exstinguere potuerunt si magis anxii atque humiles esse voluissent, ut opportuna compunctio et ipsorum cordibus mederetur, et fratrum animos deliniret. Nam illo utique modo pusillanimitatis, immo superbiæ suæ vitium palpant, et nutriunt potius quam exstirpant fomitem jurgiorum, Dominicæ illius præceptionis immemores, qua ait : *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* V) : Et, *Si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Ibid*).

CAPUT XVI.

Quod fratre adversum nos aliquid habente simultatis, munera orationum nostrarum a Domino respuantur.

In tantum igitur non vult nos Deus noster alterius despectui habere tristitiam, [e] ut si aliquid adversum nos frater habuerit, nec munera nostra suscipiat, id est, nec orationes sibi a nobis permittat offerri, donec de animo ejus tristitiam juste injusteve conceptam, celeri satisfactione tollamus. [f] Neque enim ait, *Si habet* veram querelam *adversum te frater-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Hieronymus lib. primo adversus Jovinianum : *Joannes,* inquit, *unus ex discipulis, qui minimus traditur fuisse inter apostolos, et quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu ; et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat ut interroget,* etc.

[b] Non quod alios apostolos, vel non dilexerit, vel minus dilexerit ; sed quia certæ significationis causa, vel castimoniæ ac virginitatis intuitu, suum erga Joannem amorem, signis externis et familiari consuetudine, magis quam erga alios exhibuerit.

[c] Ita Græci interpretes : Τάξατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην, ut legit etiam D. Hieronymus in Ezechielis cap. XLII. At Vulgata versio est : *Ordinavit in me charitatem.* Quo modo a Patribus communiter citatur. Vide D. Bernardum serm. 50 in Cantica.

[d] Huic itidem morbo contrarium D. Benedictus instituit ac præscripsit antidotum his verbis : *Si quis frater pro quavis minima causa ab abbate vel a quocumque priore suo corripitur quolibet modo, vel si leviter senserit animum prioris cujuscumque contra se iratum vel commotum, quamvis modice ; mox, sine mora, tamdiu prostratus in terra ante pedes ejus jaceat satisfaciens, usque dum benedictione sanetur illa commotio.*

[e] D. Gregorius in Pastorali (III *part. admon.* 28) : *Admonendi,* inquit, *sunt dissidentes, ut noverint quod tamdiu nullum boni operis sacrificium immolant, quam diu a proximorum charitate discordant. Scriptum namque est : Si offers munus tuum ad altare, etc. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi exstincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt.* Vide eumdem lib. IV Dialog. cap. ultimo.

[f] Eodem fere modo D. Hieronymus : *Non dixit : Si tu habes aliquid adversus fratrem tuum, sed : Si frater tuus habet aliquid adversum te, ut durior reconciliationis tibi imponatur necessitas.* Clarius idem explicat et asserit Cassianus lib. VIII cap. 13 : *Quia,* inquit, *plerumque seu læsos fratres et contristatos contemnimus, aut certe non vitio nostro dicentes eos offensos, despicimus ; animarum medicus et occultorum conscius, occasiones iracundiæ volens radicitus a cordibus nostris evellere, non solum si læsi fuerimus, jubet nos remittere, et reconciliari fratribus nostris, nullamque adversus eos injuriæ seu læsionis memoriam retinere ; sed etiam si illos adversum nos, seu juste, seu injuste, habere aliquid noverimus, similiter præcepit ut munus nostrum relinquentes,* etc. Cæterum quomodo hæc accipienda sint, et quatenus fratri qui nos offenderit reconciliari debeamus, antequam munus nostrum offeramus vide ibidem annotatum.

D

tuus, relinque tbi munus tuum ad altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; sed, *Si recordatus fueris,* inquit, *quia frater tuus habet aliquid adversum te* (*Matth.* v), id est, etiam si leve aliquid ac vile sit quo fratris in te fuerit excitata commotio, et hoc memoriam tuam subita recordatione pulsaverit, scias te offerre precum tuarum spiritalia munera non debere, nisi prius qualibet ex causa ortam tristitiam de corde fratris benigna satisfactione depuleris. Si igitur evangelicus sermo etiam pro præterita et minima simultate, ac de exiguis oborta causis, satisfacere nos irascentibus jubet, quid de nobis miseris fiet, qui recentes et maximas causas nostroque errore commissas, pertinaci dissimulatione contemnimus, et inflati tumore diabolico, dum humiliari erubescimus, auctores nos fraternæ tristitiæ denegamus, ac rebelli spiritu subjici præceptis Domini dedignantes, nequaquam ea vel observari debere, vel impleri posse contendimus? Eoque fit ut judicantes eum impossibilia vel incongrua præcepisse, efficiamur, secundum Apostolum, *non factores, sed judices legis* (*Jac.* iv).

CAPUT XVII.

De his qui patientiam sæcularibus magis putant impendendam esse quam fratribus.

Illud quoque quibus lacrymis est deflendum, quod nonnulli fratrum cum fuerint contumelia cujuslibet sermonis accensi, si alterius cujuspiam, qui eam lenire desiderat, precibus fatigentur, cum audierint nequaquam debere adversus fratrem concipi retinerive tristitiam, secundum illud quod scriptum est : [a] *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v); et, *Sol non occidat super iracundiam vestram* (*Ephes.* iv), proclamant illico : Si paganus aliquis, si sæcularis, hoc fecisset, aut ista dixisset, recte debuit sustineri. Quis autem ferat fratrem tam gravis conscium culpæ aut tam insolens de ore convicium proferentem ! Quasi vero patientia infidelibus tantum atque sacrilegis et non omnibus sit generaliter exhibenda, aut iracundia contra gentilem noxia contra fratrem utilis æstimanda, cum utique perturbatæ mentis obstinata commotio non dissimile, contra quemvis fuerit excitata, sibi inferat detrimentum. Quantæ autem obstinationis, immo vecordiæ est, ut nec ipsam verborum proprietatem brutæ mentis stupore discernat. Quia non dicitur, *Omnis qui irascitur* alienigenæ, *reus erit judicio,* quod fortasse poterat secundum illorum sensum contra consortes nostræ fidei et conversionis excipere, sed significanter expressit evangelicus sermo dicens : *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v). Licet itaque [b] secundum regulam veritatis omnem hominem fratrem debeamus accipere, tamen hoc in loco magis fidelis ac nostræ conversationis particeps quam ethnicus fratris vocabulo designatur.

CAPUT XVIII.

De his qui patientiam mentientes ad iracundiam fratres silentio accendunt.

Illud vero quale est, quod interdum patientes esse nos credimus, quia respondere contemnimus lacessiti ; sed ita commotos fratres amara *taciturnitate* vel motu gestuque irrisorio subsannamus, ut eos magis ad iracundiam vultu tacito provocemus, quam tumida potuissent incitare convicia, in eo nos æstimantes minime apud Deum reos, quia nihil ore protulimus, quod nos notare hominum judicio aut condemnare potuisset? quasi vero apud Deum verba tantummodo, et non præcipue voluntas vocetur in culpam, et opus solum peccati, et non etiam votum ac propositum habeatur in crimine, aut hoc tantum quod unusquisque fecerit per loquelam, et non quod etiam per taciturnitatem facere studuerit, in judicio sit quærendum. Non enim sola commotionis illatæ qualitas, sed etiam propositum irritantis in noxa est. Et idcirco non quemadmodum jurgium fuerit excitatum, sed cujus conflagraverit vitio, verum judicis nostri perquiret examen. [c] Affectus enim peccati, non ordo considerandus est admissi. Quid enim differt utrum quis gladio ipse peremerit fratrem, an aliqua ad mortem fraude compulerit, cum ipsius eum dolo vel crimine *constet exstinctum*? quasi vero cæcum in præceps manu propria non impegisse sufficiat, cum similiter reus sit qui pronum et imminentem jam foveæ, cum potuerit revocare, contempserit ; aut ille solus in crimine sit qui manu sua quempiam laqueaverit, et non etiam is qui vel paraverit vel ingesserit laqueum, vel certe cum po-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Has sententias videre licet alibi explicatas (*Lib.* viii *Instit. cap.* 8 *et* 19).

[b] Regulam veritatis dicit ipsam rei veritatem, vel illam sententiam evangelicam : *Omnes vos fratres estis* (*Matth.* xxii), etc. Notat vero D. Hieronymus (*Adversus Helvid. c.* 8) *quatuor modis in Scripturis divinis fratres appellari, natura, gente, cognatione, affectu; et rursus affectu duobus modis fratres nominari, spiritaliter* (forte *specialiter*) *et communiter. Ne longum,* inquit, *faciam, ad extremam divisionis partem revertar, id est, et affectu fratres dici, quod in duo scinditur, in spiritale et in commune. In spiritale* [Al. *speciale*], *quia omnes Christiani fratres vocamur, ut ibi : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ! Et in alio psalmo Salvator : Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis, etc. Porro in commune, quia omnes homines ex uno patre nati pari inter nos germanitate conjungimur : Dicite, ait, iis qui oderunt vos, fratres nostri estis,* etc. (*Joan.* xx). Hæc Hieronymus.

[c] Ita emendatum in hac editione ; quamvis Dionysius cum mss. legat (*Vide col.* 6 *cap.* 9). *Effectus enim peccati.* Magis enim congruit præcedentibus, ubi ait : *Quasi vero apud Deum verba tantummodo, et non præcipue voluntas vocetur in culpam ; et opus solum peccati, et non etiam votum ac propositum habeatur in crimine.* Quid enim est affectus peccati nisi voluntas, votum ac propositum peccantis? Sensus est, quem verba aperte sonant, apud Deum magis spectari affectum seu voluntatem peccantis, quam modum et ordinem peccandi : *Deus enim cor intuetur* (I *Reg.* xvi). Cui potius contraria videtur hæc Dionysiana paraphrasis : *Effectus enim peccati pensandus est, non solum ordo admissi,* vide cap. 11 et 12 coll. 17.

tuerit, auferre noluerit. Ita igitur tacere nihil prodest, si idcirco nobis indicamus silentium, ut quod agendum convicio fuerat, hoc taciturnitate faciamus, assimilantes quosdam gestus, quibus et ille quem curare nos oportuit, vehementiori inardescat iracundia, et nos super hæc omnia damno illius ac perditione laudemur; quasi vero non etiam ex hoc ipso quis criminosior sit, quod gloriam sibi de fratris voluerit perditione conquirere. Utrique enim [a] tale silentium erit æqualiter noxium : quia sicut exaggerat in alterius corde tristitiam, ita in suo non permittit exstingui. Contra quos illa prophetæ satis proprie est directa maledictio : *Væ qui potat amicum suum, mittens fel suum, et inebrians ut aspiciat nuditatem ejus, repletus est ignominia pro gloria* (*Abacuc.* II). Illud quoque quod per alium de talibus dicitur : *Quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet, et vir fratrem suum irridebit, et veritatem non loquetur; extenderunt enim linguam suam quasi arcum mendacii et non veritatis* (*Jerem.* IX). Sæpe autem ficta patientia etiam acrius ad iracundiam quam sermo succendit, et atrocissimas verborum transcendit injurias maligna taciturnitas; leviusque tolerantur inimicorum vulnera, quam irridentium subdola blandimenta. De quibus proprie dicitur per prophetam : *Molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV). Et alibi : [b] *Verba callidorum mollia, hæc autem feriunt in penetralia ventris* (*Prov.* XXVI). Quibus etiam illud potest eleganter aptari : *In ore pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit ei insidias* (*Jerem.* IX), quibus tamen magis decipitur ipse qui decipit. Nam [c] *Qui præparat ante faciem amici sui rete, circumdat illud pedibus suis; et qui fodit foveam proximo suo, incidit in eam ipse* (*Prov.* XXVI). Denique cum magna ad comprehendendum Dominum cum gladiis et fustibus multitudo venisset, nemo in auctorem vitæ nostræ illo cruentior exstitit parricida quam qui, cunctos ficto salutationis honore præveniens, osculum subdolæ charitatis ingessit. Cui Dominus, *Juda*, inquit, *osculo Filium hominis tradis* (*Lucæ* XXII)? id est, amaritudo persecutionis atque odii tui hoc tegmen assumpsit quo dulcedo veri amoris exprimitur? Apertius quoque ac vehementius per prophetam [d] vim hujus doloris exaggerat : *Quoniam si inimicus meus*, inquit, *maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo. Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*Psal.* LIV).

CAPUT XIX.

De his qui ex indignatione jejunant.

Aliud quoque profanum tristitiæ genus est, quod dignum commemoratione non fuerat, nisi id a nonnullis fratribus scissemus admitti, qui cum tristificati fuerint vel irati, ab ipso etiam pertinaciter abstinent cibo, ita ut, quod etiam dicere absque pudore non possumus, illi qui dum placidi sunt, refectionem cibi usque ad horam sextam vel, ut multum, nonam negant se posse differre, cum fuerint [e] tristitia vel furore suppleti, jejunia etiam biduana non sentiant, tantamque inediæ defectionem iracundiæ satietate sustentent. In quo plane [f] sacrilegii crimen evidenter incurrunt, jejunia scilicet, quæ soli Deo pro humiliatione cordis et purgatione vitiorum sunt specialiter offerenda, pro diabolico tumore tolerantes. Quod tale est ac si orationes atque sacrificia non Deo, sed dæmoniis deferant, illamque Mosaicam increpationem mereantur audire, *Sacrificaverunt dæmoniis, et non Deo, diis quos ignorabant* (*Deut.* XXXII).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Silentium hoc pravum et perversum, cum quis ex amaritudine animi, vel ex contemptu aut derisione proximi, tacet, nec dignatur ipsum alloqui, aut ei respondere, quo magis eum irritet et provocet. De tali silentio loquitur D. Gregorius lib. V Moralium (*Cap.* XXXI), ubi ait : *Aliquando ira perturbato animo, quasi ex judicio, silentium indicit, et quo se foras per linguam non exprimit, intus deterius ignescit; ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, et nihil dicendo, quam sit aversus dicat. Et nonnumquam hæc silentii severitas per disciplinæ dispensationem geritur, si tamen sollicite in intimis discretionis forma teneatur; nonnumquam vero, dum accensus animus a consueta locutione restringitur, per accessum temporis penitus a proximi dilectione separatur; et acriores stimuli ad mentem veniunt, causæque, quæ gravius exasperant, oriuntur, atque in iruti oculo festuca in trabem vertitur, dum ira in odium permutatur. Plerumque ira per silentium clausa intra mentem vehementius æstuat, et clamosas tacita voces format; verba sibi quibus exasperetur objicit, et quasi in causæ examine posita durius exasperata respondet; sicque fit ut perturbatus animus majorem strepitum sui silentii sentiat, eumque gravius clausa iræ flamma consumat.* Hæc Gregorius. Porro silentium alias optimum esse remedium ad comprimendam et mitigandam tum suam, tum proximi iram, infra dicetur.

[b] D. Hieronymus vertit : *Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima cordis* (*Prov.* XXVI). Cui similis sententia Proverb. XVIII : *Verba bilinguis quasi simplicia, et ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.*

[c] Vulg. textus : *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus* (*Prov.* XXIX). Ubi D. Hieronymus notat utrumque exponi posse, et *gressibus ejus*, et *gressibus suis*, ex ambiguo verbo Græco, quod est περιβάλλει, quod tam expandere quam circumdare significat, et tam ad ipsum fraudatum referri potest : *Nam qui fodit foveam proximo suo, incidet in eam. Ita fit ut retia fraudulenta non tam eum cujus gressibus expanduntur, quam illum aquo expanduntur, involvant.* Sic D. Hieronymus.

[d] *Minorem enim dolorem mala ingerunt, quæ ab extraneis inferuntur. Plus vero in nobis ea tormenta sæviunt, quæ ab illis patimur de quorum mentibus præsumebamus, quia cum damno corporis mala nos cruciant amissæ charitatis*, ait B. Gregorius (*Homil.* 35 *in Evang.*).

[e] Phrasis Cassiano familiaris, ut sæpe notavimus

[f] Cum sacrilegium generali notione sit omnis abusus rei sacræ, et ad Dei cultum destinatæ, sacrilegium quoddam committere videtur qui ex iracundia vel indignatione a cibis abstinet aut jejunat, quia in quo Deum colere debuit, eum offendit.

CAPUT XX.

De quorumdam simulata patientia qui maxillam verberandam alteram ingerunt.

Non ignoramuse tiam aliud dementiæ genus, quod sub colore fucatæ patientiæ in nonnullis fratribus invenitur, quibus parum est jurgia commovisse, nisi etiam instigatoriis verbis ut feriantur irritent; cum utique [*Lips. in marg.* itaque] vel levi fuerint impulsione contacti, aliam quoque partem corporis ingerunt verberandam, quasi per hoc perfectionem mandati illius impleturi quodicitur : [a] *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram* (*Matth.* v), Scripturæ vim ac propositum penitus ignorantes; evangelicam namque patientiam per iracundiæ vitium exercere se putant. Ob quod radicitus excidendum, non solum vicissitudo talionis et concertandi irritatio prohibetur, sed etiam furorem verberantis geminatæ jubemur injuriæ tolerantia mitigare.

CAPUT XXI.

Interrogatio, quemadmodum Christi mandatis obtemperantes evangelica perfectione fraudentur.

Germanus : Quomodo reprehendendus est is qui præcepto satisfaciens evangelico, non solum non intulit talionem, sed etiam paratus est ut sibi geminetur injuria?

CAPUT XXII.

Responsio, quod Christus non solum facti, sed etiam voluntatis inspector sit.

Joseph : Sicut paulo ante dictum est (*Cap.* 18), non solum res ipsa quæ geritur, sed etiam qualitas mentis et propositum facientis est intuendum. Et idcirco si id quod ab unoquoque perficitur, quo animo fiat, vel quo procedat affectu, intimo perpendatis cordis examine, videbitis patientiæ lenitatisque virtutem nequaquam posse contrario spiritu, id est, impatientiæ ac furoris impleri. Siquidem Dominus noster atque Salvator ad profundam nos instruens patientiæ lenitatisque virtutem, id est, non ut labiis eam tantummodo præferamus, sed ut intimis animæ nostræ abditis recondamus, istam nobis perfectionis evangelicæ formulam dedit, dicens : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam,* [b] *præbe illi et alteram* (*Matt.* v), subauditur sine dubio, dexteram. Quæ alia dextera, nisi [c] interioris hominis, ut ita dixerim, facies potest accipi. Per hoc omnem penitus iracundiæ fomitem de profundis cupiens animæ penetralibus exstirpare, id est, ut si [d] exterior dextera tua impetum ferientis exceperit, interior quoque homo per humilitatis assensum dexteram suam præbeat verberandam, compatiens exterioris hominis passioni, et quodammodo succumbens atque subjiciens suum corpus ferientis injuriæ, ne exterioris hominis cæde vel tacitus intra moveatur interior. Videtis ergo longe eos ab evangelica perfectione distare, quæ patientiam docet, non verbis, sed interiore cordis tranquillitate servandam; eamque a nobis, cum quid adversi evenerit, ita præcipit custodiri, ut non solum nosmetipsos alienos ab iracundiæ perturbatione servemus, sed etiam illos qui suo commoti sunt vitio, [e] succumbentes injuriis eorum,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Diximus superius hanc sententiam non absolutum continere præceptum; sed aliquid præcepti, et aliquid consilii. Præcepti illud est, ut potius alteram maxillam vertamus, id est, alteram accipiamus injuriam, quam acceptam ulciscamur, vel, ut hic dicitur, ne talionem, id est, parem aut similem injuriam referamus, vel malum pro malo reddamus; et animo parati simus ad tolerandas injurias, quandocumque id charitas et Dei gloria videbitur postulare. Consilii autem est, ut quamvis neque charitas, neque Dei gloria id a nobis exigat, mortificationis tamen nostræ causa hæc omnia ad litteram exsequamur, non quidem irritantes aut provocantes proximum ad inferendam nobis injuriam, quod hic merito reprehenditur, sed nos ipsos ad excipiendam et sustinendam, si inferatur, excitantes et confirmantes.

[b] Moralis expositio, quæ et D. Hieronymo (*In commentario*) placuit : *Secundum mysticos,* ait, *intellectus, percussa dextera non jubemur sinistram præbere, sed alteram, hoc est, alteram dexteram; justus enim sinistram non habet.*

[c] Id est, animi promptitudo sive præparatio ad excipiendas et tolerandas injurias, de qua D. Augustinus (*Ubi supra*) sententiam illam evangelicam de præbenda maxilla docet intelligendam (*Vide S. Thom. in cap.* XII *Epist. ad Rom.*).

[d] Exterior, dextera scilicet maxilla. Hujus rei duo præclara succurrunt exempla huic loco perquam consentanea, et lectoribus, ut spero, profutura. Primum Spiridionis episcopi Cypri, qui, ut in Vita ejus legitur (*Apud Surium* 14 *Decemb.*), aliquando ad imperatorem Constantium, a quo evocatus erat, profectus est. Vili autem erat habitu, manu virgam ex palma tenens. Pendebat ex collo vas fictile, et, ut verbo dicam, contempti hominis speciem præ se ferebat. Itaque regiam ingredientem quidam indecorum ratus tam abjecta specie virum intrare palatium regium, sacræ ejus maxillæ impudenter colaphum infregit. Tulit id non modo patienter vir sanctus, sed et alteram prompto patiendi animo percussori *exhibuit.* Quæ res insolentem illum tanto *pudore affecit,* ut repente ei supplex fieret et inconsideratæ audaciæ veniam peteret; quam libens concessit, et hominem paterne instruxit ut ab inferenda injuria se contineret. Quo factum est ut a viris principibus in honore haberetur, qui eum summa reverentia ad imperatorem deduxerunt. Alterum D. Bernardi (*Lib.* III *Vitæ ejus cap.* 6), ad quem veniens aliquando Claramvallem clericus quidam regularis, importune satis instabat ut in monachum reciperetur. Suadente Patre sancto ut ad suam reverteretur ecclesiam, nec acquiescente eum recipere, ille velut insanus impetum faciens in eum, percussit maxillam ejus, idque tam graviter, ut succederet statim rubor ictui, tumor rubori. Jam qui aderant, in sacrilegum involabant; sed prævenit eos servus Domini, clamans et adjurans per nomen Christi ne eum tangerent, sed educerent caute et curam ejus haberent, ne ab aliquo ei noceretur.

[e] Id est, cedentes eorum injuriis easque patienter sustinentes; vel, ut ait Apostolus : *Locum dantes iræ*; vel, ut noster paraphrastes : *Humiliantes et subdentes nos illis qui commoti sunt, cogamus eorum injurias ad placiditatem reverti, expleta satietate percussionis eorum, vincendo nostra mititate furorem ipsorum,* etc. Alluditur autem hic, sed obscurius, ad locum illum Matthæi : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi et alteram* (*Matth.* v). Docet enim ex hac Christi sententia Christianæ et religiosæ patientiæ perfectionem eo pertingere, ut percussus

ad placiditatem expleta cædis satietate cogamus, furorem eorum nostra lenitate vincentes. Et ita etiam illud Apostolicum implebimus: *Noli*[a] *vinci a malo, sed vince in bono malum* (*Rom.* XII). Quod ab illis impleri non posse certissimum est, qui illo spiritu ac tumore verba lenitatis atque humilitatis emittunt, ut non solum non mitigent conceptum furoris incendium, sed magis illud tam in suo quam in fratris commoti sensu faciant conflagrare, qui tamen etiam si possent aliquo modo ipsi mites ac placidi permanere, nec sic quidem aliquos justitiæ fructus caperent, cum damno proximi patientiæ sibi gloriam vindicantes, et per hoc ab illa Apostolica charitate omnimodis alieni, quæ *non quærit quæ sua sunt* (I *Cor.* XIII), sed ea quæ aliorum, non etiam ita divitias concupiscit, ut lucrum sibi de proximi faciat detrimento, nec acquirere quidquam cum alterius desiderat nuditate.

CAPUT XXIII.

Quod ille sit fortis et sanus qui succumbit alterius voluntati.

Sciendum sane generaliter illum partes agere fortiores qui voluntati fratris suam subjicit voluntatem, quam eum qui in defendendis suis definitionibus ac tenendis pertinacior invenitur. Ille enim sustentans ac tolerans proximum, sani ac validi, hic autem infirmi et quodammodo ægrotantis obtinet locum, quem ita palpari necesse est ac foveri interdum, ut etiam a rebus necessariis pro ejus quiete ac pace salubre sit aliquid relaxari. In quo quidem non se credat quis aliquid de sua perfectione minuisse, tametsi quiddam de proposita districtione condescendendo summiserit, sed econtrario multo amplius se pro longanimitatis et patientiæ bono noverit acquisisse. Apostolicum namque præceptum est: [b] *Vos qui fortes estis, imbecillitates infirmorum sustinete* (*Rom.* XV); et: *Alterutrum onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI). Numquam enim infirmus sustentat infirmum, nec tolerare poterit aut curare languentem is qui similiter ægrotat; sed ille medelam tribuit imbecillo, qui imbecillitati ipse non subjacet. Merito enim ei dicitur: *Medice, cura teipsum* (*Lucæ* IV).

CAPUT XXIV.

Quod infirmi injuriosi sint, et injurias ferre non possint.

Notandum etiam illud est, infirmorum naturam esse semper ejusmodi, ut prompti quidem ac faciles sint ad contumelias ingerendas et jurgia conserenda, ipsi vero ne minima quidem injuriæ velint suspicione contingi: cumque inferentes proterva convicia, inconsiderata superequitent libertate, ne parva quidem atque levissima sustinere contenti sunt. Ideoque, [c] secundum prædictam seniorum sententiam, charitas stabilis atque indirupta non poterit perdurare, nisi inter viros ejusdem virtutis atque propositi. [d] Scindi etenim necesse est eam quocumque tempore, quantalibet fuerit cautione ab altero custodita.

CAPUT XXV.

Interrogatio, quomodo fortis sit qui non semper sustentat infirmum.

Germanus: In quo ergo laudabilis perfecti viri potest esse patientia, si tolerare non prævalet semper infirmum?

CAPUT XXVI.

Responsio, quod infirmus se non sinat sustentari.

Joseph: Nec ego dixi quod illius qui fortis est ac robustus virtus tolerantiaque vincenda sit; sed quod infirmi pessima valetudo, illius qui sanus est sustentatione nutrita, atque in deterius [e] quotidie prola-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quispiam, aut alapis vel pugnis cæsus, tamdiu patienter sustineat, donec alter tandem percutiendo satietur et mitigetur, sicque in bono malum vincatur, ut hic subjicitur.

[a] Quid sit vinci a malo, aut vincere malum, D. Thomas egregie explicat: *Naturale,* inquit, *est homini ut velit adversarium vincere, et non vinci ab eo. Illud autem ab aliquo vincitur, quod ad illud trahitur: sicut aqua vincitur ab igne, quando trahitur ad calorem ignis. Si ergo vir bonus propter malum quod sibi ab aliquo infertur, trahitur ad hoc quod ei malefaciat, bonus a malo vincitur. Si autem econtrario, propter beneficium quod bonus persecutori exhibet, eum ad suum amorem trahat, bonus malum vincit.*

[b] Verba Apostoli ad Romanos XV: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere,* ubi Græce βαστάζειν, id est, portare, aut collo gestare more bajulorum, qui Græcis βαστάζοντες dicuntur; quod aliis verbis expressit Apostolus dicens: *Alter alterius onera portate* (*Galat.* VI).

[c] Supra c. 3: *Hæc est amicitiæ filæ insolubilisque conjunctio, quæ sola virtutum parilitate fundatur.* Et c. 5: *Plena atque perfecta amicitiæ gratia, nisi inter perfectos viros ejus demque virtutis perseverare non potest.*

[d] Ita superius (*Cap.* 3): *Multos,* inquit, *novimus in hoc proposito* (id est vitæ instituto), *constitutos, qui cum pro charitate Christi flagrantissima essent sodalitate devincti, non perpetuo eam nec indirupte servare potuerunt; quia licet bono societatis principio niterentur, non tamen uno nec pari studio arreptum propositum tenuerunt; fuitque inter eos quædam temporalis affectio, quia non æquali utriusque virtute, sed unius patientia servabatur.*

[e] De his causis Cassiodorus (*Lib. de Amicitia cap.* 6): *Sunt,* inquit, *quatuor vitia quibus præclarus honor amicitiæ sæpius obfuscatur: iracundia, instabilitas, suspicio, garrulitas.* Et alibi (*Cap.* 17 *et* 28): *Sunt autem quatuor ex quibus amici disjunctio causam habet: dilectio, affectio, securitas, atque jucunditas. Dilectionis est consulere, providere, et amico beneficia exhibere. Ad affectionem vero spectat quædam jucunda et suavissima delectatio. Ad securitatem pertinet quorumlibet secretorum sine omni timore et suspicione communicatio. Ad jucunditatem vero de prosperis et adversis, de utilibus et nocivis, atque de omnibus quibus humana mens afficitur, amica et familiaris, dulcis et blanda collatio. In his itaque amicitia patitur sectionem; quia licet dilectio in aliquo statu permaneat, subtrahitur tamen illa suavissima dilectionis affectio; perit securitas per quam sua revelabat arcana; turbatur jucunditas quam blanda confabulatio seminabat. Manet itaque dilectio; sed gratia familiaritatis aufertur.* Cicero, vel Lælius apud Ciceronem, ubi supra: *Est,* inquit, *quædam quasi calamitas in amicitiis dimittendis nonnumquam necessaria: erumpunt sæpe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ sunt remissione usus eluendæ, et (ut Catonem dicere audivi) dissuendæ*

bens, generatura sit causas ob quas vel ipse ultra non debeat sustineri; vel certe patientiam proximi notam ac deformationem impatientiæ suæ esse conjiciens, abire quandoque mavult quam semper magnanimitate alterius sustineri. Hæc ergo ab his qui sodalitatis affectum cupiunt inviolabilem custodire, præ omnibus observanda censemus, ut primum quibuslibet injuriis lacessitus, non solum labia, sed etiam profunda pectoris sui monachus tranquilla custodiat; quæ tamen si senserit vel tenuiter fuisse turbata, [a] omni semetipsum taciturnitate contineat, et illud quod Psalmista commemorat diligenter observet: *Turbatus sum et non sum locutus* (*Psalm.* LXXVI). Et: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea, posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator adversum me; obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis* (*Psal.* XXXIII); nec præsentem considerans statum, ea proferat quæ ad horam turbulentus sugerit furor, dictatque animus exasperatus, sed vel recolat gratiam præteritæ charitatis, vel reformandæ pacis redintegrationem mente prospiciat, eamque, velut continuo reversuram, etiam in ipso commotionis tempore contempletur. Dumque se ad dulcedinem servat concordiæ mox futuræ, amaritudinem præsentium non sentiet jurgiorum, et ita ea potissimum respondebit, e quibus vel a semetipso reus fieri vel ab alio reprehendi, restituta charitate, non possit; sicque adimplebit propheticum illud eloquium: *In ira, misericordiæ memor eris* (*Abacuc.* III).

[a] Optimum sane consilium a SS. Patribus itidem commendatum, ut convicio vel alia injuria lacessiti linguam coatineamus, et taciti patientiam animo retineamus; quemadmodum de SS. martyribus canit Ecclesia:

> Cæduntur gladiis more bidentium;
> Non murmur resonat, non querimonia
> Sed corde tacito mens bene conscia
> Conservat patientiam.

S. Ambrosius lib. II de Officiis (*Cap.* 2 *et seq.*): *Quando*, inquit, *aliquis nobis conviciatur, lacessit, ad violentiam provocat, ad jurgium vocat, tunc silentium exerceamus, tunc muti fieri non erubescamus. Peccator enim est, qui nos provocat, qui injuriam facit, et nos similes sui fieri desiderat. Denique si taceas, si dissimules, solet dicere: Quid taces? loquere, si audes. Sed non audes, mutus es, elinguem te feci. Si ergo taceas, plus rumpitur: victum se reputat, irrisum, posthabitum atque illusum. Si respondeas, superiorem se factum arbitratur, quia parem invenit. Si enim taceas, dicetur: Ille conviciatus est huic, contempsit iste. Si referas contumeliam, dicetur: Ambo conviciati sunt. Uterque condemnetur, neuter absolvitur. Ergo illius est studium, ut irritet, ut similia illi loquar, ut similia agam. Justi autem est dissimulare, nihil loqui, tenere fructum bonæ conscientiæ, plus committere bonorum judicio, quam criminantis insolentiæ*, etc. Hoc eodem remedio usam fuisse in aliorum jurgiis Paulam Romanam tradit D. Hieronymus in epistola ad Eustochium: *Si quando*, ait, *procacior fuisset inimicus, et usque ad verborum jurgia prosiliisset, illud psalterii decantabat: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, et silui a bonis*, etc. (*Psal.* XXXVIII).

CAPUT XXVII.

Quemadmodum sit iracundia comprimenda.

Cohibere ergo nos oportet omnes iracundiæ motus, et gubernatrice discretione moderari, ne in illud quod a Salomone damnatur, præcipiti furore raptemur: [b] *Totam iram suam profert stultus, sapiens autem dispensat per partes* (*Prov.* XXIX): id est, stultus quidem ad ultionem sui, iræ perturbatione succenditur, sapiens autem paulatim eam maturitate consilii ac moderationis extenuat et expellit. Tale est et illud quod ab Apostolo dicitur, *Non vosmetipsos* [c] *vindicantes, charissimi, sed date locum iræ* (*Rom.* XII): id est, nequaquam ad vindictam iracundia cogente tendatis, sed [d] date locum iræ: hoc est, *magis quam discindendæ sunt; nisi quædam admodum intolerabilis exarserit injuria, ut neque rectum neque honestum sit, neque fieri possit ut non statim alienatio disjunctioque facienda sit. Sin autem aut morum aut studiorum commutatio quædam (ut fieri solet) facta erit, cavendum ne non solum amicitiæ depositæ, sed inimicitiæ etiam susceptæ videantur; nihil enim turpius quam cum eo bellum gerere quocum familiariter vixeris. Cavendum vero est ne etiam in graves inimicitias convertant se amicitiæ, e quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur; quæ tamen si tolerabiles erunt, ferendæ sunt; et hic honos veteri amicitiæ tribuendus est, ut is in culpa sit qui faciat, non qui patiatur injuriam.* Hæc ille: quæ, in plerisque saltem, a Christiana philosophia non dissident.

[b] Ita correxit Ciaconius ex Græco et Dionysio paraphraste, cum in antiquis codicibus legeretur: *Totam iram suam profert impius.* Cui correctioni favet vulgata lectio, quæ sic habet, *Totum spiritum suum profert stultus: sapiens differt, et reservat in posterum* (*Prov.* XXIX). Cujus sententiæ explicationem, quam affert hic abbas, etiam a D. Hieronymo est mutuatus. Sic enim D. Hieronymus: *Totum spiritum suum profert stultus: impatientia impellente agitur, ut totus foris spiritus proferatur. Quem ideireo citius perturbatio ejicit, quia nulla citius disciplina sapientiæ circumcludit. Sapiens autem differt*, etc. *Læsus enim in præsens se ulcisci non desiderat, quia etiam tolerans pœnæ optat; sed tamen vindicari omnia extremo judicio non ignorat. Hunc locum antiqua translatio sic habet: Totam iram suam profert impius: sapiens autem dispensat per partes: quia nimirum stultus ad ultionem sui, iræ perturbatione succenditur; sapiens autem paulatim cum maturitate consilii ac moderationis extenuat et expellit.*

[c] Græce ἐκδικοῦντες, id est, ulciscentes, scilicet propria auctoritate. Pro quo noster interpres vertit, *defendentes*, nec male. Solet enim in Scripturis et usu Ecclesiæ *defendere* poni pro ulcisci. Psal. VIII: *Ut destruas inimicum et ultorem*, pro quo Augustinus legit, *defensorem*. Et pro eo quod Apocalypsis VI dicitur: *Usquequo, Domine, non judicas, et vindicas sanguinem nostrum?* Ecclesia canit: *Usquequo non defendis sanguinem nostrum?* etc.

[d] Sicut in inferenda injuria tria considerari possunt, ira inferentis, ira ejus qui patitur, et ira Dei qui offenditur; ita tripliciter hæc sententia exponitur a Patribus. De ira propria, ut sensus sit, *Locum date iræ*, id est, ira vestra facile transeat et evanescat, sicut fumus protinus evanescit. De aliena: *Locum date iræ*, id est, libenter cedite homini irato, et ejus infirmitatem sustinete, ut alibi ait Apostolus (*Rom.* XV). Duplicem hunc sensum tradit hic abbas Joseph. At Chrysostomus et alii ad iram Dei referunt et sic exponunt: *Locum date iræ*, scilicet divinæ, id est, relinquite Deo ultionem et vindictam. Nam qui se ulciscitur, non permittit, nec dat locum iræ divinæ, sed præoccupat et antevertit. Unde subdit Apostolus: *Scriptum est enim: Mihi vindicta*, etc.; quod de Deo intelligitur.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

non sint corda vestra sic impatientiæ ac pusillanimitatis angustiis coarctata, ut violentam commotionis procellam, cum irruerit, sustinere non possint; sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes adversos iracundiæ fluctus in illis extentis sinibus charitatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet (I *Cor.* XIII) : et ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus, in quibus receptus quodammodo atque diffusus teterrimus iracundiæ fumus protinus evanescat. Vel certe ita intelligendum est : Damus locum iræ, quotiens commotioni alterius humili atque tranquilla mente succumbimus, et quodammodo dignos nos qualibet injuria profitentes, impatientiæ sævienti obsequimur. Cæterum hi qui ita sensum apostolicæ perfectionis inclinant, ut locum iræ illos dare existiment, qui ab irascente discedunt, videntur mihi dissensionum fomitem non abscindere, sed nutrire. Nisi enim iracundia proximi humili statim satisfactione vincatur, provocat eam fugiens potius quam declinat. Illud quoque huic simile est quod Salomon ait : [a] *Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu insipientum requiescit* (*Eccle.* VII) ; et : [b] *Noli procurrere in rixam cito, ne pœniteat te in novissimo* (*Prov.* XXV). [c] Neque enim ita festinationem rixæ vel iracundiæ culpat, ut earumdem approbet tarditatem. Similiter et illud suscipiendum est : [d] *Stultus eadem ipsa hora pronuntiat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus* (*Prov.* XII). Non enim ignominiosam iracundiæ passionem ita a sapientibus occultari debere decernit, ut iracundiæ velocitatem culpans, non prohibeat tarditatem : quam utique, si per necessitatem humanæ infirmitatis irruerit, ideo censuit occultandam, ut dum ad præsens sapienter obtegitur, in perpetuum deleatur. Hæc enim natura est iræ, ut dilata languescat et pereat, prolata vero magis magisque conflagret. Dilatanda ergo atque amplianda sunt pectora, ne angustiis pusillanimitatis arctata, iracundiæ turbulentis æstibus oppleantur, et recipere secundum prophetam illud nimis latum mandatum Dei angusto corde nequeamus, nec dicere cum propheta : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatares cor meum* (*Psal.* CXVIII). Nam quia longanimitas sapientia sit, evidentissimis Scripturæ testimoniis edocemur : [e] *Longanimis* enim *vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est* (*Prov.* XXIV). Et ideirco de illo qui sapientiæ donum laudabiliter a Domino postulavit Scriptura commemorat : *Et dedit Dominus Salomoni sapientiam prudentiamque multam nimis, et latitudinem cordis, quasi arenam maris innumerabilem* (III *Reg.* IV).

CAPUT XXVIII.

Amicitias conjuratione initas firmas esse non posse.

Illud quoque multis est experimentis sæpissime comprobatum, nullo modo eos [f] qui amicitiarum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgatus textus : *Ne sis velox ad irascendum ; quia ira in sinu stulti requiescit.* Quibus verbis non prohibemur omnino irasci ; sed ne ad irascendum veloces simus, hoc est, juxta Olympiodori explanationem, *ne malum concipiamus iracundiæ habitum, ita ut transeat in affectum cordis.* Qua etiam discretione D. Jacobus apostolus ait : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram* (*Jac.* I).

[b] Vulgata versio : *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito : ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* In Bibliis regiis desunt illa verba : *Quæ viderunt oculi tui.*

[c] Et hoc ad imitationem D. Hieronymi, qui ad illum locum Ecclesiastæ ita scribit : *Non quod concedat tardius irascendum, ideirco nunc dicit : Ne festines in spiritu tuo irasci : sed quod cum furens et recens fuerit ira dilata, facilius sedatam possit auferre. Et quia ira semper juncta superbiæ desiderat ultionem,* etc. Ubi manifeste loquitur D. Hieronymus de ira mala et culpabili, quam dicit Sapiens requiescere in sinu stulti, hoc est, de appetitu propriæ vindictæ, aut ira immoderata et furiosa, vel de rixa et iracundia, ut hic habetur : cujusmodi iras constat semper esse vitiosas, nec earum tarditatem approbari, cum festinatio culpatur.

[d] Vulgata lectio : *Fatuus statim indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam, callidus est.*

[e] Vulgata : *Qui patiens est, multa gubernatur sapientia ; qui autem impatiens, exaltat insipientiam suam.*

[f] Dionysii paraphrasis : *Qui inierunt amicitiæ fœdus cum juramento :* Quod sequentibus satis congruit, ubi dicitur : *Eos prævaricatores sui faciat sacramenti,* id est, juramenti, vel, ut idem Dionysius exponit, *initi pacti.* Apparet ex hoc loco quosdam monachos id temporis solere inter se privatas quasdam et particulares inire societates et amicitias, adhibito etiam juramento, quo mutuam fidem arctioremque consuetudinem ac necessitudinem paciscebantur. Unde conjuratores et conspiratores dicebantur. Cujusmodi amicitiarum genus, ut religioni perniciosum et multis periculis obnoxium, vehementer etiam damnat ac detestatur D. Basilius, nec uno in loco (*Serm.* 1 *et* 2 *de Instit. monach.*) : *In communi,* inquit, *contubernio* (scilicet monachorum) *nentiquam patitur charitatis lex coiri seorsum aut amicitias aut sodalitates. Siquidem nullo modo fieri potest quin affectiones istæ quæ in hac magis quam in illam propendent partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quamobrem æqualiter se diligere inter se omnes debent, idemque adversus universum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quod si quis inventus fuerit qui majore quadam animi propensione monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis, quavis de causa videatur diligere, hunc castigare oportet, ut injurium publicæ charitati. Siquidem in eo, quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat reliquos se in amore inferiores habere.* Item alio in loco (*Orat.* 1 *de Amore Dei et proximi*) : *Qui in conventu unum præ aliis charum habet, is seipsum reum facit, cum perfecta charitate non sit præditus. Quapropter ab omni societate et congressu procul arceatur singularis ista affectio, perinde ac pugna quædam indecens. Nam ut hæc manifestas producit inimicitias, sic illa invidias et simultates generat.* Rursus in Constitut. monasticis (*Cap.* 30) : *Charitatem quidem mutuam habere inter se fratres debent ; non ita tamen ut duo tresve seorsum a cæteris sodalitatem inter se coeant ; quandoquidem hoc non charitas est, sed seditio et divisio, et eorum qui sic coeunt improbitatis indicium. Si enim communis disciplinæ decus verum haberent qui tales sunt, procul dubio communem æqualemque erga omnes charitatem tenerent. Si vero ipsis cæteris sua sponte disjuncti cœtum efficient, vitiosa hujusmodi amicitiæ conciliatio est, et diversam quamdam a communibus institutis rem*

fœdus conjurationis inïere principio, indiruptam potuisse servare concordiam, sive quod eam non pro desiderio perfectionis, nec pro apostolicæ charitatis imperio, sed pro amore terreno, et per necessitatem ac vinculum pacti retinere conati sunt; sive quod ille callidissimus inimicus, ut eos prævaricatores sui faciat sacramenti, celerius ad irrumpenda amicitiarum vincula præcipitat. [a] Certissima ergo est pru- A dentissimorum virorum illa sententia, veram concordiam et individuam societatem, nisi inter emendatos mores, ejusdemque virtutis ac propositi viros stare non posse. Hæc de amicitia beatus Joseph spiritali narratione disseruit, nosque ad custodiendam sodalitatis perpetuam charitatem ardentius incitavit.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

esse oportet, quæ hos inter ipsos conciliet : atque hoc profecto nihil est aliud quam contra veterem disciplinæ stabilitatem innovatio. Hactenus D. Basilius in hujusmodi dijudicandis affectibus acutissimus et solertissimus. Porro Cassianus inter alia veterum monachorum instituta refert hujusmodi amicitias et familiares congressus et privata colloquia apud ipsos B districte fuisse prohibita et severissime punita : *Unusquisque*, inquit, *sic opus suum exsequitur, ut psalmum vel Scripturam quamlibet memoriter recensendo, non solum conspirationi noxiæ vel consiliis pravis, sed nec otiosis quidem colloquiis ullam copiam vel tempus impartiat ; oris pariter et cordis officio in meditatione spiritali pariter occupato. Summa namque observantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipue juniores* [*Al.* juniore], *vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut uspiam secessisse, manus suas invicem tenuisse deprehendatur. Si qui vero contra hujus regulæ disciplinam reperti fuerint aliquid admisisse, ut contumaces ac prævaricatores mandatorum, non levis culpæ rei pronuntiati, suspicione etiam conjurationis pravique consilii carere non poterunt. Quam culpam, nisi in unum cunctis fratribus congregatis, publica diluerint pœnitentia, orationi fratrum nullus eorum interesse permittitur.* Hæc Cassianus (*Lib.* 11 *Instit. cap.* 15). Joannes item Climacus gradu 26 de discretione agens : *Vidi*, inquit, *juvenes se invicem castissimo amore ac secundum Deum diligentes, qui tamen dum aliorum conscientiam inde lædi conspicerent, convenit inter eos ut se ab invicem ad tempus elongarent.* His exemplis et rationibus adductus D. Benedictus (*Cap.* 69 *Regulæ*), ad excludendos hujusmodi singulares et inordinatos affectus, eadem cautione et discretione usus, summopere præcavendum admonet, *ne quavis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in monasterio aut quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate jungantur : nec quolibet modo id a monachis præsumatur, quia exinde gravissima orta scandalorum oriri potest. Quod si quis hoc transgressus fuerit, acrius coerceatur.* In easdem pravas societates et privata studia monachorum graviter invehitur D. Bernardus serm. 24 super Cantica, ubi susurronum hujusmodi inter se conspirantium et murmurantium mores et conventicula ita graphice depingit et exagitat : *Videas illos ambulare seorsim, convenire sibi, et sedere pariter ; moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrum. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes et Pilatus, de quibus narrat Evangelium* (*Luc.* XXIII), *quia facti sunt amici illa die, id est, in die Dominicæ passionis. Conventicutibus sic in unum non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare et bibere calicem dæmoniorum, dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt.* His omnibus subscribit B. Laurentius Justitianus patriarcha Venetus, in libro de Disciplina et Perfectione monasticæ conversationis, ubi (*Cap.* 10) hæc inter alia : *Interdicenda est privata conversatio in collegiis servorum Christi, quæ quamquam in nullo alio reprehensibilis sit, sine proximorum tamen scandalo fieri nequit.* Et infra : *Nam solent in conversationibus familiaribus nimiumque assiduis, nisi caute agantur, intermisceri vaniloquia, scurrilitates, detractiones et effrenati risus, per quæ mens distrahitur, compunctio dissolvitur, gratia subtrahitur, proximus male ædificatur.* Hæc SS. Patres. Porro in hoc genere pravæ societatis et amicitiæ, proculdubio gravissime peccant monachi qui adversus abbates aut superiores suos inito consilio conspirant et conjurant, ut illi quos contra sanctissimum Patrem Benedictum conspirasse et venenum illi propinasse scribit B. Gregorius in Dialogis (*Lib.* II *cap.* 3). Unde in Chalcedonensi adversus hujusmodi conspiratores et conjuratores ita statutum legitur apud Gratianum (*Q.* 11 *c.* 1) : *Conjurationum et conspirationum crimen (quod apud Græcos dicitur φρατρία) publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi. Hoc multo magis in sancta Dei Ecclesia, ne fiat, convenit abdicari. Si qui vero clerici vel monachi inventi fuerint conjurantes aut conspirantes, aut phratrias vel factiones componentes aliquas suis episcopis aut clericis aliis, omnino cadant de proprio gradu.* C Ubi notandum quod etsi nomen phratriæ vel fratriæ generatim omne sodalitium, consortium, conventiculum, sectam aut tribum significet (unde Atheniensis populus dicitur fuisse divisus in duodecim tribus, et singulæ tribus in tres φρατρίας), hoc tamen loco accipitur pro factione aut seditione inter fratres seu monachos excitata, quemadmodum et apud S. Ephrem parænesi 39, ubi in persona hujusmodi *factiosorum* ait : *In fratria conjuncti simus*, etc. Et infra : *Ad pugnas autem et fratrias sive factiones ac contradictiones potentes simus.* Cæterum quod superius ex D. Basilio dictum est, fratres æqualiter se inter se diligere et æqualiter inter se vicissim omnes complecti debere, proinde reum et injurium esse publicæ charitati, qui unum aliquem præ aliis diligit ; hæc, inquam, et his similia, ne cui forte scrupulum moveant, intelligenda sunt, quoad exteruam conversationem et familiaritatem, sive de exterioribus et communibus amicitiæ et charitatis signis et officiis, quæ omni- D bus fratribus æqualiter, id est, indifferenter et promiscue, exhibenda sunt. Nam quoad interiorem dilectionis affectum et peculiaria quædam charitatis officia, v. g. peculiares orationes, sacrificia, etc., nihil prohibet, immo rationi consentaneum est alios præ aliis plus diligi et præferri, vel quia meliores, vel quia nobis propinquiores, officiosiores, notiores, magis benefici, etc., dummodo recta sit *intentio*, modus debitus servetur, et vitetur scandalum aliorum. Vide S. Thomam 2-2 q. 26 art. 6 et sequentibus.

[a] De hac sententia superius actum est (*Cap.* 33 *et* 24).

COLLATIO DECIMA SEPTIMA,

Quæ est secunda abbatis Joseph.

DE DEFINIENDO.

CAPUT PRIMUM.

Præcedente igitur collatione finita, pariterque [a] nocturno intercedente silentio, cum fuissemus a sancto abbate Joseph ad sepositam cellulam in secreto causa quietis adducti, et sermonibus ejus igne quodam in nostris cordibus excitato, totam noctem habuissemus insomnem, egressi cellulam, et centum fere ab ea passibus secedentes, in loco remotiore consedimus.

[a] Potest intelligi, vel de naturali noctis silentio, de quo Virgilius IV Æneid.:

> Nox erat, et placidum carpebant fessa soporem
> Corpora per terras; sylvæque et sæva quierant
> Æquora, cum medio volvuntur sidera lapsu:
> Cum tacet omnis ager; pecudes pictæque volucres,
> Quæque lacus late liquidos, quæque aspera dumis
> Rura tenent, somno positæ, sub nocte silenti
> Lenibant curas et corda oblita laborum.

Et Ovidius X Metamorph., *Tempus erat quo cuncta silent*. Vel (quod vero similius puto) de religioso et regulari silentio, quod etiam apud veteres monachos nocturno tempore stricte servabatur. De quo Cassianus lib. II Instit. cap. 15 de silentio post nocturnum officium agens: *Finitis*, inquit, *psalmis, et quotidiana congregatione absoluta, nullus eorum vel ad modicum subsistere, vel sermocinari cum altero audet*, etc. Ad quorum imitationem D. Benedictus silentium nocturnum suis cœnobitis præcipue commendat ac præscribit, cap. 42 Regulæ, cui titulus *Ut post Completorium nemo loquatur: Omni tempore*, inquiens, *silentio studere debent monachi, maxime tamen nocturnis horis*; et post pauca subdit: *Omnes ergo in unum congregati compleant* (scilicet lectionem Collationum, ait Turrecrematus, et inde omnes ad Completorium unanimiter intrent), *et exeuntes a Completoriis, nulla sit licentia denuo loqui aliquid. Quod si inventus fuerit quisquam hanc prævaricari tacitur nitatis regulam, graviori vindictæ subjaceat, excepto, si necessitas hospitum supervenerit, aut forte abbas alicui aliquid jusserit. Quod tamen et ipsum cum summa gravitate et moderatione honestissime fiat.* Ubi notanda veniunt documenta Smaragdi et Turrecremati in eum locum: *Ideo*, ait Smaragdus, *post Completorium tacere debemus, ut merito in Matutinis dicamus: Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam; hoc est, petamus Dominum in nocturnis horis aperire labia nostra, quæ sua custodia in Completoriis clauserat. Hinc et alibi scriptum legimus: Ab hora Completorii cum oratio ad somnum capiendum datur, nullus omnino loqui præsumat, nisi grandis monasterii necessitas poposcerit.* Turrecrematus vero: *Considerandum*, inquit, *quod temporibus nocturnis tria sunt attendenda, in quibus fractio silentii licita potest esse, videlicet damnum imminens, necessitas urgens, interrogatio superioris interveniens. Damnum imminens, sicut si videres incensum ignem, licite potes clamare, et aquam petere, et alia convenientia. Necessitas urgens, tam spiritualis quam corporalis. Corporalis, ut si videres fratrem subito laborantem infirmitate aliqua periculosa, loqui poteris et ei subvenire. Quæ enim constituta sunt pro charitate, non debent contra charitatem militare. Spiritualis, si in tali casu frater infirmus vellet confiteri, tu poteris*

CAPUT II.

Germani abbatis pium proficiendi desiderium exponit.

Cum itaque secreti colloquii in nobis familiariter etiam nocturnis tenebris opportunitas præberetur, ut resedimus, abbas Germanus graviter ingemiscens: Quid agimus? inquit. [b] Ingenti namque discrimine nos videmus et perquam miserabili conditione constrictos, quos et ratio ipsa conversatioque sanctorum quid salubrius sit ad profectum vitæ spiritalis efficaeum audire, et loqui ea quæ sunt opportuna cum illo. *Interrogatio superioris, cum de aliquo ab illo, ut ei respondeas, interrogaris. Hoc tamen, ut dictum est, cum summa gravitate faciendum est, tam ex parte prælati interrogantis, quam subjecti respondentis.* Hæc illi. Quibus accedit S. Amalarius (*Lib.* IV *de Offic. Eccl. cap.* 6), qui de Completorio verba faciens: *Apud monachos*, inquit, *tenetur hoc ex Regula S. Benedicti, ut ab eo officio claustra oris muniant, et ea aliena faciant a colloquio, usque dum iterum ad opera redeant.* Ubi spectare videtur Amalarius antiquum morem monachorum Ægyptiorum, qui, teste D. Basilio in epist. de vita solitaria, solebant sole illucescente manuum operibus sese accingere, peracto scilicet officio matutino. Quod et Cassianus in libris Institutionum passim confirmat (*Lib.* II *et* III *Inst.*).

[b] Ita illi se ingenti discrimine et miserabili conditione constrictos existimabant, quod ancipiti cura distracti et duplici scrupulo anxii, quid agerent, quo se verterent, ignorarent. Siquidem una ex parte urgebat eos vehemens perfectionis et spiritualis profectus desiderium, ut apud illos SS. anachoretas diutius morarentur; quo eorum instituta salutaresque doctrinas altius imbiberent, et eorum consortio et consuetudine piaque æmulatione et imitatione magis ac magis in dies proficerent. Ex altera vero magno torquebantur scrupulo, quod in cœnobio Bethleemitico constituti, ubi vitam et obedientiam monasticam professi fuerant, quo licentiam peregrinandi et loca SS. Patrum invisendi facilius a suis superioribus impetrarent, post triennii tempus reversuros se spopondissent, eaque conditione non satis prudenter intellecta et suscepta dimissi essent. Unde non modico temporis spatio in hac peregrinatione hactenus transacto, videbantur illic non posse diutius tuta conscientia et salva obedientia commorari: proinde ad suos redeundum esse non sine magno sui profectus et spiritualis vitæ detrimento. In hac igitur anxietate constituti, quid consilii caperent, quam in partem se flecterent, ignorabant. Qua occasione accepta abbas Joseph hujus collationis disputationem ad eorum animos tranquillandos et informandos instituit, quam Cassianus *De definiendo* inscripsit, quod illud potissimum quæsitum et tractatum fuerit, num liceat aut expediat monacho aliquid de suis actionibus in futurum definire, decernere, statuere, promittere, spondere, et hujusmodi definitionem sponsionemve semel factam necesse sit adimplere? Hic status quæstionis circa quem totius disputationis cardo versatur. Ex qua thesi generali devenitur deinde ad hypothesim de facto particulari Germani et Cassiani, de quo proprie et peculiariter agebatur (*Vide cap.* 27 *seq. infra*).

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

citer docet, et eligere id quod expedit, data seniori- A bus sponsio non admittit. Etenim potuimus exemplis talium ac tantorum virorum ad perfectiorem vitam propositumque formari, nisi nos instanter ad cœnobium recurrere promissi pactio coarctaret. Quod si reversi fuerimus, copia nobis ulterius huc remeandi nulla tribuetur. Sin vero hic residentes desiderium nostrum maluerimus explere, quid agimus de sponsionis fide, quam senioribus nostris velocissimum reditum pollicentes, dedisse nos novimus, ut vel cursim liceret nobis hujus provinciæ sanctos ac monasteria circumire? Cumque sic æstuantes, quid super statu salutis nostræ definiendum esset, nequaquam invenire possemus, solo gemitu testabamur durissimæ conditionis necessitatem, accusantes [a] teneritudinem frontis nostræ, et ingenitam nobis B verecundiam detestantes, [b] cujus onere prægravati, etiam contra utilitatem ac propositum nostrum, retinentium precibus alias non potuissemus obsistere, nisi maturissimo reditu repromisso huc venissemus, illius scilicet nos pudoris vitio laborasse deflentes, de quo dicitur, *Est* [c] *pudor afferens peccatum* (*Eccles.* IV).

CAPUT III.

Cassiani consilium, et responsio ad interrogationem abbatis Germani.

Tum ego : Compendium, inquam, angoribus afferat nostris consilium, immo auctoritas senis, ad quem oportet ut nostras sollicitudines deferamus, et quidquid fuerit ejus sententia definitum, velut divinum et cœleste responsum, cunctis [d] æstibus nostris terminum ponat. Quod quidem nobis per os C sancti hujus a Domino tribuendum, et ob illius meritum et ob nostram fidem minime dubitemus. Ipsius enim munere salubre consilium et creduli ab indignis, et increduli a sanctis frequenter acceperunt, Domino id vel propter meritum respondentium, vel propter fidem consulentium largiente. His itaque sermonibus a sancto abbate Germano ea alacritate susceptis, ac si eos non a memetipso, sed instinctu Domini protulissem, adventum senis atque [e] instantem jam horam nocturnæ synaxeos paululum præstolati, postquam eum solita salutatione suscepimus, et legitimus orationum atque psalmorum impletus est numerus, iisdem rursus quibus ad quietem compositi fueramus [f] psiathiis ex more consedimus.

CAPUT IV.

Interrogatio abbatis Joseph, nostraque responsio, unde anxietas emersisset.

Tum venerabilis Joseph dejectiores nos animo contemplatus, atque hoc nobis non sine causa conjiciens accidisse, illo nos patriarchæ Joseph sermone compellat : [g] Quid utique vultus vestri tristes sunt B hodie? Cui nos : Non sicut vinculati illi Pharaonis ministri, somnium vidimus, et qui interpretetur non est, sed insomnem, inquam, duximus noctem ; et qui æstuum nostrorum moles sublevet, non est, nisi eas Dominus tua discretione submoverit. Tum ille, qui patriarchæ virtutem, et merito referret, et nomine, Nonne per Dominum, inquit, est humanarum cogitationum curatio? proferantur in medium, potens est enim divina clementia secundum fidem vestram nostro eis medelam præstare consilio.

CAPUT V.

Expositio abbatis Germani, cur vel in Ægypto residere mallemus, vel retraheremur ad Syriam.

Ad hæc Germanus : Credebamus, inquit, nos vestræ beatitudinis visione, non solum lætitia spirituali, C sed etiam profectu abunde repletos, ad nostrum cœnobium recursuros ; et ea quæ fuissemus vestro magisterio consecuti, a nobis post reditum vel tenui æmulatione sectanda. Hoc enim et seniorum nostrorum dilectio sibi spondere nos compulit, dum sublimitatem vitæ vestræ atque doctrinæ posse *nos aliquatenus* imitari in illo cœnobio crederemus. Unde

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Teneritudo frontis, ut notat Ciaconius, Cassiano dicitur pudor quidam subrusticus, quo impediti plerumque homines, id quod sibi utile sperant futurum, non exsequuntur. Seneca lib. I epist. II : *Scio esse ruborem, qui gravissimis quoque viris subitus offunditur. Magis quidem in juvenibus apparet, quibus et plus caloris est, et tenera frons : nihilominus veteranos et senes tangit, et nihil erat mollius ore Pompeii.* Contra vero frons dura pro impudentia ponitur. S. Hieronymus adversus Pelagianos : *Ut duræ frontis impudentia conteratur.* Ferream frontem pro eodem scripsit D Plinius in Panegyrico : *Exsanguem illam et ferream frontem ne quidquam convulnerandam punctis præbeant;* ut in Eunucho Terentius os durum pro impudente dixit. Et Seneca lib. II : *Quod in sapientem non cadit injuria* cap. 17 : *Si ille hoc potuit duritia oris, qui assiduis conviciis pudere dedidicerat* : Infirmitas frontis ab eodem dicitur lib. II de Beneficiis : *Multi,* inquit, *sunt, quos liberales facit infirmitas frontis.*

[b] Cujus, scilicet verecundiæ onere, id est, impedimento. Quod melius currit quam, ut alii legunt : *Cujus rei onori,* etc. Conqueritur enim Germanus quod præ nimio pudore et verecundia non ausi fuissent longiorem absentiæ moram et facultatem a suis postulare ; vel, ut Dionysius familiarius exponit, *quod non potuissent aliter resistere precibus conventuum retinentium eos contra profectum atque propositum suum, nisi maturissimo reditu eis promisso.*

[c] Ecclesiastici IV legitur : *Est confusio adducens peccatum : et est confusio adducens gloriam et gratiam.*

[d] Æstus proprie est nimius calor et fervor vel motus et agitatio fluctuum. Hinc ducta metaphora sumitur pro variis animi ægritudinibus, curis, anxietatibus, perturbationibus. Sic D. Augustinus X Confession. (*Cap.* 31) : *Iis tentationibus quotidie conor resistere, et invoco dexteram tuam ad salutem meam, et ad te refero æstus meos.*

[e] Colligo hinc certam statamque illis fuisse horam nocturni conventus et officii. Non enim eam præstolarentur instantem, si non stata certaque fuisset. De qua Cassianus lib. II Institut. cap. 17 et D. Benedictus cap. 8 et 47.

[f] De psiathiis lib. IV Institutionum cap. 13 et alibi sæpius. Dicitur autem psiathus, et psiathius, et psiathium, et frequenter ac promiscue legitur in Vitis Patrum et veterum monachorum.

[g] In vulgata editione hic sermo habetur patriarchæ Joseph ad pincernam et pistorem Pharaonis secum in carcere detentos, et suis somniis turbatos : *Cur tristior est hodie solito facies vestra?*

cum ex hoc nobis omnem æstimaremus lætitiam conferendam, intolerabili econtrario dolore conficimur, considerantes illo nos ordine id quod salutare nobis esse cognoscimus obtinere non posse. Ex utroque ergo nunc latere coarctamur. Si enim promissioni quam seniorum charitate nos compellente deprompsimus, et quam coram cunctis fratribus in [a] spelæo in quo Dominus noster ex aula uteri virginalis effulsit, ipso teste deprompsimus, satisfacere voluerimus, summum spiritalis vitæ incurrimus detrimentum. Sin autem sponsionis immemores, et in his regionibus residentes, utilitati perfectionis nostræ illam voluerimus postponere pactionem, abrupta mendacii non impletæ promissionis pericula formidamus. Sed ne hoc quidem æstus nostros possumus relevare consilio, ut postquam velocissimo reditu sponsionis fuerit impleta conditio, hæc denuo loca celeri repetamus recursu. Nam [b] quamvis ad profectum spiritalium rerum virtutemque tendentibus periculosa ac noxia sit etiam prava dilatio, tamen pollicitationem fidei nostræ quamvis [c] moroso solveremus reditu, nisi nos non solum charitate, verum etiam auctoritate seniorum nostrorum sciremus inexsolubiliter colligandos, ita ut remeandi ad hæc loca nobis potestas deinceps nullo modo tribuatur.

CAPUT VI.

Interrogatio abbatis Joseph, an in Ægypto major profectus nobis, quam in Syria conferretur?

Ad hæc beatus Joseph, interposito aliquantisper silentio, Certi, inquit, estis majorem spiritalium rerum profectum in regione hac vobis posse conferri?

CAPUT VII.

Responsio de differentia institutionum utriusque provinciæ.

Germanus : Quamvis etiam illorum doctrinæ summas grates rependere debeamus, qui nos docuerunt [d] a parvulis magna conari, et dato boni sui gustu, egregiam perfectionis sitim nostris visceribus indiderunt ; si quid tamen judicio nostro creditur, nullam ducimus comparationem inter hæc atque illa quæ illic percepimus instituta, ut sileamus conversationis A vestræ inimitabilem puritatem, quam vobis non solum mentis ac propositi districtione, sed etiam locorum credimus beneficio patrocinante conferri. Unde non dubitamus ad imitandam perfectionis vestræ magnificentiam, hanc quæ cursim traditur doctrinam non posse sufficere, nisi nobis etiam commorationis ipsius affuerint adjumenta, longique temporis eruditio quotidiana institutione torporem nostri cordis utcumque discusserit.

CAPUT VIII.

Quod perfecti viri nihil absolute debeant definire; vel utrum sine peccato possint definita rescindere.

Joseph : Sanum quidem est atque perfectum, nostræque professioni omnino conveniens, ut ea quæ sub aliqua sponsione decernimus, efficaciter impleamus. Ob quam rem nihil oportet abrupte monachum definire; ne aut id quod incaute promisit, implere cogatur. aut consideratione honestioris intuitus revocatus, sponsionis suæ prævaricator existat. Sed quia nunc propositum nobis est, non tam de sanitatis statu quam de infirmitatis curatione tractare ; non quid priore loco a vobis fuerit actitandum, sed quemadmodum de scopulo hujus perniciosi naufragii possitis evadere, salubri est consilio requirendum. Quando igitur nullum nos coarctat vinculum, nec ulla conditio constringit, de comparatione secundarum rerum optione proposita, id quod majoris est commodi præeligatur : quando vero aliqua dispendiorum obsistit adversitas, in comparatione damnorum [e] illud est appetendum quod levioribus subjacet detrimentis. Proinde quantum vestra patefecit assertio, cum ad id vos loci sponsio inconsulta perduxerit, ut ex utroque vobis gravis incommodi subeunda jactura sit, in eam partem inclinandum est electionis arbitrium, quæ vel tolerabiliora dispendia inferat, vel satisfactionis remedio facilius expietur. Si ergo majora spiritui vestro lucra ex hac commoratione creditis conferenda, quam illa sunt quæ vobis de conversatione illius cœnobii nascebantur, neque sine jactura ingentium commodorum potest conditio vestræ sponsionis impleri, [f] satius est hoc vos men-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De hoc spelæo, id est, spelunca, in qua Dominus noster natus est, alias dictum (*Lib.* IV *c.* 12); cui vicinum erat monasterium illud Bethleemiticum, ubi Cassianus cum Germano monachatum suscepit, ut ipse testatur pluribus in locis.

[b] *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia,* ait D. Ambrosius (*In cap.* I *Lucæ*). Et S. Hieronymus Paulinum ad religionem invitans (*Epist.* 103) : *Festina,* ait, *quæso te, et hærentis in salo naviculæ funem magis præcide quam solve.*

[c] Id est, tardo, sero, diu dilato : cui opponitur maturissimus et velocissimus reditus hic et apud Dionysium.

[d] Hoc est, a pueritia : qua ætate Cassianus cum suo Germano monachus est factus in cœnobio illo Bethleemitico, ut ipsemet testatur. Unde in præfatione sua ad Castorem : *Ea,* inquit, *quæ a pueritia nostra inter eosdem constituti, atque ipsorum incitati quotidianis adhortationibus et exemplis, vel agere tentavimus, vel didicimus,* etc. Et rursus collat. undecimæ ap. I : *Cum in cœnobio Syriæ consistentes, post prima fidei rudimenta, succedentibus aliquatenus incrementis, majorem perfectionis desiderare gratiam cœpissemus,* etc.

[e] Post hæc verba in editione Basileensi et Lugdunensi interseruntur sequentia : *Ut a quodam dictum est : De maximis malis minima deligas.* Quæ quoniam nec in mss. nostris reperimus, nec apud Dionys. paraphrast., iis omissis Plantinianam editionem sequi maluimus.

[f] Id est mendacium committere, vel promissis non stare. Ingreditur hic abbas Joseph in disputationem de mendacio, quod multis exemplis et auctoritatibus Scripturæ probare nititur non modo licitum esse aliquando, verum etiam laudabile ac necessarium, idque duplici ex causa seu fine : 1° ad vitandum magnum aliquod malum aut magnum bonum procurandum ; 2° cum humilitatis gratia mentiendum est, ut quis virtutes suas ad vitandam inanem gloriam mendacio occultet. Priorem hujus assertionis partem astruit a capite 12 usque ad 21, posteriorem a 21 cap. usque ad 25. Quæ quidem opinio non hujus

dacii vel non impletæ promissionis subire dispendium, quod semel præteritum, nec ipsum ultra jam repeti, nec alia per semet poterit generare peccata, quam in illud incidere, per quod tepidioris vitæ, ut

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

tantum abbatis fuit, sed multorum antiquorum scriptorum, ut videre est in censura dom. Cuychii (*Vide sub finem voluminis*), qui hoc argumentum accurate tractavit, omniaque hujus opinionis argumenta in hac collatione allegata diligenter excussit et refutavit, ac veram et sanam doctrinam solide confirmavit. Itaque supervacaneum arbitror in eadem quæstione pertractanda diutius immorari, ne vel actum agere videar, vel aliena scripta mihi vindicare. Duo tantum aut tria puncta ad majorem lucem explicationemque videntur hic annotanda. Primo, mendacium proprie esse locutionem contra mentem loquentis; et mentiri contra mentem ire, vel loqui; vel, ut Magister Sententiarum ait (*Lib.* III *dist.* 35), *cum quis significando enuntiat contra id quod animo sentit, ut aliud sit clausum in pectore, aliud lingua promptum. Quod malum*, ait D. Augustinus (*Enchirid. cap.* 18 *et* 22), *proprium est mentientis : nam omnis qui mentitur contra id quod animo sentit loquitur.* Nomine autem locutionis intelliguntur omnia quæ significandi gratia adhibentur, ut non tantum verba, sed etiam gestus et quæcumque signa quibus aliquid significamus comprehendantur. Non enim verborum dumtaxat, sed etiam factorum mendacia sunt; cujusmodi sunt quæ in hypocrisi et simulatione consistunt. Non requiritur etiam ut falsum sit quod dicitur, quia potest quis etiam vera dicendo mentiri, si illa ipsa quæ vere eloquitur non ita se habere putet ut loquitur. Non enim mendacium ex eo dicitur quia non est rei consonum de qua sermo sit, sed quia menti seu cogitationi interiori minime respondet. Falsitas autem et veritas ex conformitate vel difformitate ad rem æstimatur : unde Augustinus lib. de Mendacio (*Cap.* 3) : *Ille*, inquit, *mentitur, qui aliud habet in animo et aliud verbis vel quibuslibet significationibus enuntiat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est, cogitatio : una rei ejus quam veram esse scit, vel putat et non profert; altera ejus rei quam pro ista profert, sciens falsam esse vel putans. Ex quo fit ut possit falsum dicere non mentiens, si putat ita esse ut dicit, quamvis non ita sit; et ut possit verum dicere mentiens, si putat falsum esse et pro vero enuntiat, quamvis revera ita sit ut enuntiat.* Ita Augustinus. Ex his etiam sequitur, ut qui verum loquitur quod falsum putat fallatur et erret; qui autem mentitur, quantum in ipso est, fallat, etiamsi expressam non habeat fallendi intentionem. Quare non est necesse in definitione mendacii, fallendi intentionem ponere, cum satis sit non loqui vel significare contra mentem, in eoque essentialis mendacii ratio sita sit. Posuit tamen D. Augustinus libro contra mendacium (*Cap.* 10), dicens : *Mendacium esse falsum cum voluntate fallendi significationem*; sed hoc ideo fecit, quia in eo ipso voluntatem fallendi voluit intelligi, quo quis aliud significat quam corde gerat. Si enim qui sic loquitur, quantum in ipso est, fallit, ergo voluntas sic loquendi est voluntas fallendi; vel certe ut D. Thomas exponit (2-2. *q.* 110 *art.* 1), *quod cupiditas seu voluntas fallendi pertinet non quidem ad substantiam, sed ad quamdam perfectionem ipsius mendacii, sicut effectus pertinet ad perfectionem suæ causæ.* Secundo notandum : Licet nonnulli antiqui scriptores ecclesiastici Platonis sententiam secuti tradiderint aliquando licere mentiri, vera tamen et sana doctrina est omne mendacium esse peccatum per se vitiosum et divina lege prohibitum : proinde semper illicitum, nullo prætextu, nullaque intentione aut fine, nulla dispensatione fieri posse licitum et inculpabile. Cujus doctrinæ tria sunt primaria et generalia fundamenta : 1° Auctoritas sacræ Scripturæ, quæ generatim, et absolute, et sæpissime damnat et prohibet omne mendacium. Loca sunt apertissima in Proverbiis : *Verbum mendax justus detestabitur* (*Prov.* XIII, XVII, XXX). Et, *Qui nititur mendaciis, pascit ventos* (*Prov.* X). Et, *Non decet principem verbum mentiens* (*Prov.* XVII). *Vanitatem, et verba mendacia longe fac a me* (*Prov.* XXX). Et in Exodo : *Mendacium fugies* (*Exod.* XXIII). In Levitico : *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum* (*Levit.* XIX). Apud Ecclesiasticum : *Noli velle mentiri omne mendacium* (*Eccles.* XIV). Et, *Ante omnia verbum verum præcedat te* (*Eccles.* XXXVII). Apud Apostolum : *Deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem membra* (*Ephes.* IV). Et, *Nolite mentiri invicem* (*Coloss.* III). 2° Auctoritas SS. Patrum, præsertim vero div. Augustini, qui cum aliis locis, tum præcipue duobus libris, altero de mendacio, altero contra Mendacium conscriptis, sententiam illam de mentiendi licentia ut erroneam et falsam graviter impugnavit; cui cæteri deinde Patres, tum theologi scholastici, cum Magistro subscripserunt. Hinc Gregorius XVIII Moralium (*Cap.* 2) : *Summopere*, ait, *cavendum est omne mendacium, quamvis nonnumquam sit aliquod mendacii genus levioris culpæ, ut si quis vitam aliis præstando mentiatur. Sed quia scriptum est, Sap.* I : *Os quod mentitur, occidit animam; et Psal.* V : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium : hoc quoque mendacii genus perfecti viri magnopere fugiunt; ut ne vitæ quidem cujuslibet per eorum fallaciam defendatur; ne suæ animæ noceant, dum præstare vitam carni nituntur alienæ. Quamquam hoc ipsum peccati genus facillime credimus relaxari, quod mater boni operis pietas ipsa comitatur.* Hæc div. Gregorius. 3° His accedit evidens ratio ex ipsa rei natura petita, quam D. Augustinus expressit his verbis (*Enchirid. cap.* 22) : *Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo non solum quando scit ipse quod verum sit, sed etiam si quando errat aut fallitur sicut homo, hoc debet loqui quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur et non sit. Omnis autem qui mentitur, ea contra id quod animo sentit loquitur voluntate fallendi. Et utique verba propterea sunt instituta, non perquæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius notitiam cogitationes suas proferant. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo. Possumus enim et furando alicui prodesse, si pauper cui datur palam sentit commodum : nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.* Tertio notandum, Patres, qui de mendacio aliter scripserunt, duplici ratione posse excusari : 1° quod illo tempore scripserint quo necdum aliquid hac de re definitum erat ab Ecclesia, in eoque non Ecclesiæ sensum, sed Platonis philosophiam secuti sint, qui libro II de Republ. docet mendacio utendum esse, tamquam medicina quadam aut condimento; 2° quod nomen mendacii et simulationis latius usurpent, et mendacium vocent etiam orationem amphibologicam, seu alio sensu dictam aut tacita mentis cogitatione, aut conditione limitatam; ita ut alter aliud intelligat et decipiatur : et nomine simulationis etiam dissimulationem intelligant. Est enim magna affinitas, et parva differentia inter hæc vocabula et eorum significata, videlicet, falsitatem, mendacium, simulationem, hypocrisim, dissimulationem, amphibologiam, sponsionis aut promissionis suæ violationem aut retractationem, quæ subinde confunduntur. Falsitas, ut dictum est, est ipsa difformitas et discrepantia verborum a re ipsa. Falsa enim dicitur oratio cum aliter enuntiat quam res se habet. Mendacium est falsa significatio verborum, i. e. discrepans non semper a re ipsa, sed a mente loquentis. Simulatio, ait S. Thomas (2-2, *q.* 111, *art.* 1), est mendacium quoddam in exte-

dicitis, status quotidiano vos atque interminabili afficiat detrimento. Veniabiliter enim, immo verum etiam [a] laudabiliter definitio incauta mutabitur, si ad salubriorem transeat partem, nec constantiæ prævaricatio esse credenda est, quoties sponsio vitiosa corrigitur, seu temeritatis emendatio. Quæ omnia Scripturarum quoque possunt testimoniis apertissime comprobari, quam multis perniciosum fuerit, definitionibus propriis inhæsisse, et ab eis econtrario destitisse, commodum fuerit ac salubre.

CAPUT IX.

Quod plerumque (id est aliquando) *utilius sit statuta dissolvere, quam implere.*

Quod liquidissime sancti apostoli Petri et Judæ traditoris exempla testantur. Ille enim quia [b] discessit ab inconsultæ definitionis sententia qua dixerat, *Non mihi lavabis pedes in æternum* (*Joan.* XIII), immortale Christi omniumque sanctorum consortium

A

B

riorum signis factorum. Nam sicuti mendacium in verbis, ita simulatio in factis consistit. Hypocrisis species est simulationis. Nam omnis hypocrisis simulatio est : non omnis autem simulatio hypocrisis, sed sola illa qua quis simulat sanctitatem quam non habet. Dissimulatio nihil aliud est quam occultatio veritatis, quæ per se indifferens est nullumque vitium sonat, et multum differt a simulatione et mendacio : *Sicut enim aliquis verbo mentitur, quando significat quod non est, non autem quando tacet quod est* (*quod aliquando licet*), *ita etiam re ipsa mentitur et simulat qui per exteriora signa factorum vel rerum significat aliquid quod non est, non autem si aliquid prætermittat significare quod est : unde aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione.* Ita S. Thomas. Eodem pertinet ambigua seu amphibologica locutio, cum quis non tenetur ad alterius mentem et sensum loqui aut respondere. Non enim mentitur qui utitur amphibologia vel tacita restrictione, quia non intendit dicere falsum aut loqui contra mentem, sed vel mentem suam aliter exponere quam alter intelligat, vel non totam exprimere, sed solum ex parte. Porro sponsionis, seu pactionis correctio aut revocatio non est mendacium, nec opponitur veritati, sed potius fidei seu fidelitati, ut notum est (*Vide S. Thomam* 2-2, *q.* 110, *art.* 2, *ad* 5). Non enim mentitur proprie, qui pactum aut promissum violat, quia non loquitur contra mentem suam : secus si promittat non habens voluntatem promittendi aut exsequendi. Proinde mendacii vocabulo abutitur abbas Joseph hoc loco, dum mutationem consilii aut sponsionis factæ mendacium appellat, ut docte explicat D. Cuychius, cujus censuram in hunc locum simul cum annotatione Ciaconii lector videre non omittat.

[a] Multa in hanc sententiam apud Gratianum exstant capitula, ut illud Augustini : *Magnæ sapientiæ est revocare hominem, quod male locutus est ;* et Isidori : *In malis promissis rescinde fidem ; in turpi voto muta decretum. Impia est enim promissio quæ scelere adimpletur. Illud non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur.* His consentanea docet abbas Joseph infra cap. 14.

[b] Apposite ad hunc locum refert Sophronius in Prato spirituali (*Cap.* 216) hoc exemplum : *Cum essem in sancta civitate, venit ad me vir quidam fidelis, et dixit mihi : Quia quædam indignatio oborta est inter me et fratrem meum, et ille non vult reconciliari mihi, alloquere illum, et ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissime suscipiens, conveni fratrem illius, locutusque cum illo sum ea quæ ad charitatem et concordiam pertinere videbantur. Visusque est*

interim obtemperare mihi. Postmodum vero dixit ad me : Reconciliari nequeo, quia juravi per crucem ultra illi non reconciliari. Quo audito subridens aio ad illum : Juramentum tuum talem habet vim ac si dixisses : Per pretiosam crucem tuam, Christe, non observabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam : non solum enim non debemus ea servare quæ a nobis pessime definita fuerint, sed etiam maxime pœnitentiam agere, et affligi in his quæ contra nostram salutem diffinivimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, neque jusjurandum, quod stulte emiserat, servasset, numquam profecto maximum illud scelus admisisset, ut præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilii sententia confirmatur, quam de Evangelio sumpsit, quando voluit Dominus lavare pedes beati apostoli Petri, cum ille primo pertinaciter obsistens, postea sententiam mutavit. Hæc ille. Sententiam autem illam D. Basilii vide in procemio Ethicorum. Eodem spectat sententia Gelasii papæ a Gratiano citata (*Ubi supra c. Beatus*) : *Beatus Paulus apostolus non ideo* (*quod absit*) *fefellisse credendus est, aut sibi exstitisse contrarius, quoniam cum ad Hispanias se promisisset iturum, dispositione divina majoribus occupatus ex causis implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit quod revera voluisset efficere. Quantum autem ad divini secreta consilii* (*quæ, ut homo, omnia non potuit, licet spiritu Dei plenus, agnoscere*), *superna prætermisit dispositione præventus. Nec quia beatus Petrus apostolus pro affectu divinæ reverentiæ ipsi Domino respondit* (*Joan.* XIII) : *Non lavabis mihi pedes in æternum, fefellisse* (*quod absit*) *aut in sua putabitur minime constitisse sententia, quia mox eidem divinæ voluntati cesserit, et quod se dixerat non esse facturum, causis astrictus humanæ salutis, passus est prona voluntate faciendum.*

C

D

[c] Hanc parabolam proposuit Christus, Matthæi XXI : *Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit : Fili, vade hodie, operare in vinea mea. Ille autem respondens, ait : Nolo. Postea autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait : Eo, Domine ; et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? dicunt ei : Primus.*

[d] Id est juramenti. Herodes recreatus saltatione filiæ Herodiadis, cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa edocta a matre sua : *Da mihi*, inquit, *hic in disco caput Joannis Baptistæ* (*Matth.* XXIV). Ex quo temerario juramento longe majora, quam ipsum ju amentum, consecuta sunt incommoda et peccata : 1° enim ex eo secuta est mors innocentissimi et sanctissimi

tissimus Præcursoris Domini exstitit interemptor, vanoque timore perjurii, damnationi semetipsum atque suppliciis perpetuæ mortis immersit (*Matth.* XIV). Primum etenim est optima statuere : quod et si aliter cesserit, sequens est in melius ea quæ sunt statuta mutare, ordinationibusque nostris jam jacentibus, ut ita dixerim, manum dexteramque porrigere. Ubi principia consilii non approbantur, prudentia est, ut utili addita provisione reparentur. Si claudicat ad prima statuta dispositio, adhibeatur ad secunda correctio. In omnibus ergo rebus considerandus est finis, et secundum eum propositi nostri dirigendus est cursus; quem si, superveniente salubriore consilio, ad deteriorem partem vergere viderimus, rectius est, incongrua constitutione submota, ad meliorem transire sententiam, quam statutis pertinaciter inhærendo, peccatis gravioribus obligari.

CAPUT X.

Interrogatio nostra de meta præbitæ in cœnobio Syriæ sponsionis.

Germanus : Quantum spectat ad desiderium nostrum quod a nobis pro spiritalis commodi utilitate susceptum est, optaremus ædificari vestri jugitate consortii. Si enim ad cœnobium nostrum fuerimus A reversi, non solum nos ab hoc tam sublimi proposito relapsuros, sed etiam, pro mediocritate conversationis illius, multis certum est dispendiis quatiendos. Verum illud nos evangelicum mandatum vehementer absterret, [c] *Sit sermo vester, est est, non non : quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* V). Credimus enim tanti transgressionem præcepti nulla posse compensari justitia, nec in extremis recte cedere, quod malo initio semel fuerit inchoatum.

CAPUT XI.

Responsio, quod propositum gerentis, non negotii sit considerandus effectus.

Joseph : In omnibus, ut diximus, causis, [b] non processus operis, sed voluntas operantis est intuenda, nec statim quis quid egerit, sed quo voto egerit B inquirendum, ita ut nonnullos pro his factis de quibus bona postea orta sunt reperiamus fuisse damnatos, et econtrario quosdam per reprehensibiles actus ad summam pervenisse justitiam. Et nec illi utilis rerum exitus profuit, qui pessimo regressus proposito, non illam quæ subsecuta est utilitatem, sed quiddam contrarium voluit operari; nec huic nocuit reprehensibiliter inchoasse, qui non pro contemptu Dei, nec delinquendi proposito, sed neces-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Prophetæ, quo, etiam teste Veritate, inter natos mulierum major nemo surrexerat. 2° Herodes factus est reus atrocissimi homicidii : satius enim erat hic pejerare quam juramentum præstare. *Est contra officium,* inquit B. Ambrosius (*Lib.* I *de Offic.* c. 50), *nonnumquam solvere promissum, sacramentum custodire, ut Herodes, qui juravit quoniam quidquid petitum esset, daret filiæ Herodiadis; et necem præstitit, ne promissum negaret. Sic Jephtæ melius fuerat nihil tale promittere, quam promissum parricidio solvere.* Et Augustinus (*Serm.* 11 *de Sanctis*) : *Herodes ne Deum offenderet pejerando, Deum offendit sæviendo.* Et paulo post subjicit exemplum Davidis regis, qui cum temere jurasset se occisurum Nabal, exorari se ab Abigail uxore ejus passus est, ne juramentum præstaret : *Juravit,* inquit, *temere : sed non implevit jurationem majore pietate : immo gratias ea de re egit dicens : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum; et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, et ulciscerer me manu mea.* 3° Rea quoque homicidii facta est ipsa Herodias mater cum filia, quia per ipsam petiit caput Joannis; immo omnes convivæ, quia *propter eos qui pariter accumbebant,* inquit Matthæus, voluit rex juramentum suum servari et exsecutioni mandari. Voluit ergo, ut notat div. Hieronymus in commentario, *omnes convivas sceleris sui esse consortes.* 4° *Spectaculum exhibitum est,* inquit Ambrosius, *quod etiam omnes barbari horrere consueverunt. Inter epulas atque convivia consummandæ crudelitatis profertur edictum. Et a convivio ad carcerem, de carcere ad convivium feralis flagitii circumfertur obsequium. Quanta in uno facinore sunt crimina!* Et S. Hieronymus in commentario : *Legimus,* ait, *in Romana historia Flaminium ducem Romanum, quod accumbenti juxta se meretriculæ quæ numquam se vidisse diceret hominem decollatum, assensus sit, ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, a censoribus pulsum curia, quod epulas sanguini miscuerit, et mortem quamvis noxii hominis, in alterius delicias præstiterit, ut libido et homicidium pariter miscerentur. Quanto sceleratior Herodes et Herodias, ac puella quæ saltavit, in pretium sanguinis caput postulat prophetæ, ut habeat in potestate linguam quæ illicitas nuptias arguebat?* Hæc D. Hieronymus. Est porro advertendum quod hoc exemplum Herodis prætermisit Dionysius Paraphrastes, quam ob causam nescio, nisi forte (quia de juramento agebatur) ne perjurio vel in speciem favere videretur. At constat illud juramentum ad rem illicitam nullatenus obligasse, et potius perjurii crimen admissum fuisse illud exsequendo quam fuisset omittendo, ut modo dictum est; et longe aliud est mentiri (de quo hic quæritur) et promissum sive juramentum retractare aut violare, ut ex dictis patet.

[a] Sic illi verba Christi apud Matthæum, de promissis præstandis interpretabantur, quasi sensus sit : quod vos promisistis facturos, facite; quod non facturos, ne facite : quomodo etiam loquitur div. Paulus II ad Corinth. I : *Numquid levitate usus sum, aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, est, et non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est, et non.* At proprius et germanus sensus verborum Christi est de non jurando, hoc est, ut ab omni specie juramenti extra necessitatem abstineamus : et simplici sermone, simplici affirmatione aut negatione utamur, prout veritas se habet. Quod si pleniorem et exactionem ejus sententiæ explicationem requiras, vide, præter alios interpretes, decretalem Innocentii tertii de Jurejurando (*Lib.* II *Decretal., tit. de Jurejurando, cap. Etsi Christus*), qua non minus erudite quam perspicue docet quatenus homini Christiano jurare liceat aut non liceat; cujus partem postremam, sive coronidem, ad religiosos spectantem habes inferius citatam (*Ad cap.* 27).

[b] Alibi aliis verbis (*Collat.* 16 *cap.* 18) : *Quasi vero apud Deum verba tantummodo et non præcipue voluntas vocetur in culpam, et opus solum peccati, et non etiam votum ac propositum habeatur in crimine,* etc. Et infra : *Affectus enim peccati, non ordo considerandus est admissi.* Sic ibi. Et hoc est quod vulgo dicitur : *Voluntas habetur pro facto,* supp. apud Deum et in foro conscientiæ. Idem rursus inculcatur seq. cap.

sarii et sancti finis intuitu, vituperabilis initii sustinuit necessitatem.

CAPUT XII.

Quod boni proventus malignis auctoribus non profuerint, nec bonis mala gesta nocuerint.

Et ut hæc eadem de sanctarum Scripturarum dilucidemus exemplis, quid salubrius quidve utilius universo orbi potuit procurari quam Dominicæ passionis salutare remedium? [a] Et tamen non solum non profuit, verum etiam in tantum illi obfuit traditori cujus ministerio probatur impletum, ut absolute pronuntietur de illo, *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille* (*Matth.* XXVI). Non enim secundum hoc quod evenit, fructus illi est sui operis repensandus, sed secundum id quod facere voluit, vel quod effecturum se esse credidit. Et rursus, quid criminosius dolo atque mendacio, etiam in extraneum, ne dixerim in germanum patremve commisso? Et tamen non solum nullam pro his damnationem aut reprehensionem Jacob patriarcha contraxit, verum etiam perpetua benedictionis hæreditate ditatus est (*Genes.* XXVII). Nec immerito, quia et iste benedictionem primogenito destinatam non ex præsentis lucri avaritia, sed ex fide sanctificationis perpetuæ concupivit; et ille non humanæ salutis obtentu, sed philargyriæ crimine morti tradidit omnium Redemptorem. Et idcirco utrique eorum fructus operationis suæ, secundum destinationem mentis eorum ac propositum voluntatis ascriptus est quia nec ille fraudem, nec iste salutem statuit operari. Illud enim pro retributione mercedis juste unicuique repensatur, quod principaliter mente conceperit, non quod exinde bene vel male contra votum operantis emerserit. Ideoque justissimus judex excusabilem, immo laudabilem talis [b] mendacii censuit præsumptorem, quia sine eo ad benedictionem primitivorum non poterat pervenire. [c] Nec debuit in crimen vocari quod desiderio benedictionis exortum est. Alioquin non modo iniquus in fratrem patriarcha prædictus, sed etiam circumventor in patrem et sacrilegus exstitisset, si habens aliam viam qua ad benedictionis illius gratiam perveniret, hanc quæ fratri damnosa esset ac noxia, expetere maluisset. Videtis ergo apud Deum non processum operis, sed destinationem mentis inquiri. His itaque præstructis, ut ad propositam quæstionem ob quam hæc universa præmissa sunt revertamur, respondeatis mihi primitus velim, cujus rei causa vos illius sponsionis nexibus vinxeritis.

CAPUT XIII.

Responsio nostra, quæ causa a nobis exegerit sacramentum sponsionis.

Germanus : Prima, ut diximus, exstitit causa, qua nostros mœstificare seniores ac præceptis eorum obsistere verebamur. Secunda, qua si quid perfectum atque magnificum vel visu vel auditu percepissemus a vobis, cum reversi ad cœnobium fuissemus, exercere nos posse inconsultissima persuasione credidimus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Idem etiam docuit abbas Theodorus collat. 6, cap. 9 : *Neque enim*, ait, *patientia Job mercedem diabolo, qui eum illustriorem suis tentationibus reddidit, sed illi ipsi qui eas viriliter pertulit, acquisivit; nec Judas æterni supplicii immunitate donabitur, quia proditio ejus ad salutem generis profuit humani. Non enim proventus considerandus est operis, sed operantis affectus.* Ubi *proventus* idem quod *processus* supra, id est, successus, vel eventus.

[b] De verbis Jacob patriarchæ, quæ habentur Gen. XXVII, tres sunt sententiæ. Prima asserit Jacob vere esse mentitum, non tamen peccasse, quia mendacium illud non modo fuit excusabile, sed etiam laudabile et Deo acceptum. Ita abbas Joseph hoc loco. Sed hæc sententia ab omnibus rejicitur, ut dictum est. Alii censent illa verba continere mendacium officiosum, et proinde a culpa veniali non posse excusari. Ita Lyranus, Abulensis, Cajetanus. At communior est SS. Patrum sententia, qui prædicta verba Jacob mendacio carere affirmant, ut div. Augustinus lib. contra Mendacium cap. 10 et lib. XVI de Civit. cap. 37, tametsi quod dicit, factum ejus ad mysterium referendum esse, revera quæstionem non solvit. Nam sensus mysticus, sicut historicum non tollit, ita rem gestam non excusat. Neque simile est de metaphoris, parabolis, aliisque figuratis locutionibus : quia sermo tropicus tantum secundum tropum intelligi debet, et parabolæ non nisi parabolicum habent sensum : historia vera etiamsi mysterium contineat, vera tamen non erit, nisi quæ narrantur ita gesta sint uti narrantur. Quale est illud de duobus Abrahæ filiis (*Galat.* IV), altero ex libera, altero ex ancilla, genitis, et alia quam plurima. Verior itaque ac solidior aliorum Patrum interpretatio, Jacob quando dixit : *Ego sum Esau primogenitus tuus*, non esse mentitum, sed verum dixisse, at alio sensu quam pater ejus intelligebat. Intellexit enim se esse Esau, non in persona, sed in jure primogenituræ sibi debito et legitime acquisito : sicut Christus Matthæi XI et XVII dixit Joannem Baptistam esse Eliam, non in persona, *sed in spiritu et virtute*. Sic Theodoretus q. 80 in Genesim : *An non est*, inquit, *usus Jacob mendacio, cum dixit : Ego sum Esau primogenitus tuus? Minime vero, emerat enim ille privilegia primogenituræ ab Esau; vere igitur se appellabat primogenitum.* Eadem ratione div. Gregorius Jacob a mendacio excusat homil. 6 in Ezechielem, et Innocentius III cap. *Gaudemus*, de Divortiis (*Lib.* IV *Decretal. tit.* 19). Div. Thomas, 2-2, quæst. 110, art. 3 : *Jacob*, inquit, *mystice dixit se esse Esau primogenitum Isaac, quia videlicet primogenita illius de jure ei debebantur : usus est autem hoc modo loquendi per spiritum prophetiæ ad designandum mysterium*, etc.

[c] Excusat hic abbas patriarcham Jacob, quod desiderio consequendæ benedictionis, cum eam alia ratione consequi non posset, quasi coactus mentitus fuerit. Quæ certe excusatio debilis est et infirma, nisi sic intelligas Jacob necessario mentitum esse, ut benedictionem jure sibi debitam consequeretur. Hac enim ratione certum est excusari, si non ab omni mendacio, saltem ab eo quod dicitur perniciosum, quia justitiæ et charitati contrarium, ideoque mortiferum. Neque refert quod grave damnum fratri suo hoc facto intulerit, quia id juste fecit, utens jure suo, quo se Esau spoliaverat : unde nullam ei fecit injuriam, quia nulla injuria nisi contra justitiam. Div. Gregorius ubi supra : *Jacob*, inquit, *primogeniti benedictionem, non per fraudem surripuit; sed ut sibi debitam accepit, quam, concedente fratre, data lentis mercede emerat.*

CAPUT XIV.

Disputatio senis quod sine culpa actionis ordo immutetur, dummodo boni studii capiatur effectus.

Joseph : Sicut præfati sumus, [a] destinatio mentis vel remunerat hominem vel condemnat, secundum illud : *Et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus, in die qua judicabit Deus occulta hominum* (*Rom.* II). Illud etiam : *Ego autem opera et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis* (*Isaiæ* LXVI). Quamobrem desiderio perfectionis, ut video, hoc vos sponsionis vinculo colligastis, dum credidistis illo eam posse ordine comprehendi, quo nunc, superveniente pleniore judicio, ad sublimitatem ejus conscendi non posse respicitis. Non ergo præjudicat quidquid discrepans ab illa dispositione visum fuerit accidisse, si modo nulla principalis illius propositi diversitas subsequatur. Neque enim opificii cujusquam desertio est demutatio ferramenti, aut segnitiem arguit viatoris viæ compendiosioris ac directioris electio. Ita igitur et in hac parte emendatio dispositionis improvidæ non spiritalis voti est judicanda transgressio. Quidquid enim pro charitate Dei et pietatis amore perficitur, quæ *promissionem habet vitæ quæ nunc est et futuræ* (I *Tim.* IV), tametsi duris atque adversis videatur principiis inchoari, non solum nulla reprehensione, sed etiam laude dignissimum est. Et idcirco nihil præjudicat refragatio sponsionis incautæ, si quolibet genere scopus tantum, id est, proposita pietatis destinatio teneatur. Omnia namque ob hoc agimus, ut Deo cor mundum exhibere possimus; cujus consummatio si in his locis facilior judicatur, nihil vobis oberit extortæ mutatio pactionis, dummodo principalis illius perfectio puritatis, pro qua sponsio vestra processerat, secundum Domini voluntatem maturius acquiratur. Non enim ex hac immutatione ullum potest judicari mendacium, sed inconsultæ definitionis prudens salutarisque correctio. Et ut etiam de physicis, quod nodum propositæ quæstionis absolvat, aliquid inferamus, natura ipsa in nobis opera sua de consilio divinæ majestatis immutat. Nam ab infantia in pueritiam, de pueritia in juventutem, de juventute in senectutis ulteriora transferimur ; atque ita hæc in nobis Conditoris nostri consummatio peregit, ut ex hac permutatione nullum mendacium ascribatur ætati. Ita etiam interior homo noster ablactatus a primordiorum tenerrimis institutis, cum per diversas provectus ætates ad robustiorem de unaquaque profecerit, atque exinde ad canitiem sensuum ac *virum perfectum* et *mensuram ætatis plenitudinis Christi* perveniens (*Ephes.* IV), deposuerit ea quæ erant parvuli, numquid varietatem incurrisse mendacii, et non potius perfectionis plenitudinem consecutus esse credendus est? Sic rudimenta veteris Instrumenti, dispensatione legislatoris Dei, ad perfectionem beatitudinis evangelicæ transferuntur, nec tamen ex hoc immutatio aut diversitas præteritæ sanctionis intervenisse credenda est, sed adimpletio et cumulus sublimiorum et cœlestium præceptorum ; nec sacræ promulgationis illius æstimanda est abolitio, sed ascensus ; nec varietas, sed profectus. Unde et Dominus noster, *Nolite*, inquit, *æstimare quod veni solvere legem aut prophetas;* [b] *non veni solvere, sed adimplere* (*Matth.* V) ; id est, non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Destinatio mentis, id est, intentio, remunerat, id est, facit hominem Deo acceptum, et opus ejus meritorium, juxta illud Matth. VI : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Oculum enim*, ait Augustinus (*Lib.* II *de serm. Dom. cap.* 21), *accipere debemus intentionem nostram, quæ si munda fuerit et recta, omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, bona sunt ; quæ quidem omnia totum corpus appellavit, quia et Apostolus membra nostra dicit quædam opera ubi ait : Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem et immunditiam, etc. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est.* Cæterum admonet idem Augustinus in libro contra Mendacium (*Cap.* 7) hæc intelligenda esse de operibus, quæ non sunt ex se mala, quæ nulla intentione aut mentis destinatione fieri possunt bona : *Interest quidem plurimum*, inquit, *qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum, seu causas habuerint bonas, seu malas, nunc sunt bona, nunc mala, quæ non sunt per seipsa peccata : sicut victum præbere pauperibus, bonum opus est, si fit causa misericordiæ cum recta fide; sicut concubitus conjugalis quando fit causa generandi, si ea fide fiat, ut gignantur regenerandi* (*Vide div. Bernard. lib. de Præcep. cap.* 17 *et* 18). *Hæc atque hujusmodi secundum suas causas opera sunt bona vel mala, quia eadem ipsa si habeant malas causas, in peccata vertuntur ; velut si jactantiæ causa pauper pascitur ; aut lasciviæ causa cum uxore concumbitur ; aut filii generantur, non ut Deo, sed ut diabolo nutriantur. Cum vero jam opera ipsa peccata sunt, sicut furta, stupra, blasphemiæ vel cætera talia, quis est qui dicat causis bonis esse facienda ; ut vel peccata non sint, vel, quod est absurdius, justa peccata sint? Quis est qui dicat : Ut habeamus quod demus pauperibus, faciamus furta divitibus ; aut testimonia falsa vendamus, maxime si non inde innocentes lædantur, sed nocentes potius damnaturis judicibus eruantur? Deo enim bona fiunt hujus renditione mendacii, ut et pecunia sumatur, unde inops alatur ; et judex fallatur, ne homo puniatur.* Hæc div. Augustinus, et quæ sequuntur in eamdem sententiam.

[b] Quomodo Christus dicat se non venisse ut legem solveret, sed adimpleret, cum reipsa solverit et abrogarit, pulcherrime explicat Joannes Maldonatus (*In cap.* V *Matth.*) post S. Thomam (1-2. *q.* 107, *a.* 2), cujus hæc sunt verba : *Præcepta veteris legis adimplevit Christus et opere et doctrina : opere quidem, quia circumcidi voluit, et alia legalia observare, quæ erant tempore illo observanda, secundum illud Galat.* IV : *Factum sub lege. Sua autem doctrina adimplevit præcepta legis tripliciter. Primo quidem, verum intellectum legis exprimendo, sicut patet in homicidio et adulterio, in quorum prohibitione Scribæ et Pharisæi non intelligebant, nisi exteriorem actum prohibitum : unde Dominus legem adimplevit, ostendendo etiam interiores actus peccatorum cadere sub prohibitione. Secundo, adimplevit Dominus præcepta legis, ordinando quomodo tutius observaretur quod lex vetus statuerat : sicut lex vetus statuerat ut homo non pejeraret ; et hoc tutius observatur si omnino a juramento abstineat, nisi in causa necessitatis. Tertio, adimplevit Dominus præcepta legis, super addendo quædam perfectionis con-*

antiquare priora, sed ad perfectionem perducere imperfecta.

CAPUT XV.

Interrogatio, an absque peccato sit, quod infirmis nostra conscientia occasionem ingerit mentiendi?

Germanus : Quantum spectat ad vim sermonum qui rationabiliter prudenterque digesti sunt, haud difficile sponsionis nostræ scrupulus a nobis potuisset extrudi, nisi illud nos vehementissime deterreret, quod infirmioribus quibusque intromitti fortasse per hæc videtur exempla occasio mentiendi, si ullo modo pacti fidem dissolvi posse cognoverint ; quippe cum tantis hoc ipsum et tam minacibus interdicatur eloquiis, Propheta dicente, [a] *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v) ; et, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* 1).

CAPUT XVI.

Responsio, quod non propter infirmorum scandalum Scripturarum veritas sit mutanda.

Joseph : [b] Occasiones causæque perditionum his qui perituri sunt, immo qui perire desiderant, deesse non possunt. Neque enim abjicienda sunt testimonia Scripturarum, ac de suo corpore penitus abradenda, quibus vel hæreticorum pravitas animatur, vel Judæorum infidelitas obduratur, vel tumor sapientiæ gentilis offenditur ; sed utique et pie credenda, et immobiliter sunt tenenda, et secundum veritatis regulam prædicanda. Et idcirco non debemus alienæ infidelitatis obtentu œconomias, id est, dispensationes prophetarum atque sanctorum, quas Scriptura commemorat, abdicare, ne dum infirmitati eorum condescendere debere nos credimus, non solum mendacii, verum etiam sacrilegii crimine polluamur ; sed, quemadmodum diximus, oportet nos ea, et secundum historiam confiteri, et quemadmodum pie gesta sunt explanare. Cæterum his qui pravi propositi sunt, non ex hoc mentiendi aditus obstruetur, si earum rerum quas vel prolaturi sumus, vel protulimus, veritatem, aut penitus abnegare, aut extenuare allegoricis interpretationibus laboremus. Quid enim illis horum testimoniorum nocebit auctoritas, quibus etiam sola corruptio voluntatis sufficit ?

CAPUT XVII.

Quod venialiter mendacio sancti tamquam elleboro usi sint.

Itaque taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo [c] utendum est, quasi natura ei insit ellebori ;

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

silia, ut patet Matth. XIX, *ubi dicenti se observasse præcepta veteris legis, dicit : Unum tibi deest : si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, etc.*

[a] Hæ et similes sententiæ, secundum communem interpretationem, non de quocumque mendacio, sed de pernicioso dumtaxat intelliguntur (*Vide infra cap.* 18) : præsertim de eo quod pietati vel religioni repugnat ; quemadmodum enim veritas præcipue invenitur in doctrina religionis, ita per antonomasiam id vocatur mendacium, quod veritati religionis et verbo Dei contrariatur.

[b] Hoc caput cum tribus sequentibus prætermisit Dionysius paraphrastes (quem et Lavardinus secutus est), et pro doctrina hujus cap., quæ videbatur aliquid ambiguitatis continere, et ad sequentem disputationem et defensionem mendacii aditum aperire, hanc clariorem subjecit in persona Josephi abbatis ad objectionem sibi factam respondentis, decerptis solummodo quibusdam sententiis, ex cap. sequenti : *Nos ista prædiximus de mutatione promissionis incautæ, non ut demus aut reseremus viam seu aditum prohibitis noxiisque mendaciis ; utilius judicantes, ut si forte prævenerit nos inconsulta sententia, temperetur superveniente moderatione salubrioris consilii ; nec oportet nos rigidos irrevocabilesque manere in his quæ semel statuimus, si matura ac prudens discretio invenerit postea rectius aliquid. Aliud namque est mentiri, aliud statuta seu promissa mature*, etc. Deinde prosequitur Dionys. ea quæ habentur cap. 19. Cæterum doctrina hujus cap., ut ab Auctore prolata est, nihil alienum a veritate continet, et vere docet quando scandalum sit vitandum aut contemnendum. Cui similis locus est apud S. Gregorium homilia 7 in Ezechielem in hæc verba : *In nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum. Quod in ipso nostro Auctore didicimus, qui dum tributum Petro inquisito peteretur, prius paradigma proposuit, per quod se nihil debere respondit, dicens : Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum, a filiis suis, an ab alienis ? Cui cum diceretur, ab alienis, illico respondit : Ergo liberi sunt filii ? Sed postquam liberum se esse monstravit, ne fortasse scandalum cuiquam faceret, subdit : Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum ; et eum piscem qui primus ascenderit tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem, illum sumens da eis pro me et te* (*Matth.* XVII). *Qui rursum cum diceret, Quia omne quod in os intrat non coinquinat hominem, tunc accedentes discipuli dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt ? At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum* (*Matth.* XV). *Ecce magistra Veritas ne in quorumdam cordibus scandalum gigneretur, quod non debuit, tributum dedit. Et rursum quia generari scandalum in quorumdam cordibus contra veritatem vidit, in suo eos scandalo remanere permisit. Ex qua re nobis considerandum est, quia, in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.* Hæc Gregorius, quæ videre licet plenius explicata a S. Thoma (2-2. *q.* 43, *art.* 7).

[c] Ponam hic primum verba Petri Maturi ad hunc locum, ne quid lectori excidat. Eadem, inquit, pene usus est similitudine Plato in III de Republica, et Clemens lib. VI Stromatum. Cæterum quamvis nonnulli ex sacris Doctoribus existant, qui mentiri aliquando viro Christiano permittant, potior est tamen Augustini in lib. de Mendacio ad Consentium cap. 5, et contra mendacium cap. 2, et epistol. 8 ad div. Hieronymum, et div. Thomæ in 2-2, q. 110, art. 3, et in 3, dist. 38, art. 3, sententia, quam etiam sequitur div. Antoninus infra hoc eodem §, et in II par. Sum. tit. 10 cap. 1, 91, nimirum omne mendacium, sive illud officiosum sit, sive jocosum, esse peccatum. Pro quibus etiam facit Innocentius III, in Decretal. lib. V tit. 19 de usuris c. 4, ubi dicit in Scriptura sacra prohiberi ne quis pro alterius vita mentiatur. Vide præter nominatos auctores etiam Alphonsum a Castro de Hæresibus, in verbo *Mendacium*, et Sixtum Senens. lib. V Biblioth. annotat. 107. Hæc Petrus Maturus. Sed jam ad textum et præcipuas difficultates excutiendas accedamus : *Mendacio utendum est, quasi natura ei insit ellebori.* Id est, mendacio utendum aliquando, ut elleboro. Primum paradoxum, seu prima sententia falsa et erronea inter eas quibus mentiendi licentia in hac

Quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, A fit salubre, cæterum absque summi discriminis necessitate perceptum præsentis exitii est. Ita namque etiam sanctos ac probatissimos Deo viros veniabiliter legimus usos fuisse mendacio, sicut [a] Raab (*Josue* II), cujus cum non solum nulla virtutum, sed etiam [b] impudicitiæ monumenta commemoret Scriptura, pro tali mendacio, quo exploratores maluit occultare quam prodere, admisceri populo Dei æterna benedictione promeruit. Quæ si veritatem loqui, aut saluti civium consulere maluisset, nulli dubium quod nec imminentem cum universa domo sua fugisset interitum, nec auctoribus Dominicæ Nativitatis inserta, et in patriarcharum annumerata catalogo, per successionem suæ prolis edere meruisset omnium Salvatorem. Denique Dalila (*Judic.* XVI), quæ utilitati B civium consulens, exploratam prodidit veritatem, perpetuæ perditionis vicissitudinem consecuta, solam criminis sui cunctis memoriam dereliquit. Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt recipienda perfugia [c], ita tamen ut reatu humilis conscientiæ salubriter mordeamur. Ubi autem nulla conditio summæ necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum devitandum est : quemadmodum de ellebori diximus potu, quod salubre est quidem si tunc demum sumatur cum inevitabilis atque mortifera imminet ægritudo ; sin vero integra et imperturbata corporis sanitate sumatur, statim ad præoccupanda vitalia vis perniciosa pertendit. Quod de Raab Hierichontina (*Josue,* II) et de Jacob patriarcha (*Genes.* XXVII) evidenter ostensum est, e quibus nec illa mortem alias quam hoc remedio potuisset evadere, nec iste ad benedictionem primogeniti pervenire. Non enim Deus verborum tantum actuumque nostrorum discussor et judex, sed etiam propositi ac destinationis inspector est. Qui si aliquid causa salutis æternæ ac divinæ contemplationis intuitu ab unoquoque vel factum viderit vel promissum, tametsi hominibus durum atque iniquum esse videatur, ille tamen intimam cordis inspiciens pietatem, non verborum sonum, sed votum dijudicat voluntatis, quia finis operis et affectus considerandus est perpetrantis, [d] quo potuerunt quidam, ut supra dictum est, etiam per mendacium justificari, et alii per veritatis assertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere. Ad quem finem etiam Jacob patriarcha (*Ibid.*) respiciens, hispidam fraterni corporis speciem obvolutione pellium simulare non timuit, et instiganti ad hoc mendacium matri laudabiliter acquievit. Videbat enim ex hoc majora sibi lucra benedictionis atque justitiæ quam per simplicitatis observantiam conferenda ; non enim dubitabat mendacii hujus maculam inundatione paternæ benedictionis protinus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

collatione astruitur et defenditur, quas dominus C Cuychius collegit, et in ordinem digessit, quo lectoribus magis pateant et tutius caveantur. Porro elleborum, vel, ut alii malunt, helleborum, herba est, insignem purgandi vim habens, quam Latini veratrum appellant. Præstantissimum nascitur in Anticyra insula, ubi et tutissime sumebatur purgandi cerebri causa, auctore Plinio (*Lib.* XXV *cap.* 5). Unde factum est ut qui cerebro minus sano esse viderentur, Anticyram navigare aut helleborum bibere juberentur, Et apud Græcos ἐλλεβορίζειν pro insanire sumitur ; et qui parum animo constant, et levitatis aut vertiginis morbo laborant, ἐλλεβόρῳ δεῖσθαι, id est helleboro indigere dicuntur, quod helleborum purgare cerebrum, ideoque curare insaniam antiquis creditum sit. Unde Isidorus (*Etym. lib.* XVII, *cap.* 9) : *Ellebori*, inquit, *Romani alio nomine veratrum dicunt, eo quod sumptum motam mentem in sanitatem reducat.*

[a] Raab Hierichontina mulier officioso usa est mendacio, dum jussa prodere exploratores Hebræos D qui ad se diverterant, respondit : *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent. Cumque porta claudderetur in tenebris, et illi pariter exierunt, nescio quo abierunt*, etc (*Josue*, II). Hoc mendacium cum mendacio obstetricum Ægyptiarum, quæ, ut filios Hebræorum morte eriperent, Pharaoni mentitæ leguntur, conferens D. Augustinus suam de utroque sententiam ita edisserit (*Lib. contra mendacium cap.* 15) : *Quod scriptum est bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, et cum Raab Hierichontina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia : benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque nonesset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere : ita mirandum non est quod uno tempore, in una causa Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factumque fallaciter, et bonum remuneravit, et, propter hoc bonum, malum illud ignovit.* Et infra post longam de utrisque disputationem, ita concludit : *Proinde Raab in Hiericho, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos, ubi potuit, occultavit; quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Hierusalem civibus imitanda laudatur. Quod autem mentita est, etiamsi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur ; quamvis Deus illa bona memoriabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.* Hæc D. Augustinus de mendacio Raab, ad hujus loci explicationem, et falsæ assertionis de mendacio utiliter et laudabiliter usurpato confutationem, perquam accommodata.

[b] De Raab non alia impudicitiæ monimenta Scriptura commemorat, nisi quod eam meretricem non solum historia Josue, sed et Apostolus ad Hebræos undecimo, et Jacobus cap. secundo nominet. Lyranus tamen non proprie meretricem, sed cauponam seu hospitam fuisse contendit. Vida Maldonatum in cap. I Matthæi.

[c] At contra reclamat Apostolus, *non esse facienda mala, ut veniant bona* (*Rom.* 3). Reclamat B. Job dicens: *Numquid Deus indiget mendacio nostro* (*Job.* XIII)? Reclamant SS. Patres, quos supra citavimus (*Cap.* 8).

[d] Respicit exempla Raab et Dalilæ, superius allegata. At de Raab longe aliter prædicat apostolus Paulus : *Fide Raab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace* (*Hebr.* XI). Fide, inquit, non mendacio : et fide non ficta aut mortua, sed viva et per charitatem operante, ut explicat B. Jacobus dicens : *Similiter et Raab meretrix, nonne ex operibus justificata est suscipiens nuntios et alia via ejiciens* (*Jacob.* II)? Dalila vero Samsonis uxor non ob veritatis confessionem, sed ob perfidiosam conjugis proditionem in manus hostium, peccatum perpetuæ mortis incurrit (*Judic.* XVI).

abluendam', et velut nubeculam quamdam flatu Spiritus sancti velociter absumendam, atque uberiora sibi per hanc affectaticiam simulationem quam per illam ingenitam veritatem, meritorum præmia conferenda.

CAPUT XVIII.

Objectio, quod illi tantum impune mendacio usi sint, qui sub lege vixerint.

Germanus : Non mirum est has dispensationes in veteri Testamento, licentius usurpatas, ac [a] nonnumquam viros sanctos veniabiliter fuisse mentitos, [a] cum multo majora eis pro temporum rudimentis licuisse videamus. Cur enim mirum sit, quod beatus David fugiens Saulem, percontanti Achimelech sacerdoti atque dicenti : *Quare tu solus, et nullus est tecum?* ita respondit : *Rex*, inquit, *præcepit mihi sermonem, et dixit : Nemo sciat rem propter quam missus es : nam et pueris condixi in illum, et in illum locum* (I *Reg.* XXI). Et iterum : *Si habes hic ad manum hastam aut gladium, quia gladium meum et arma mea non tuli mecum* (*Ibid.*); sermo enim regis urgebat. Vel illud : Cum perductus ad Achis regem Geth, insanum se furiosumque simulavit, ac mutavit os suum coram eis, et collabebatur in manus eorum et impingebat in ostium portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam : cum etiam uxorum concubinarumque gregibus licito fruerentur, nec ullum eis imputaretur ex hac parte peccatum; insuper [c] etiam inimicorum sanguinem propria manu frequenter effunderent, idque non solum non reprehensibile, verum etiam laudabile crederetur. Quæ ita nunc, Evangelio coruscante, videmus omnimodis interdicta, ut sine ingenti crimine ac sacrilegio horum quidquam non possit admitti. Quemadmodum nec mendacium ullum, quamlibet pio colore contectum, non dicam probabiliter, sed nec veniabiliter a quoquam credimus usurpari, dicente Domino : *Sit sermo vester, est est, non non ; quod autem his abundantius est, a malo est* (*Matth.* V) : Apostolo quoque in eadem congruente, *Nolite mentiri invicem* (*Colos.* III).

CAPUT XIX.

Responsio eo quod licentia mendacii, quæ ne in veteri quidem indulta est Testamento, veniabiliter a multis fuerit usurpata.

Joseph : [d] Uxorum quidem concubinarumque multarum illa libertas, instante jam temporum fine et multiplicatione humanæ generationis expleta, non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Circa hunc locum notanda venit vulgata distinctio mendacii ab Augustino tradita, in mendacium officiosum, jocosum et perniciosum', cujus distinctionis in hac disputatione præcipua habenda est ratio. Officiosum dicitur, quod sine alterius injuria fit pro salute vel commodo alicujus. Jocosum, quod sola placendi sive delectandi voluntate profertur. Perniciosum, quo grave nocumentum alicui infertur. Inter hæc autem tria mendaciorum genera, solum perniciosum genere suo mortiferum esse, vel ex ipsa nominis nota constat : jocosum vero, quod nemini nocet; et officiosum, quod etiam prodest alicui, non nisi venialia. Hinc D. Augustinus (*Enchir.* c. XXII) in expositione psalmi quinti : *Duo sunt*, inquit, *omnino mendaciorum genera, in quibus non magna culpa est; sed tamen non sunt sine culpa : cum aut jocamur, aut ut prosimus proximis, mentimur.* Et alibi (*Lib. cont. Mend.* c. 9), de officioso mendacio disputationem concludens : *Peccatum ergo est*, inquit, *sed veniale, quod benevolentia excusat.* Porro de hujusmodi mendaciis, quæ subinde viris sanctis in Scriptura ascribuntur, generatim ita pronuntiat : *Hæc quando in Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla.* Et infra : *Constat quod non omnia quæ a sanctis vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores : sed etiam hinc discere, quam late pateat, et ad quos usque perveniat quod Apostolus ait : Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis* (*Galat.* VI).

[b] Videtur hic Germanus existimasse mendacium in veteri lege fuisse permissum, perinde ac polygamiam; quod sequenti cap. refellitur, ubi dicitur, quod polygamia tunc temporis potuit esse sine peccato, mendacium non item. Porro de mendacio et simulatione Davidis non videtur hic laborandum, cum nulla ratio appareat eum a mendacio officioso et veniali excusandi : præsertim cum sequenti cap. fateatur hic abbas Davidem veniabiliter fuisse mentitum, ut se ab injusta Saulis persecutione salvaret. Excusat quidem aliquatenus D. Thomas (2-2, *q.* 111, *art.* 1 *ad* 1), quod illa fictio sive simulatio apud regem Achis figuralis fuerit; quam figuram explicat D. Augustinus in psalmum XXXI; at certe figurativa significatio mendacii notam non excludit, ut ex dictis patet.

[c] Quod hic sibi velit Germanus, non satis capio. Nam et bella gerere et sanguinem inimicorum in bello justo effundere non minus licitum sub lege Evangelica quam sub lege veteri. Alias vero, vel privata auctoritate, vel propria temeritate sanguinem humanum fundere, etiam ante legem veterem et decalogum expresse vetitum fuit Genesis IX : *Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Quod si ad legem illam talionis respicit, quæ jubebat *oculum pro oculo, dentem pro dente, vulnus pro vulnere reddi* (*Exod.* XXI, *Levit.* XXIV, *Matth.* V), constat illam legem judicibus et magistratibus datam esse, ut regulam quam in judiciis exercendis et delictis puniendis sequerentur, non autem privatis hominibus, quibus contra dictum est Levit. XIX : *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

[d] Pluralitas uxorum simul et eodem tempore quam Græci polygamiam vocant, quamvis nec per se optanda, nec perfectioni et primæ institutioni matrimonii consentanea esset (unde merito reprehenditur Lamech (*Gen.* IV), qui primus eam invexit, quando duas uxores duxit, vel *unam carnem in duas divisit uxores*, ait D. Hieronymus), post diluvium tamen, cum pauci essent homines, et vita humana multum abbreviata, ex dispensatione divina fuit illa lex monogamiæ abrogata aut relaxata; et polygamia hominibus concessa, tum ad multiplicationem generis humani, tum ad propagationem populi fidelis et cultus divini, qui in sola familiæ Abrahæ, ac deinde in populo Israelitico residuus fuit. Unde Abraham tres uxores, Jacob quatuor, David multo plures habuisse legitur. Quod autem hic dicitur uxorum et concubinarum libertas antiquitus permissa, non sic accipiendum est quasi viris sanctis et patriarchis fuerint pellices et scorta, ut hæretici calumniantur, sed in illa pluralitate uxorum, post primariam uxorem, unam aut alteram, quæ non ad tori tantum, sed ad bonorum omnium communionem admittebatur, concubinæ dicebantur secundariæ et inferiores, quamquam veræ et legitimæ conjuges, quæ promiscue uxores vel concubinæ nuncupantur : quemadmodum Agar et Cethura concubinæ Abrahæ vocantur Genes. XXV, et Davidis concubinas legimus I Reg.

immerito velut minus jam necessaria per Evangelicam perfectionem debuit amputari. Nam usque ad adventum Christi oportuit benedictionem primordialis illius vigere sententiæ qua dictum est, *Crescite et multiplicamini et replete terram* (*Genes.* I). Et idcirco justissimum fuit, ut ex illa radice fecunditatis humanæ, quæ in synagoga pro dispensatione temporis utiliter viguit, angelicæ virginitatis flosculi germinarent ac suaveolentes continentiæ fructus in Ecclesia gignerentur. Mendacia vero etiam tunc fuisse damnata, totius veteris Instrumenti textus evidenter ostendit, dicens : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* V). Et iterum : *Suavis est homini panis mendacii, et postea replebitur os ejus calculo* (*Prov.* XX). Et ipse legislator, *Mendacium*, inquit, *fugies* (*Exod.* XXIII). Sed [a] tunc demum id veniabiliter diximus usurpatum cum ei necessitas aliqua seu dispensatio salutaris adjuncta est, ob quam non debuerit condemnari ; quale est illud quod commemorastis de David rege (I *Reg.* XXI), cum fugiens insectationem Saulis injustam ad Achimelech sacerdotem, non proposito cujusquam lucri, nec studio lædendi quempiam, sed ut tantummodo semetipsum ab impiissima ejus insectatione salvaret, mendacibus utitur verbis, quippe qui manus suas inimici regis sanguine et quidem a Deo sibi toties traditi, contaminare noluerit, dicens : *Propitius mihi sit Deus, ne faciam rem hanc Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est* (I *Reg.* XXIV). Et idcirco dispensationes has quas vel ob voluntatem Dei, vel ob præfiguration em spiritalium sacramentorum, vel ob quorumdam salutem sanctos viros in veteri Testamento legimus exsecutos, in tantum nos quoque cum necessitas coarctaverit non possumus abdicare, ut ne ipsos quidem apostolos, ubi consideratio alicujus utilitatis exegit, ab eis declinasse cernamus. Quæ paulisper interim differentes, digestis primitus quæ adhuc de veteri Testamento proferre disponimus, post hæc congruentius inferemus, ut facilius approbetur viros justos et sanctos, tam in novo quam in veteri Testamento in his œconomiis sibi per omnia concordasse. Quid enim de illa Chusi ad Absalon pro salute regis David [b] pia simulatione dicimus, quæ cum toto fallentis et circumvenientis promatur affectu, et utilitatem consulentis impugnet, Scripturæ divinæ testimonio comprobatur, ita dicentis : *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel, ut induceret Dominus super Absalon malum* (II *Reg.* XVII) ? Nec enim reprehendi poterat id quod recto proposito ac pio judicio pro justis partibus gerebatur, ac pro illius cujus pietas Deo placebat salute atque victoria religiosa fuerat simulatione conceptum. Quid etiam de illius feminæ pronuntiabimus facto, quæ suscipiens illos, qui ad regem David a prædicto Chusi fuerant destinati, abscondit *in* puteo, et expandens velamen super os ejus, [c] cum ptisanas se torrere simulasset, *Transierunt*, inquit, *gustata paululum aqua, atque hoc eos figmento ab insequentium manibus liberavit* (*Ibid.*)? Quapropter [d] respondete, quæso, mihi, quid fuissetis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

XVI, et illa Levitæ contubernalis, modo uxor, modo concubina appellatur (*Judic.* XIX). Porro hanc polygamiæ licentiam et libertatem, genere humano jam satis propagato, Christus Dominus plane abolevit, primamque illam monogamiæ legem primis parentibus inspiratam restituit et renovavit, Matthæi XIX, triplici argumento ex primæva illa matrimonii institutione adducto; quod et D. Hieronymus observavit, 1° quia in exordio Geneseos dictum est : *Masculum et feminam fecit eos*; non masculum et feminas, sed, *masculum et feminam, ut unius conjugis consortia necterentur*, ait Hieronymus. 2° Dictum est : *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*, non uxoribus. 3° Dictum est : *Erunt duo in carne una*, id est, erunt duo una caro : *duo*, inquit, *non plures*. Hanc itaque legem monogamiæ primitus institutam, postea abrogatam aut relaxatam Christus veluti postliminio revocans et in integrum restaurans subdidit : *Dico vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur.* Quibus verbis polygamiam omnino exclusam Patres intellexerunt : nam ut Innocentius III, in quadam decretali (*Extrav. de divort. cap. Gaudemus*), ratiocinatur : *Si uxore dimissa duci alia de jure non potest, fortius et ipsa retenta. Per quod evidenter appareret pluralitatem in utroque sexu, cum non ad imparia judicentur, circa matrimonium reprobandam.* Ita pontifex (*Vide etiam Sixtum Senens. lib.* VI, *annotat.* 82).

[a] Mendacium sic est intrinsece malum, ut nulla necessitate aut dispensatione possit fieri bonum. Quod et Aristoteles agnovit IV Ethicorum cap. 7 dicens *mendacium per se improbum esse et vituperabile, verum autem pulchrum et laudabile.* Efficitur quidem in necessitate veniabile seu excusabile mendacium quod vocatur officiosum, ut in exemplo Davidis et aliorum. Verum aliud est excusari, aliud approbari; nam bonum certe et perfectum excusatione non eget, sed imperfectum et mancum.

[b] Non tam simulatione quam probabili et plausibili consilio usus est Chusai pro salute regis David, quod Absaloni visum est prudentius et tutius consilio Achitopel; qua tamen prudentia Absalon deceptus est.

[c] Verba textus : *Quasi siccans ptisanas.* Ubi ptisanas nonnulli interpretantur contusum triticum, alii hordeum decorticatum. De quo Plinius lib. XVIII cap. 7, et lib. XXII cap. 25. In hac porro simulatione aliisque similibus exemplis commendatur humanitatis officium, non qualecumque fuerit admissum mendacium.

[d] Tali quæstioni respondet div. Augustinus (*Contra mendacium cap.* 17) : *Faciat homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consule nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quod faciat, quando id reliquum esse perspexit, quod non recte faciat.* Et infra (*Cap.* XIX), rursus eamdem aut similem quæstionem proponens in persona eorum qui mendacium propugnabant : *Quomodo apud homines, qui procul dubio si falluntur, avertuntur a pernicie vel aliena, vel sua, periclitantibus subveniatur hominibus, si nos humanus ad mentiendum non inclinet affectus? Si patienter me audiat turba mortalitatis. turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negotio veritatis. Certe pia, vera, sancta castitas non nisi ex virtute* [*Al.* veritate] *est, et quisquis adversus eam facit, profecto adversus veritatem facit. Cur ergo et si non potest aliter periclitantibus subveniri, non committo*

acturi, si qua vobis nunc sub Evangelio constitutis similis fuisset exorta conditio, utrumnam maluissetis eos simili celare mendacio dicentes eodem modo, transierunt gustata paululum aqua, et implere illud quod præcipitur, *Erue eos qui ducuntur ad mortem, et redimere eos qui interficiuntur ne parcas* (*Prov.* XXIV) : an veritatis confessione latitantes prodere perempturis? Et ubi est illud Apostoli, *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius* (I *Cor.* X) : Et, *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum* (I *Cor.* XIII)? Ac de seipso : *Non quæro*, inquit, *quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvifiant* (I *Cor.* X). Si enim ea quæ nostra sunt quærimus, et id quod nobis utile est pertinaciter volumus retentare, etiam in hujusmodi necessitatibus loqui nos necesse est veritatem, et reos fieri mortis alienæ. Si vero ea quæ aliis salutaria sunt, nostris utilitatibus præponentes, Apostolico satisfecerimus imperio, sine dubio subeunda est nobis necessitas mentiendi. Et idcirco nec integra charitatis viscera possidere, nec ea quæ aliorum sunt, secundum Apostolicam disciplinam quærere poterimus, nisi his quæ districtioni nostræ perfectionique conveniunt, paululum relaxatis, condescendere utilitatibus aliorum prono maluerimus affectu, et ita cum Apostolo infirmis efficiamur infirmi, ut lucrari possimus infirmos (I *Cor.* IX).

CAPUT XX.

Quod veniabile plerumque mendacium et noxiam veritatem etiam apostoli censuerint.

Quibus eruditus exemplis beatus quoque apostolus Jacobus omnesque illius Ecclesiæ primitivæ præcipui principes [a] apostolum Paulum ad simulationis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati ; et ut periclitanti subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissime est contrarium veritati? Quid apud nos tantum promeruit castitas, et offendit veritas, cum omnis ex veritate sit castitas, et sit non corporis, sed mentis castitas, veritasque in mente habitet, sicut etiam corporis castitas? etc.

[a] Historiam narrat S. Lucas in hunc modum (*Act.* XXI) : *Cum venissemus Hierosolymam, libenter susceperunt nos fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt seniores ; quos cum salutasset, narrabat per singula quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent, magnificabant Deum, dixeruntque ei : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes sunt æmulatores legis. Audierunt autem de te quod discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem ; audierunt enim te supervenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se : his assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita ; et scient omnes quia quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis, intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio.* Hactenus S. Lucas. Ubi adverte quatuor ritus et cæremonias legales designari in consecratione seu sanctificatione Nazaræorum præscriptas, Numer. cap. sexto. Prima cæremonia erat votum, quo se Domino publice consecrabant. Secunda, ut in templo per tringinta dies manerent orantes, et interim a vino abstinerint ; et hæc dicebatur purgatio, sive purificatio. Tertio, expleto tempore purificationis, offerebatur agnus immaculatus in holocaustum, ovis pro peccato, et aries immaculatus in hostiam pacificam. Postremo radebantur eorum capita, et capilli una cum sacrificio pacificorum cremabantur. Has igitur cæremonias a lege præscriptas, et non a quibusvis, sed a sanctioribus legis Mosaicæ observatoribus, id est Nazaræis, exhiberi solitas, Paulus apostolus seniorum consilio acquiescens, simul cum aliis Judæis in se suscepit, et observavit, ut refert Lucas. In qua observatione censet D. Hierouymus, quemadmodum et hic abbas, Paulum usum fuisse pia quadam simulatione, ad vitandum scandalum infirmorum qui ex Judæis crediderant. Sic enim D. Hieronymus (*Epist.* 89) : *O Paule, in hoc te rursum interrogo cur caput raseris, cur nudipedalia exercueris de cæremoniis Judæorum, cur obtuleris sacrificia, et secundum legem pro te hostiæ fuerint immolatæ?*

Utique respondebis, Ne scandalizarentur qui ex Judæis crediderunt. Simulasti ergo Judæum ut Judæos lucrifaceres, et hanc ipsam simulationem Jacobus et cæteri te docuere presbyteri. At vero S. Augustinus negat Paulum proprie simulasse, sed usum esse libertate conscientiæ suæ, qua sciebat legales cæremonias nondum esse sic abrogatas, ut iis uti saltem ad tempus et usque ad promulgationem Evangelii non liceret. Itaque secundum Augustinum non fuit vera simulatio, seu hypocrisis, ut hic abbas abusive loquitur, quia non fallendi causa hujusmodi ritus exercuit, sed ut ostenderet adhuc liberum esse Judæis legalia servare, dummodo non in eis spem salutis collocarent. Verum ut hæc clarius elucescant, juvabit hic sententiam D. Thomæ (1-2, *q.* 103) de cessatione legalium, deque simulatione Petri a Paulo reprehensa, et inter clarissimos Ecclesiæ doctores Hieronymum et Augustinum disceptata, quæ maxime ad hunc tractatum pertinet, audire. Sic igitur S. Thomas in commentario Epistolæ ad Galatas tractans illa verba Pauli ad Petrum apostolum; *Si tu Judæus cum sis*, etc. : Sciendum, inquit, quod occasione istorum verborum non parva controversia orta est inter Hieronymum et Augustinum. Et quantum ex eorum verbis aperte colligitur, in quatuor discordare videntur. Primo in tempore legalium, quando scilicet servari debuerunt. Nam Hieronymus duo tantum tempora distinguit, unum ante passionem Christi, aliud post passionem. Unde vult Hieronymus quod legalia ante passionem Christi viva essent, id est, habentia virtutem suam, in quantum scilicet per circumcisionem tollebatur peccatum originale, per sacrificia et hostias placabatur Deus. Sed post passionem non solum dicit ea non fuisse viva nec mortua, sed, quod plus est, etiam mortifera, et quod quicumque post passionem Christi ea servavit, peccavit mortaliter. Augustinus vero distinguit tria tempora : unum tempus ante passionem Christi, et concludens cum Hieronymo dicit isto tempore legalia viva fuisse; aliud tempus post passionem Christi immediate, ante gratiam divulgatam (sicut tempus apostolorum in principio), in quo tempore dicit Augustinus legalia mortua fuisse, non tamen mortifera Judæis ad fidem conversis, dummodo ipsa servantes spem in eis non ponerent, quasi necessaria essent ad salutem ; tertium tempus dicit esse post veritatem et gratiam Christi divulgatam, et in hoc tempore dicit ea mortua et mortifera omnibus ea servantibus. Secundo discordant Hieronymus et Augustinus de observatione legalium, quantum ad ipsos apostolos. Hieronymus enim dicit quod apostoli numquam secundum veritatem servabant legalia, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judæos et eorum

figmata descendere, pro imbecillitate infirmantium cohortantur, cumque purificari secundum observantiam legis, caput radere, vota offerre compellunt, præsens illud dispendium, quod ex hac hypocrisi gignebatur, nihili reputantes, sed contemplantes potius lucra quæ erant ex illius diutina prædicatione parienda (*Actor.* XXI). Non enim tantum apostolo Paulo lucrum ex hac ejus fuerat districtione collatum, quantum celeri ejus exitio universis gentibus detrimentum. Quod sine dubio universæ tunc evenisset Ecclesiæ, nisi illum hæc utilis ac salubris hypocrisis prædicationi evangelicæ reservasset. [a] Tunc enim necessario ac veniabiliter acquiescitur mendacii detrimento, quando majus, ut diximus, imminet de veritatis confessione dispendium, et utilitas quæ nobis de veritate confertur compensare illa quæ generanda sunt damna non prævalet. Quod temperamentum etiam aliis verbis idem beatus Apostolus ubique se semper tenuisse testatur. Nam cum dicit, [b] *Factus sum Judæis tamquam Judæus, et Judæos lucrifacerem; his qui sub lege erant, quasi sub lege essem* (*cum ipse sub lege non essem*), *ut eos qui sub lege erant lucrifacerem; his qui sine lege erant, tamquam sine lege essem* (*cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi*), *ut eos qui sine lege erant lucrifacerem; factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem; omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (I *Cor.* IX); quid aliud ostendit, quam secundum infirmitatem atque mensuram eorum qui instituebantur condescendisse se semper, et a perfectionis rigore aliquid relaxasse, nec tenuisse se id quod districtio rigida poscere videbatur; sed illud magis præposuisse quod infirmantium utilitas exigebat? Et ut hæc eadem attentius indagantes sigillatim Apostolicarum virtutum insignia replicemus, quærat aliquis quomodo omnibus per omnia beatus Apostolus suam probetur aptasse personam? ubi factus sit Judæis sicut Judæus? Profecto ibi, ubi illam sententiam intimo corde custodiens, quam Galatis denuntiaverat, dicens : *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V). In Timothei tamen circumcisione imaginem quodammodo Judaicæ superstitionis assumpsit. Et rursus, ubi factus est eis qui sub lege erant tamquam sub lege esset? Nempe ibi, ubi Jacobus omnesque seniores Ecclesiæ, formidantes ne in eum illa irrueret Judæorum credentium, immo Christianorum judaizantium, multitudo, quæ ita fidem Christi receperat ut adhuc ritu cæremoniarum legalium teneretur, discrimini ejus hoc consilio ac persuasione succurrerunt, dicentes : *Vides, frater, quot millia sint in Judæis qui crediderunt, et hi omnes æmulatores legis sunt. Audierunt autem de te quia discessionem doceas a Moyse eorum qui per gentes sunt Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos* (*Actor.* XXI). Et infra : *Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se. His assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita, et scient omnes quoniam ea quæ de te audierunt falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem* (*Ibid.*). Et ita pro illorum qui sub lege erant salute, illam paulisper districtionem sententiæ suæ calcans, qua dixerat, *Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo viram*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

conversionem impedirent. Et hoc quidem modo dicit simulasse Paulum quando persolvit votum in templo Hierosolymitano, Act. XXI, et quando circumcidit Timotheum, ut habetur Act. XVI, et quando a Jacobo monitus quædam legalia suscepit, ut habetur Act. XV. Quæ quidem simulatio sic intelligenda est, non quod illos actus secundum rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant tamquam legis cæremonias observantes, sed propter alias causas. Augustinus vero dicit quod apostoli servabant ipsa legalia, non quod in eis vim aut spem salutis ponerent; sed quod ita expediret tum ad conversionem Judæorum, tum ad sepeliendam cum honore Synagogam, ne si statim abolerentur et prohiberentur legalia, pari gradu et loco haberi viderentur cum ritibus gentilium et idololatria, quasi non fuissent a Deo instituta et bona. Tertio, discordant de peccato Petri. Nam Hieronymus dicit in simulatione prædicta Petrum non peccasse, quia hoc ex charitate fecit, et non ex aliquo timore mundano. Augustinus vero dicit eum peccasse, venialiter tamen, per indiscretionem, qua videbatur nimium inhærere Judæis, ad vitandum eorum scandalum. Quarto, discordant in reprehensione Pauli; nam Hieronymus dicit quod Paulus non vere reprehendit Petrum, sed simulatorie, sicut et Petrus simulatorie legalia servabat. Augustinus vero hoc improbat, quia Paulus in canonica Epistola ad Galatas II, in qua nefas est credere aliquod falsum esse, dicit quod Petrus reprehensibilis erat : unde verum est quod Petrus peccavit, et Paulus vere eum, non simulatorie, reprehendit. Hæc S. Thomas, nonnullis contractis aut intermissis ob nimiam prolixitatem. Si plura desideras, lector, consule Baronium de tota hac controversia erudite admodum et accurate disserentem tomo primo Annalium, nec non Bellarminum lib. I de Rom. Pontifice c. 28.

[a] D. Augustinus (*Contra Mendacium cap.* 10) hujusmodi mendacia, de quibus hic agitur, sicut et alia peccata, quæ secuta aliqua utilitate compensantur, ideoque apud homines excusantur, vocat compensativa : *In omnibus*, ait, *actibus nostris maxime etiam bonos turbant compensativa peccata, ita ut nec peccata existimentur, si habeant tales causas, propter quas fiant, in quibus videtur peccari potius si non fiant. Et præcipue de mendaciis hoc in hominum opinione prævaluit, ut peccata non putentur illa mendacia, quin immo et recte facta esse credantur, quando quisque pro ejus, cui falli expedit, utilitate mentitur; aut ne aliis noceat, qui nociturus videtur, nisi mendaciis evitetur.*

[b] Id quomodo citra simulationem aut mendacium ab Apostolo præstitum sit, declarat idem Augustinus his verbis (*Ibid. cap.* 12): *Quod Paulus ait : Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, etc., compatiendo id fecit, non mentiendo. Fit enim quisque tamquam ille cui vult subvenire, quando tanta misericordia subvenit, quanta sibi subvenire vellet, si esset ipse in eadem miseria constitutus. Itaque fit tamquam ille, non quia fallit illum, sed quia se cogitat sicut illum. Nam propterea quia dixit : Factus sum Judæis tamquam Judæus; et iis qui sub lege erant, tamquam sub lege : idne putandus est mendaciter suscepisse legis veteris sacramenta; debuit et gentium idololatriam eodem modo mentiendo suscipere, quia dixit etiam iis qui sine lege erant, tamquam sine lege se factum, ut eos lucrifaceret. Quod utique non fecit. Non enim alicubi sacrificavit idolis, aut adoravit illa figmenta; ac potius libere, tamquam martyr Christi, detestanda et vitanda monstravit.*

(*Galat.* II), caput radere, purificari secundum legem, atque in templo Mosaico ritu vota offerre compellitur. Quæris etiam ubi pro salute eorum qui legem Domini penitus ignorabant, tamquam si et ipse sine lege esset, effectus sit sine lege? Lege in Atheniensi urbe gentilium, ubi vigebat impietas, quo usus sit prædicationis exordio : *Præteriens*, inquit, *vidi simulacra vestra et aram in qua erat scriptum, Ignoto Deo* (*Actor.* XVII). Cumque de eorum superstitione sermonem fuisset orditus, tamquam si et ipse sine lege esset, sub occasione profani illius tituli fidem Christi intulit, dicens : *Quod ergo vos ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis* (*Ibid.*). Et post pauca, velut si divinæ legis penitus esset ignarus, gentilis poetæ versum potius quam Moysis aut Christi maluit proferre sententiam : *Et sicut quidam*, inquiens, *vestrorum poetarum dixerunt : Ipsius enim et genus sumus* (*Ibid.*). Cum itaque suis eos, quæ refutare non possent, testimoniis fuisset aggressus, ita de falsis vera confirmans subdidit, dicens : *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro vel argento aut lapidibus sculpturæ artis et cogitationi hominis, divinitatem esse similem* (*Ibid.*). Infirmis autem infirmus effectus est, cum secundum indulgentiam, non secundum imperium, his qui se continere non poterant, in id ipsum redire concessit (I *Cor.* VII), sive cum lacte, non esca Corinthios potans, in infirmitate et timore et tremore multo apud eos fuisse se dicit (I *Cor.* III). Omnia autem omnibus factus est, ut omnes faceret salvos, cum dicit : *Qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV); et *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit* (I *Cor.* VII). Et alibi : *Quis*, inquit, *infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI)? Atque hoc modo illud quod Corinthiis præceperat, adimplevit, dicens : *Sine offensione estote Judæis et Græcis et Ecclesiæ Christi, sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (I *Cor.* X). Utile enim sine dubio fuerat Timotheum non circumcidere, caput non radere, purificationem Judaicam non assumere, [a] nudipedalia non exercere, vota legalia non offerre, sed facit hæc omnia dum illorum saluti plus consulit; quia non quærit quod sibi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Quod quamvis contemplatione Dei sit factum, [b] tamen simulatione non caruit. Qui enim per legem Christi legi mortuus fuerat ut Deo viveret (*Galat.* II), quique illam justitiam legis in qua conversatus fuerat sine querela detrimentum fecerat, et arbitrabatur ut stercora, ut Christum lucrifaceret (*Philip.* III), ea quæ legis erant vero cordis affectu offerre non potuit. Nec fas est credi eum qui dixerat, *Si enim quæ destruxi, hæc iterum reædifico, prævaricatorem me constituo* (*Galat.* II), in id incidere quod ipse damnaverat. Et intantum non magis res ipsa quæ geritur quam gerentis pensatur affectus, ut econtrario quibusdam reperiatur veritas nocuisse, et profuisse mendacium. Nam Doeg Idumæus regi Sauli de fuga David coram famulis conquerenti ac dicenti, *Numquid omnibus vobis dabit filius Jesse agros, et vineas, et universos vos faciet tribunos et centuriones, quoniam conjurastis omnes adversus me, et non est qui mihi renuntiet* (I *Reg.* XXII)? quid nisi verum prodidit, dicens : *Vidi filium Jesse in Nobe apud Achimelech sacerdotem, qui consuluit pro eo Dominum, et cibaria dedit ei, sed et gladium Goliath Philistæi dedit ei* (*Ibid.*)? Pro qua veritate eradicari de terra viventium meruit, ac de eo dicitur per Prophetam : *Propterea Deus destruet te in finem, evellet te et emigrabit te de tabernaculo, et radicem tuam de terra viventium* (*Psal.* LI). Ex illa igitur terra hic pro indicio veritatis perpetua eradicatione convellitur, in qua [c] Raab meretrix (*Josue,*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nudipedalia apud Judæos dicebantur quædam sacra, seu publicæ supplicationes, in quibus populus nudis pedibus incedens pluviam a Deo implorabat : de quibus Josephus lib. II de Bello Judaico. Quæ etiam apud Christianos nonnumquam in usu sunt (*Cæl. Rhodig. lib* XV *Antiq. Lect. cap.* 6). Eumdem vero ritum etiam in illa sanctificatione et purificatione Judæorum ex antiqua traditione observatum innuere videtur hic abbas, quamvis Numer. VI, ubi de Nazaræorum ritibus agitur, nulla ejus cæremoniæ mentio habeatur. Nam alias non apparet quando Apostolus hujusmodi nudipedalia exercuerit, more scilicet Judaico, quod tamen indicat etiam D. Hieronymus loco supra citato. Et rursus lib. I in Jovinianum (*Cap.* 8), ubi ait : *Multa compellitur Apostolus velle quæ non vult : circumcidit Timotheum, rasit in se cæsariem, nudipedalia exercuit, comam nutrivit, et totondit in Cenchris.* De nudipedalibus etiam gentilium meminit Tertullianus in Apologetico (*Cap.* 41).

[b] Immo caruit, ut ex dictis patet, nisi simulationem pro dissimulatione seu veri occultatione usurpes, ut hic passim usurpatur : *Non enim*, ait Augustinus (*Lib. de Mendacio cap.* 5) *ut nonnulli putant, etiam Paulus aut Timotheum circumcidit, aut ipse quædam ritu Judaico sacramenta celebravit; sed ex illa libertate sententiæ suæ, qua prædicavit nec gentibus prodesse circumcisionem, nec Judæis obesse. Unde nec illos astringendos ad consuetudinem Judæorum, nec istos a paterna deterrendos censuit. Unde illa verba ejus sunt : Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium; in præputio quis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et infra : *Timotheus cum in præputio vocatus esset, tamen quia de Judæa matre ortus erat, et ostendere cognatis suis debebat, ad eos* D *lucrifaciendos, non hoc didicisse in disciplina Christiana, ut illa sacramenta quæ legis veteris essent abominaretur, circumcisus est ab Apostolo : ut hoc modo demonstraret Judæis non ideo gentes non ea suscipere, quia mala sunt, et perniciose a patribus observata; sed quia jam saluti non necessaria post adventum tanti sacramenti, quod per tam longa tempora tota illa Scriptura propheticis figurationibus parturivit. Nam et Titum circumcideret, cum hoc urgerent Judæi, nisi subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, ut haberent quod de ipso Paulo disseminarent; tamquam eorum veritati cesserit, qui spem salutis evangelicæ in circumcisione carnis atque hujusmodi observationibus esse prædicarent, et sine his nemini Christum prodesse contenderent; cum contra nihil prodesset Christus eis qui eo animo circumciderentur, ut ibi esse salutem putarent.*

[c] De Raab meretrice, ejusque mendacio, quid sentiendum sit, superius dictum est (*Cap.* 17).

11) pro mendacio cum sua cognatione plantatur. Sic ut etiam Samson (*Judic.* XVI) illum diem occultatum mendacio, veritate impiæ conjugi perniciosissime prodidisse reminiscimur, cui propterea deceptionem intulit veritas inconsultissime patefacta, quia illud mandatum propheticum custodire neglexit, *Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui* (*Mich.* VII).

CAPUT XXI.

An interrogantibus occultam continentiam sine mendacio oporteat propalari, et an suscipienda sint quæ semel fuerint recusata?

Et ut exempla quædam de nostris quoque inevitabilibus ac pene quotidianis necessitatibus proferamus, quas quantalibet observantia numquam ita possumus præcavere, ut non vel inviti vel volentes cogamur in eas incurrere; quid, quæso, faciendum est, cum refectionem procrastinare disponentibus nobis, utrum refecerimus ad vesperam frater adveniens percunctatur; celandumne jejunium est et virtus parcimoniæ contegenda, an veritatis professione prodenda? [a] Si celamus ut Dominico satisfaciamus imperio, quod dicitur, *Non videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in abscondito* (*Matth.* VI): Et iterum, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Ibid.*); profecto mentimur. Si virtutem continentiæ propalamus, evangelica nos sententia jure percellit, *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Ibid.*). Quod si oblatum a fratre quispiam poculum cum definitione renuerit, absolute accepturum se esse denegans quod ille gaudens adventu ejus suppliciter ut sumatur exorat; rectumne est ut fratri ad genua provoluto in terramque prostrato, qui non nisi his officiis viscera charitatis expleturum esse se credidit, etiam cum labore suo pareat, an in sermonis sui atque propositi pertinacia perseveret?

CAPUT XXII.

Objectio, quod oporteat quidem abscondi continentiam, sed suscipi recusata non debeant.

Germanus : In illo quidem superiore exemplo dubium, ut credimus, non est, [b] quin expediat abscondi A continentiam nostram potius quam percunctantibus prodi; ac super hujuscemodi causis nos quoque [c] fatemur inevitabile esse mendacium. In secundo autem nulla nobis incumbit necessitas mentiendi : primum quia possumus ea quæ fratrum ministerio porriguntur ita renuere, ut nullo nos definitionis vinculo colligemus, deinde quod semel renuentes possumus immobilem tenere sententiam.

CAPUT XXIII.

Responsio, quod irrationabilis sit hujus definitionis pertinacia.

Joseph : Has definitiones illorum monasteriorum esse non dubium est in quibus renuntiationis vestræ, ut dicitis, rudimenta formata sunt; quorum principes fratrum refectioni suas assolent præponere voluntates, et obstinatissime id quod semel mente conceperint exsequuntur. Cæterum seniores nostri, quorum fidei apostolicarum signa virtutum testimonium reddiderunt, quique universa judicio potius ac discretione spiritus quam rigida animi obstinatione gesserunt, eos qui alienis infirmitatibus acquiescerent multo uberiores fructus quam eos qui in suis definitionibus perdurarent capere censuerunt; sublimiorisque pronuntiaverunt esse virtutis contegere potius continentiam necessario, ut dictum est, humilique mendacio, quam patefacere superbo veritatis indicio.

CAPUT XXIV.

Quomodo abbas Piammon suam continentiam celare maluerit.

Denique [d] abbas Piammon post viginti quinque annos oblatam sibi a quodam fratre uvam ac vinum absque hæsitatione suscipiens, confestim ea quæ ingesta fuerant contra consuetudinem degustare, quam ignotæ cunctis continentiæ maluit propalare virtutem. Nam si illud quoque considerare velimus, quod seniores nostros incunctanter fecisse *meminimus*, qui mirabilia virtutum suarum, vel proprios actus quos necesse erat ad instructionem juniorum in collatione proferri, sub aliorum solebant colorare personis, [e] quid aliud possumus quam apertum super

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Negat S. Augustinus : *Non enim*, inquit, *hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur. Plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo. Neque enim mentitus est Dominus, ubi ait : Multa habeo vobis dicere : sed non* D *potestis illa portare modo* (*Joann.* XVI). *Vera tacuit, non falsa locutus est quibus veris audiendis eos minus idoneos judicavit.* Non est igitur austeritas vitæ (quam hic abbas vocat continentiam) mendacio celanda, sed vel silentio aut aliqua verborum ambiguitate tegenda, vel, ubi expedit, ad Dei gloriam, non propriam, libere profitenda : quod qui facit, non utique perdit mercedem suam, ut hic male interpretatur. Vide sequentem annotationem.

[b] *Non ita tamen, ut dum cavetur arrogantia, veritas relinquatur*, ait D. Augustinus (*Tract.* 43 *in Joann. cap.* II). Et D. Gregorius XXVI Moralium : *Incaute humiles sunt, qui se mendacio illaqueant, dum arrogantiam vitant : immo mentiendo superbiunt, quia contra veritatem se erigunt, quam relinquunt. Qui enim necessitate cogente, vera de se bona loquitur, tanto magis humilitati jungitur, quanto et veritati sociatur. An Paulus humilis non fuit, quando æmulatione veritatis contra falsos apostolos tot de se discipulis fortia gesta narravit? Qui nimirum veritati inimicus existeret, si abscondendo virtutes proprias, prædicatores errorum prævalere permisisset* (*Vide Climacum gradu* 12).

[c] Immo contra fatendum est numquam inevitabile esse mendacium. Ob has vero et similes sententias erroneas et paradoxas in hac collatione sparsas lego alicubi (*In vet. cod. mss.*) hanc collationem abbatis Josephi, una cum collatione decima tertia, quam D. Prosper impugnavit, a facultate theologica Parisiensi fuisse damnatam atque explosam.

[d] Ille, cujus est collatio quæ sequitur, decima octava, de tribus generibus monachorum : ubi plura de eodem notanda.

[e] Frivolum plane argumentum, ut merito ait Cuychius. Quis enim dixerit mentiri eum qui de se loquitur in tertia persona, si nihil falsi admisceat? Ergo mentitus est Christus, quando dixit : *Filius hominis tradetur gentibus ad illudendum et flagellan-*

his judicare mendacium? Atque utinam nos quoque dignum aliquid haberemus quod ad incitandam fidem proponi junioribus posset? profecto minime vereremur hujuscemodi illorum figmenta sectari. Rectius enim est sub talis figuræ colore mentiri, quam pro observantia irrationabilis istius veritatis, aut ea quæ audientes ædificare potuerant, incongrua taciturnitate contegere : aut si ex nostra persona veraciter proferantur, jactantiam noxiæ vanitatis enarrare. Ad quod etiam nos magisterio suo doctor gentium evidenter instituit, qui revelationum suarum magnitudinem ex alterius maluit proferre persona, dicens : *Scio hominem in Christo, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum usque ad tertium cœlum, et scio hujusmodi hominem quia raptus est in paradisum, et audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui* (II *Cor.* XII).

CAPUT XXV.

Testimonia Scripturarum de commutatis definitionibus.

Impossibile nobis est breviter universa percurrere. Quis etenim enumerare sufficiat omnes propemodum patriarchas sanctosque innumerabiles, alios pro vitæ tutamine, alios pro benedictionis desiderio, alios pro alicujus occultatione mysterii, alios pro zelo Dei, alios pro examinatione veritatis, [a] patrocinium (ut ita dixerim) assumpsisse mendacii? Quæ sicut enumerari cuncta non possunt, ita prætermitti penitus universa non debent. Nam beatum Joseph pietas compulit, ut falsum fratribus crimen etiam cum obtestatione regiæ salutis impingeret, dicens : [b] *Exploratores estis, infirmiora terræ venistis inspicere* (*Genes.* XLII). Et infra : *Mittite*, inquit, *ex vestris unum; et adducite fratrem vestrum huc, vos autem custodiemini hic, usque dum manifesta fiant verba vestra, an verum dicatis, an non : sin autem, per salutem Pharaonis, exploratores estis* (*Gen.* XLII). Si enim non eos hoc misericordi mendacio terruisset, nec patrem fratremque revisere, nec eos in tantis inopiæ periculis alere, nec conscientiam postremo fratrum a reatu venditionis suæ expurgare potuisset. Non ergo tam reprehensibile fuit metum fratribus incussisse mendacio, quam sanctum atque laudabile occasione ficti periculi inimicos ac venditores suos ad salutarem pœnitentiam compulisse. Denique cum gravissimæ insimulationis urgerentur invidia, non illius quod falso objiciebatur, sed anterioris criminis conscientia frangebantur, dicentes ad invicem : *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, quia despeximus tribulationem animæ ejus, cum rogaret nos et non audivimus eum : propter hoc venit nobis omnis tribulatio hæc* (*Ibid.*). Quæ quidem confessio non solum apud fratrem, in quem impia crudelitate peccaverant, verum etiam humilitate saluberrima tantum eorum facinus, ut credimus, expiavit. [c] Quid Salomon, qui perceptum a Deo sapientiæ donum in primo judicio suo non nisi assumptione mendacii declaravit? Nam ut veritatem quæ mulieris mendacio tegebatur exsculperet, etiam ipse mendacii utique astutissime excogitati usurpavit auxilium, dicens : *Afferte mihi gladium, et dividite infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri* (III *Reg.* III). Quæ simulatio crudelitatis cum veræ matris viscera permovisset, ab ea autem quæ mater non erat laudaretur, tunc demum sagacissimo veritatis judicio [*Al.* Indicio] illam sententiam promulgavit, quam nemo a Deo inspiratam esse non credidit : *Date*, inquiens, *huic infantem vivum, et non occidatur, hæc est enim mater ejus* (*Ibid.*). Proinde nec debere nec posse nos universa complere, quæ vel cum quiete animi vel cum commotione decernimus, etiam aliis Scripturarum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

dum et crucifigendum. Et, *Filius hominis venturus est cum potestate magna et majestate*, etc. Quo quid absurdius dici potest?

[a] Valde mirum est hunc abbatem ita desipere, ut etiam patriarchis, immo Apostolis, non solum mendacii notam, sed et patrocinium ascribere non sit veritus : quod tam alienum est a veritate, quam quod maxime. Sed indulgendum ejus generis hominum simplicitati.

[b] Sciebat Joseph fratres suos non esse exploratores, nec de hoc dubitabat, ut tentando dumtaxat et explorando, non asseverando ea verba proferret, ut quidam interpretantur. Sed hoc crimen eis impegit, ut cogeret, quo in statu pater versaretur, et Benjamin frater uterinus quem unice diligebat, expromere. Ita Josephus Antiquit. lib. II cap. 3, et Sulpitius Hist. Sacræ lib. I. Nec tamen injuste aut injuriose sic eos insimulavit; quia cum publicam judicis personam gereret in Ægypto, poterat cum eis more judicum severius agere, et ut conscius a rei patrati in se criminis publica auctoritate vindictam exigere. Minorem tamen longe exegit quam commeriti erant, quia res non agebatur publico judicio. Restat igitur ut mendacium quoddam officiosum, aut huic simile, non perniciosum, quia non injustum, fuisse fateamur. Attamen D. Augustinus ab omni mendacio excusare videtur, dum verba illa sic exponit (*Quæst.* 168 *in Genesim*) : *Exploratores estis, id est, exploratorum pœna digni, vel pro exploratoribus habendi. Et huic sententiæ*, inquit, *interposuit jurationem, quia si vera non dixissent, exploratores essent, id est, exploratorum pœna digni essent, quos tamen vera dicere sciebat. Neque enim perjurus est quisque, si ei quem castissimum novit, dicat : Si hoc adulterium, de quo argueris, commisisti, damnat te Deus; et si his verbis adhibeat jurationem, verum omnino jurat. Ibi est enim conditio, qua dixit : Si fecisti, quem tamen non fecisse certum habet. Sed ait aliquis : Verum est, quia si fecit adulterium, damnat illum Deus; hoc autem quomodo verum est : si non verum dicitis, exploratores estis, cum etiam si mentiantur, non sint exploratores? Sed hoc est quod dixi ita dictum esse : Exploratores estis, hoc est, exploratores deputabimini merito mendacii vestri. Estis autem potuisse dici pro habebimini et deputabimini, innumeræ similes locutiones docent. Unde est illa Eliæ prophetæ : Quicumque exaudierit in igne, ipse erit Deus. Non enim tunc erit, sed tunc habebitur.* Ita Augustinus.

[c] Nullum agnoscitur mendacium in judicio Salomonis, quia nihil contra mentem elocutus est; neque simulatio proprie dicta, quia neminem fallere voluit : sed sagacissima exploratio affectus materni et naturalis; ex quo, cujus esset filius de quo quærebatur, sapienter agnovit et judicavit.

testimoniis copiosius edocemur, quibus vel viros sanctos, vel angelos, vel ipsum omnipotentem Deum, ea quæ definierant frequenter legimus immutasse. Nam beatus [a] David cum jurisjurandi definitione decrevit, dicens : *Hæc faciat Deus inimicis David, et hæc addat, si reliquero de omnibus quæ pertinent ad Nabal usque mane mingentem ad parietem* (I *Reg.* XXV). Et continuo intercedente Abigail uxore ejus, ac pro eodem supplicante, remittit minas, mollit sententiam, et mavult transgressor propositi judicari quam sacramenti sui fidem cum crudelitatis exsecutione servare, dicens : *Vivit Dominus, nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem* (*Ibid.*). Cujus sicut illam præcipitis sacramenti facilitatem, quæ de perturbatæ mentis commotione descenderat, nequaquam imitandam esse censemus, ita remissionem atque emendationem statuti sectandam esse decernimus. Electionis Vas Corinthiis scribens, reditum suum absoluta definitione promittit, dicens : *Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero. Macedoniam enim pertransibo, apud vos autem manebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquanto tempore manere apud vos* (I *Cor.* XVI). Cujus rei etiam in secunda Epistola ita meminit : *Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis, et per vos transirem in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam* (II *Cor.* I). Sed superveniente salubriore consilio, nequaquam se id quod promiserat exsecutum evidentissime confitetur. *Cum hoc*, inquit, *voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me est et non* (*Ibid.*)? Denique cur maluerit definitionem sui præterire sermonis, quam adventu suo onerosam discipulis inferre tristitiam, etiam cum sacramenti obtestatione declarat : *Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni Corinthum. Statui enim hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos* (II *Cor.* I). Cum intraturos se domum Lot Sodomis angeli denegassent, dicentes ad eum, [b] *Non intrabimus, sed in platea manebimus* (*Gen.* XIX), continuo ejus precibus compelluntur statutum mutare sermonem, sicut Scriptura subjungit : *Et coegit eos Lot, et diverterunt ad eum* (*Gen.* XIX). Qui utique si diversuros se ad eum esse noverant, invitantis petitionem simulatoria excusatione renuerunt : sin autem veraciter excusabant, evidenter immutasse sententiam comprobantur. Quæ utique non ab aliam credimus causam Spiritum sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi ut istis erudiamur exemplis in definitionibus nostris non pertinaciter permanere, sed eas arbitrio nostro debere subjicere, et ita judicium nostrum ab omni legis vinculo liberum conservare, ut promptum sit ad sequendum quocumque vocaverit salubre consilium, nec differat aut recuset ad id quod utilius discretio salutaris invenerit absque ulla cunctatione transire. Et ut ad sublimiora adhuc ascendamus exempla, decumbentem in lecto regem Ezechiam, gravique ægritudine laborantem, ex persona Dei Isaias propheta adorsus est, dicens : *Hæc dicit Dominus, Dispone domui tuæ, quia morieris tu et non vives. Et convertit*, inquit, *Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno* (*Isaiæ* XXXVIII). Post quæ rursus dicitur ad eumdem : *Revertere et dic Ezechiæ regi Juda, dicens : Hæc dicit Dominus Deus David patris tui : Audivi orationem tuam, et vidi lacrymam tuam, et ecce adjiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum liberabo te, et civitatem hanc protegam propter me, et propter David servum meum* (*Ibid.*). Quid evidentius hoc testimonio, quo misericordiæ ac pietatis intuitu [c] mavult Dominus suum cassare sermonem, et ad præstitutæ mortis terminos quindecim annis vitam precantis extendere, quam per immobilitatem decreti sui inexorabilis inveniri? Similiter etiam loquitur ad Ninivitas censura divina : *Adhuc triduum et Ninive subvertetur* (*Jonæ* III). Moxque pœnitentia eorum jejuniisque mollitur tam minax et abrupta sententia, atque ad partem misericordiæ prona pietate deflectitur. Quod si quis, velut præscium conversionis eorum, subversionem civitatis ad hoc eis Dominum asserat comminatum, ut cos ad salutarem pœniten-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De hoc Davidis juramento temere facto, ejusque salubri correctione et retractatione hæc Augustinus libro sæpe citato (*Cont. mendac.* c. 9) : *An quia juravit David se occisurum esse Nabal, et clementi consideratione non fecit, propterea illum imitandum esse dicemus, ut temere juremus nos esse facturos, quod non esse faciendum postea videamus?* Quasi diceret : Absit.

[b] Putat hic abbas angelos usos simulatione vel mutasse sententiam. Sed probabilius est quod alii docent, tantum negasse se ingressuros prima vice, ut dicitur, id est, ad primam hanc invitationem ; non vero, si amplius urgerentur. Ita Cajetanus.

[c] Nihil non agit hic abbas, ut mendacio patrocinium undecumque accersat. Itaque non contentus hactenus homines etiam sanctissimos, immo et angelos fecisse mendaces et mendacii patronos, parum abest quin et Deum ipsum doceat esse mendacem. Porro sententiæ illæ comminatoriæ, quas in confirmationem suæ opinionis perperam adducit, quibus scilicet Deus Ezechiæ mortem, Ninivitis subversionem, aliis peccatoribus varia supplicia comminatus est, quæ tamen non intulit, non fuerunt absolutæ, sed conditionatæ, et sub hac vel simili conditione intelligendæ : nisi pœnitentiam egerint aut Dei misericordiam imploraverint. Proinde non cassatur Dei sermo, nec mutatur proprie Dei sententia, quando hac conditione, id est, correctione et pœnitentia subsecuta effectus comminatorius non sequitur. Minatur enim Deus, non ut minas opere compleat, sed potius ut hominibus emendatis et pœnitentiam agentibus non exsequatur. Vide plura in censura dom. Cuychii.

tiam provocaret, consequens est ut hi qui fratribus præsunt absque reprehensione mendacii his qui indigent emendari aliqua etiam districtiora quam facturi sunt, si opus fuerit, comminentur. Sin vero dixerit Deum severam illam sententiam suam pœnitentiæ eorum consideratione revocasse, secundum illud quod per Ezechielem ait, *Si dixero impio, morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, vita vivet, et non morietur* (*Ezech.* XXXIII); quibus docemur exemplis, non debere nos obstinate in nostris definitionibus perdurare, sed comminationem ex necessitate propositam, clementi miseratione mollire. Quod ne solis specialiter Ninivitis crederetur Dominus præstitisse, etiam generaliter erga omnes eadem se esse facturum per Jeremiam prophetam protestatur, et, cum necesse fuerit, incunctanter suam se sententiam mutaturum pro nostris meritis repromittit, dicens : *Repente loquar adversus gentem et adversus regnum, ut evellam et destruam et disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo quod locutus sum adversus eam, agam et ego pœnitentiam super malum quod cogitavi ut facerem ei. Et subito loquar de gente et regno, ut ædificem et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bonum quod locutus sum ut facerem ei* (*Jerem.* XV). Ad Ezechielem quoque ait : *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, et convertatur unusquisque a via sua mala, et pœnitebit me mali quod cogitavi facere eis propter malitiam studiorum eorum* (*Jerem.* XXVI). Quibus testimoniis declaratur non oportere ut pertinaciter in nostris definitionibus hæreamus, sed ratione eas ac judicio temperandas, semperque prælegenda ac præferenda esse meliora : et ad illam quæ utilior dijudicata fuerit partem sine cunctatione aliqua transeundum.

CAPUT XXVI.

Quod non secundum immensitatem præscientiæ divina clementia, sed secundum præsentes actus vel remuneret unumquemque vel puniat.

Illud etiam præ omnibus inæstimabilis illa censura nos instruit quod cum sit ei ante ortum uniuscujusque prænotitus finis, ita ordinate ac ratione communi et humanis quodammodo omnia dispensat affectibus, ut non potentialiter nec secundum præscientiæ suæ ineffabilem notitiam, sed secundum præsentes hominum actus universa dijudicans, vel respuat unumquemque vel attrahat, et vel infundat quotidie suam gratiam vel avertat. Quod ita esse etiam illa Saulis manifestat electio (I *Reg.* X), cujus utique cum vituperabilem finem præscientia Dei ignorare non posset, de tot millibus Israelis elegit eum et unxit in regem, præsentis in illo meritum vitæ remunerans, non peccatum futuræ prævaricationis intendens : ita ut postquam reprobus factus est, velut pœnitudinem gerens electionis suæ Deus, humanis quodammodo de eodem vocibus atque affectibus conqueratur, dicens : [a] *Pœnitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit.* Et iterum : *Verumtamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset regem Saul super Israel* (I *Reg.* XV). Denique hoc quoniam [quod jam] opere fuerat exsecutus, postea etiam per Ezechielem prophetam Dominus protestatur cum omnibus se hominibus quotidiano gesturum esse judicio : *Etiamsi dixero*, inquiens (*Ezech.* XXXIII), *justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate quam operatus est in ipsa morietur. Sin autem dixero impio, Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit nec fecerit quidquam injustum, vita vivet et non morietur ; omnia peccata ejus quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Denique cum ab illo populo quem ex omnibus gentibus Dominus adoptavit, propter subitam vituli prævaricationem misericordiæ suæ avertisset aspectum, interveniens pro eo legislator, exclamat (*Exod.* XXXII) : *Obsecro, Domine, peccavit populus iste peccatum magnum : fecerunt sibi deos aureos ; et nunc si remittis peccatum eorum, remitte ; sin alias, dele me de libro quem scripsisti.* Cui respondit Dominus : *Si quis*, inquit, *peccaverit coram me, delebo eum de libro meo.* David quoque dum de Juda et persecutoribus Christi prophetico spiritu quereretur, *Deleantur*, inquit, *de libro viventium.* Et quia non merebantur ad pœnitentiam salutarem pro reatu tanti criminis pervenire, subjungit : *Et cum justis non scribantur* (*Psal.* LXVIII). Denique in ipso Juda vis propheticæ maledictionis evidenter impleta est ; nam expleto proditionis crimine *suspendio se necavit* (*Matth.* XXVII), ne si post illam deletionem nominis sui conversus ad pœnitentiam esset, iterum cum justis scribi mereretur in cœlo. Non ergo est ambigendum, etiam Judæ nomen illo tempore quo ele-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Gregorius (*In* I *Reg.* XV) : *Quid est*, inquit, *quod pœnitere Dominus dicitur, cum mutari affectibus non credatur ? Sed quia cum mutabilibus summa immutabilitas loquitur, more eorum quibuscum loquitur, dum pœnitere dicitur, displicere sibi superborum temeritas designatur. Pœnitere enim solemus, cum mala nobis illi retribuunt, quibus nos honores aut dona impendisse memoramur. Quia ergo more nostro omnipotens Deus de superbi regis ingratitudine queritur, dignitatem regiam contulisse se illi pœnitere perhibetur. Quod profecto ad cumulum magnæ damnationis de superbis dicitur quia quod sunt, jam non ad meritum, sed ad pœnam sunt, qui in voluntate Dei non sunt. Pœnitere ergo Dei est voluntatem in reprobis non habere, cum a se honores impensos meminit ; sed eos quibus bona contulit, male uti bonis quæ contulit agnoscit. Hanc quippe pœnitentiam suam Deus aliis verbis per Malachiam prophetam Judæis insinuat dicens* (*Cap.* I) : *Non est mihi voluntas in vobis, et sacrificium non suscipiam de manu vestra.* Vide D. Ambrosium lib. de Arca et Noe c. 4 ; S. Augustinum de Civit. Dei lib. XV cap. 25, et S. Thomam part. I, q. 19, art. 7.

ctus a Christo apostolatus sortitus est gradum, in libro viventium fuisse conscriptum, ac pariter eum audisse cum cæteris : *Nolite gaudere quia dæmonia vobis subjiciuntur, gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt cœlis* (*Lucæ* x). Sed quia philargyriæ peste corruptus, de ascriptione cœlesti ad terrena dejectus est, competenter de eo ac de similibus ejus dicitur per prophetam : *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundantur, recedentes a te in terra scribantur; quia dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum* (*Jerem.* XVII). Et alibi : *In consilio populi mei non erunt, et in scriptura domus Israel non scribentur, et in terram Israel non ingredientur* (*Ezech.* XIII).

CAPUT XXVII.

Quod sancti viri pertinaces ac duri esse non possunt.

Nec illius præcepti utilitas est silenda, quod etiam si instigante ita vel qualibet alia passione, [a] sacramento nos aliquo vinxerimus, quod a nemine quidem monachorum fieri penitus debet, utriusque tamen rei causa integro mentis est pensanda judicio, et comparanda est illa res quam statuimus, huic ad quam transire compellimur, atque ad eam sine cunctatione est transeundum, quæ superveniente seniorum tractatu, justior fuerit judicata. [b] Rectius enim

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, voto, juramento vel promissione obligaverimus. Sacramentum enim, Festo interprete, dicitur quidquid jurejurando interposito geritur. Quo etiam modo noster auctor usurpat. Hinc sacramentum militare dicebatur, quo milites in verba imperatoris sui jurabant. Porro jurare extra necessitatem maxime dedecet religiosos et Deum timentes, præsertim ex ira aut alia passione, ut hic dicitur. Hinc D. Hieronymus ad Cœlantiam (*Epist.* XIV) : *Mentiri et jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes.* Et D. Augustinus ante conversionem suam ad jurandum proclivis, de se jam emendato et ad perfectionem evangelicam aspirante (*Serm.* 10 *de Sanctis*) : *Timendo,* inquit *Deum, abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes?* etc. Exstat enim hac de re præclarum documentum Innocentii III pontificis in jure canonico, quo monachos quosdam admonet et instruit his verbis (*Lib.* II *Decret. in cap. Etsi Christus, tit. de Jurejur.*) : *Licet debeatis esse viri perfecti, ut quantum potestis, juramenti vinculum evitetis; volentes tamen indemnitati vestri monasterii providere, ne propter defectum testium, sui juris sustineat læsionem; præsenti vobis pagina indulgemus* (id est, indultum esse ostendimus, ait glossa) *pro ipso perhibere testimonium veritati.* Hæc Pontifex et alia ex eodem cap. superius citata (*Ad cap.* 10).

[b] Id est, mutare propositum, etiam voto aut juramento firmatum. Quod postea docet intelligendum non de principalibus mandatis ad salutem necessariis, id est, de præceptis et votis religionis, sed de quibusdam exercitiis corporalibus, id est, jejuniis, orationibus, aliisque austeritatibus, ad quas solebant illi monachi subinde voto aut juramento incaute et imprudenter se astringere. Unde postea in magnos conscientiæ scrupulos et augustias incidebant, dum supervenientibus fratribus aut peregrinis vel alia causa exigente, compellerentur aliquid de sua austeritate relaxare, sicque votifragi, vel perjuri, vel nimium pertinaces et inhumani viderentur. Qua in re nimirum fallebantur illi, ignorantes obligationem voti et juramenti, et cujuslibet promissionis duplici ex causa cessare : 1° Si res aut opus juratum aut promissum postea reddatur impossibile juranti aut voventi, vel illicitum, superiore vetante (S. *Thom.* 2 2, *q.* 89, *art.* 7; *Beda homil.* 13; *Gratian.* 22, *q.* 4, *c. Si aliquid*). In his enim locum habet illa venet. Bedæ sententia a Gratiano citata : *Si quid nos incautius jurare contigerit, quod observatum pejorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum noverimus,* etc.; quod aliis verbis hic abbas dicit, *rectius esse nostrum nos præterire sermonem, quam rei salubrioris ac piæ subire jacturam.* 2° Si non quidem per se malum evadat, quod juratum est aut promissum, sed tamen majoris boni præstet impedimentum : ut si monachus voverit longa et austera jejunia, disciplinas, humi cubationes, etc., per quæ redderetur inhabilis et ineptus ad alia munia magis spiritualia et salutaria obeunda; aut si *juravit* se iturum ad ecclesiam tali die, et contingat *tunc* infirmum indigere ejus præsentia. Quod enim hujusmodi promissa et juramenta aut non obligent ab initio, aut postea obligare desinant, ostendunt verba Bedæ supra posita, quandoquidem observata pejorem vergant in exitum, dum per ea majus bonum excluditur. Atqui talis fuisse videtur sponsio illa, sive votum, sive juramentum, quo se Cassianus cum suo Germano suis superioribus et fratribus in cœnobio Bethleemitico obstrinxerat infra definitum tempus ad monasterium reversuros. Qua tamen non obstante, abbatis Josephi institutione et doctrina, ut in fine hujus collationis dicitur, velut divino oraculo confirmati in Ægypto residere, et cum illis patribus et anachoretis versari et convivere maluerunt : donec tandem expleto septennio ad suum cœnobium excurrentes sponsionem suam exsolverunt. Huc enim spectavit tota hujus abbatis disputatio et institutio in hac Collatione (*Vide cap.* 2 *supra*), ut eos doceret non bene sibi consuluisse, nec sapienter fecisse, quod se tam stricte ad certum tempus astrinxissent; qua conditione servata a majori bono, id est, a spirituali profectu et perfectionis studio ac feliciore progressu prohiberentur. Unde concludit eos hujusmodi conditione et definitione non teneri, eamque tuto et salva conscientia posse retractare, aut per ἐπιείκειαν commode interpretari : quod ejus suasu etiam fecerunt. Qua in re certe nec ille qui consuluit, nec hi qui consulentem audierunt, culpandi videntur; nisi quod ille hac occasione in defensionem et propugnationem mendacii a re proposita extraneam et supervacaneam devolutus sit, et mendacium plerumque pro mutatione consilii aut propositi acceperit, quasi idem sit mentiri ac mutare sententiam, quæ sane multum differunt, ut ex dictis liquet. Videbatur siquidem ista tum seria et diuturna commoratio in convictu et contubernio sanctissimorum monachorum et anachoretarum (haud dubie sub obedientiæ legibus et disciplina regulari, idque non alio fine quam ad majorem perfectionem acquirendam) transitus quidam ad arctiorem religionem, a cœnobitica vita ad anachoreticam : qui quidem transitus a SS. Patribus approbatur, et jure etiam canonico conceditur, petita superiorum licentia, quamvis non obtenta, cap. *Licet, de Regularibus* (*Lib.* III *Decretal.*). Sed eis maxime suffragatur D. Bernardi sententia in libro de Præcepto et Dispensatione (*Cap.* 20) ita scribentis : *Sane de religiosis ac bene ordinatis monasteriis nullus professorum, meo consilio, ne arctioris quidem vitæ desiderio, sine licentia sui senioris egredietur. Egressus tamen, si melius invenerit et elegerit, meo nihilominus jam consilio non regrediatur ad inferius bonum quod reliquerat et contempserat præ meliori; præsertim si illud melius tale fuerit, quod ejus primæ professioni congruere videatur. Ipse nempe viderit qua ratione quave intentione altiora seu arctiora præsum-*

est nostrum nos præterire sermonem, quam rei salubrioris ac piæ subire jacturam. Denique numquam rationabiles ac probatos patres duros aut irrevocabiles in hujusmodi definitionibus fuisse reminiscimur; sed velut ceram calore solis, ita eos ratione mollitos, et intercedente salubriore consilio melioribus partibus sine hæsitatione cessisse. Quoscumque autem vidimus definitionibus suis pertinaciter inhærere, irrationabiles semper probavimus ac discretionis expertes.

CAPUT XXVIII.

Interrogatio aut si contrarium prædictæ sententiæ illud quod dicitur, Juravi et statui, etc.

Germanus : Quantum ad hanc rationem pertinet quæ evidenter copioseque digesta est, nihil oportet monachum definire, ne aut prævaricator inveniatur aut pertinax. Et ubi illud Psalmistæ postponimus eloquium, *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII)? Quid est enim aliud jurare et statuere, quam definita immobiliter custodire?

CAPUT XXIX.

Responsio, in quibus immobilis definitio sit tenenda, et in quibus, si oportuerit, rescindenda.

Joseph : Nos [a] non de principalibus mandatis, sine quibus non potest salus nostra omnino subsistere, ista decernimus, sed de his quæ sine periculo status nostri relaxare possumus, vel tenere : ut puta de irremisso rigore jejunii, de vini sive olei perpetua abstinentia, de progressu cellulæ penitus cohibendo, de lectionis seu meditationis incessabili jugitate, quæ sine jactura professionis ac propositi nostri et exerceri cum libuerit possunt, et cum necesse fuerit irreprehensibiliter prætermitti. Cæterum super observantia illorum principalium mandatorum constantissime definiendum est, ac pro his etiam mors, si necesse fuerit, non vitanda, pro quibus immobiliter est dicendum, *Juravi et statui*. Quod fieri debet pro custodia charitatis, pro qua spernenda sunt universa, ne bonum tranquillitatis illius perfectioque maculetur. Similiterque jurandum est pro castimoniæ puritate, nec aliud facere nos oportet pro fide, pro sobrietate atque justitia, quæ omnia indemutabili perseverantia sunt tenenda, et [b] a quibus paululum recessisse damnabile est. De illis vero corporalibus exercitiis quæ ad modicum dicuntur esse utilia (I *Tim.* IV), ita est, ut diximus, statuendum, ut si qua supervenerit certior pietatis occasio quæ illa suadeat relaxari, nulla super his lege teneamur, sed prætermissis eis ad utiliora libere transeamus. In illis enim corporalibus exercitiis, si pro tempore relinquantur, periculum non est; ab his vero ad momentum declinasse mortiferum est.

CAPUT XXX.

Quemadmodum celanda aliis committi debeant.

Hoc quoque simili cautione curandum est, ut si quis forsitan sermo quem esse vultis occultum de vestro ore fuerit prolapsus, nulla occultationis præcepta sollicitent audientem; magis enim latebit si negligenter atque simpliciter transeatur, quia non quilibet fratrum super divulgationis ejus impugnatione torquebitur, existimans rem vilem aliquam transitoria confabulatione prolatam, et quæ ex hoc ipso sit levior quia cautissimo silentii præcepto sensibus audientis commendata non fuerit. Nam si etiam fidem ejus aliqua sacramentorum obtestatione devinxeris, [c] citius illud prodendum esse non ambigas. Major enim adversus ipsum vis diabolicæ impugnationis insurget, ut et te mœstificet vel denudet, et illum transgressorem quantocius sui faciat sacramenti.

CAPUT XXXI.

Nihil super his quæ ad usum communis vitæ attinent definiendum.

Et idcirco nihil debet abrupte monachus super his dumtaxat quæ ad corporales exercitationes pertinent definire, ne adversarium ad impugnationem eorum quæ velut sub legis observatione custodit, magis incitans, citius ea violare cogatur. Præfigens siquidem sibi legem unusquisque sub libertatis gratia constitutus, perniciosa semetipsum obligat servitute, ut ea quæ licite, immo etiam laudabiliter, cum gratiarum actione præsumere potuisset, si necessitas fortasse compulerit, velut transgressor percipere compellatur cum prævaricatione peccati. *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV). [d] Hac beatissimi Joseph

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

pserit : nam ad inferiora vel remissiora, me consulente, non apostatabit. Ita Bernardus. Ex quibus satis probabiliter colligi potest Cassianum ac Germanum, non obstante sua professione et promissione, potuisse apud illos patres in eremo permanere et religiosam vitam cum illis agere; qui status fuit et scopus totius hujus disputationis et collationis.

[a] Diligenter notanda definitio sive resolutio hujus cap., qua non minus docte quam pie explicatur quibus in rebus ac sermonibus locum habeat illa sententia cap. 27 superius allegata : *Rectius est nostrum nos præterire sermonem quam rei salubrioris ac piæ subire jacturam.*

[b] Vides etiam apud veteres monachos violationem voti continentiæ et aliorum essentialium, non secus ac principalium mandatorum Dei, judicatam fuisse damnabilem et mortalem. [Quod confirmat alius locus huic consentaneus, nec minus serius quoad obligationem et violationem votorum essentialium, lib. IV Instit. cap. 33, in hæc verba : *Sicut immensa gloria fideliter servientibus Deo ac secundum Regulæ institutionem ei adhærentibus repromittitur in futurum, ita pœnæ gravissimæ præparantur his qui tepide eam negligenterque fuerint exsecuti, et secundum hoc quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius est enim, secundum Scripturæ sententiam, non vovere quemquam, quam vovere, et non reddere.* Et, *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* Hæc ibi.

[c] Ergo ex sententia hujus abbatis non expedit alicui secreta sive arcana sua sub silentii fide et juramento committere, nisi rei gravitas vel necessitas aliud suadeat. Qua de re consule tractatum Dominici a Soto de ratione tegendi secreti.

[d] Recte observavit Do. Cuychius ex his verbis colligi Cassianum abbatis Josephi opinioni atque assertioni de mendacii licentia adhæsisse, aut certe ejus-

institutione atque doctrina velut divino oraculo confirmati, in Ægypto residere maluimus. Sed licet parum deinceps de nostra essemus promissione solliciti, tamen expleto septem annorum numero, sponsionem nostram gratanter implevimus. Excurrentes namque ad cœnobium nostrum illo jam tempore quo de impetrando ad eremum reditu fiduciam gerebamus, primum senioribus nostris honorem debitum solvimus : deinde animis eorum qui pro charitatis ardore creberrimis litterarum nostrarum satisfactionibus nequaquam fuerant deliniti, pristinam redintegravimus charitatem; tandemque ad plenum aculeo nostræ sponsionis avulso, his quoque cum gaudio prosequentibus ad Scythioticæ solitudinis secreta remeavimus. Hanc vobis, [a] o sancti fratres, illustrium Patrum scientiam atque doctrinam nostra, ut potuit, elucubravit inscitia, quam etiamsi ineultus forsitan sermo confudit potius quam digessit, quæso ne laudem insignium virorum reprehensio nostræ rusticitatis evacuet. Tutius siquidem nobis in conspectu nostri judicis visum est doctrinæ hujus magnificentiam vel incultis sermonibus prodere quam silere; quippe cum et profectui lectoris, si sublimitatem sensuum contempletur, hoc quod imperitia nostri sermonis offenditur obesse non possit, et major sit nobis utilitatis cura quam laudis. Neque enim hoc quod sanctorum virorum dicta descripsi, et plenum periculi, et egenum laudis esse non noveram; sed prudens, ut dicitur, laqueo pedem indidi, nec me indubitato discrimini sub incerta spe alieni profectus tradere recusavi; monens omnes ad quorum manus opuscula ista pervenerint, ut quidquid placuerit in eis, patrum, nostrum vero sciant esse quod displicet, omnes quibus amabilis est vita et doctrina sanctorum.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

dem erroris suspicionem incurrisse. Præsertim cum etiam lib. VI Institutionum de Archebio abbate scribens, cumque collaudans dicat illum religiosa circumventione et charitatis mendacio apud fratres usum fuisse; quasi vero charitas mendacio societur, quæ, teste Apostolo, *Nihil agit perperam, non gaudet super iniquitate; congaudet autem veritati* (I Cor. XIII), non mendacio. Quare non immerito Cassianus sub titulo Collatoris a D. Prospero etiam hoc nomine perstringitur (*Lib. contra Collat. c.* 9.).

[a] Honorate, scilicet, et Eucheri, quibus has septem collationes a se descriptas Cassianus dedicavit, ut patet ex præfatione collationis undecimæ.

JOANNIS CASSIANI

ABBATIS MASSILIENSIS

COLLATIONUM XXIV

COLLECTIO

IN TRES PARTES DIVISA.

PARS TERTIA,

COMPLECTENS

SEPTEM ULTIMAS COLLATIONES, PATRUM IN ULTERIORIS ÆGYPTI PARTIBUS HABITANTIUM.

Praefatio.

AD JOVINIANUM, MINERVIUM, LEONTIUM ET THEODORUM.

[a] Emensis, juvante gratia Christi, decem collationibus Patrum, quæ, exigentibus beatissimis episcopis Helladio ac Leontio, utcumque digestæ sunt, septem alias beato episcopo Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicavi : [b] Totidem et nunc vobis, o [c] sancti fratres, Joviniane, Minervi, Leonti et

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita namque plerique; excusi vero : *Emissis juvante gratia Christi,* etc. Paraphrastes : *Finitis decem collationibus,* etc.

[b] Hæc igitur tertia classis collationum a Cassiano descriptarum septenario itidem numero, ab hac octava decima usque ad vigesimam quartam et postremam comprehensa, et propria præfatione ac nuncupatione ab aliis discreta. Habent autem singulæ collationes suo auctores anachoretas. Nam prima hæc est abbatis Piammonis, secunda abbatis Joannis, tertia Pynuphii; quarta, quinta et sexta Theonæ; denique septima Abrahæ.

[c] Fuerunt hi quatuor abbates et monachorum patres ex Gallicanis partibus, et, ni fallor, ex Lyrinensi congregatione, quod ex sequentibus conjicere licet.

Theodore, credidi deputandas. Posterior siquidem vestrum illam cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in provinciis Gallicanis antiquarum virtutum districtione fundavit; cæteri vero non solum cœnobialem professionem apprime monachos expetere, verum etiam anachoreticam sitire sublimitatem vestris institutionibus provocastis. Ea namque collationes istæ summorum Patrum disputatione contextæ sunt, et ita in omnibus temperatæ, ut utrique professioni, qua non solum occiduas regiones, verum etiam [a] insulas, maximis fratrum catervis fecistis florere, conveniant; id est, ut non solum hi qui adhuc in congregatione laudabili subjectione perdurant, sed etiam illi qui haud longe a vestris cœnobiis secedentes anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, A pro conditione locorum ac status sui mensura plenius instruantur. Quibus hoc præcipuum contulit præcedens vestri laboris industria, ut parati jam atque in iisdem exercitiis deprehensi, facilius præcepta seniorum atque instituta suscipiant, [b] ipsosque in cellulas suas auctores collationum cum ipsis collationum voluminibus recipientes, et quotidianis quodammodo cum eis interrogationibus ac responsis colloquentes, non propriis adinventionibus arduam istam et incognitam ferme in hac regione appetant viam, sed periculosam etiam illic, ubi jam tritissimi calles et innumera præcedentium exempla non desunt, anachoreseos disciplinam illorum potius præceptis capere consuescant, quos in omnibus et antiqua traditio et longæ experientiæ instruxit industria.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Insulas nempe Stœchadas in mari Gallico sitas et tam Lerino quam aliis vicinas, et magna monachorum frequentia et sanctitate florentes, quibus hanc tertiam collationum classem Auctor destinavit, ut ipse testatur in sua præfatione ad collationem undecimam, ita Honoratum episcopum et Eucherium alloquens : *Si vero sanctam studii vestri sitim hæc satiare non quiverint, septem aliæ collationes, quæ ad sanctos qui in Stœchadibus consistunt insulis emittendæ sunt, fratres, desiderium, ut arbitror, vestri ardoris explebunt.*

[b] Pia monitio et hortatio meo itidem voto consen- B tanea, ut monachi omnes has collationes cum eorum auctoribus, sanctis videlicet patribus et anachoretis, in suas cellulas libenter et avide excipiant et apud se retineant : quotidie cum illis colloquantur et confabulentur, eos interrogent et eorum responsa accipiant; ut ab eis edocti, perfectionis viam ab eis monstratam et calcatam propensius, securius incedant. *Nam collationes Patrum, et instituta, et vita eorum* (ait noster D. Benedictus eorum æmulator et imitator eximius), *quid aliud sunt, nisi bene viventium et obedientium monachorum exempla et instrumenta virtutum* (*Reg. cap. ult.*).

COLLATIO DECIMA OCTAVA,

Quæ est Piammonis abbatis.

DE TRIBUS ANTIQUIS GENERIBUS MONACHORUM, ET QUARTO NUPER EXORTO.

CAPUT PRIMUM.

Quemadmodum Diolcon venientes ab abbate Piammone recepti fuerimus.

Post conspectum atque colloquium trium illorum senum, quorum Collationes, sancto fratre nostro Eucherio compellente, utcumque digessimus, cum etiam ulterioris Ægypti partes, in quibus amplior atque perfectior sanctorum numerus commeabat, majore flagrantia desideraremus expetere, [a] ad vicum cui nomen est Diolcos, uni ex septem Nili flu- C minis ostiis imminentem, non tam itineris necessitate quam desiderio sanctorum illic commorantium compellente, pervenimus. Cum enim velut cupidissimi mercatores plurima illic celeberrimaque cœnobia ab antiquis audivissemus patribus instituta, continuo quasi navigationem inquisitionis incertæ, spe majoris lucri persuadente, suscepimus. Ubi cum diutissime fluctuantes ad illos virtutum sublimitate conspicuos montes undique oculos tenderemus, abbatem [b] Piammonem omnium anachoretarum illic inhabitantium

ALARDI GAZEI COMMENTARIUS.

[a] De hoc vico vel oppido alias dictum est (*Lib.* v *Inst. c.* 36); in quo Piammonem abbatem claruisse Sozomenus et Nicephorus testantur.

[b] Piammon, non Piamon, legendum esse admonet Ciaconius, ex Græcis auctoribus. Est autem hic Piammon, de quo superius habita mentio, ubi ejus humilitas et studium tegendæ propriæ perfectionis et au- D steritatis refertur. De eodem Sozomenus hæc habet (*Lib.* VI c. 29; *Niceph. l.* XI c. 35) : *Piammon et Joannes id temporis quoque circiter* Διολκόν *Ægypti, celeberrimis præfuere monasteriis; exquisitissime autem sacerdotio* (*presbyteri enim erant*) *et summa cum reverentia perfungebantur. Traditum vero est Piammonem quodam tempore, cum sacrum faciebat, vidisse circa sacram mensam stantem angelum Dei, et monachos præsentes in libro scripsisse, absentes vero inde delevisse.* Sic ille. At hoc idem exemplum in Vitis Patrum paulo plenius et accuratius enarratur in hunc modum (*Lib.* II c. 32) : *Vidimus admirabilem presbyterum, nomine Piammonem, totius humilitatis et benignitatis virum, habentem etiam revelationum gratiam. Denique quodam tempore, cum Domino sacrificium offerret, vidit angelum Dei stantem juxta altare, et uniuscujusque monachorum accedentium ad altare scribentem nomina in libro quem tenebat in manibus, quorumdam tamen non scribentem. Cumque diligenter observasset senior, qui essent quorum nomina non scripsisset, postquam sunt completa mysteria, unumquemque eorum seorsum vocans, percunctatur quid ab eis in occulto peccati fuisset admissum; et invenit ex confessione unumquemque eorum peccati mortalis obnoxium. Tunc hortatur eos pœnitentiam agere, et semetipsum cum eis ante Dominum prosternens, die ac nocte, tamquam ipse in eorum peccatis esset obnoxius, flebat et tamdiu permansit cum eis in pœnitentia et lacrymis, donec iterum videret eumdem angelum stantem et scribentem accedentium nomina, et postquam omnium scripsit, tunc etiam illos ex nominibus evocantem et ad reconciliatio-*

seniorem, eorumdemque presbyterum, velut quamdam sublimissimam [a] pharum, primus circumspectantium notavit intuitus. Hic etenim sicut evangelica illa civitas in excelsi montis vertice constitutus (*Matth.* v), nostro protinus refulsit aspectui. Cujus virtutes atque mirabilia quæ per eum etiam sub conspectu nostro divina gratia testimonium meritis ejus reddente, perfecta sunt, ne vel propositi nostri formam vel modum hujus voluminis excedamus, prætermittenda credidimus. Non enim de mirabilibus Dei, sed de institutis studiisque sanctorum quædam quæ reminisci possibile est, non spopondimus tradituros, ut necessariam tantum perfectæ vitæ instructionem, non inutilem absque ulla emendatione vitiorum ac supervacuam admirationem legentibus præberemus. Cum itaque beatus Piammon summa gratulatione susceptos humanitate etiam congrua refecisset, intelligens nos non ejusdem esse regionis, primum unde vel cur Ægyptum petissemus sollicite percunctatus, ac de cœnobio Syriæ ob desiderium perfectionis nos illo advenisse cognoscens, ita exorsus est.

CAPUT II.

Quomodo rudes monachi exemplo seniorum debeant erudiri.

[b] Quisquis hominum, o [c] filii, cujuslibet artis peritiam assequi concupiscit, nisi omni cura atque vigilantia ejus se, quam nosse desiderat, disciplinæ studiis manciparit, ac perfectorum quorumque opificii ipsius vel scientiæ magistrorum præcepta atque instituta servaverit, frustra inanibus votis eorum similitudinem exoptat attingere, quorum curam atque industriam detrectat æmulari. Novimus enim nonnullos ita ad hæc loca de vestris regionibus advenisse, ut cognoscendi tantummodo gratia fratrum monasteria circumirent, non ut has regulas, ob quas huc commeaverant, atque instituta susciperent, ac secedentes in cellulas conarentur ea quæ vel visu vel traditione perceperant, operibus experiri. Qui mores suos ac studia quibus imbuti fuerant retentantes, ut eis exprobrari a nonnullis solet, non profectus sui gratia, sed vitandæ egestatis necessitate existimati sunt provincias commutasse. Non solum enim nihil eruditionis acquirere, sed ne diutius quidem in his partibus commorari, pertinacis animi obstinatione potuerunt. Cum enim nec jejuniorum morem, neque psalmorum ordinem, nec ipsorum denique indumentorum habitum permutassent, quid aliud in hac regione sectari quam sola victus sui compendia crederentur?

CAPUT III.

Quod juniores seniorum præcepta discutere non debeant.

Quamobrem, si vos, quemadmodum credimus, Dei causa ad æmulationem nostræ cognitionis attraxit, omnibus institutis quibus illic primordia vestra prævenia sunt, penitus abdicatis, quæcumque seniores vestros agere vel tradere videritis, summa humilitate sectamini. Neque vos moveat, aut ab imitatione retrahat ac divertat, etiamsi vobis ad præsens alicujus rei vel facti ratio vel causa non liqueat, quia eos qui bene de cunctis ac simpliciter sentiunt, et universa quæ a senioribus tradi gerive perspexerint, fideliter imitari magis quam [d] discutere student, per operis experientiam etiam rerum omnium scientia subsequetur. Cæterum numquam rationem veri-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

nem alturis invitantem. At vero ubi hoc senior vidit, intellexit eorum susceptam esse pœnitentiam, et sic eos altari tota cum gratulatione restituit. Hæc ibi; ex quibus intelligimus Cassianum non pro eodem accipere seniorem et presbyterum, sed seniorem ætate, presbyterum ordine et officio sacerdotii intelligere: quamvis πρεσβύτερος Latine seniorem sonet. Ex eodem loco etiam colligimus jam olim plerosque monachorum patres et archimandritas solere esse presbyteros et sacerdotes, ad hoc nimirum ordinatos ut sacramenta Domini conficerent et aliis ministrarent; quod ex multis aliis locis et exemplis alibi comprobavimus.

[a] Pharus, ut annotat Cuychius, insula est prope Ægyptum oblonga, parvaque, contra Nili ostia, nunc continenti conjuncta, quæ portum Alexandriæ efficiebat (*Plin. l.* XXXVI *cap.* 12); in quo portu, teste Strabone, turris ingens in altissima rupe ædificata erat, quæ navigantibus nocturno tempore lumen præbebat, quæque ab ipsa insula pharus quoque dicta est. Inde vero omnes ejusmodi turres et machinæ quæ lumen errantibus aut periclitantibus præstant, φάροι, quasi φάνοι, quod ex illis faces appareant. Hinc ergo Piammonem abbatem, propter insignis animi dotes ac virtutes, sublimissimæ cuidam Pharo comparat Cassianus. Hæc Cuychius et eadem aliis verbis Ciaconius.

[b] Simili fere sententia usus est abbas Moyses collat. 2 cap. 11: *Cum omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, et quæ nihil amplius quam vitæ hujus commodis prosunt, licet manu palpari queant et oculis pervideri, recte tamen a quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi; quam ineptum est credere hanc solam non egere doctore*, etc. Et D. Hieronymus in epistola 103, ad Paulinum: *Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis*, etc. *Ad minores artes veniam, et quæ non tam lingua quam manu administrantur: Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque, et fullones, et cæteri, qui variam supellectilem et vilia opuscula fabricant, absque doctore esse non possunt quod cupiunt. Quod medicorum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri*, etc.

[c] Filii, non fili, ut antea impressum. Nam ad plures sermo fit a Piammone, ut patet ex fine hujus capitis et initio tertii.

[d] Monachorum non est superiorum jussa aut acta discutere, sed simpliciter et sine discussione obedire. Sic alii Patres docuere. Basilius in Constitut. monast. (*Cap.* 20 *et* 23): *Monachi libentissime obtemperent suo præposito, nec ab illo eorum quæ sibi imponuntur rationem reposcant, nihil omnino ipsorum jussa curiosius perscrutando.* D. Hieronymus ad Rusticum monachum (*Epist.* 4): *Credas tibi salutare, quidquid monasterii præpositus præceperit, nec de majorum sententia judices, cujus officii est obedire et implere quæ jussa sunt, dicente Moyse* (*Deut.* XVII): *Audi, Israel, et tace.* Cassianus lib. IV Institut. (*C.* 10 *et* 41): *Ægyptii monachi universa complere, quæcumque fuerint a præposito suo præcepta, tamquam si a Deo cœlitus sint edita, sine ulla discussione festinant.* Et S. Gregorius, lib. II in primum Regum (*Cap.* 2): *Nescit judicare quisquis perfecte didicit obedire.*

tatis intrabit quisquis a discussione cœperit erudiri, quia videns eum inimicus suo potius quam patrum judicio confidentem, facile in id usque propellit, ut etiam illa quæ maxime utilia atque saluberrima sunt, superflua ei videantur et noxia. Atque ita præsumptioni ejus callidus hostis illudit, ut irrationabilibus definitionibus suis pertinaciter inhærendo, hoc solummodo sibi sanctum esse persuadeat, quod rectum atque justissimum suæ tantum obstinationis errore censuerit.

CAPUT IV.

De tribus generibus monachorum quæ intra Ægyptum sunt.

Quamobrem ordo atque principium professionis nostræ, quemadmodum vel unde descenderit, primum debetis agnoscere. Tunc enim poterit quis desideratæ artis efficacius assequi disciplinam, et ad exercendam eam ardentius incitari, cum auctorum et fundatorum ejus agnoverit dignitatem. [a] Tria sunt in Ægypto genera monachorum, quorum duo sunt optima, tertium tepidum atque omnimodis evitandum: primum est cœnobitarum, qui scilicet in congregatione pariter consistentes, unius senioris judicio gubernantur, cujus generis maximus numerus monachorum per universam commoratur Ægyptum; secundum anachoretarum, qui prius in cœnobiis instituti, jamque in actuali conversatione perfecti, solitudinis elegere secreta, cujus professionis nos quoque optamus esse participes; tertium reprehensibile sarabaitarum est; de quibus sigillatim per ordinem plenius disseremus. Harum igitur trium professionum fundatores primum, ut diximus, debetis agnoscere. Nam profecto ex hoc ipso vel odium professionis illius nasci poterit quæ vitanda est, vel ejus desiderium quæ sequenda; quia necesse est unamquamque viam ad illum finem suum pertrahere sectatorem, ad quem auctor ipsius inventorque pervenerit.

CAPUT V.

Quibus auctoribus cœnobitarum sit instituta professio.

Itaque [b] cœnobitarum disciplina a tempore præ-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Tria dumtaxat antiquiora in hoc cap. recenset; quartum vero addit his recentius, infra, cap. 8, quod tamen non nominat. Ita quatuor genera monachorum constituit. Unde et titulus huic collationi præfixus: *De tribus antiquis generibus monachorum, et quarto nuper exorto.* At D. Hieronymus in epist. ad Eustochium (*Epist.* 22), tria tantum monachorum genera in Ægypto fuisse commemorat; unde apparet quartum eo tempore nondum fuisse exortum, aut non ita cognitum: *Tria sunt*, inquit, *in Ægypto genera monachorum: primum cœnobitæ, quod illi sauses gentili lingua vocant, nos in communi viventes possumus appellare; secundum anachoretæ, qui soli habitant per deserta, et ab eo quod procul ab hominibus recesserunt nuncupantur; tertium genus est quod remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, et quod in nostra provincia aut solum aut primum est.* Ita D. Hieronymus. D. Benedictus, Cassianum, ut solet, imitatus cap. 1 suæ Regulæ, quadruplex itidem genus monachorum designat, primum cœnobitarum, secundum anachoretarum, tertium sarabaitarum, quartum gyrovagorum, et singulorum mores et instituta summatim describit. Porro D. Augustinus, libro de Moribus Ecclesiæ, duos tantum ordines sive genera monachorum vere et proprie dicta agnoscit, unum anachoretarum sive eremitarum, alterum cœnobitarum, de quibus etiam Cassianus lib. v Inst. cap. 36. Quæ quidem sententia est verissima. Nam tertium illud genus a D. Hieronymo, et tertium ac quartum hic a Piammone et a D. Benedicto commemoratum, non sunt vere genera monachorum, sed potius monstra aut larvæ monachorum; nec veri ordines, sed confusiones, eversiones et corruptiones religionum, ut notavit Bellarminus (*Lib.* II *de Monachis cap.* 3). Nam tertium genus vocant eorum qui in cœnobiis vivunt, sed adhuc aliquas proprias retinent facultates, nec in omnibus obtemperant superioribus; quæ sine dubio est corruptio vitæ cœnobiticæ. Quartum genus vocant eorum qui ex monasteriis ad eremum transeunt, non ut sanctius, sed ut liberius vivant, nimirum excusso jugo superiorum et legum cœnobiticarum; quæ est corruptela vitæ eremiticæ: quare merito dicuntur ista duo deterrima genera monachorum. Fallitur autem Isidorus lib. II de Divinis Officiis (*Cap.* 15), ubi sex enumerat genera monachorum, cœnobitas, eremitas, anachoretas, gyrovagos, circumcelliones et sarabaitas. Nam iidem sunt anachoretæ et eremitæ, sicut iidem etiam circumcelliones et gyrovagi, ut ex sequentibus patebit. Distinguit quidem Isidorus eremitas ab anachoretis (*Bellarm. lib.* II *de Monachis cap.* 3), *Quod illi procul ab hominibus recedentes, deserta et vastas solitudines inhabitent, ad imitationem*, inquit, *Eliæ et Joannis Baptistæ, qui eremi secessus penetrarunt; hi vero jam cœnobiali conversatione perfecti includant semetipsos in cellis procul ab hominum conspectu remotis, nulli præbentes accessum; sed in sola contemplatione divina, id est, theorica, viventes perseverent.* Verum hæc distinctio, quæ non tam in re quam in verbis consistit, non tanti est ut mutet speciem aut genus monachatus. Gyrovagos tamen Isidorus non nominat, sed eorum tantummodo mores et studia depingit, qualia D. Benedictus et alii Patres gyrovagis ascribunt.

[b] Idem astruunt cæteri Patres. Basilius in Const. Monast. cap. 19, de cœnobitis agens: *Ili*, inquit, *Liberatoris nostri ejusque vitæ, dum inter nos versaretur, institutorum veri perfectique imitatores existunt. Quemadmodum enim ille coacto discipulorum choro communia cuncta seque ipsum communem apostolis præbuit; ita hi quoque antistiti suo obtemperantes (qui modo vitæ suæ præscripta recte conservant) genus vivendi apostolorum ac Domini imitantur.* Chrysostomus, homil. 11 in Acta, dicit monachos sic vivere, ut olim initio Ecclesiæ vivebant omnes fideles in Jerusalem. Et lib. III contra vituperatores vitæ monasticæ asserit ea ab Apostolis impleta, quæ nunc a monachis implentur. Hieron. in Catalogo: *Philo*, inquit, *natione Alexandrinus, librum de prima Marci evangelistæ apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse memorans, et habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ: quales et Lucas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes* (*Act.* IV). Cassianus lib. II Inst. cap. 5 testatur *in primordiis Ecclesiæ monachos apud Alexandriam a B. Marco evangelista normam suscepisse vivendi, et non solum illa magnifica retinuisse, quæ primitus Ecclesiam, vel credentium turbas in Actibus Apostolorum legimus celebrasse: Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*, etc., verum etiam multo sublimiora cumulasse. Idem Augustinus (*Serm.* 1 *et* 2 *de Vita communi cleric.*), Isidorus (*Etymolog. lib.* VII *cap. ult.*) et alii. Cæte-

dicationis apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis exstitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita scribitur : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant ea omnibus prout cuique opus erat* (*Actor.* IV). Et iterum : *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* (*Ibid.*). Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile est. Sed cum post apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maxime quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluebat, a quibus apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inveterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi *ut ab immolatitiis idolorum et fornicatione et suffocatis et sanguine* temperarent (*Actor.* XV), atque ista libertas quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiæ quæ Hierosolymis consistebat perfectionem paulatim contaminare cœpisset, et crescente quotidie vel indigenarum numero, vel advenarum, primæ illius fidei refrigesceret fervor; non solum hi qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant Ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis fidem Christi confessionemque sequerentur. Hi autem quibus adhuc apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes a civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, et ea quæ ab apostolis per universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim ac peculiariter exercere cœperunt; atque ita coaluit ista, quam diximus, discipulorum qui se ab illorum contagio sequestraverant, disciplina. Qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, ab eo [a] quod conjugiis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

rum recte observavit Turrecrematus (*Tract.* 8 *in Regulam D. Bened.*), hoc genus cœnobitarum, quoad aliquid, initium sumpsisse a cuneis prophetarum : *Unde*, inquit, *Samuel dicitur primus instituisse religiosorum conventus, jugiter psallentium Domino, ut ait Magister in Historia Scholastica super illud* I *Reg.* X: *Obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, et ante eos psalterium. Quod autem istorum prophetarum conventus personam religiosorum repræsentarent, testatur Hieronymus in epistola ad Rusticum manachum dicens : Filii prophetarum, quos monachos in veteri Testamento legimus, etc. Quoad perfectam vero formam communis vitæ, et abrenuntiationem terrenorum, hoc genus monachorum, hæc cœnobitarum disciplina, ut dicit Cassianus, a tempore apostolicæ prædicationis sumpsit exordium.* Hæc ille.

[a] Monachi quare sic dicti, et quæ fuerit ejus nominis origo et etymologia, varie a scriptoribus traditur. Quamvis enim nomen monachi apud omnes Patres, tum Græcos, tum Latinos, frequentissimum sit, tamen quid significet, non eodem modo ab omnibus explicatur (*Bellarmin. lib.* II *de Monachis cap.* 1). Plerique a solitudine deductum putant, quia μόνος Latine solus dicitur. Quibus favere videtur D. Hieronymus in epist. ad Heliodorum (*Epist.* 1), ubi ait : *Interpretare vocabulum monachi, hoc est, tuum; quid facis in turba, qui solus es?* Et rursus in epistola ad Paulinum (*Epist.* 13) : *Si cupis esse quod diceris, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Atqui secundum hanc rationem et etymologiam nomen monachi solis eremitis et anachoretis proprie conveniret, ut qui soli habitabant in desertis, cum tamen monachorum nomen et institutio reperiatur apud Dionysium Areopagitam, qui fere trecentis annis Paulum primum Eremitam antecessit; et ipse etiam Hieronymus in epistola ad Eustochium (*Epist.* 22) nomen monachi tam cœnobitis quam anachoretis velit esse commune. Alii a monade monachos dictos interpretantur, id est, ab unitate, sive unione. Sed hæc rursum unitas sive unio dupliciter exponitur. Nam. D. Augustinus exponens illum versiculum psalmi CXXXII : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum : Ista*, inquit, *verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis molodia tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui in unum habitare concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum. Sonuit per orbem terrarum, et qui dispersi erant congregati sunt in unum.* Et infra : *Quare non appellemus monachos, cum dicat psalmus : Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum*, μόνος *enim unus dicitur; et non unus quomodocumque, nam et in turba est unus, sed una cum multis dici potest.* Μόνος *non potest, id est, solus;* μόνος *enim unus solus est. Qui ergo sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant, et sit illis vere quomodo scriptum est, una anima, et unum cor; multa corpora, sed non multæ animæ; multa corpora, sed non multa corda: recte dicitur* μόνος, *id est, unus solus. Inde et ille unus sanabatur in piscina* (*Joan.* V). Hæc Augustinus, quibus verbis indicat nihil aliud significare monachum quam hominem in tali unitate et communitate cum aliis ejusdem instituti viventem, ut cum illis efficiatur veluti unus homo, unum cor, et anima una, sicut dictum est de primis Christianis, quibus *erat cor unum, anima una, et omnia communia* (*Act.* IV). Verum hac ratione nomen monachi solis cœnobitis conveniret, immo vero nihil aliud significaret quam cœnobitam, id est, communiter cum aliis viventem. Relinquitur ergo verissima explicatio hujus vocabuli, quam hoc loco tradit abbas Piammon, μοναχοὺς sive μανάζοντας inde nominatos, *quod a conjugiis abstinerent, et a parentum se consortio ac mundi hujus conversatione secernerent*, ut nimirum soli Deo per contemplationem inhærerent. Quod et confirmat B. Dionysius Areopagita cap. 6 Eccles. Hierar., ubi dicit monachos appellari, *quod rebus divisibilibus relictis, monadi, id est, divinitati soli placere atque uniri contenderent. Inde*, inquit, *sancti præceptores nostri* (Apostoli) *divinis eos appellationibus sunt prosecuti, partim therapeutas, id est, cultores, a sincero Dei famulatu atque cultu; partim monachos ab individua et singulari vita appellantes, ut quæ illos per sanctas divisibilium affectuum in unum complicationes et collectiones in deiformem monadem singularemque perfectionem promoveat.* Eodem alludit canon concilii Nicæni (16. *q.* 1, *c.* 1) a Gratiano citatus in hæc verba : *Placuit omnibus residentibus id sancta Nicæna synodo, ut monachorum conversatio et vita, secundum etymologiam nominis, ab omnibus discrepet. Monachus enim Græce,*

abstinerent et a parentum se consortio mundique istius conversatione secernerent, monachi sive [a] Monazontes singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Unde consequens fuit [b] ut ex commu-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Latine singularis dicitur. Unde monachum per omnia singulariter agere oportet. Hæc ibi. Porro monachorum nomen etiam auctoritate Scripturæ sancitum et sacratum alibi notavimus ex D. Hieronymo.

[a] Non Monozantes, ut Plantinus excudit. Nam μονάζω, id est, solitarie ago. Atque hoc nomine Basilius passim eos nuncupat in Constitut. Monasticis. His porro affinia sunt et trita apud Græcos Patres monachorum vocabula, μοναστὰι θεραπευταὶ, ἱκέται, ἀσκηταὶ, φιλόσοφοι ἀναχωρηταὶ, ἐρημοπολῖται, ἡσυχασταί, κοινοβῖοι, et κοινοβιῶται, aliaque id genus, quibus, pro locorum discrimine in quibus vixerunt, et pro disciplinæ severioris genere, aliter sunt atque aliter nominati.

[b] Cœnobitæ a communi vita dicti, quia in congregatione pariter consistentes unius senioris judicio gubernantur, ut supra eodem cap. habetur, qui et synoditæ, et syncellitæ, et cellulani Sidonio eadem significatione vocantur; vulgo claustrales et conventuales, de quibus exstat novella quinta Justiniani imper. quæ sic incipit : *Conversationis monachalis vita sic honesta est, sic commendare novit Deo ad hoc venientem hominem, ut omnem humanam ejus maculam detergat; et parum ac rationabili natura decentem, et plurima secundum mentem operantem et humanis cogitationibus celsiorem reddat. Si quis igitur futurus est monachus perfectus, indiget et divinorum eloquiorum eruditione, et conversationis integritate, ut tanta dignus factus sit mutatione.* Hæc ibi, quæ hic referre libuit, tum ad vitæ monasticæ commendationem, tum ad monachorum et cœnobitarum salutarem instructionem. D. Benedictus (*Cap.* 1 *Reg.*) : *Monachorum,* inquit, *primum genus cœnobitarum, hoc est, monasteriale militans sub Regula, vel abbate.* Ubi conjunctio disjunctiva ponitur pro conjunctiva, ut notant interpretes, ut sit sensus : Sub Regula et abbate. Cui simile exemplum citat Trithemius ex jure canonico. Addit Turrecrematus notandum quod in hoc loco *Abbatis nomine accipiendus est quicumque senior, sive Pater, cujus judicio cæteri in congregatione gubernantur. Multa enim sunt loca religiosa cœnobiticam vitam agentia, in quibus rectores non abbates, sed decani, aut præpositi, aut priores, aut Patres, aut majores appellantur.* Verum hic locus postulare videtur ut clarissimos Patres Hieronymum et Augustinum de cœnobitis sui temporis eorumque moribus et institutis audiamus disserentes, ut in illorum veluti speculo aut exemplari cœnobitæ, præsertim Benedictini, seipsos intueantur, mores suos cum illorum moribus conferant, et eorum contemplatione, ut decet ejusdem professionis monachos, vel emendent, vel exactius componant. Sic igitur Hieronymus (*Epist.* 12) : *His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis* (monachis scilicet illis tertii generis), *veniamus ad eos qui plures sunt et in communi habitant, id est, quos vocari cœnobitas diximus. Prima apud eos confœderatio est obedire majoribus, et quidquid jusserint facere. Divisi sunt per decurias atque centurias, ita ut novem hominibus decimus præsit, et rursus decem præpositos sub se centesimus habeat : manent separati, sed junctis cellulis, usque ad horam nonam, ut institutum est, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis quos diximus, ut si cogitationibus forte quis fluctuat, illius consoletur alloquiis. Post horam nonam in commune concurritur, psalmi resonant, Scripturæ recitantur ex more, et, completis orationibus cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocant, incipit disputare : quo loquente tantum silentium fit, ut nemo alium respicere, nemo audeat exscreare; dicentis laus in fletu est audientium, tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, et ne in singultus quidem erumpit dolor. Cum vero de regno Christi et de futura beatitudine et gloria cœperit annuntiare ventura, videas cunctos moderato suspirio, et oculis ad cælum levatis, intra se dicere : Quis dabit mihi pennas columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV)? *Post hæc concilium solvitur, et unaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est, nemo comedens loquitur, vivitur panc, leguminibus et oleribus, quæ sale solo condiuntur; vinum tantum senes accipiunt; quibus et parvulis sæpe fit prandium, ut aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens; dehinc consurgunt pariter, et, hymno dicto, ad præsepia redeunt : ibi usque ad vesperam cum suis unusquisque loquitur, et dicit : Vidistis illum, et illum? quanta in ipso sit gravitas, quantum silentium! quam moderatus incessus! Si infirmum viderint, consolantur; si in Dei amore ferventem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, et aure apposita, quid faciant diligenter explorant : quem tardiorem deprehenderint, non increpant; sed dissimulant, quod norunt; eum sæpius visitant; et prius incipientes provocant magis orare quam cogunt. Opus diei statum est, quod decano redditum fertur ad œconomum, qui et per singulos menses patri omnium cum magno tremore reddit rationem : a quo etiam cibi, cum facti fuerint, prægustantur, et quia non licet dicere cuiquam, Tunicam, et sagum, textaque juncis strata non habeo, ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat* (*Vide hic Mariani scholium*). *Si quis vero cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, et tanto senum ministerio refovetur, ut nec delicias urbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantum et lectionibus vacant; quod quidem et omni tempore, completis opusculis, faciunt. Quotidie aliquid de Scripturis discitur. Jejunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius vivere. A Pascha ad Pentecosten, cœnæ mutantur in prandia; quo et traditioni ecclesiasticæ satisfiat, et ventrem cibo non onerent duplicato. Tales Philo Platonici sermonis imitator* (*Lib. de Vita Contempl.*); *tales Josephus* (*Joseph. lib.* XVIII *Antiq. c.* 2 *et lib.* II *de Bello Judaico cap.* 7), *Græcus Livius, in secunda Judaicæ captivitatis Historia esse nos refert.* Hæc de cœnobitis S. Hieronymus generatim complexus est. Augustinus vero postquam de anachoretis eorumque austeritate egerat : *Si hoc,* inquit, *excedit nostram tolerantiam, quis non illos miretur et prædicet, qui contemptis atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi; sed modesti, verecundi, pacati; concordissimam vitam et intentissimam in Deum gratissimum munus ipsis offerunt, a quo iste posse meruerunt. Nemo quidquam possidet proprium, nemo cuiquam onerosus est. Operantur manibus ea quibus et corpus pasci possit, et a Deo mens impediri non possit. Opus autem suum tradunt eis quos decanos vocant, eo quod sint denis præpositi; ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo, neque in vestimento, neque si quid aliud opus est vel quotidianæ necessitati, vel mutatæ, ut assolet, valetudini. Illi autem decani cum magna sollicitudine omnia disponentes et præsto facientes quidquid illa vita propter imbecillitatem corporis postulat, traditionem tamen etiam ipsi reddunt uni, quem Patrem vocant. Hi vero Patres non solum sanctissimi moribus, sed etiam divina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt iis quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum il-*

nione consortii cœnobitæ cellæque ac diversoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo solum fuit antiquissimum monachorum genus ; quod non modo tempore, sed etiam gratia primum est, quodque per annos plurimos solum inviolabile usque ad abbatis [a] Pauli vel Antonii duravit ætatem. Cujus etiam nunc adhuc in districtis cœnobiis cernimus residere vestigia.

CAPUT VI.

De anachoretarum ordine ac principio.

De hoc perfectorum numero et, ut ita dixerim, fecundissima radice, sanctorum etiam anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt. [b] Cujus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

lum Patrem, et conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimum, hominum millia. Nam etiam multo numerosiores sub uno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio, affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit disserentis oratio, vel gemitu, vel fletu, sed modesto et clamore vacuo gaudium significantes. Corpus deinde reficitur, quantum saluti et salubritati fas est, coercente unoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa, quæ præsto sunt, parca et vilissima. Ita non solum a carnibus et vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tanto concitatius ventris et gutturis provocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur. Sane quidquid necessario victui redundat (nam redundat plurimum ex operibus manuum et epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis qui distribuunt comparatum est. Hæc Augustinus de cœnobitarum vivendi modo, quibus similia habet Epiphanius (*Hær.* 80). Jam quod ad cœnobium attinet, ejus vocabuli etymologiam ita reddit Isidorus (*Etymol. lib.* XV *cap.* 4) : *Cœnobium est habitaculum multorum in commune viventium :* κοινὸν *enim Græce commune dicitur.* Plenius ab aliis ita describitur : *Cœnobium est locus, ubi communis via ducitur; nam* κοινὸς, id est, communis, βίος, vita. Sunt autem et alia vocabula apud Græcos usitata, quibus monachorum domicilia designantur, μοναστήρια apud Athanasium in Vita S. Antonii. Cujus nominis primus Philo (*Lib. de Vita Contemp.*) rationem reddidit his verbis : ἑκάστῳ ἔστιν οἴκημα ἱερὸν, ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, ἐν ᾧ μενόμενοι τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια τελοῦνται. *Id est, unicuique sacrum domicilium est, quod monasterium vocatur, in quo manentes sanctæ vitæ mysteria celebrant.* Gregorius Nazianzenus lib. Definitionum, μονὴν vocat, id est, ut Philo alibi, μοναυλίαν, id est, secretam aulam, vel domicilium ; et oratione prima in Julianum, ἁγνευτήριον, id est, sanctuarium, aut sacrarium; Socrates, Histor. Eccles. lib. IV cap. 28, ἀσκητήριον; Theodoretus, lib. VI et X Therapeutices, ἀσκητῶν καταγωγὴν, id est, ascetarum diversorium; Suidas denique φροντιστήριον, id est, scholam vel conventum.

[a] Igitur ante Pauli et Antonii ætatem, non alii erant monachi quam cœnobitæ, qui ab apostolis, ut dictum est, instituti ad id usque temporis, hoc est, ad finem usque tertii sæculi, anachoretas præcesserunt. Erant quidem ante Antonium, qui timore persecutionis civitatibus derelictis, sive ruri, sive in locis occultis, angelis similem vitam ducebant, quorum nonnullos refert Eusebius (*Lib.* VI *Histor. c.* 34, *et lib.* VIII *c.* 7 *et seqq.*) fuisse martyrio coronatos : repetit et horum aliquos ipsemet Antonius, dum purioris vitæ studio in desertum locum secessisset, et ab uno illorum prima rudimenta monasticæ institutionis accepit, teste Athanasio (*In ejus Vita*). Verum illi nondum in ordine monachorum aut anachoretarum censebantur, quod nullam certam vivendi rationem sibi præscriptam sequerentur; sed, ut loquitur Scriptura : *Unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat* (*Judic.* XVII), id est, suo more et arbitratu, vivebat. Obiit autem Paulus Eremita anno Christi 343 annos natus centum tredecim, e quibus fere centum in eremo exigit, paulo ante obitum soli cognitus Antonio. Antonius vero anno trecentesimo quinquagesimo octavo, cum jam quintum supra centesimum vixisset annum (*Baron. tom.* III *Annal.*). Sed de his plura sequenti capite.

[b] Non temere, aut fortuito, sed provide et circumspecte usus videtur illa particula disjunctiva *vel*, quoniam a multis dubitaretur uter illorum anachoreticæ vitæ primus auctor aut princeps exstitisset. Sic enim B. Hieronymus Pauli Eremitæ Vitam exorditur : *Inter multos dubitatum est a quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes a beato Elia et Joanne sumpsere principium ; quorum et Elias plus nobis videtur fuisse quam monachus, et Joannes ante prophetare cœpisse quam natus est. Alii autem* (*in quam opinionem vulgus omne consentit*) *asserunt Antonium hujus propositi fuisse caput. Quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quam ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero et Macarius discipuli Antonii, quorum superior magistri corpus sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quemdam Thebæum principem istius rei fuisse, quod non tam nomine quam opinione nos quoque comprobamus.* Et infra : *Cum jam centum tredecim annos beatus Paulus vitam cœlestem ageret in terris, et nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur, ut ipse asserere solebat, hæc in mentem ejus cogitatio incidit, nullum ultra se perfectum monachum in eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti revelatum est, esse alium ulterius multo se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci. Illico erumpente luce, venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle quo nesciebat,* etc. Alibi rursus (*Epist.* 22) de anachoretis loquens : *Hi,* inquit, *exierunt de cœnobio, et, excepto pane et sale, ad deserta nihil perferunt amplius. Ipsius vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, et ut ad superiora conscendam, princeps Joannes Baptista.* Hæc Hieronymus. Cum igitur constet Paulum diu ante Antonium obiisse, annis fere centum in eremo exactis, ut dictum est, consequens est eum ante Antonium vitam duxisse anachoreticam, et proinde *merito primum* eremitam seu anachoretam nominari. *Quod autem* ait B. Hieronymus Antonium illustrasse vitam anachoreticam, sic accipiendum est, quod idem Antonius primum illud genus vivendi exercuit [siquidem annis viginti in solitudine delituit, teste Athanasio (*In Vita S. Antonii*)], postea tamen divino monitu, cum multos fratres in unum collegisset, et vitæ monasticæ præceptis imbuisset, vitam cœnobiticam cum eis instituit, et in diversis locis multa monasteria excitavit. De his enim sic Athanasius : *Erant in monte monasteria tamquam tabernacula, plena divinis choris psallentium, legentium, orantium, tantumque jejunandi et vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo ejus offlaverat, ut, futuræ spei aviditate, ad mutuam charitatem et misericordiam indigentibus exhibendam jugi studio laborarent, qui infinitam regionem quamdam, et oppidum a mundana conversatione sejunctum, plenum pietatis et justitiæ, videbantur incolere,* etc. Rursus vero ac postremo Antonius ad anachoreticam rediit, licet suorum interim curam non dimiserit. Cujus exemplo contigit reciproco quodam ordine anachoretas generare cœnobitas, et vice versa cœnobitas parere anachoretas ; qui scilicet sub imperio abbatis aut senioris omnibus præsidentis agere solitarii permitterentur, ut tamen vinculo quoque obedientiæ manerent astricti : licet alioqui non defuerint viri sanctissimi qui, ipso primo ingressu vitæ monasticæ, eremum petentes solitariam vitam sectati sunt, ut ipse Paulus de quo hic agitur. Sic igitur vita eremitica, sive anachoretica, primum

professionis principes hos quos paulo ante memoravimus, sanctum videlicet Paulum vel Antonium, novimus exstitisse. Qui non, ut quidam, pusillanimitatis causa nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus contemplationisque divinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet prior [a], eorum necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, eremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa, quam diximus, disciplina aliud perfectionis genus, cujus sectatores anachoretæ, id est, secessores merito nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac victoria qua inter homines occultas insidias diaboli calcaverunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant, [b] ad imitationem scilicet Joannis Baptistæ qui in eremo tota permansit ætate : Eliæ quoque et Elisæi, atque illorum de quibus Apostolus ita commemorat : *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, et in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ* (*Hebr.* XI). De quibus etiam Dominus figuraliter ad Job : [c] *Quis*, ait [*Lips. in marg.* autem], *est qui dimisit onagrum liberum, et vincula ejus resolvit? Posuit habitaculum ejus desertum, et tabernacula ejus salsuginem? Irridens multitudinem civitatis, et querelam exactoris non audiens. Consideravit montes pascuæ suæ, et post omne viride quærit* (*Job.* XXXIX). In Psalmis quoque : *Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici* (*Psal.* CVI). Et post pauca : *Erraverunt in solitudine, in inaquoso* [Lips. in marg. *siccitate*], *viam civitatis habitaculi non invenerunt. Esurientes et sitientes; anima eorum in ipsis defecit. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos* (*Ibid.*). Quos etiam Jeremias ita describit : *Beatus qui tollit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se* (*Thren.* III). Quique illud Psalmistæ affectu et opere concinunt : *Similis factus sum pelicano solitudinis. Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI).

CAPUT VII.

De Sarabaitarum principio et conversatione.

Cumque his duabus professionibus monachorum religio Christiana gauderet, cœpisset autem in deterius paulatim hic quoque ordo recidere, emersit post hæc illud [d] deterrimum et infidele monachorum genus, quod Sarabaitarum vocabulo nuncupatur, qui nullo adhuc probationis tempore exacto, nullo regulæ magisterio edocti, nullo experimento fratrum ostenso, ut aurum fornacis, ita mentes suas plumbeas adhuc et fragiles, nullius disciplinæ examine ponderatas, nullius senioris judicio comprobatas, sæculi adhuc moribus imbutas, ad monasterium deferunt, et ad mentiendum Deo, quasi ad lenocinium, instituuntur. Qui per binos vel ternos aut certe singuli per cellulas habitantes, non Dominici gregis ovili, sed suo includuntur arbitrio, quorum lex voluntas, cibus desiderium, et quidquid libuerit aut putaverint, hoc sibi sanctum et legitimum arbitrantur. Quidquid autem displicuerit, hoc sibi fieri nefas esse contendunt. Qui cum omnia sua, id est, voluntatem, cibum, habitaculum, vestimentum, ad arbitrium suum constituant, quid aliud quam abrenuntiationis habitum, et nomen monachi gerunt? Quorum omnis vita, omnis conversatio, omnis cogitatio, omnis sermo, omnis actus, omnis denique motus, ad propriam voluntatem, ad propriam libertatem, ad propriam gloriam, ad propriam laudem, ad propriam referuntur utilitatem. Quibus nihil est quod Deo offerant, quia nihil est quod ab eo non habeant. Quibus nihil est quod ab eo speretur, quia nihil est quod ab eo non accipiant. Quibus nihil est quod ab eo requiratur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi præsumant. Quibus nihil est quod ab eo timeatur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi præstari confidant. Quibus nihil est quod ab eo desideretur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi sufficere videatur. Quibus nihil est quod ab eo petatur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi præsumant. Quibus nihil est quod ab eo timeatur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi præstari confidant. Quibus nihil est quod ab eo desideretur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi sufficere videatur. Quibus nihil est quod ab eo petatur, quia nihil est quod ab eo non sibi ipsi præsumant.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

a Paulo inceepta, ab Antonio vero introducta est et exculta, certisque regulis et institutionibus illustrata, atque in certum ordinem monasticum redacta. Etsi enim Paulus primus omnium in eremo vixerit, tamen non habuit ipse discipulos; nec fuit notus nisi paulo ante mortem, ut dictum est. Antonius vero tam anachoretas quam cœnobitas discipulos habuit. Unde sicut vitæ cœnobiticæ restitutor, ita et anachoreticæ institutor et auctor dici meruit; non tam quod ipse omnes præcesserit quam quod ab ipso omnium incitata sint studia, ut ait D. Hieronymus. Quocirca uterque dici potest primus et princeps vitæ eremiticæ : Paulus quidem tempore, Antonius autem magisterio, ut scite Bellarminus (*Lib.* II *de Monachis cap.* 5).

[a] Scilicet Paulus, qui qua occasione aut cujus necessitatis obtentu eremum petierit, refert D. Hieronymus in hunc modum : *Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ et Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaida Ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti : verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora; et ut ipse, qui ab eo passus est, Cyprianus ait, volentibus mori, non permittebatur occidi.* Et infra : *Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaida, cum sorore jam viro tradita post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti, Paulus relictus est, annorum circiter quindecim, litteris tam Græcis quam Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi. Deum valde amans; et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem et secretiorem secessit. Verum,*

> Quid non mortalia pectora cogis,
> Auri sacra fames!

Sororis maritus cœpit prodere velle quem celare debuerat; non illum uxoris lacrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus ab scelere revocavit; ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cujus radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur : quo remoto, ut est cupiditas hominum occulta cognoscere, avidius explorans, animadvertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper cælo, pinulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens, cujus rivum tantummodo foras erumpentem, statim modico foramine, eadem quæ genuerat aquas, terra sorbebat. Igitur adamato, quasi quod a Deo sibi offerretur, habitaculo, omnem ibidem in orationibus et solitudine duxit ætatem; cibum et vestimentum ei palma præbebat. Hactenus S. Hieronymus.

[b] Eliam, Elizæum et Joannem Baptistam eremitas et principes eremitarum nuncupant SS. Patres, Basilius in epist. ad Chilonem, Nazianzenus in Apologia postquam ex fuga rediisset, Chrysostomus homil. 69 in Matthæum, Hieronymus epist. 13 ad Paulinum et epist. 22 ad Eustochium, Sozomenus lib. I Histor. cap. 12, Isidorus lib. II cap. 5 de Officiis Eccles.

[c] Gregorius XXXI Moralium cap. 22 : *Onager*, inquit, *qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis sæcularibus conversantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est servitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamvis in eis sponte desudet. Cujus servitutis conditione carere, est in mundo jam nihil concupiscere. Quasi enim quodam jugo servitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt adversa, dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam jam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo adversitatis terrore coarctatur.* Hæc S. Gregorius et quæ sequuntur.

[d] Primum genus non monachorum, sed pseudomonachorum: de quo similiter D. Hieronymus (*Epist.* 22) : *Tertium*, inquit, *genus est, quod Remoboth dicunt, deterrimum atque neglectum, et quod in nostra provincia aut solum aut primum est.* Hi bini vel

nus, vel potius noxia illa plantatio rediviva concrevit, [a] quæ per Ananiam et Sapphiram exordio Ecclesiæ pullulans, apostoli Petri severitate succisa est (*Act.* v), quæ inter monachos tamdiu detestabilis exsecrandaque judicata est, nec a quoquam ulterius usurpata, quamdiu illius tam districtæ formido sententiæ memoriæ fidelium inserta duravit, qua beatus apostolus prædictos novi facinoris principes, non pœnitentia, non ulla passus est satisfactione curari, sed perniciosissimum germen celeri morte succidit. Illo igitur exemplo quod in Ananiam et Sapphiram apostolica districtione punitum est, a nonnullorum contemplatione paulatim longa incuria et temporis oblitteratione subtracto, emersit istud Sarabaitarum genus, qui ab eo quod semetipsos a cœnobiorum congregationibus sequestrarent, ac sigillatim suas *terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes; et de eo, quod laboraverint, in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia*, etc. Et D. Benedictus (*Regulæ* c. 1) : *Tertium vero monachorum teterrimum genus est, Sarabaitarum, qui nulla regula approbati, experientiæ magistra, sicut aurum fornacis; sed in plumbi naturam molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus. Pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere.*

[a] Ita venerab. Beda in Acta Apostolorum scribens dicit ab Ananiæ et Sapphiræ exemplo (*Act.* v) natum esse deterrimum illud monachorum genus, quod Sarabaitarum dicitur, qui sub vita et professione monastica aliquid proprii retinere volunt. D. Hieronymus in epist. 8 ad Demetriadem : *Ananias*, inquit, *et Sapphira dispensatores timidi, immo corde duplici, et ideo condemnati quia post votum obtulerunt quasi sua, et non ejus cui semel ea voverant, partemque sibi jam alienæ substantiæ reservaverunt.* Cassianus lib. VII Institut. cap. 14 : *Ananias et Sapphira reservantes partem quamdam ex his quæ possidebant, apostolico ore morte mulctantur.* Vide ibi notata de Ananiæ et Sapphiræ interitu.

[b] D. Hieronymus tertium illud genus Romoboth vel Remoboth vocatum dicit, quod vocabulum suspicatur Marianus (*In scholiis*) esse Hebraicum (non Ægyptiacum), idque a superbo incessu dictum putat. Fieri itaque potuit ut Romoboth Hebraicæ, Sarabaitæ vero Ægyptiacæ linguæ proprietate nuncupati sint. Mariano favere videntur hæc D. Hieronymi verba (*Epist.* 22) : *Apud hos* (Remoboth nempe) *affectata sunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum*, etc. Isidorus de iisdem agens (*Lib.* II *de Offic. Eccles.* c. 15), aliud eis nomen appingit, et his coloribus eos depingit : *Sextum genus est monachorum, et ipsum teterrimum atque neglectum, quod per Ananiam et Sapphiram in exordio Ecclesiæ pullularit, et apostoli Petri severitate excisum est; quique ab eo quod semetipsos a cœnobiali disciplina sequestrant, suasque appetunt liberi voluntates Ægyptiorum lingua Sarabaitæ, sive Renuitæ nuncupantur. Constituunt enim sibi cellas, easque falso nomine monasterii nuncupant; liberique ab imperio seniorum, arbitrio suo vivunt, certatim in operibus laborantes, non ut indigentibus distribuant, sed ut acquirant pecunias quas recondant, et sicut ait de ipsis S. Hieronymus, quasi ars sit sancta, non vita.* Hæc Isidorus partim ex D. Hieronymo, partim ex suo sensu et opinione illa de *sex generibus* monachorum; de qua supra. Ex quicurarent necessitates, [b] Ægyptiæ linguæ proprietate, Sarabaitæ nuncupati sunt, de illorum quos prædiximus numero procedentes, qui evangelicam perfectionem simulare potius quam in veritate arripere maluerunt, æmulatione scilicet eorum vel laudibus provocati, qui universis divitiis mundi perfectam Christi præferunt nuditatem. Hi igitur dum *imbecillo* animo rem summæ virtutis affectant, vel necessitate ad hanc professionem venire compulsi, dum censeri tantummodo nomine monachorum absque ulla studiorum æmulatione festinant, cœnobiorum nullatenus expetunt disciplinam, nec seniorum subjiciuntur arbitrio, aut eorum traditionibus instituti, suas discunt vincere voluntates, nec ullam sanæ discretionis regulam legitima eruditione suscipiunt, sed ad publicam tantummodo, id est, ad hominum faciem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

bus habemus eosdem esse Remoboth apud D. Hieronymum, et Sarabaitas apud D. Benedictum, et Renuitas apud Isidorum. Porro Renuitæ a renuendo dicti videntur, quasi renuentes seu abnuentes jugum monasticæ disciplinæ. Ita interpretatur S. Odo Cluniacensis abbas, dum se suique temporis monachos deplorans ait (*Collat.* 3) : *Nos miseri, non sumus monachi, ut falso nominamur; sed Sarabaitæ, id est, Renuitæ, qui jugum regularis disciplinæ renuimus.* Ita vir sanctus humiliter admodum de se sentiens. Sarabaitas vero non male etiam quis dixerit ita appellatos a voce Hebræa *Saravim*, quæ significat rebelles, ut sunt hujusmodi pseudomonachi, qui neque regulæ neque superioribus subjici volunt, vel a Græco σάραβος, pudendo vocabulo, de quo vide, si lubet, Suidam : qua ratione forsitan etiam *hic* Collator *deterrimum*; D. Hieronymus et Benedictus magis proprie, *teterrimum*, id est, fœdissimum ac turpissimum hoc vocant genus monachorum; vel denique a Sara Abrahæ uxore, ut et Saraceni; sed perperam et falso usurpata origine, quam non a Sara domina et libera, sed ab Agar ancilla et serva traxisse eos constat : ideoque non Saraceni, sed Agareni et Ismaelitæ, id est, servi et servæ filii vere appellandi. Quo etiam modo Sarabaitæ *nulla*, ait D. Benedictus, *regula experientiæ magistra approbati.* Monachorum nomen falso sibi usurpant, *et mentiri Deo per tonsuram noscuntur, quasi liberi, immo quasi velamen habentes malitiæ libertatem* (I *Petr.* II), interim suarum cupiditatum, servi miserrimi et vilissima mancipia; quibus etiam illud congruit, quod de Saracenis tradit D. Hieronymus (*In Vita Hilarionis*), quod Venerem colunt ob Lucifernm (sidus nempe Veneris) *cujus cultui*, inquit, *Saracenorum natio dedita est* : sicut de Sarabaitis D. Benedictus : *In plumbi naturam molliti*, id est, molles et effeminati, *quibus pro lege est desideriorum voluptas.* At ne his minutiis plus æquo immoremur, claudat demum hanc notam Cælius Rhodig. qui de Sarabaitis apud Turcas sub specie Religionis agentibus hæc habet (*Antic. Lect. lib.* XXVII c. 6) : Sarabaitæ sunt eo nomine in Ægypto sacerdotes, in saxorum cavitatibus fere habitantes, suillis ac bubulis circumamicti exuviis, funibus zonarum præcincti loco, pedibus nudis, cruore conspersi; ubi scenopegiorum ingruit celebritas, e cavernis se promentes Hierosolymam petunt, ac templum adeuntes inopiam et abstinentiam ostentui habent, ingerunt omnibus, barbam sibi etiamnum acriter vellentes, ut spectent ista universi, et velut cœlitus demissos homines opinentur, suspiciantque, etiamsi intercutibus numquam non vitiis madeant. Propterea non esse imitandos præcipit Augustinus, et commeminit facundus scriptor Hieronymus. Sic ille.

renuntiantes, aut in suis domiciliis sub privilegio hujus nominis iisdem obstricti occupationibus perseverant, aut construentes sibi cellulas, easque monasteria nuncupantes, suo in eis jure ac libertate consistunt, nequaquam evangelicis præceptionibus succumbentes, ut nulla scilicet quotidiani victus sollicitudine, nullis rei familiaris distentionibus occupentur. Quod illi soli absque infideli dubitatione consummant, qui cunctis mundi hujus facultatibus absoluti, ita se cœnobiorum præpositis subdiderunt, ut ne sui quidem ipsius fateantur esse se dominos. Illi autem qui districtionem, ut diximus, cœnobii declinantes, bini vel terni in cellulis commorantur, non contenti abbatis cura atque imperio gubernari, sed hoc præcipue procurantes, ut absoluti a seniorum jugo, exercendi voluntates suas, et procedendi vel quo placuerit evagandi, agendive quod libitum fuerit habeant libertatem, etiam amplius in operibus diurnis quam hi qui in cœnobiis degunt, diebus ac noctibus consumuntur, sed non ea fide eodemque proposito. Hoc enim isti faciunt, non ut fructum sui operis subjiciant dispensatoris arbitrio, sed ut acquirant pecunias quas recondant. Inter quos quantum intersit advertite. Illi nihil de crastino cogitantes, gratissimos Deo sudoris sui offerunt fructus. Isti vero non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatia infidelem sollicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum aut inopem credunt, qui promissam quotidiani victus atque indumentorem sufficientiam præbere eis aut non possit, aut nolit. Illi hoc omnibus expetunt votis, ut [a] ἀκτημοσύνην, id est, nuditatem omnium rerum paupertatemque possideant, isti ut omnium copiarum affluentiam consequantur. Illi ob hoc certatim statutum transcendere canonem diurnis operibus elaborant, ut quidquid monasterii sanctis usibus redundarit, vel carceribus, vel [b] xenodochio, vel nosocomio, vel indigentibus pro abbatis dispensetur arbitrio. Isti ut quidquid quotidianæ superfuerit gulæ, aut profusiori proficiat voluptati, aut certe philargyriæ vitio recondatur. Postremo ut concedamus ab istis hæc quoque quæ non optimo proposito congeruntur, melius quam diximus posse distribui, nec sic quidem ad meritum virtutis illorum ac perfectionis aspirant. Illi enim tantos monasterio redditus conferentes, eisque quotidie renuntiantes, in tanta subjectionis humilitate perdurant, ut quemadmodum sui, ita etiam eorum quæ proprio sudore conquirunt potestate priventur, abrenuntiationis primæ fervorem, dum quotidie semetipsos laboris sui fructibus nudant, jugiter innovantes. Isti autem in eo ipso quod aliquid pauperibus largiuntur elati, in præceps quotidie collabuntur. Illos patientia atque districtio, qua tam devote in hac quam semel arripuerunt professione perdurant, ut numquam suas expleant voluntates, [c] crucifixos huic modo quotidie vivosque martyres facit; hos arbitrii sui tepor vivos ad inferna demergit. Hæc igitur duo genera monachorum in hac quidem provincia æquali propemodum numerositate inter se contendunt. Cæterum per alias regiones quas me necessitas catholicæ fidei compulit peragrare, istud tertium Sarabaitarum genus abundare ac prope solum esse cognovimus. [d] Temporibus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ἀκτημοσύνη, ut notat Ciaconius, aliquid magis est quam penuria et egestas: nam Ἄκτήμων is dicitur qui nihil omnino possidet, ut illi anachoretæ Ægypti: contra κτῆσις rei alicujus possessio est, quam abbas Joannes in solitario maxime improbat, collat. 19 cap. 6: quamvis, inquit, Ciaconius, in hucusque excusis codicibus ἀλκῆς κρῆσις corrupte legitur, pro κτῆσις. Sic ille.

[b] De xenodochio superius actum est (*Collat.* 14 *cap.* 4). Porro sicut xenodochium peregrinorum, ita nosocomium, græce νοσοκομεῖον, dicitur hospitium ægrotantium seu infirmorum, seu locus quo recipiuntur et curantur ægroti. D. Hieronymus in epist. ad Oceanum (*Epist.* 30): *Censum quem habere poterat distribuit, dilapidavit ac vendidit, et in pecuniam congregatum usibus pauperum præparavit. Et primo omnium nosocomion, id est, languentium villam instituit, in quo ægrotantes et consumpta languoribus atque inedia miserorum membra refoveret.* Utitur et Justinianus l. *illud* 16 *et* l. *Sancimus* 18, de sacros. Eccl. In monasteriis vulgato vocabulo dicitur infirmaria, vel infirmarium, de quo plura alibi notavimus (*Ad Reg.* 5 *Pachomii*). Ejusdem meminere summi pontifices Innocentius III cap. *Cum ad monasterium* de stat. monast., et Benedictus XII in sua constitutione cap. 26, qui tamen infirmitorium vocant. Huic affine vocabulum et domicilium quod græce dicitur γεροντοκομεῖον, locus senibus deputatus, cujus meminit D. Gregorius in Registro lib. XI cap. 16.

[c] Vita monastica (cui conjuncta est mortificatio propriæ voluntatis et carnalium cupiditatum) spiritualis est crucifixio (de qua Cassianus lib. IV Instit. cap. 34) et genus quoddam martyrii. Hinc D. Hieronymus in epitaphio Paulæ ad Eustochium (*Epist.* 27): *Pars tua Dominus; et quo magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est.* Et rursus alibi (*Epist.* 8): *Assume scutum fidei, loricam justitiæ, galeam salutis, procede ad prælium. Habet et pudicitia servata martyrium suum.* D. Augustinus in sermonibus de tempore (*Serm.* 50): *Nemo dicat quod temporibus nostris martyrum certamina esse non possint; habet enim et pax nostra martyres suos. Nam, sicut frequenter suggessimus, iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est.* D. Gregorius homil. 36 (*In Evang.*): *Martyres sine ferro esse possumus, si patientiam veraciter in animo custodimus.*

[d] Lucius post sanctum Athanasium Arianæ partis episcopus, usque ad Theodosium principem, a quo est expulsus, Alexandrinam Ecclesiam tenuit. Cujus immania scelera atque faciliora in orthodoxos, præsertim monachos, perpetrata fuse enarrantur in epistola Petri episcopi Alexandrini apud Theodoretum, ubi hæc inter alia habentur: *Ut primum vero athletæ Christi, quod diximus, appulere Heliopolim, ubi omnes erant superstitioni dediti; hi præ divino zelo strenui Ecclesiæ propugnatores arrepti primum in custodiam conjiciebantur. Deinde verberibus cæsi, lacerati, et tormentis affecti, ad metalla in Pheno et Proconneso amandabantur: inter quos complures erant monachi,* etc. Rufinus ejusdem tragœdiæ testis oculatus, ut qui tum in Ægypto agebat, hæc de Lucio scriptis tradidit (*Lib.* II *c.* 3 *et* 4): *Inde post fugas civium et exsilia, post cædes et tormenta, flammasque quibus innumeros confecerat, ad monasteria furoris sui arma convertit, vastat eremum, et bella quiescen-*

siquidem Lucii qui Arianæ perfidiæ episcopus fuit, sub [a] Valentis imperio cum [b] diaconiam nostris fratribus deferremus, his videlicet qui de Ægypto ac Thebaida fuerant ob catholicæ fidei perseverantiam [c] metallis [d] Ponti atque Armeniæ relegati, licet cœnobiorum disciplinam in quibusdam civitatibus rarissimam viderimus, [e] Anachoretarum tamen apud illos ne ipsum quidem nomen auditum fuisse comperimus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

tibus indicit. Tria millia simul, aut eo amplius, viros per totam eremum secreta et solitaria habitatione dispersos oppugnare pariter aggreditur; mittit armatam equitum et peditum manum. Tribunos, præpositos, et bellorum duces, tamquam adversus barbaros pugnaturus elegit. Qui cum venissent (*Vide Platinam* p. 4), *novam belli speciem vident, hostes suos gladio objectare cervices, et nihil aliud dicere, nisi: Amice, ad quid venisti? Per id tempus Patres monachorum, vitæ et antiquitatis merito, Macarius, Isidorus, aliusque Macarius, atque Heraclides et Pambus, Antonii discipuli, per Ægyptum et maxime in Nitriæ deserti partibus habebantur viri, qui consortium vitæ et actuum non cum cæteris mortalibus, sed cum supernis angelis habere credebantur. Quæ præsens vidi loquor, et eorum gesta refero, quorum in passionibus socius esse promerui.* Hæc Rufinus. De hac ipsa clade catholicis per Lucium pseudoepiscopum Arianum illata agit S. Greg. Nazianz. in oratione in laudem Heronis (*Orat.* 23), Socrates lib. IV cap. 16 et seq., Sozomen. lib. VI cap. 19 et 20, Niceph. lib. XI cap. 29. Eamdem catholicorum stragem non tantum scriptis, sed et voce prædictus Petr. Alexandrinus Romæ, cum illuc confugisset, prædicavit, ostendens ibidem occisorum vestes sanguine cruentatas, ad quod miserandum spectaculum urbs conversa est ad lacrymas (*Baron. in Martyr. Maii.* 13). Illud etiam memoria dignum, quod cum Lucius Arianus catholicos ubique persequeretur, monachi his verbis miracula faciebant: *In nomine Jesu, quem Lucius persequitur, surge et ambula.* Scribit Rufinus lib. XI cap. 4.

[a] Valens imperator primum catholicus, deinde ab Arianis seductus et Arianorum princeps effectus, gravissimas persecutiones in catholicos, præsertim episcopos et monachos, excitavit. Sed et Lucii sævitiam publico edicto fovit et auxit, quo, ut ait Socrates (*Lib.* IV *cap.* 17), *mandatum est ut omnes qui fidem consubstantialis tenebant, non Alexandria solum, sed ex universa etiam Ægypto penitus expellerentur. Quin etiam præfecto imperatum est ut eum ingentibus copiis omnes ubique persequeretur quos Lucius indicaret. Quo tempore monasteria in solitudine direpta, divexata et crudeliter expugnata fuere. Nam inermes, qui ne manum quidem ad ictum repellendum extendere valebant, viri armati agressi, adeo miserandum in modum enecarunt, ut scelera in eos admissa nullo dicendi genere explicari possint.* Hæc apud Socratem. De hac itidem persecutione D. Hieronymus hæc habet in Chronico (*An.* 375): *Multi monachorum per tribunos et milites cæsi. Valens enim lege data ut monachi militarent, nolentes fustibus interfici jussit.* Et Orosius: *Valens post fratris obitum, velut effrenata libertatis audacia, legem dedit ut monachi, hoc est, Christiani, qui ad unum fidei opus, dimissa sæcularium rerum multimoda actione se redigunt, ad militiam cogerentur. Illas tunc Ægypti solitudines arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem periculosissimamque serpentum abundantiam conversatio humana non posset, magna habitantium monachorum multitudo compleverat. Huc tribuni et milites missi, qui sanctos et veros milites Dei alio nomine persecutionis abstraherent, interfecerunt ibi agmina multa sanctorum.* Hæc illi. Ex quibus patet monachos sub Valentis imperio variis modis fuisse divexatos, alios fustibus cæsos et interfectos, alios ad militiam abstractos, alios exsilio relegatos, alios ad eruenda et effodienda metalla, ut infra dicitur, delegatos ac deportatos.

[b] Diaconia, ut notavit Ciaconius, hoc loco collectam significat, seu collationem eleemosynarum quæ colligebantur et distribuebantur in Christianos pauperes. Utitur hac voce Apostolus secundæ Corinth. cap. IX, ubi ait: περὶ μὲν τῆς διακονίας τῆς εἰς τοὺς ἁγίους περισσόν ἐμοί ἐστι τὸ γράφειν ὑμῖν, quæ Latinus interpres ita reddidit: *Jam de ministerio quod fit in sanctos ex abundanti est mihi scribere vobis.* Est etiam diaconia dispensatio, sive œconomia rerum ad monasteria pertinentium, quæ probatissimo apud ipsos monacho cunctorum seniorum suffragio deferebatur, ut refert Cassianus collat. 21 (*Cap.* 1, 8 *et* 9). Dispensationem etiam appellat lib. V Instit. cap. 40, ubi dicit Joanni abbati dispensationem et œconomiam Ecclesiæ, id est, congregationis, a Paphnutio presbytero fuisse creditam. Aliam rursus diaconiæ significationem, sed his affinem, tradit Onuphrius his verbis (*In explicat. vocum ecclesiast.*): *Diaconiæ a diaconis dictæ sunt. Erant hæ publicæ pauperum hospitales domus, quæ oratoria et sacella adjuncta habebant, in quibus a Patre diaconiæ, sive diacono, egenis necessaria subministrabantur. Nam diaconi inopum, laborantium, viduarum et pupillorum ministri erant, hisque domibus hospitalibus præerant. Antiquitus in Romana Ecclesia per singulas urbis regiones diaconi distincti erant, diaconique regionarii vel talis et talis regionis appellabantur. Post, eorum præcipuo usu exolescente, et hospitalibus domibus ipsorum negligentia dirutis, ipsorum sacella vel ædiculæ superfuerunt, quæ diaconiæ nomen retinuerunt, a quibus diaconi cardinales urbis Romæ postea denominationem habuerunt.* Sic ille. Quæ plenius explicat Baronius in notis ad Martyrologium Rom. (8 *Augusti*).

[c] Id est ad metalla defodienda damnati et deportati. Fuit hoc unum supplicii genus e multis quo martyres olim vel a paganis vel ab hæreticis in certa loca amandati, ibique in effodiendis et eruendis metallis continuo labore afflictati, et vinculis compediti, longum martyrium ducebant. De quo habes insignem epistolam D. Cypriani (*Epist.* 77), in qua magnis laudibus effert martyres ad metalla damnatos, singulis eorum tormentis singula solatia, pulchra antithesi opponens, quæ quidem tormenta paucis hisce verbis fere complectitur: *Non fovetur in metallis lecto et culcitris corpus, humi jacent fessa laboribus viscera, squalent sine balneis membra situ et sorde deformia; panis illic exiguus, vestis algentibus deest; semitersi capitis capillus horrescit,* etc. (*Vide Baron. in Martyr.* 16 *Feb.*). Tertullianus *feralles illas officinas* vocat (*Lib. de Habitu Mulier.*). Tali supplicio complures monachos Ægyptios a Lucio illo Ariano pseudoepiscopo cruciatos fuisse superius ex epistola Petri Alexandrini notavimus. Notant jureconsulti discrimen inter damnatum ad metalla et ad opus metalli. Diversa enim erant pœnarum genera, in metallum et in opus metalli damnari. Differentia autem utriusque pœna erat in vinculis. Nam qui in metallum seu ad metalla damnati erant, gravioribus; qui in opus metalli, levioribus vinculis premebantur. Damnabantur Christiani etiam ad alia opera publica, ut ad fodiendam arenam, ad lapidicinas, et ad calcariam, et sulphurariam, ut eorum Acta testantur.

[d] De Ponto alias dictum (*Lib.* V *Inst. cap.* 32). Armenia Asiæ regio, quæ et Ararat et Aram in sacris Litteris dicitur, super cujus montes altissimos requievit arca Noe, Gen. VIII. Vide Plinium lib. VI cap. 9.

[e] Baronius tomo IV Annalium (*Anno* 372) hunc locum Cassiani falsitatis redarguit, auctoritate Gregorii Nazianzeni (*ad Hellenium*) et Basilii (*Epist.* 79), qui suo tempore monachos et anachoretas com-

CAPUT VIII.

De quarto genere monachorum.

Sane est etiam [a] aliud quartum genus quod nuper cernimus emersisse in his qui anachoretarum sibi specie atque imagine blandiuntur, quique in primordiis suis fervore quodam brevi, cœnobii perfectionem videntur expetere, sed continuo tepefacti, dum pristinos mores ac vitia resecare contemnunt, nec jugum humilitatis ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subdique seniorum imperio dedignantur, separatas expetunt cellas, ac solitarii sedere desiderant, ut ita scilicet a nemine lacessiti, patientes, mansueti ac humiles possint ab hominibus æstimari. Quæ institutio, immo tepor, eos quos semel infecerit, ad perfectionem A numquam permittit accedere. [b] Hoc enim modo non solum non abscindentur, verum etiam in deterius eorum vitia convalescent, dum a nemine provocati, ut quoddam lethale et intestinum virus, quanto amplius celatum fuerit, tanto profundius serpens insanabilem morbum generat ægrotanti. Pro reverentia enim singularis cellæ, nullus jam vitia solitarii audet arguere, quæ ille ignorari maluit quam curari. Porro virtutes non occultatione vitiorum, sed expugnatione, pariuntur.

CAPUT IX.

Interrogatio quid intersit inter cœnobium et monasterium.

Germanus : Estne aliqua inter cœnobium monasteriumque distantia, an in utroque nomine res una censetur?

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

plures in Ponto exstitisse disertissime testantur. Quod et notavit Possevinus (*In Apparatu*) in Cassiano.

[a] Quartum hoc genus monachorum, quod hic abbas anonymum sive innominatum reliquit, D. Benedictus proprio vocabulo gyrovagum nominavit, quod et suis coloribus ita depinxit (*Cap.* 1 *Reg.*) : *Quartum vero est genus monachorum, quod nominatur gyrovagum, qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur ; semper vagi, et numquam stabiles : sed semper et ubique propriis voluptatibus et gulæ illecebris servientes, et per omnia deteriores sarabaitis, de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere quam loqui.* Tales etiam monachos, vel potius pseudomonachos, D. Augustinus depingere videtur his verbis (*De opere monach. c.* 28) : *Tam multos hypocritas sub habitu monachorum usquequaque dispersit hostis scilicet humani generis, circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alii membra martyrum, si tamen martyrum, venditant; alii fimbrias et phylacteria sua magnificant; alii parentes vel consanguineos suos in illa vel illa regione* [*Al. religione*] *se audisse vivere et ad eos pergere mentiuntur, et ab omnibus petunt, omnes exigunt aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis : cum interea ubicumque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine monachorum vestrum propositum blasphematur, tam bonum, tum sanctum, quod in Christi nomine cupimus, sicut per alias terras, sic per totam Africam pullulare.* Porro hujusmodi monachos gyrovagos et vagabundos alio nomine circumcelliones, vel circumcellitas, nuncupatos indicat idem Augustinus in expositione psalmi CXXXII, ubi eos suggillans, et cum veris monachis comparans : *Quid opus est,* inquit, *ut verbis nostris comparentur ebriosi cum sobriis, præcipites cum consideratis, furentes cum simplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere consueverunt : Quid sibi vult nomen monachorum? Quanto melius dicimus nos : Quid sibi vult nomen circellionum? Sed non, inquiunt, vocantur circelliones. Forte corrupto sono nominis eos appellamus; dicturi sumus vobis integrum nomen ipsorum. Forte circumcelliones vocantur, non circelliones. Plane si hoc modo vocantur, exponant quid sint ; nam circumcelliones dicti sunt, qui circum cellas vagantur. Solent enim ire hac atque illac, nusquam habentes sedes, et facere quæ nostis, et quæ illi norunt, velint, nolint.* Hæc Augustinus. Ex quibus patet non recte ab Isidoro distingui circumcelliones a gyrovagis ; cum ideo circumcelliones dicti sint, quia circum cellas vagarentur, ut ait Augustinus, quod et nomen B gyrovagorum satis exprimit. Cur autem gyrovagi a D. Benedicto dicantur deteriores sarabaitis, tres rationes reddit Turrecrematus : *Primo,* inquit, *quia sarabaitæ cellas ædificant, et manent firmiter in eis; gyrovagi vero non sic, sed tamquam hospites, diversas provincias percurrunt. Secundo, quia licet sarabaitæ sint mali, nihilominus de labore proprio vivunt; gyrovagi de laboribus alienis : immo quod multo tempore et labore quæsitum aut congregatum est, brevi hora isti consumunt. Tertio, quia isti per diversa loca discurrentes, plurimos malæ vitæ exemplo perdunt et corrumpunt.* Porro his omnibus antiquior D. Basilius eosdem gyrovagos designasse ac veluti digito monstrasse videtur in Constitutionibus Monasticis (*Cap.* 9), ubi ait : *Illi etiam devitandi sunt qui instabiles identidem locum demutant, et modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, et irrequieto acti impetu se in circumlustrandis assidue monasteriis occupant, et per simulationem spiritualis charitatis charitate carnis libidinibus obsequuntur : quorum in animis nihil firmitatis, nihil solidi, nihil quod disciplinæ conveniat ordinis, nihil denique prudentiæ inest aut gravitatis ; contraque summa curiositas, morum perversitas, levitas, inconsiderantia, dolus, hypocrisis, mendacis et veteratoriæ orationis plenissima assentatio, in his redundant. Hi enim et lingua rudes, et ventre intemperantes sunt,* etc., ubi eorum mores latius describit. De iisdem Petrus card. Ostiensis epist. 9, lib. v, his verbis : *In monachico sane ordine, quos in claustris sub abbatis imperio regulariter manere conspicimus, consequenter utique monachos appellamus : quos autem proprium possidere, indifferenter huc illucque discurrere, solutos legibus, juxta propriæ voluntatis arbitrium diffluere cernimus, non monachorum, sed gyrovagorum potius dignos vocabulo indicamus.*

[b] Pluribus id inculcat Cassianus lib. VIII Institut. cap. 17 (*Vide collat.* 19 *c.* 10, *collat.* 5 *c.* 4). *Quæcumque,* inquit, *vitia incurata in eremum detulerimus, operta in nobis, non abolita sentiemus. Solitudo namque sicut novit emendatis moribus contemplationem purissimam reserare; ita eorum qui minus emendati sunt vitia non solum servare, verum etiam exaggerare consuevit. Tamdiuque sibi patiens quis videtur et humilis, donec nullius hominis commisceatur consortio, ad naturam pristinam mox reversurus, cum interpellaverit cujuslibet commotionis occasio. Emergunt quippe ex eo confestim vitia quæ latebant; et, velut equi infrenes, certatim e suis repagulis otio longiore nutriti acrius ad perniciem aurigæ proprii ferociusque prorumpunt. Magis enim exercitio usuque humano cessante efferantur in nobis vitia, si non fuerint ante purgata.* Vide his similia et consentanea apud D. Basilium (*Basil. in Regul. fusius disp. interrog.* 7).

CAPUT X.

Responsio.

Piammon : Licet a nonnullis soleant indifferenter monasteria pro cœnobiis appellari, tamen hoc interest, quod monasterium nomen est diversorii, nihil amplius quam locum, id est, habitaculum, significans monachorum ; cœnobium vero etiam professionis ipsius qualitatem disciplinamque designat. Et [a] monasterium potest etiam unius monachi habitatio nominari; cœnobium autem appellari non potest, nisi ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio. Dicuntur sane monasteria, etiam in quibus sarabaitarum collegia commorantur.

CAPUT XI.

De vera humilitate et quomodo falsam cujusdam humilitatem prodiderit abbas Serapion.

Quamobrem quoniam de optimo genere monachorum video vos professionis hujus arripuisse principia, id est, de laudabili cœnobiorum palæstra ad excelsa fastigia anachoreticæ tendere disciplinæ, humilitatis patientiæque virtutem, quam vos illic didicisse non dubito, vero sectamini cordis affectu, non eam sicut quidam falsa humiliatione verborum, nec affectata atque superflua in quibusdam officiis corporis inclinatione, fingentes. Quod humilitatis figmentum [b] abbas Serapion quodam tempore eleganter irrisit. Cum enim quidam ad eum summam sui abjectionem habitu ac verbis præferens venisset, eumque senex, secundum morem, ut orationem colligeret [*Al.* offerret] hortaretur, ille nequaquam annuens deprecanti, tantis se subjiciens asserebat flagitiis involutum, ut ne usum quidem hujus communis aeris capere mereretur; psiathii quoque ipsius refugiens sessionem, humi potius residebat. Cum vero etiam ad ablutionem pedum multo minus præbuisset assensum, tum abbas Serapion refectione transacta, collationis consuetudine provocante, monere eum benigne ac leniter cœpit, ne otiosus ac vagus, præsertim juvenis tam robustus, instabili levitate per universa discurreret; sed ut in cella residens, secundum regulam seniorum, suo potius A opere quam aliena mallet munificentia sustentari. In quod ne Paulus apostolus incideret, et quidem cum ei in Evangelio laboranti hæc præbitio merito deberetur, diebus tamen ac noctibus maluit operari, ut quotidianum victum vel sibi, vel his qui eidem ministrantes opus exercere non poterant, suis manibus præpararet (*Act.* XX). Ad hæc ille tanta est tristitia et dolore suppletus, ut amaritudinem corde conceptam, ne vultu quidem dissimulare potuerit. Cui senex, Hactenus, inquit, o fili, cunctis te facinorum ponderibus onerabas, non metuens confessione tam atrocium criminum notam existimationis incurreres; quid, quæso, nunc est quod ad simplicem admonitiunculam nostram, quæ tamen in se non modo nullum opprobrium, sed etiam ædificationis habuit B ac dilectionis affectum, tanta te video indignatione permotum, ut eam ne vultu quidem occultare aut frontis serenitate dissimulare potueris? An fortasse dum te humiliabas, illam exspectabas a nostro ore sententiam, *Justus accusator sui est in primordio sermonis* (*Prov.* XVIII)? Proinde [c] vera est cordis humilitas retinenda, quæ non de affectata corporis atque verborum, sed de intima mentis humiliatione descendit. Quæ tunc demum evidentissimis patientiæ suæ fulgebit indiciis, cum quis non ipse de se crimina ab aliis non credenda jactaverit, sed ab aliis sibimet arroganter ingesta contempserit, et irrogatas injurias mansueta cordis æquanimitate toleraverit.

CAPUT XII.

Interrogatio, quemadmodum vera patientia possit acquiri.

Germanus : Quemadmodum acquiri vel retineri possit ista tranquillitas, optamus agnoscere, ut sicut indicto nobis silentio oris claustra præcludimus, verborumque licentiam coercemus, ita etiam cordis lenitatem custodire possimus; quod nonnumquam etiam cum lingua refrenatur, intrinsecus tamen statum suæ placiditatis amittit. Et idcirco mansuetudinis bonum non alias tenere quempiam posse, [d] nisi remotione cellæ ac solitario putamus habitaculo.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita enim Philo et ejus interpres supra citatus (*Ad. cap.* 5 *hujus collat.*) : *Unicuique sacrum domicilium est, quod sanctuarium aut monasterium vocant.* Et quidem si vocabula proprie sumantur, sicut unius monachi habitaculum non potest dici cœnobium, quia communis vita non est unius, sed multorum; ita neque cœnobium potest dici monasterium, si a D solitudine deducatur monasterium, ut si unius monachi habitatio, ut hic dicitur. Cæterum solent hæc vocabula confundi et pro eodem accipi. Unde et D. Benedictus (*Cap.* 1 *Reg.*) cœnobitas nomine vocat monasteriales. Quod si cœnobitæ iidem et monasteriales ; ergo eadem etiam cœnobia et monasteria. Porro cœnobium etiam apud ethnicos philosophos usitatum fuisse, et quoddam cœnobiticæ vitæ specimen ab ipsis adumbratum docet Aulus Gellius (*Lib.* 1 c. 9 *Noct. Attic.*), qui de Pythagoræorum disciplina agens : *Omnes,* inquit, *simul qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæque habebant, in medium dabam, et coibatur societas inseparabilis ; tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod in re atque verbo appellabatur* κοινόβιον. Hæc ille.

[b] De quo alias sæpius (*Collat.* 2 *cap.* 11, *et collat.* 5 *cap.* 1); qui decem millibus monachorum præfuisse legitur.

[c] D. Ambrosius ad Constantium (*Epist.* 42, lib. II) : *Multi habent humilitatis speciem, virtutem non habent; multi eam foris prætendunt, et intus impugnant : ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant, ad gratiam negant. Est enim qui nequiter humiliat se, et interiora ejus plena sunt dolo ; et est qui nimium se submittit ab humilitate multa. Non est ergo humilitas, nisi sine fuco, sine fraude. Ipsa est vera quæ habet piam mentis sinceritatem. Magna virtus ejus.* Et Hieronymus ad Cælantiam (*Epist.* 14) : *Humilitatem sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem,* etc. alibi citata.

[d] Id est, solitudine et secessu ab aliis.

CAPUT XIII.

Responsio.

Piammon: Patientia vera atque tranquillitas absque profunda cordis humilitate nec acquiritur nec tenetur. Quæ si de hoc fonte descenderit, nec beneficio cellæ, nec perfugio solitudinis indigebit. Non enim patrocinium cujusquam rei extrinsecus quærit, quæ humilitatis, id est, generatricis atque custodis suæ intrinsecus virtute fulcitur. Cæterum si movemur ab aliquo lacessiti, certum est non esse in nobis humilitatis fundamenta firmiter stabilita, et ideo ad incursum vel exiguæ tempestatis ædificium nostrum ruinosa commotione concutitur. Non enim esset laudabilis nec admiranda patientia, si nullis inimicorum jaculis impetita tranquillitatis propositum retineret; sed in eo est præclara atque gloriosa, quod irruentibus in se tentationum procellis immobilis perseverat. Nam in quo vexari frangique adversitatibus creditur, in eo potius roboratur; et in eo magis acuitur, in quo putatur obtundi. [a] A passionibus enim et sustentatione patientiam dici nullus ignorat, ideoque [b] constat patientem pronuntiari neminem posse, nisi eum qui universa quæ sibi fuerint irrogata absque indignatione toleraverit. Et ideo non immerito ita a Salomone laudatur: [c] *Melior est patiens forti, et qui continet iram capiente urbem* (*Prov.* XVI). Et iterum: *Longanimis vir nimius in prudentia, pusillanimis autem valde insipiens est* (*Prov.* XIV, *sec. LXX*). Cum ergo quis victus injuria, iracundiæ igne succenditur, non causa peccati ejus acerbitas illatæ contumeliæ exstitisse credenda est, sed potius manifestatio infirmitatis occultæ, secundum illam parabolam Salvatoris quam de duabus domibus ponit, una quæ fundata erat supra petram, et alia quæ super arenam, quibus æqualiter dicit, pluviarum ac fluminum vel tempestatum turbines irruisse; sed illam quæ in petræ soliditate fundata est nihil penitus detrimenti ex illa tam violenta collisione sensisse, quæ vero in arenarum pendula mobilitate constructa est statim fuisse collapsam (*Matth.* VII); quam utique apparet non propterea corruisse, quia imbrium vel torrentium inundatione pulsata, sed quia super arenam imprudenter est structa. Non enim in hoc differt a peccatore vir sanctus, quia non similiter e ipse tentatur, sed quia hic etiam magna impugnatione non vincitur, ille autem etiam parva tentatione superatur. Neque enim esset, ut diximus, justi alicujus laudabilis fortitudo, si vinceret intentatus, cum utique victoria locum habere non possit absque adversitate certaminum. *Beatus* enim *vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se* (*Jac.* I). Secundum apostolum quoque Paulum, *virtus* non in otio atque deliciis, sed *in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). *Ecce enim,* inquit, *dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in murum æreum, super omnem terram regibus Juda, principibus ejus, et sacerdotibus ejus, et omni populo terræ, et bellabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum ut eruam te, dicit Dominus omnipotens* (*Jerem.* I).

CAPUT XIV.

De exemplo patientiæ cujusdam religiosæ feminæ.

Hujus ergo patientiæ volo vobis duo saltem exempla proponere, [d] unum religiosæ cujusdam feminæ, quæ patientiæ virtutem tanta aviditate sectata est, ut non solum tentationum non vitaret incursus, sed etiam occasiones molestiarum sibimet procuraret, quibus frequentius instigata non cederet. Hæc namque cum Alexandriæ commoraretur, essetque non obscuris orta majoribus, atque in domo quæ sibi fuerat a parentibus derelicta religiose Domino deserviret, veniens ad [e] beatæ memoriæ Athanasium episcopum, precabatur ut aliquam sibi alendam viduam daret, quæ ex ecclesiasticis sumptibus pascebatur. Et ut petitionem ejus verbis ipsius exprimamus, Da, inquit, mihi aliquam de sororibus [f] quam repausem. Sacerdos igitur cum laudasset propositum feminæ, quod eam ad opus misericordiæ vidisset esse promptissimam, jussit ex omnibus eligi vi-

[a] Petrus Maturus in hæc verba apud D. Antoninum relata; Patientia, inquit, græce, in sacris præsertim libris, ὑπομονή dicitur. Sicut igitur nomen patientiæ a verbo patior, sic ὑπομονή ab ὑπομένω, quod est subtus moneo, et sustento, deducitur. Unde hoc loco a passionibus et sustentatione patientiam dici Cassianus refert.

[b] *Patientia enim est,* ait D. Gregorius (*Hom.* 16 *in Evang.*), *aliena mala æquanimiter perpeti, contra eum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi. Nam qui sic proximi mala portat, ut tamen tacitus doleat, et tempus dignæ retributionis quærat, patientiam non exhibet, sed ostentat. Scriptum quippe est: Charitas patiens est, benigna est* (I *Cor.* XIII). *Patiens namque est, ut aliena mala toleret; benigna vero est, ut ipsos etiam quos portat amet.*

[c] Has sententias alibi citatas nonnihil attigimus.

[d] Simile exemplum narrat Joannes Moschus in Prato Spirituali cap. 206.

[e] S. Athanasius, magnus ille atque divinus vir, cujus symbolum in Ecclesiis legitur (*Hieron. in Catalog.*), Alexandrinæ urbis episcopus, sanctitatis et eruditionis eximiæ, acerrimus catholicæ fidei contra Arianos propugnator, pro cujus defensione multas ab eis perpessus insidias ad Constantium Aug. in Gallias fugit: unde reversus cum litteris, et rursus post mortem ejus fugatus, usque ad Joviani tempora latuit, a quo recepta Ecclesiæ suæ gubernatione obiit anno Domini 370, relictis et transmissis ad posteros multis præclaris ingenii sui monumentis.

[f] Id est, refoveam, aut reficiam. Nic. Perottus l. I: *Pausa,* inquit, *dicitur requies alicujus rei. Actius poeta: Nobis data pausa loquendi. Inde pauso verbum, id est, quiesco; a quo repauso, quod est, requiem capio. Deducuntur autem a verbo,* παύομαι, *quod significat, desisto ab opere, requiesco.* Sic ille. At repausare hoc loco active sumitur, ut idem sit quod reficere, recreare, humaniter tractare, et quasi laboribus pausam, id est, finem imponere, quod ex secunda ejusdem mulieris petitione clarum est, ubi ait, *Ut mihi dari præciperes quam reficerem,* etc. Nonnulli tamen legunt: *In qua repausem,* ut Cuychius notavit.

duam quæ et honestate morum et gravitate ac disciplina omnibus præferretur, nec forte desiderium largitatis percipientis vitio vincerctur, et quæ mercedem quæreret in egena, damnum fidei pravis ejus offensa moribus pateretur. Cui cum domum adductæ omnibus deserviret obsequiis, virtutem modestiæ ejus ac lenitatis experta, videnque se ab ipsa momentis singulis gratiarum actione pro officio humanitatis honorari, post dies paucos ad memoratum revertitur sacerdotem : Rogaveram, inquiens, ut mihi dari præciperes quam ego reficerem, et cui morigeris famularer obsequiis. Cumque ille necdum propositum feminæ ac desiderium intelligens, æstimasset petitionem ejus dissimulatione præpositi fuisse neglectam, causasque moræ illius non absque animi sui commotione perquirens, protinus agnovisset honestiorem ei cæteris viduam deputatam, occulte præcepit ut ea illi quæ esset cunctis nequior traderetur, quæ scilicet vel iracundia, vel rixis, vel violentia [*Lips. in marg.* vinolentia], seu verbositate, atque etiam vanitate cunctas quibus hæc vitia dominarentur excederet. Quam cum multo facilius inventam sibique traditam domi habere cœpisset, atque eadem ei diligentia qua priori illi viduæ, vel etiam studiosius, ministraret, hoc solum ab ea pro tantis obsequiis recipiebat gratiæ, ut indignis jugiter afficeretur injuriis, conviciis quoque ab ea exprobationibusque continuis vexaretur, objiciente ei et maledicis obtrectationibus increpante, eo quod se non ad refrigerium, sed potius ad cruciatum et contumeliam ab episcopo poposcisset, magisque se de requie ad laborem quam de labore transtulisset ad requiem. Cum ergo assiduitas jurgiorum eo usque prorumperet, ut ne ab injectione quidem manuum procax mulier temperaret, illa autem humilioris obsequii ingeminaret officia, non furentem vincere reniteudo, sed semetipsam humilius subjiciendo discebat, ut multimodis indignitatibus lacessita, objurgantis insaniam humanitatis mansuetudine deliniret. Quibus ad plenum exercitiis confirmata, perfectamque virtutem desideratæ patientiæ consecuta, ad memoratum sacerdotem, tam pro electionis illius judicio quam etiam pro beneficio exercitationis suæ, gratias relatura perrexit, eo quod secundum desiderium suum tandem ei magistram patientiæ dignissimam providisset, cujus injuriis jugibus, ut quodam palæstræ oleo, quotidie roborata ad summam animi patientiam perveniret. Tandem, inquiens, dedisti mihi quam repausem, nam illa prior suis me potius honorabat ac refrigerabat obsequiis. Hæc de sexu muliebri dixisse sufficiat, ut commemoratione hac non solum ædificemur, verum etiam confundamur, qui nisi fuerimus ad ferarum morem retrusi in caveas cellularum, patientiam retinere non possumus.

CAPUT XV.

De exemplo patientiæ abbatis Paphnutii.

Nunc aliud abbatis Paphnutii pandamus exemplum, qui in illius insignis et ubique prædicabilis Scythioticæ eremi, in qua nunc presbyter est, secretis tanto studio semper insedit, ut ei cæteri anachoretæ [a] Bubali cognomen indiderint, eo quod ingenito (ut ita dixerim) desiderio, solitudinis semper habitatione gauderet. Itaque cum tantæ in pueritia sua esset virtutis et gratiæ, ut etiam præclari ac summi id temporis viri gravitatem ejus et immobilem constantiam mirarentur; eumque, licet minor esset ætate, pro virtutum tamen merito senioribus exæquarent, suoque ordini ducerent inserendum, livor ille qui adversum Joseph patriarcham fraternos quondam animos instigavit, quemdam de numero fratrum edacis zeli igne succendit; qui nævo quodam ac macula pulchritudinem ejus cupiens deformare, hoc genus malignitatis excogitat, ut opportunitatem temporis captaret, quo Paphnutius ad ecclesiam die dominico processurus abesset a cella. In quam furtim irruens, codicem suum [b] inter ejus plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit, ac de concinnata factione securus, ipse quoque velut puræ ac simplicis conscientiæ ad ecclesiam venit. Cumque celebrata omnis fuisset ex more solemnitas, querelam sancto Isidoro, qui ante hunc eumdemque Paphnutium ejusdemque eremi presbyter fuit, coram cunctis fratribus detulit, asserens sibi codicem de cella furto fuisse sublatum. Quæ ejus querimonia cum ita cunctorum, præcipueque presbyteri, animos permovisset, ut *quid primum* suspicarentur quidve decernerent non haberent, summa cunctis admiratione perculsis, de tam inaudito illic facinoris novitate, ille qui rem detulerat accusator urgebat ut, retentis in ecclesia omnibus, missi electi quique cunctorum sigillatim fratrum cellulas scrutarentur. Quod cum tribus senioribus a presbytero fuisset injunctum, universorum cubilia revolventes ad extremum in Paphnutii cellula absconditum codicem inter plectas palmarum, quas *illi* siras vocant, sicut eum insidiator occuluerat, repererunt. Quem cum inquisitores confestim ad ecclesiam delatum coram omnibus protulissent, Paphnutius licet de conscientiæ suæ esset sinceritate securus, tamen velut qui furti crimen agnosceret, satisfactioni se totum tradidit, locumque pœnitentiæ sup-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Paphnutio alias Bubali, alias Cephalæ cognomen inditum fuisse notavimus collat. 3 cap. 1, quæ ejus nomine inscribitur. Sunt tamen qui duos statuunt et diversos Paphnutios : alterum Cephalam, de quo Palladius cap. 91 ; alterum Bubalum cognominatum, eumque presbyterum Scetiotem, de quo hic agitur, ut et collatione tertia.

[b] Plectæ, ut notavit Ciaconius, quas Ægypti siras vocant, habenæ sunt, aut virgulæ e palma, junco aut sparto contextæ, ex quibus sportæ, canistra, aliaque similia conficiuntur; dictæ a verbo πλέκω, quod necto, vel plecto, significat Similiter Græci πλεκτὴν σειράν interpretantur. Frequens est vocabulum in Vitis Patrum, ubi etiam flecta dicitur.

pliciter postulavit, hoc verecundiæ suæ modestiæque prospiciens, ne si maculam furti verbis conaretur abluere, insuper etiam mendacii notaretur, nemine scilicet aliud quam id quod inventum fuerat suspicante. Cumque de ecclesia non tam mente dejectus quam judicio Dei fidens protinus abscessisset, profusis in oratione jugiter lacrymis, triplicatisque jejuniis, summa se etiam in conspectu hominum mentis humilitate prostravit. Sed cum duabus fermc hebdomadibus ita se omni contritione carnis ac spiritus subjecisset, ut die sabbati vel dominico, non ad percipiendam communionem sacram, sed ad prosternendum se in limen ecclesiæ atque ad veniam suppliciter postulandam, matutinus accurreret, nequaquam passus est eum occultorum omnium testis et cognitor, vel a se amplius conteri vel ab aliis infamari. Nam quod ille inventor sceleris, rei suæ fur improbus, laudis alienæ callidus infamator, nullo hominum teste commiserat, per diabolum qui criminis ipsius incentor fuerat publicavit. Arreptus namque dirissimo dæmone cunctas factionis occultæ patefecit insidias, criminationumque ac fraudum idem fuit proditor qui commentor. Ita autem spiritu illo immundo graviter diuque vexatus est, ut ne orationibus quidem sanctorum illic consistentium, qui divinorum charismatum merito dæmoniis imperabant, potuerit emundari, sed ne ipsius quidem [a] Isidori presbyteri gratia singularis crudelissimum ab eo excluserit vexatorem, cui tanta erat virtus Domini largitate collata, ut ne usque ad limina quidem ejus quisquam arreptitius qui tardius sanaretur aliquando perductus sit, Christo hanc adolescenti Paphnutio gloriam reservante, ut illius tantum orationibus cui insidiatus fuerat purgaretur; et cujus laudi aliquid invidus inimicus decerpere se posse crediderat, ejus nomen proclamans, et delicti sui veniam et finem supplicii præsentis acciperet. Hæc ergo ille in adolescentia sua futuræ indolis jam tunc indicia præfigurans, lineas quasdam perfectionis illius quæ erat maturitate augenda adhuc in annis puerilibus designavit. Si igitur ad culmen virtutum ejus volumus pervenire, talia nobis exordiorum fundamenta jacienda sunt.

CAPUT XVI.

De perfectione patientiæ.

Duplex sane ad narrationem facti hujus causa me compulit. Primum ut hanc immobilitatem viri constantiamque pensantes, quanto minoribus quam ille est appetitus, inimici impugnantur insidiis, tanto majorem tranquillitatis atque patientiæ sumamus affectum : deinde ut firma definitione teneamus a tentationum procellis impugnationibusque diaboli tutos nos esse non posse, si omne præsidium patientiæ nostræ, omnemque fiduciam, non in interioris hominis nostri viribus, sed in cellulæ claustris, aut in solitudinis recessu, sanctorumve consortio, vel cujusquam rei quæ extra nos sit præsidio, collocemus. Nisi enim mentem nostram virtute protectionis suæ ille firmaverit qui in Evangelio ait, *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII), frustra aerii hostis insidias, aut auxilio cohabitantium hominum vincere, aut localibus spatiis declinare, aut munitione tectorum excludere posse nos credimus. Nam cum hæc omnia sancto Paphnutio non deessent, tamen impugnationis aditum adversus eum tentator invenire potuit; neque illum nequissimum spiritum septa parietum, aut eremi solitudo, aut tot in illa congregatione sanctorum merita repulerunt. Sed quia sanctus Dei famulus non in his quæ extrinsecus sunt, sed in ipsum occultorum omnium judicem spem sui cordis infixerat, tantæ impugnationis machinis nequaquam potuit commoveri. Et e contra ille quem ad tantum facinus præcipitavit invidia, nonne et solitudinis beneficio, et monitione remotioris habitaculi, et beati Isidori abbatis atque presbyteri aliorumque sanctorum consortio fruebatur? et tamen qui cum supra arenam reperit turbo diabolicus, non solum impegit ejus, verum etiam subvertit, habitaculum? Non ergo quietem nostram extrinsecus inquiramus, nec opitulari vitiis impatientiæ nostræ alienam putemus posse patientiam. Sicut enim *regnum Dei intra*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Presbyterum, credo, hic et superius in hoc capite nominavit, ut ab illo distingueret Isidoro Nitriæ episcopo, cujus meminit D. Hieronymus in epitaphio Paulæ his verbis (*Epist.* 27) : *Occurrente sibi sancto venerabili episcopo Isidoro confessore, et turbis innumerabilibus monachorum*, etc., quem et Theodoretus inter alios monachorum Patres una cum Macario sub Lucii Ariani tyrannide exsilio relegatum scribit (*Lib.* IV *c.* 19), quamobrem confessoris titulo meruit honorari; quo nomine nullus olim appellari consuevit, nisi qui Christi fidem interpellatus coram fidei hostibus confessus esset, ut notat Baronius in Martyrologium (2 *Januarii*). At Isidorus hic presbyter et abbas, de quo hic agitur, ille esse videtur de quo Sozomenus, de monachis Ægypti agens : *Per id temporis*, ait, *inter monachos longe illustrissimi Patres erant Isidorus. Serapion et Dioscorus. Isidorus monasterium undique cinxit muro et sedulo providit ne quisquam eorum qui intus erant egrederetur, res tamen omnes haberet ad vitam necessarias.* Et Palladius Lausiaca 71, ubi inter alia refert monachos ejus monasterii magna sanctitatis et miraculorum gratia præditos fuisse; quod huic loco satis congruit, ubi Isidori hujusmodi gratia singularis memoratur. Cæterum an is sit, quem Socrates (*Lib.* VI *c.* 9), Rufinus (*Lib.* II *c.* 4), Sozomenus (*Lib.* VIII *c.* 12), Evagrius (*In Vitis Patrum*) collaudant, quem constat iisdem temporibus magna sanctitatis fama vixisse, malim dubitare quam affirmare, quamvis in partem negantem magis inclinem. Nam ille postea ad Origenistas defecit, et eorum propugnator et ductor effectus pristinam laudem obscuravit. De quo D. Hieronymus epist. 61 ad Pammachium et Ctesiphontem. Memoratur et alius Isidorus sanctitate vitæ, fide et miraculis clarus, de quo Matyrologium Romanum 15 Januarii. At hunc alibi potius quam in Ægypto vixisse censet Baronius. Denique clarissimus in hoc genere monachorum et nomine exstitit Isidorus ille Pelusiotes Joannis Chrysostomi discipulus, et inter ecclesiasticos scriptores Græcos celebris, sæpe in his notationibus citatus, de quo Martyrologium Rom. 4 Febr.

nos est (*Luc.* XVII), ita *inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* X). Nemo enim mihi magis quam sensus meus, qui est mihi vere intimus domesticus, adversatur. Et idcirco si fuerimus solliciti, ab intestinis hostibus lædi minime poterimus. Ubi enim nobis nostri domestici non adversantur, ibi et regnum Dei tranquillitate mentis acquiritur. Nam si rationem diligenter discutias, lædi ab homine quamvis malignante non potero, si ipse impacifico adversum me corde non dimicem. Si autem lædor, non est vitium impugnationis alienæ, sed impatientiæ meæ. Sicut enim gravis ac solidus cibus sano utilis, ita perniciosus est ægrotanti. Non autem lædere sumentem potest, nisi ei ad nocendum vires adjecerit percipientis infirmitas. Si umquam ergo similis inter fratres fuerit oborta tentatio, nequaquam a cursu tranquillitatis excussi, blasphemis sæcularium obtrectationibus aditum reseremus. Nec perversos atque exsecrabiles quosque sanctorum virorum numero insertos latitare miremur, quia dum in hujus sæculari area conculcamur atque conterimur, necesse [a] est etiam paleas igni perpetuo deputandas inter electissima frumenta misceri. Denique si vel Satan inter angelos, vel Judam inter apostolos, vel [b] Nicolaum pravissimæ hæreseos inventorem inter diaconos reminiscamur electos, hoc quod [c] nequissimi

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Scita sententia, et tam Scripturæ quam Patribus decantata, qua docemur in Ecclesia militante malos bonis esse permixtos, sicut in acervo triticum et palea permiscentur antequam ventilentur et emundentur. Unde Isidorus (*Etymol.* XVII *cap.* 1) : *Palea*, inquit, *a quibusdam vocari dicitur, quod pala ventiletur ut frumenta purgentur.* Hinc Jeremiæ XXIII : *Quid paleis ad triticum? dicit Dominus.* Quod Apostolus aliis verbis expressit : *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras* (II *Cor.* VI)? Et Matthæi III, et Lucæ III de Salvatore dicitur : *Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam ; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ubi area Ecclesia, triticum electi, quia fructuosi, pleni, gravesque virtutibus ; palea vero improbi et reprobi, quia infructuosi, inanes, et vacui bonis operibus designantur. D. Hieronymus lib. I adversus Pelagianos : *In agro*, ait, *Dominico, dormiente patrefamilias, inimicus homo zizania superseminat ; et frumento bono, dum nescimus, lolium avenasque steriles sator nocturnus interserit : ideo parabola ista evangelici patris familias formidanda est, qui purgat aream et, frumento horreis condito, paleas ventorum flatibus dispergendas et urendas ignibus derelinquit. Unde et in Jeremia scriptum legimus : Quid paleis ad frumentum? dicit Dominus* (*Jerem.* XXIII). *Paleæ autem a frumento in consummatione sæculi separantur. Ex quo approbatur, dum sumus in corpore isto mortali, mixtas esse tritico.* D. Augustinus in quodam sermone (*Serm.* 22 *de tempore*) : *Fratres, sæpe dixinus, sæpe dicimus, et quamdiu vixerimus dicere debemus, quia Ecclesia temporis hujus et paleam habet et frumentum. Nemo quærat expellere paleam, nisi tempore ventilationis,* etc. S. Gregorius lib. XXXIV Moralium *cap.* V : *Post trituram*, inquit, *vitæ præsentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi judicii ventilabro triticum paleaque discernitur, ut nec in tritici horreum paleæ transeant, nec in palearum ignem horrei grana dilabantur.* Hæc SS. Patres.

[b] De Nicolao diacono, uno ex septem primis qui ab apostolis ordinati leguntur (*Act.* V), duæ reperiuntur antiquorum sententiæ. Plerique enim asseruut ipsum ab Ecclesia catholica defecisse, et in turpissimos errores delapsum docuisse inter alia licere fornicari et omni libidinum genere inquinari. Ita D. Hieronymus (*Epist.* 1) post antiquiores, Tertullianum (*Lib. de Præscr.*), Irenæum, Epiphanium : *Attendis Petrum? sed et Judam considera : Stephanum suspicis? sed et Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi sua damnat sententia* (*Apoc.* I) ; *qui tam turpia et nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur.* Et epist. 48 ad Sabinianum diaconum : *De quondam ordinis tui hominibus Nicolaus Antiochenus immunditiarum omnium et Nicolaitarum hæreseos auctor exstitisse refertur.* Rursus in dialogo adversus Luciferianos (*Cap.* 8) : *Nicolaus unus de septem diaconis, die noctuque nuptias faciens, obscœnos et auditu quoque erubescendos coitus somniavit.* Hæc D. Hieronymus. Quam opinionem etiam hic auctor sequitur. At alii e diverso docent Nicolaum fuisse virum pium et sanctum ; sed Nicolaitas, qui arguuntur Apocal. II, qui ea docebant quæ tradit Hieronymus, fuisse hæreticos falso nomine Nicolaitas dictos : quod illi nimirum (ut mos est hæreticorum) ut hæresim honesto nomine palliarent, se Nicolaitas, quasi Nicolai discipulos falso et jactanter nominarent. Vide Eusebium lib. III Histor. cap. 23.

[c] D. Augustinus in psal. CXXXII commentans : *Sunt*, inquit, *et monachi falsi. Et nos novimus tales ; sed non periit fraternitas pia propter eos qui profitentur quod non sunt. Tam sunt enim monachi falsi quam et clerici falsi, et fideles falsi. Omnia ista tria genera, fratres mei, quæ aliquando vobis commendavimus, habent bonos suos, habent malos suos. De tribus enim ipsis generibus dictum est : Duo in agro, unus assumetur, et unus relinquetur ; et duo in lecto, unus assumetur, et unus relinquetur ; et duæ in molendino, una assumetur, et una relinquetur* (*Matth.* XXIV). *In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam. Unde dicit Apostolus* (*Videte, si non in agro erat*) : *Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* III). *In lecto autem eos intelligi voluit, qui amaverunt quietem* (*per lectum enim quietem voluit intelligi*), *non se miscentes turbis, non tumultui generis humani, servientes Deo, et inde tamen unus assumitur, et unus relinquitur. Sunt ibi probi, et sunt ibi reprobi. Duæ item in molendino. Ex nomine generis feminini appellavit, plebes enim intelligi voluit. Quare in molendino? Quia in isto mundo versantur, ubi molendinum intelligitur, quia sic vertitur mundus iste, quomodo mola ; væ enim quos conterit. Sic ibi versantur fideles boni, ut una ex eis consumatur, altera assumatur,* etc. Idem Augustinus alio loco (*Epist.* 127, *apud Gratia. dist. c.* 4) : *Quantumlibet*, inquit, *vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo : nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit quam arca Noe, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est* (*Gen.* XLIX) ; *aut melior sit quam domus Abrahæ, ubi dictum est : Ejice ancillam et filium ejus* (*Gen.* XXI) ; *aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I) ; *aut melior sit quam domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit* (*Gen.* XLIX) ; *aut melior sit quam domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit* (II *Reg.* XI) ; *aut melior quam cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret : Foris pugnæ, intus timores* (II *Cor.* VII) ; *nec diceret, cum de sanctitate et fide Timothei loqueretur : Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi* (*Philipp.* II) ; *aut melior quam cohabitatio ipsius Domini Christi in qua undecim boni perfidum et furem Judam toleraverunt ; aut melior sit postremo quam cœlum, unde angeli ceciderunt. Simpli-*

homines sanctorum ordini deprehenduntur inserti, A mirum esse non poterit. Nam licet hunc Nicolaum quidam asserant non illum fuisse, [a] qui ad opus ministerii ab apostolis est electus; nihilominus [b] tamen eum de illo discipulorum fuisse numero negare non possunt, quos omnes tales tamque perfectos in tempore illo fuisse manifestum est, quales nunc perpaucos vix in cœnobiis invenimus. Non ergo ruinam illius supradicti fratris, qui in illa eremo tam lugubri lapsus est casu, neque illam horribilem maculam, quam tamen ille ingentibus pœnitentiæ lacrymis post diluit, sed beati potius Paphnutii nobis proponamus exempla; ne subversione illius destruamur, cujus antiquum invidiæ vitium etiam auxit in pejus affectata religio, sed hujus humilitatem tota virtute B sectemur, quam non illi quies eremi subito genuit, sed inter homines acquisitam [*Lips. in marg.* acquisita] consummavit atque excoluit solitudo.

CAPUT XVII.

De invidiæ malo.

Sciendum sane est [c] invidiæ morbum difficilius ad medelam quam cætera vitia pervenire. Nam eum quem semel veneni sui peste corruperit, pene dixerim carere remedio. Ipsa namque est lues de qua figuraliter dicitur per prophetam : *Ecce ego mittam vobis* [d] *serpentes regulos quibus non est incantatio, et mordebunt vos* (*Jerem.* VIII). Recte igitur a propheta mortiferis basilisci venenis morsus invidiæ comparatur, qua primus ille venenorum omnium auctor et princeps et periit et peremit. Nam ante suus quam ejus cui inviderat interemptor, priusquam in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit. *Invidia enim diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap.* II), imitantur autem illum qui sunt ex parte illius. Sicut enim ille qui primus ejusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum ullius curationis admisit, ita et hi qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, [e] omnem opem

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

citer autem fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quo modo difficile sum expertus meliores quam qui in monasteriis profecerunt, ita non sua expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi scriptum : Justus justior fiat, et sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis : consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur torcularia detestari, unde apothecæ dominicæ fructu olei luminosioris implentur. Hactenus S. Augustinus, quibus nihil magis accommodatum huic loco afferre potuit.

[a] Septem enim diaconos ab apostolis electos et ordinatos, in quibus Nicolaus advena Antiochenus, tradit Lucas (Act. VI) : *Convocantes*, inquit, *duodecim* (apostoli) *multitudinem discipulorum dixerunt : Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus*, etc. Et infra : *Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, et Spiritu sancto, et Philippum, et Prochorum, et Nicanorem, et Timonem, et Parmenam, et Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Est autem duplex diaconorum ministerium, a quo et nomen acceperunt (διάκονος enim Latine minister dicitur, nec qualis qualis minister, sed expeditus ad serviendum, promptus, obsequiosus) : alterum spirituale et ecclesiasticum, quo diaconi episcopis et sacerdotibus in rebus sacris ex proprio numero et officio D ministrant; quo in genere primum locum obtinet altaris ministerium, de quo B. Ignatius martyr in epistola ad Trallianos hæc habet : *Quid sunt diaconi, quam imitatores angelicarum virtutum, qui purum et inculpatum ministerium illis exhibent* (sacerdotibus scilicet), *ut S. Stephanus beato Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro*, etc. Idemque suo carmine eleganter expressit Arator diaconus et poeta de apostolis ita canens :

> Jura ministerii sacris altaribus apti
> In septem statuere viris, quos undique lectos
> Levitas vocitare placet : quam splendida cœpit
> Ecclesiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
> Misceat, et latices cum sanguine porrigat Agni!

Alterum diaconorum ministerium temporale et politicum, sive œconomicum, tamen mere profanum et sæculare, ut volunt sectarii, quo eleemosynas tempore sacrificii a fidelibus ad altare oblatas, et in ecclesiæ ærarium reconditas, in pauperes viduas (sub quibus et alii pauperes comprehenduntur) erogabant. Hujus solummodo ministerii meminit Lucas, quod satis habuerit occasionem ordinationis eorum enarrare, ortam scilicet ex murmure Græcorum adversus Hebræos, *eo quod despicerentur viduæ eorum in ministerio quotidiano*, id est, in quotidiana eleemosynarum distributione. De hoc itidem ministerio S. Leo in sermone de S. Laurentio ita ait : *Non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat.* Ab hoc autem munere diaconia dicta est ipsa eleemosynarum administratio, et dispensatio non tantum diaconis, sed et aliis committi solita; de qua superius egimus, et infra rursus acturi sumus. Vide D. Gregorium lib. IX indict. 4 epist. 24.

[b] Fertur liber Hippolyti de septuaginta discipulis Christi (*Hier. in Catalogo*), ubi Nicolaum diaconum, ut virum fide catholica probatum, ad sublimiores ordines promotum, et ab apostolis creatum episcopum Samaritanum testatur. Cui consentit Dorotheus in Synopsi.

[c] Subscribunt Patres. Cyprianus (*Lib. de Zelo et Livore*) : *Facilior cura est, ubi plaga perspicua, et cito ad sanitatem medela subveniente perducitur vulnus quod videtur. Zeli vulnera obtrusa sunt et occulta, nec remedium cura medentis admittunt, qui se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt.* Et infra : *Calamitas sine remedio est odisse felicem.* Basilius (*Hom.* XI) : *Invidus rogatus ut morbum suum manifestet, se accusare omnino veretur, morbum in imo cordis recessu candentem atque assumentem viscera retinens. Itaque nec medicum nec medicinam ad eum fugandum aptam invenire potest, quamquam curandorum ægrorum vi referti sint libri.* Chrysostomus ad populum Antiochenum (*Hom.* LIII) : *Nam insanabilis est iste morbus, ut et innumeris medicaminibus superpositis propriam scaturiat tabem.* Prosper de Vita Contemplativa (*Lib.* III *c.* 5) : *Invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati; nec ei ab homine potest remedium adhiberi, cujus est vulnus occultum.*

[d] Regulus serpens, qui a Græcis basiliscus dicitur, aspectu homines interimit, et spiritu oris etiam aves prætervolantes enecat. Hieronymus in cap. XV Isaiæ.

[e] Alludere videtur ad illud psal. LVII : *Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet*

sancti incantatoris excludunt; quia cum utique non culpis aliorum quibuslibet, sed prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecus sibi quasdam superfluas et ineptas causas offensionis inquirunt. Quarum quia omnimodis falsæ sunt, una curatio est, cum illud mortiferum virus, quod nolunt prodere [*Lips. in marg.* non vult prodire] lateat in medullis. De quibus alibi ille Sapientissimus competenter expressit : [a] *Si momorderit serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori* (*Eccles.* x). Isti enim sunt taciti morsus quibus solis sapientium medicina non subvenit. Nam usque adeo incurabili est ista pernicies, ut blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irritetur; quia, ut idem Salomon ait, [b] *Nihil sustinet zelus* (*Prov.* VI). Quanto enim amplius alius, aut humilitatis subjectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tanto ille majoribus invidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam aut mortem ejus cui invidet concupiscit. Denique illorum undecim patriarcharum [c] zelus in tantum nulla innoxii fratris subjectione potuit deliniri, ut de his Scriptura commemoret : *Invidebant autem ei fratres sui, eo quod diligeret eum pater suus, et non poterant ei loqui quidquam pacificum* (*Gen.* XXXVII), donec zelus eorum qui nulla germani obsequentis atque subjecti sustinuit blandimenta, mortem ejus cupiens, vix posset venditionis fraternæ crimine satiari. Cunctis ergo vitiis perniciosiorem atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis quibus reliqua exstinguuntur, accenditur. Nam, verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur injuria, humilitatis satisfactione placatur. Quid illi facias qui hoc ipso magis quod te humiliorem ac benigniorem sentit offenditur, quem non ad iracundiam cupiditas quæ præmio delinitur, non injuriæ læsio aut amor ultionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantum alienæ prosperitatis irritat? Quis autem est qui se, ut satisfaciat invidenti, a bonis corruere, aut a prosperis alienari, aut calamitate aliqua optet in-

A

B

C

volvi? Quapropter ne totum quidquid in nobis vividum est et quasi vitali vegetatione sancti Spiritus animatur uno tantum hujus mali morsu basiliscus interimat, divinum cui nihil impossibile est jugiter imploremus auxilium. Cætera enim venena serpentum, id est, carnalia peccata vel vitia, quibus ut cito involvitur ita facile expurgatur humana fragilitas, habent aliqua vulnerum suorum in carne vestigia, quibus quamvis terrenum corpus perniciosissime contumescat, tamen si [d] theriacæ remedium, aut illam salutarium verborum medelam aliquis peritissimus carminum divinorum incantator admoverit, ad perpetuam animæ mortem pernicies virulenta non pervenit. Invidiæ autem quasi a regulo serpente *effusum* virus vitam ipsam religionis ac fidei priusquam vulnus in corpore sentiatur excludit. Non enim adversus hominem, sed plane adversus Deum blasphemus extollitur, qui nihil in fratre aliud nisi bonum meritum carpens, non hominis culpam, sed Dei tantum judicia reprehendit. Hæc ergo est illa *sursum germinans amaritudinis radix* (*Hebr.* XII), quæ se erigens ad superna, in contumeliam ipsius qui bona homini confert, tendit auctoris. Nec quemquam moveat quod Deus missurum se serpentes regulos, qui eos quorum criminibus offenditur mordeant, comminatur (*Jerem.* VIII). Nam licet certum sit Deum auctorem invidiæ esse non posse, æquum tamen et divino dignum judicio est, ut dum bona data humilibus conferuntur, et superbis ac reprobis denegantur, eos qui secundum Apostolum tradi in reprobum sensum merentur, quasi ab ipso missa percutiat et consumat invidia, secundum illud : *Ipsi me ad æmulationem irritaverunt in non Deo, et ego ad æmulationem inducam eos in non gente* (*Deut.* XXXII). Hac beatus Piammon disputatione desiderium nostrum, quo de primis cœnobii scholis ad secundum anachoreseos gradum tendere cœperamus, ardentius inflammavit. Nam primordia solitariæ commorationis, cujus scientiam postea sumus in Scythi plenius assecuti, ipso primum imbuente percepimus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

vocem incantantium, et venefici incantantis sapienter. Quod adagium de iis usurpatur qui recta monentes et bene consulentes nolunt audire, ut solent maxime invidi. Quod Judæi prædicante Stephano reipsa etiam exterius expresserunt. De quibus dicitur : *Exclamantes autem voce magna continuerunt aures suas* (*Act.* VII). Unde Augustinus in commentario ejusdem psalmi : *Non erant surdi,* inquit, *sed fecerunt se surdos. Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens etiam ipsis auribus cordis vim faciebat, clauserunt et aures corporis, et ierunt ad lapides. Ecce aspides surdæ, duriores lapidibus quibus incantatorem suum lapidaverunt, non audierunt vocem incantantis, et medicamenti medicati a sapiente.* Ita Augustinus.

[a] Vide quæ alibi in hanc sententiam scripsimus (*Collat.* 2 cap. 2).

[b] Ita LXX Interpr. D. Hieronymus legit : *Zelus impatiens est.* Vulgata editio : *Ira non habet misericordiam, nec corrumpens furor; et impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

[c] Zelus est duplex, bonus et malus. Zelus malus est invidia, qui alias dicitur zelus amaritudinis, fel amaritudinis, radix amaritudinis. D. Benedictus c. penultimo Regulæ : *Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat a Deo et ducit ad infernum, ita est zelus bonus qui separat a vitiis, et ducit ad Deum et ad vitam æternam.* De zelo invidiæ Apostolus I Cor. VI : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis?* Et B. Jacobus : *Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum* (Jac. III).

D

[d] De theriaca hæc Ciaconius : Θηριακὴ (*subauditur autem antidotus*) *dicitur quodcumque medicamentum adversus venena efficax : præcipue tamen hoc nomen obtinuit celeberrimum illud ex simplicibus pluribus et viperarum carne confectum :* Θηριακὴ *vero appellatum est, quasi tu dicas, ex venenatis bestiis confectum. Nam apud medicos* Θηρία *peculiariter dicuntur bestiæ, quæ ictu aut morsu venenum infigunt, et maxime viperæ, ex quarum carnibus medicamentum illud componitur.* Hæc ille. Vide plura, si lubet, apud Plinium lib. XX cap. ult., et lib. XXIX cap. 1, Cælium Rhodig. lib. VI Antiq. Lect. cap. 16.

COLLATIO DECIMA NONA,

Quæ est abbatis Joannis.

DE FINE CŒNOBITÆ ET EREMITÆ.

CAPUT PRIMUM.

De cœnobio abbatis Pauli, et patientia cujusdam fratris.

Post dies admodum paucos, majoris doctrinæ desiderio pertrahente, rursus ad abbatis [a] Pauli cœnobium summa spiritus alacritate perreximus : ubi licet plusquam [b] ducentorum fratrum numerus moraretur, in honorem tamen solemnitatis quæ id A temporis agebatur, infinita quoque de aliis cœnobiis monachorum turba confluxerat. Nam prioris abbatis qui eidem cœnobio præfuerat [c] anniversaria depositio solemniter celebrabatur. Cujus conventus idcirco facimus mentionem, ut patientiam cujusdam fratris, quæ sub præsentia totius congregationis hujus immobili ejus claruit lenitate, breviter perstringamus. Nam licet alio hujus operis tendat intentio, ut scilicet abbatis [d] Joannis, qui derelicta

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Plures hujus nominis fuisse anachoretas, sanctitate celebres et fere coætaneos alibi ostendimus (*Lib.* x *Inst. c.* 24). Cujus autem Pauli cœnobium hic designetur, divinare cuivis liceat, definire, credo, nemini; præsertim cum dicat Auctor se rursus ad abbatis Pauli cœnobium perrexisse, indicans alias se ibidem fuisse, quod tamen hactenus in his B collationibus non meminisse legisse. Meminit quidem Cassianus Pauli abbatis l. x Institut. cap. penultimo et ultimo, ad quem recurrisse se dicit consilii petendi gratia; verum ille privatam cellam, non cœnobium aut cœtum monachorum ibidem habuisse legitur. Meminit et alterius Pauli abbatis collat. 7, cap. 26, quem dicit commoratum esse in eremo quæ adjacet Panephysi civitati; at nihil ibi de cœnobio Pauli. Restat igitur ut Paulum illum Libycum hic designatum opinemur, de quo Sozomenus lib. VI cap. 29 : *Paulus,* inquit, *domicilium habuit in Pherme, qui est mons in Sceti : cui fuere discipuli non pauciores quingentis.* Nicephorus aliis verbis (*Lib.* XI *cap.* 36) : *Paulus in Pherme, qui mons in Sceti est, monasticam vitam egit, non plures quam quingentos monachos habens.* Ubi ad marginem habes : *Paulus quingentorum asectarum abbas.* At hunc nonnulli cum Paulo illo apud Panephysim agente confundunt.

[b] Satis quidem magnus hic numerus : exiguus tamen comparatione aliorum cœnobiorum, in quibus terna, ut minimum, millia monachorum sub uno abbate vivebant, teste D. Augustino (*Lib. de Morib. Eccl. c.* 31). Egimus hac de re alias sæpius.

[c] Animadverte antiquitatem anniversariorum pro defunctis. De quibus itidem Tertullianus lib. de Corona Militis (*Cap.* 3) : *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus.* Ubi duo genera anniversariorum insinuat, alterum pro defunctis fidelibus, alterum pro natalitiis, scilicet martyrum. Et lib. de Monogamia (*Cap.* 10), uxoris officium erga maritum defunctum ita inculcat : *Pro anima ejus oret, et refrigerium interim adpostulet ei, et in prima resurrectione consortium, et offerat annuis diebus dormitionis ejus.* Et in exhortatione ad castitatem : *Etiam repete apud Deum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Gregorius Nazianzenus oratione decima in Cæsarium fratrem : *Anniversarios,* inquit, *honores, et commemorationes offe-* D *rentes,* etc. Joannes Damascenus serm. de defunctis scribit etiam anniversario die memorias defunctorum orationibus celebratas. Vener. Beda lib. v Histor. Anglicanæ c. 15 : *Memorias,* inquit, *defunctorum anniversariis orationibus, vigiliis, psalmorum laude, missis celebrarent.* Et lib. III c. 2 refert ad crucem, quam Oswaldus rex in Anglia erexerat, fratres Hagustaldensis Ecclesiæ quotannis pridie ejus diei, quo is occisus fuerat, vigilias cum plurima psalmorum laude continuasse, et victimam sacræ oblationis pro salute animæ ejus offerre solitos fuisse (*Vide Onuphrium l. de Ritu sepeliendi c.* 10). Amalarius lib. III de Offic. Eccles. cap. ultimo : *Anniversaria,* inquit, *dies ideo repetitur pro defunctis, quia nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. Sicut* B *sanctorum anniversa dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur pro utilitate nostra : ita defunctorum, ad utilitatem illorum et nostram devotionem implendam, credendo nos aliquando venturos ad consortium sanctorum.* Durandus lib. VII Rationa. cap. 35 : *Quidam,* inquit, *anniversarium observant, triplici de causa. Primo ut defuncti de annis calamitatis perveniant ad annos æternitatis, sive ad vitam æternam, quæ sine fine est, et quasi annus in se revolvitur, vel quia ibi est identitas, et nulla reperitur varietas. Secundo quia sicut sanctorum anniversarium ad ipsorum honorem et nostram utilitatem celebramus, sic et anniversarium defunctorum ad ipsorum utilitatem et nostram devotionem. Tertio dies anniversarii pro defunctis ideo reperitur, quoniam, secundum Augustinum, qualiter sit eis in alia vita nescimus; et melius est ut eis supersit beneficium nostrum, quam desit* (*Aug. lib. de Cura pro mortuis agenda. c. ult. Gratian.* 13, *q.* 2, *c. Non æstimamus*).

C [d] Non illius, opinor, Joannis Lycopolitæ qui, prophetico spiritu plenus, Theodosio imper. victorias de tyrannis Maximo et Eugenio prædixit, de quo Rufinus lib. II cap. 1, Augustinus de Civit. lib. v cap. 26, Palladius in Lausiacis c. 43 et sequentibus, et Cassianus lib. IV. Institut. cap. 23 et sequent. et rursus collat. 24, cap. ult. Nam ille nusquam legitur ab eremitica ad cœnobiticam vitam transiisse; sed in eremo Thebaidis apud Lycon, vel Lycopolin, in pace quievisse. Verum alterius Joannis abbatis, de quo superius ex Sozomeno habita mentio (*Collat.* 18, *c.* 1), ubi cum Piammone abbate apud Diolcon civitatem floruisse legitur. Sic enim Sozomenus : *Piammon et Joannes id temporis circiter Diolcon Ægypti celeberrimis præfuere monasteriis. Exquisitissime autem sacerdotio* (*presbyteri enim erant*) *et summa cum reverentia perfungebantur. Joanni autem tantam vim contra ægrotationes et morbos Deus donaverat, ut multos podagra laborantes et articulos membrorum habentes resolutos sanaret.* Hæc ille. Palladius idem Lau- D siaca 73 : *Vidimus,* inquit, *alium quoque in Diolco, Joannem nomine, Patrem monasteriorum, qui ipse quoque multam habebat gratiam, et Abrahæ habitum, et barbam Aaron. Efficiebat autem virtutes atque curationes, et multos curavit paralyticos et podagra laborantes.* Ita Palladius, postquam præcedenti capite de Ammona presbytero egerat, quem Sozomenus et alii Piammonem vocant. Quod si, ut ratio suadet, Piammonem, sive Ammonam, eumdem esse credimus apud Sozomenum, Palladium et Cassianum in su-

eremo illi se cœnobio summa humilitatis virtute subdiderat, proferamus eloquia, nequaquam tamen putamus absurdum, si absque ulla circuitione verborum, magna, ut credimus, studiosis quibusque virtutum ædificatio conferatur. In ingenti itaque atrio [a] subdivali illa monachorum multitudine per duodenarium numerum distinctis ordinibus considente, cum quidam fratrum susceptum ferculum paulo tardius intulisset, sub occasione istius tarditatis prædictus abbas Paulus, qui inter turbas ministrantium fratrum sollicite discurrebat, exerta manu, palma eum sub omnium percussit intuitu, ita ut sonitus etiam adversorum vel longius considentium auribus resultaret. Hoc autem idcirco ab eo factum est, et cunctis qui aderant juvenis patientiam patefaceret, et omnes qui interfuissent tali spectaculo modestiæ erudirentur exemplo. Quam maturo autem id senior fecerit consilio, res probavit. Nam memorabilis patientiæ juvenis tanta id animi lenitate suscepit, ut non modo nullus fuerit ex ejus ore sermo prolapsus, vel tenuissimum murmur tacita labiorum agitatione signatum; sed ne ipsa quidem oris modestia atque tranquillitas aut color saltem quantulumcumque mutatus. Quod factum non solum nobis, qui nuper de Syriæ monasterio venientes patientiæ hujus virtutem tam evidentibus perceperamus exemplis, sed etiam cunctis qui expertes talium non erant studiorum, ita mirum fuit, ut etiam summis viris præcipua per hoc factum conferretur instructio; quod scilicet etiamsi patientiam ejus correptio paterna non moverat, ne spectaculum quidem tantæ multitudinis ullo vultum ejus ruboris tinxisset indicio.

CAPUT II.

De humilitate abbatis Joannis.

In hoc itaque cœnobio reperimus antiquissimum senem nomine Joannem cujus verba pariter et humilitatem, qua sanctis omnibus præeminebat, nequaquam silentio prætereunda censuimus, scientes eum hac maxime perfectione viguisse, quæ cum sit virtutum omnium mater, ac totius spiritalis structuræ fundamentum solidissimum, a nostris penitus exsulat institutis. Unde non mirum est nec ad illorum sublimitatem nos posse conscendere, qui non dicam usque ad senectam sub cœnobii permanere non possumus disciplina, sed [b] vix biennio subjectionis jugum sustinere contenti, ad præsumptionem noxiæ libertatis protinus evolamus, cum tamen ipso illo parvo tempore non secundum illam districtionis regulam, sed pro nostri arbitrii libertate utcumque senioris subjiciamur imperio, ut non patientiæ fructum ediscere, sed tempus adipiscendæ licentiæ exspectare videamur. Hunc igitur senem cum in abbatis Pauli cœnobio vidissemus, ætatem primum et gratiam viri qua erat præditus, admirati, demisso in terram vultu, precari cœpimus ut nobis pandere dignaretur quam ob causam, relicta eremi libertate, et illa professione sublimi qua eum præ cæteris ejusdem vitæ viris fama celebraverat, subire jugum cœnobii maluisset. [c] Ille velut imparem se anachoreticæ disci-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

periore collatione, ubi ipsum quoque apud Diolcon habitasse commemorat; consentaneum est ut Joannem, cui hæc collatio tribuitur, ejusdem Piammonis socium et æqualem ex loci circumstantia et narrationum conformitate colligamus. Videtur enim Cassianus Sozomenum, vel Sozomenus Cassianum voluisse imitari; nam ut ille Piammonem et Joannem abbates in sua narratione conjunxit, ita Cassianus in his collationibus alterum alteri proxime subjunxit et disserentes induxit. Porro eumdem etiam Joannem esse existimo, de quo Cassianus l. v Institut. cap. 27 et 28. Itemque collat. 14, cap. 4 et 7. Neque obstat quod illic magno cœnobio et multitudini fratrum præpositus dicitur, quemadmodum et apud Palladium Pater monasteriorum nuncupatur. Unde colligitur tunc temporis cœnobitam fuisse, non anachoretam, hoc est, vitam communem et cœnobiticam duxisse, non solitariam. Hic vero Joannes, de quo hic agitur, non præpositus aut abbas cœnobii fuisse dicitur; sed relicta eremo huic cœnobio abbatis Pauli summa humilitate se subdidisse perhibetur, atque inter alios seniores, vivente adhuc Paulo abbate, singulari virtute excelluisse. Nam ut ipsemet de seipso testatur infra (*Cap.* 3), primum cœnobita factus est, et in cœnobii congregatione triginta annos transegit : quo tempore credibile est multorum monachorum et monasteriorum curam gessisse (ut auctores citati commemorant). Deinde vero in solitudinem concessit, ibique alios viginti annos explevit anachoreticam agens vitam; ac demum cum videret nonnullos anachoretas a pristino fervore et austeritate deficere, relicta eremo rursus ad cœnobium rediit, ibique mansit : sicque primum ex cœnobita factus anachoreta, postea vero ex anachoreta restitutus est cœnobita. Cæterum non inficior nec sum nescius multos alios Joannes SS. anachoretas et monachos tam in Vitis Patrum quam in Tabulis Ecclesiasticis recenseri; e quibus si quis alium Joannem hujus collationis auctorem probabilius ostendat, haud multum sane repugnem.

[a] Subdiale, vel subdivale; nam et *sub dio* et sub divo dicitur, hoc est, sub ipso aere et sine tecto. Itaque sub dio prandebant illi monachi et eremicolæ Ægypti; nec id valde mirum, cum a pluvia securi essent. Nam in Ægypto numquam pluere fertur, sola Nili fluminis inundatione terram irrigante et fecundante (*Plin. l.* v, *Isidor. lib.* XIV c. 2).

[b] Seipsum notat Cassianus, et suum Germanum, et quasi levitatis cujusdam aut instabilitatis coarguit, quod vix biennium in illo cœnobio Bethleemitico permanserint, et non satis in disciplina monastica probati et eruditi ad peregrina loca evolarint, ubi majore libertate fruerentur, et fere suo viverent arbitrio.

[c] Hujus Joannis exemplo et argumento docet D. Thomas (2-2, *q.* 189, *art.* 8) licere interdum de arctiori religione ad laxiorem transire : *Potest*, inquit, *aliquis laudabiliter de una religione transire ad aliam. Primo quidem zelo perfectioris religionis. Secundo propter declinationem religionis a debita perfectione, puta si in aliqua religione arctiori incipiant religiosi remissius vivere; laudabiliter transit aliquis ad religionem etiam minorem, si melius observetur. Unde in collationibus Patrum abbas Joannes de seipso dicit, quod a vita solitaria, in quo professus fuerat, transiit ad minorem, scilicet eorum qui vivunt in societate, propterea quod vita eremitica cœperat declinare et laxius observari. Tertio propter infirmitatem vel debilitatem*, etc.

plinæ, et sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad juniorum scholas revertisse dicebat, si tamen vel ipsorum instituta secundum professionis meritum posset implere. Cujus responsionis [*Lips. in marg.* professionis] humilitatem cum refragatio nostræ deprecationis excluderet, ad extremum ita exorsus est.

CAPUT III.

Responsio abbatis Joannis cur eremum reliquisset.

Anachoreticam disciplinam, quam me deseruisse miramini, non solum non respuo nec refuto, sed tota potius veneratione complector atque suscipio. In qua post triginta annos, quos in cœnobii congregatione transegeram [*Lips. in marg.* transieram], ita alios viginti explesse me gaudeo, ut inter illos qui eam vel mediocriter appetebant non usquequaque segnitie denotarer. Sed quia degustata ejus puritas sollicitudine interdum carnalium rerum interpolata sordebat, recurrere ad cœnobium commodius visum est, ut et promptior arrepti planioris propositi consummatio sequeretur, et minus esset de præsumptæ sublimioris professionis difficultate periculum.[a] Melius enim est devotum in minoribus, quam indevotum in majoribus professionibus inveniri. Et idcirco si quid elatius, imo liberius, fortasse protulero, quæso ut non jactantiæ vitio, sed ædificationis vestræ depromptum studio censeatis, quia vobis tam studiose quærentibus nihil de veritate existimo subtrahendum. Arbitror enim instructionis vobis aliquid posse conferri, si, paulisper humilitate seposita, simpliciter omnem propositi mei patefecero veritatem. Confido enim quia nec apud vos de libertate dictorum cenodoxiæ notam, neque apud conscientiam meam de suppressione veritatis quoddam mendacii crimen incurram.

CAPUT IV.

De virtute prædicti senis, quam in anachoretica exercuit disciplina.

Si quis igitur secretis eremi delectatus, oblivioni tradere potuit humana consortia, ac secundum Jeremiam dicere : [b] *Et diem hominis non desideravi, tu scis* (*Jerem.* XVII) ; ego quoque id, Domino sua gratia largiente, vel assecutum vel certe assequi annisum fuisse me fateor. Itaque pio Domini nostri munere memini me [c] in hujusmodi raptum frequenter excessum, ut obliviscerer me sarcina corporeæ fragilitatis indutum, mentemque meam ita omnes exteriores sensus subito respuisse, et a cunctis materialibus rebus omnimodis exsulasse, ut neque oculi neque aures meæ proprio fungerentur officio ; et ita divinis meditationibus ac spiritalibus theoriis animus replebatur, [d] ut sæpe ad vesperam cibum me percommendationem, aut etiam consortium ac familiaritatem non quæsivi.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hoc est, melius est bonum et devotum esse cœnobitam, quam malum aut indevotum anachoretam. De hac enim comparatione hic agitur. Est porro sententia notatu digna, rationem continens cur aliquando liceat de arctiori religione, ut est eremitica, seu anachoretica, transire ad laxiorem, scilicet cœnobiticam, ut superius dictum est : nimirum ob defectionem et declinationem arctioris religionis a debita perfectione et observantia. Ob quam causam Joannes hic abbas dicit se transisse ab eremo ad cœnobium, quod multi eremitæ, quibuscum versabatur, eo tempore inciperent a pristino fervore et contemplationis assiduitate deficere et solutius vivere ; quod clarius explicat cap. 6.

[b] D. Hieronymus diem hominis interpretatur vel vitam longiorem, vel prospera quæque hujus sæculi. Alii per diem hominis intelligunt judicium humanum, ut sit sensus : Judicia hominum de me non curavi : quemadmodum ait Apostolus : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die* (I *Cor.* IV), id est, intellectu, qui est dies hominis, ait S. Thomas (*In comment.*); sive a judicio humano. *Si enim*, inquit B. Gregorius (*Lib.* I *Moral. cap.* 20), *ignorantiæ obscuritas sine dubitatione nox cordis est, intellectus non immerito dies vocatur. Unde et per Paulum dicitur : Alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem* (*Rom.* XIV). *Ac si aperte dicat : Alius quædam nonnullis intermissis intelligit, alius vero omnia intellectu possibilia ita ut sunt videnda cognoscit.* Ita Gregorius. Huc spectat illa D. Hieronymi sententia (*Epist.* 26) : *Prima virtus est monachi contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari dicentis : Si adhuc hominibus placere vellem, Christi servus non essem* (*Gal.* I). Alii humanum diem exponunt hominum favorem, quod eodem recidit. Cum enim dies pro prosperitate, sicut nox pro adversitate sumatur, dies humanus dicitur approbatio, favor et commendatio hominum. Ita illi anachoretæ et solitarii monachi cum Jeremia dicere poterant : *Diem hominis non desideravi.* Id est hominum favorem et

[c] Dionysius clariore syntaxi : *Recolo me frequenter raptum in tales excessus.* Excessus mentis, qui Græce exstasis dicitur. Unde D. Augustinus passim in Psalmis, ubi legitur, *In excessu*, legit, *in exstasi*. Et in Psalmum LXVII scribens : *Exstasis*, inquit, *est mentis excessus : quod aliquando pavore contingit, nonnunquam vero per aliquam revelationem et alienationem mentis a sensibus corporis, ut spiritui quod demonstrandum est demonstretur.* S. Bernardus super Cantica (*Serm.* XLIX) : *Cum duo sunt*, inquit, *beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus et alter in affectu, unus in lumine et alter in fervore, unus in cognitione et alter in devotione, pius sane affectus et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehementis spiritus repletus zelo, non plane aliunde quam e cella vinaria reportantur ; et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, quia introduxit me Rex in cellam vinariam* (*Cantic.* II). Et alibi : *Excedente*, inquit, *anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas quasi columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV) ! *Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, et molestias curarum. Moritur anima morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors quæ vitam non aufert, sed transfert in melius.* Hæc D. Bernardus huic loco belle consonantia. Vide plura de exstasi apud S. Thomam (1-2, *q.* 8, *a.* 3, *et* 2-2, *q.* 175).

[d] Ita sancti illi anachoretæ gaudiis spiritualibus et deliciis animi occupati partim obliviscebantur corporis et corporeæ necessitatis, ut hic abbas Joannes, qui non recordabatur vesperi an eo die comedisset, et sequenti die de hesterna absolutione jejunii dubitabat, id est, an pridie jejunium solvisset et com-

pisse nescirem, ac sequente die de hesterna absolutione jejunii penitus dubitarem. Ob quam etiam causam [a] septem dierum cibus, hoc est, septem paximaciorum paria sequestratim [b] in procherio, id est, amanuensi sporta die sabbati reponuntur, ut refectio prætermissa non lateat. Qua consuetudine illius quoque oblivionis error excluditur, ut expletum hebdomadæ cursum, ac solemnitatem diei ipsius revolutam, finitus panum indicet numerus, festivitasque diei sacræ [c], et congregationis solemnitas solitarium latere non possit. Quod si etiam hunc ordinem ille quem prædiximus mentis excessus forte turbaverit, nihilominus quotidiani operis modus dierum numerum signans, arcet errorem. Et ut cæteras eremi virtutes silentio prætermittam (non enim est nobis de earum numerositate ac multitudine, sed de solitudinis ac cœnobii fine tractandum), causas potius ob quas illam deserere maluerim, quas etiam vos agnoscere voluistis, breviter explicabo; omnesque illos quos commemoravi solitudinis fructus, quibus e diverso sublimioribus meritis dixerim postponendos, brevi oratione perstringam.

CAPUT V.

De commodis eremi.

Quamdiu igitur raritas eorum qui in eremo tunc temporis morabantur, libertatem nobis largiendo, diffusiore solitudinis vastitate blandita est, quamdiu A majoribus remoti secretis frequentissime ad[d] cœlestes illos rapiebamur excessus, nec tanta visitantium fratrum irruens multitudo, parandæ humanitatis necessitate, sensus nostros ingentium curarum distentionibus aggravabat; solitudinis plane tranquilla secreta, et illam conversationem angelicæ beatitudini comparandam, insatiabili desiderio ac toto animi ardore sectatus sum. Sed cum major, ut dixi, numerus fratrum, habitationem illius solitudinis cœpisset expetere, et coangustata vastiori eremi libertate, non modo ignem illum divinæ contemplationis frigescere fecisset, sed etiam multimodis mentem carnalium rerum vinculis impediret, elegi hujus disciplinæ utcumque implere propositum, quam in illa tam sublimi professione carnalium B necessitatum provisione torpere; ut si mihi illa libertas ac spiritales denegantur excessus, abjecta tamen crastinæ diei penitus sollicitudine, Evangelici me præcepti consummatio consoletur; et id quod mihi de illa theorica sublimitate subtrahitur, hac obedientiæ subjectione compensetur. Miserum namque est cujuslibet artis ac studii disciplinam quempiam profiteri, et ad perfectionem ejus minime perveniri.

CAPUT VI.

De utilitate cœnobii.

Quamobrem [e] quantis nunc in hac conversatione

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

edisset, necne : partim etiam ægre ferebant istam corporis servitutem, et ideo quo rarius et brevius C poterant necessitati corporeæ satisfacere, eo se feliciores putabant; ut Philo scribit de primis illis monachis Alexandrinis : *Multi enim,* inquit, *propter aviditatem spiritualium deliciarum et contemplationum, vix quinto aut sexto quoque die corpus reficiebant.* Et S. Athanasius de B. Antonio, *qui, cum eum, sive cibum, sive somnum indulgere corpusculo aut alias naturæ necessitates cogeret humana conditio, miro afficiebatur pudore, quod tantum animæ libertatem modici carnis termini coercerent. Nam frequenter cum fratribus sedens, a cibo qui fuerat appositus, memoria escæ spiritualis abstrahebatur.*

[a] Erant enim duo paximates vel paximacia singulis fratribus in quotidianam refectionem, mensuram seu portionem ordinariam, more et instituto seniorum assignata, ut alias non semel dictum est.

[b] Procherium, ut notat Cuychius, vocatur canistrum, sive sportula, in qua panes reponebant. Sed cum Græce πρόχειρον dicatur quidquid ad manum est (unde Plutarchus πρόχειρα σκεύη appellat vasa ad manum prompta et necessaria), probabiliter conjicit Ciaconius legendum esse, in prochiro, adjective, id est, amanuensi (cui substantivum subjiciatur) sporta : præcipue, inquit, cum ut procherium sportam in se contineat, nulla etymologiæ ratio videatur admittere.

[c] Nempe Dominicæ, qua solebant pariter ad ecclesiam procedere, et sacram synaxim percipere, ut habeter collat. 7 cap. ultimo, et collat. 18 cap. 15, et collat. 21 cap. ult.

[d] De his vide quæ superius annotavimus. Quibus accedens Richardus Victorinus lib. v. de Contemplatione, triplicem modum assignat, quo quis in contemplatione perficiatur, nempe mentis vel dilatatione, vel sublevatione, vel alienatione : *Mentis,* inquit, *dilatatio est, quando animi acies latius expanditur, et vehementius acuitur; modum tamen humanæ industriæ nullatenus supergreditur. Mentis sublevatio est, quando intelligentiæ vivacitas divinitus irradiata* C *humanæ industriæ metas transcendit; nec tamen in istius mentis alienationem transit; ita ut et supra se sit, quod videat, et tamen ab assuetis penitus non recedat. Mentis alienatio est, quando præsentium memoria menti excidit, et in peregrinum quemdam, et humanæ industriæ imum animi statum divinæ operationis transfiguratione transit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui ad summam ejusmodi gratiæ arcem sublevari merentur.* Hæc ille.

[e] Tangit utilitates aliquot vitæ cœnobiticæ, ob quas se ad eam rediisse non immerito, nec inconsulto demonstrat. Prima est vacuitas et exemptio curarum et sollicitudinum de cibo, potu, rebusque aliis necessariis comparandis : cum hanc curam veri cœnobitæ suis superioribus et prælatis relinquant, qua necesse est solitarios per se occupari ac distineri. Hinc D. Hieronymus in epistola illa ad Eustochium sæpe citata scribit adeo arctam fuisse in monachis sui temporis professionem paupertatis, ut D nemini liceret vel necessaria petere; tantam vero præpositorum et superiorum diligentiam ac vigilantiam, ut nemini aliquid necessarium deesset. *Quia,* inquit, *non licet dicere cuiquam : Tunicam, et sagum, textaque juncis strata non habeo; ille ita universa moderatur, ut nemo quid postulet, nemo non habeat.* Ubi Marianus in scholiis : Aliter, inquit, *ut nemo quid postulet, nemo dehabeat,* hoc est, valde habeat; Utramque hanc lectionem falsam putat interpres (Erasmus scil.) statimque alteram in hæc verba substituit, *Ut nemo quod postulet, habeat.* Prima tamen, quam major codicum pars habet, verior mihi videtur : sensusque Hieronymi est, neminem quidquam postulare, quippe cum hoc minime liceat, et tamen omnibus a præfectis monasteriorum ita provideri, ut nemini aliquid desit. Ita Marianus. At bona ejus venia, ut facilior et apertior, ita et germanior et congruentior mihi videtur altera illa lectio ab Erasmo substituta, *ut nemo quod postulet habeat* sed recta syntaxi et ordine verborum, *nemo habeat*

perfruar commodis, breviter explicabo : Vos, utrum illa solitudinis lucra his beneficiis valeant compensari, digesta narratione perpendite, per quam etiam hoc probare possibile est, utrum fastidio an desidebet. Quamobrem necesse est in vitæ societate, quæ in uno aliquo est spiritus efficacia, eam in universos simul pervadere. Igitur qui seorsum a cæteris vitam degit, is unum aliquod fortasse donum habet : et illud ipsum eo quod nihil exerceat, sed in seipso defossum detineat, inutile facit. Contra vero, ubicumque multorum societas viget, eo fruitur quisque quod suum est : et ex alienis nihilominus, ut suis, fructum capit. Adde quod periculum etiam hujusmodi solitariam vitam comitatur et assidet præter jam dicta : primum quidem ac maximum, ne qui eam degit, is sibi veluti plane jam perfectionem adepto blandiatur : cum enim neminem in ea sit habiturus qui judicare possit de his quæ ab ipso fiant, cumulatissime se omnia præstitisse arbitrabitur (*Vide Hier. Platum l.* I *de Bono Relig. c.* 39). Ex quo illud sequetur ut cum animi habitum quem habet ad virtutem assidue apud se compressum tenuerit ac veluti introclusum, neque quibus rebus destituatur intelligat, neque progressionem ullam quam in virtutibus faciat videat : quippe qui undique materiam sibi exercendorum mandatorum omnem ademerit. Qua enim re humilitatis suæ documentum dabit qui neminem habeat quo se humiliorem declaret? Quod item specimen edet suæ in alios commiserationis, a plurium communione dissectus, cui cum nullo penitus commercium sit? Hæc et plura Basilius satis obscure quidem et nimis verbose ab interprete reddita (*Vide etiam Petrum Damiani lib.* VI, *epist.* 12). De eadem vero comparatione vitæ cœnobiticæ cum solitaria, videre est Turrecrematum prolixe agentem tractatu in Regulam beati Benedicti, ubi sic incipit : *Licet utrumque genus tam anachoretarum quam cœnobitarum laudabile sit, genus tamen vitæ cœnobitarum videtur præcellere in tribus, videlicet in præmio, et hoc post mortem; in securitate, et hoc in morte; in emolumento multiplici, et hoc in vita.* Quæ sint vero hæc emolumenta consequenter explicat. Verum, ut hæc accuratius et clarius intelligantur, cum alias dictum sit vitam solitariam et anachoreticam sublimiorem ac perfectiorem esse vita communi et cœnobitica, et D. Augustinus in libro de operibus monachorum (*Cap.* 23), illos sanctiores esse dicat, *qui a conspectu hominum separati, nulli ad se præbent accessum, viventes in magna intentione orationum,* necessario hic ascribenda videtur explicatio, et doctrina vere aurea D. Thomæ, qui hanc quæstionem tractans (**2-2**, *q.* 188, *art.* 8), *Utrum perfectior sit religio in societate viventium quam agentium vitam solitariam,* respondet in hunc modum : *Dicendum quod solitudo, sicut et ipsa paupertas, non est ipsa essentia perfectionis, sed perfectionis instrumentum. Unde in collationibus Patrum* (*Collat.* 1 *cap.* 7), *dicit abbas Moyses quod pro puritate cordis solitudo sectanda est, sicut et jejunia et alia hujusmodi. Manifestum est autem quod solitudo non est instrumentum congruum actioni, sed contemplationi, secundum illud Oseæ secundo : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Unde non congruit religionibus, quæ sunt ordinatæ ad opera vitæ activæ, sive corporalia, sive spiritualia; nisi forte ad tempus, exemplo Christi, qui, ut dicitur Lucæ sexto, exiit in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Competit autem religionibus, quæ sunt ad contemplationem ordinatæ. Considerandum est tamen quod id quod est solitarium debet esse sibi per se sufficiens. Hoc autem est cui nihil deest quod pertinet ad rationem perfecti : et ideo solitudo competit contemplanti qui jam ad perfectum pervenit. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo ex solo divino munere, sicut patet de Joanne Baptista, qui fuit repletus Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ : unde cum adhuc puer esset erat in desertis, ut dicitur Lucæ primo. Alio modo per exer-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quod postulet. Id enim ex antecedenti statim consequitur, ut si præfectus monasterii universa debite moderetur, id est, omnibus necessariis provideat ac prospiciat, nullus monachorum occasionem habeat aliquid postulandi. Quamquam illa etiam Mariani lectio non incongrue sic exponi potest, ut eodem recidat, hoc modo : *Nemo quod postulet* (id est aliquid petat) *nemo non habeat,* supple, tunicam, sagum, et cætera necessaria; providente omnibus præfecto, antequam petantur. At hoc obiter ob loci istius obscuritatem additum sit. Secunda utilitas est fuga cenodoxiæ, seu vanæ gloriæ, cujus vel maximum periculum imminet solitario. Unde D. Hieronymus (*Epist.* 4) : *In solitudine,* inquit, *facile obrepit superbia; et si parumper jejunaverit, hominemque non viderit, putat se alicujus esse momenti; oblitusque sui unde et quo venerit, intus corde, lingua foris vagatur.* Tertia utilitas est subjectio et mortificatio propriæ voluntatis, quam tangit sub finem hujus capitis. Verum operæ pretium fuerit has atque alias utilitates vitæ cœnobiticæ et communis plenius et uberius a D. Basilio enarratas hic describere (*In Regul. fus. cap.* 7). Is enim hac quæstione proposita, utrum magis expediat ei qui mundum relinquere decreverit, seorsum a cæteris solitariam vitam degere, an vero cum aliis ejusdem consilii et propositi sociis? sine ulla dubitatione ita respondet : Ego ad multas res utilius esse intelligo, si uno et eodem in loco plures vivant una : ac primo quidem, quod nemo nostrum est, in quo uno ad res sibi necessarias ad vitam parandas præsidii satis esse possit : quando in his inquirendis vicissim alios aliorum videamus opera indigere. Hoc autem, nimirum ut alii vicissim aliorum opera indigeremus, eo consilio statutum est ab opifice nostro Deo, ut officiorum permutatione, inter nos dando accipiendoque, hanc, ad mutuam conjunctionem, causam haberemus. Ad hæc in hujusmodi vitæ a cæteris secessione, illud etiam est incommodum, quod neque peccare se facile quis intelligit, quippe qui neminem habeat a quo et arguatur leniter et clementer corrigatur. Quo fit ut in eum illud conveniat : *Væ soli; quonium cum ceciderit, non habet sublevantem se* (*Eccles.* IV). Tum illud etiam accedit, quod qui plures simul eodem in loco congregati sunt, ii pluribus etiam possunt simul præceptis satisfacere. Quod contra est in eo qui solus est : dum enim unum exsequitur, ab alio impeditur : veluti ægrum visitans, hospitem non potest recipere; neque in opere faciendo studium retinere, qui in partiendis distribuendisque ad usum vitæ necessarius rebus occupetur : præsertim quando in ministeriis hisce obeundis fratres diutius necesse sit detineri. Quod si omnes in una spe vocati unum corpus sumus, et caput Christum habemus : singuli autem vicissim alii aliorum membra; profecto nisi in hoc conspiraverimus, ut ad similitudinem corporis unius, in Spiritu sancto nexi aptique inter nos simus, ac non seorsum quisque disjunctam a reliquorum communione vitam instituerit, qui fieri poterit ut in hujusmodi distractione et quasi avulsione mutuam inter ipsa membra convenientiam mutuaque præstemus officia? neque enim in tali sejunctione res patitur ut gaudenti quis congaudeat aut patienti compatiatur : siquidem ea separatio facit ut alter alterius statum ne norit quidem. Ad hæc cum nemo unus idoneus sit qui dona spiritualia omnia suscipiat, illud usu venit in vitæ consociatione, ut donum quod in unoquoque est peculiare, id aliorum quoque commune sociorum fiat : *Alii enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii prophetia, alii gratia sanationum,* etc. (I *Cor.* XII). Quæ singula qui habet, is non sua magis quam aliorum causa ha-

rio illius solitariæ puritatis his maluerim cœnobii angustiis coarctari. In hac igitur conversatione diurni operis nulla provisio est, venditionis vel coemptionis nulla distentio, non annui panis inevitabilis cura, non sollicitudo corporalium rerum, qua non tantum propriis, verumetiam multorum advenientium usibus necessaria præparantur, postremo nulla arrogantia laudis humanæ, quæ immundior his omnibus in conspectu Dei, etiam magnos eremi labores frequenter evacuat. Verum ut in illa anachoretica disciplina illos elationum spiritalium fluctus et exitiabilis cenodoxiæ pericula prætream, ad hoc generale cunctorum pondus, id est, communem parandi victus sollicitudinem revertamur, quæ eo usque mensuram non dico illius antiquæ districtionis excussit, quæ usum olei penitus nesciebat, sed ne hac quidem nostri temporis remissione cœpit esse contenta, in qua [a] uno olei sextario itidemque lenticulæ modio advenientium usibus præparato, totius annuæ refectionis explebantur officia, ita ut duplicato nunc ac triplicato modio necessitas victualis vix queat expediri. Et in tantum apud nonnullos vis noxiæ hujus remissionis increvit, [b] ut aceto muriæque permixtis non illam unam olei admisceant guttam, quam prædecessores nostri, qui eremi instituta majore abstinentiæ virtute sectati sunt, repellendæ tantum cenodoxiæ gratia instillare consueverant, sed [c] *infringentes Ægyptiacum pro salibus caseum, plus olei* quam necesse est, superfundant; et ita duos cibos propria suavitate distantes, qui sigillatim diversoque tempore monachos reficere jucundissime potuissent, sub unius saporis oblectatione percipiant. In tantum sane [d] [hæc ἀλκῆς χρῆσις, id est, materialuim rerum possessio supercrevit, ut [e] sagum quoque, quod absque verecundia referre non possum, sub obtentu humanitatis ac susceptionis hujus, anachoretæ in suis habere cellulis cœperint: ut illa prætermittam, quibus attonita anima ac spiritalibus theoriis semper intenta specialius ingravatur, concursus scilicet fratrum, susceptionis quoque ac deductionis officia, mutuas

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

citium virtuosi actus, secundum illud ad Hebræos quinto: Perfectorum est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Ad exercitium autem hujusmodi juvatur homo ex aliorum societate dupliciter. Uno modo, quantum ad intellectum, ut instruatur in his quæ sunt contemplanda. Unde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum: Mihi placet ut habeas sacrum contubernium, nec ipse te docceas. Secundo, quantum ad affectum, ut scilicet noxiæ affectiones hominis reprimantur exemplo et correctione aliorum; quia, ut dicit Gregorius XXX *Moralium* (*Cap.* 23) *super illud: Cui dedit in solitudine donum, quid prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis? Et ideo vita socialis necessaria est ad exercitium perfectionis. Solitudo autem competit jam perfectis. Unde Hieronymus dicit ad Rusticum monachum: Solitariam vitam reprehendimus? minime, quippe quam sæpe laudavimus. Sed de ludo monasteriorum hujuscemodi volumus egredi milites quos eremi rudimenta dura non terreant, qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint. Sicut ergo id quod jam perfectum est præeminet ei quod ad perfectionem exercetur: ita vita solitariorum, si debite assumatur, præeminet vitæ sociali. Si autem absque præcedenti exercitio talis vita assumatur, est periculosissima: nisi per divinam gratiam suppleatur quod in aliis per exercitium acquiritur, sicut patet de beatis Antonio et Benedicto.* Hactenus Doctor Angelicus, et plane angelice; qui etiam in solutione quinti argumenti acute et erudite exponit dictum Aristotelis I Politic. (*Cap.* 2), dicentis: *Solitarium aut bestiam esse, aut Deum:* quia nimirum, *si quis solitudinem amat, vel ob impatientiam et animi sævitiam, vel ex desperatione, vel ex odio obedientiæ et amore propriæ voluntatis, ut illi Sarabaitæ, de quibus in collatione præcedenti* (*Cap.* 7) *actum est, is bestiæ similis: si vero ut totus vacet contemplationi divinæ, illique inhæreat, tum totus divinus et Deo similis efficiatur.* Ex his patet utra vita alteri præemineat et potius eligenda sit, eremitica an cœnobitica. Nam solitaria secundum se præstantior est, si debite assumatur a perfectis quibus proprie convenit, sed cœnobitica commodior et utilior plerisque, et aptior adipiscendæ perfectioni.

[a] Sextarius dicitur sexta pars congii, quæ mensura apud antiquos tam liquidis quam aridis serviebat. Capit autem sextarius libram cum dimidia, sive octodecim uncias, id est, cotylas binas, quæ et heminæ dicuntur. Singuli enim congii sex sextarios continent, heminas vero duodecim: quippe duæ heminæ sextarium complent. Hinc sextarius olei, qui in annum sufficiebat excipiendis et alendis hospitibus, ut hic dicitur (*Epiphan. lib. de Mensur. et Ponder. Alex. ab Alex. l.* II c. 20). Modius mensuræ genus continens sedecim senarios, Suidæ libras viginti sex cum octonis unciis: cujus dimidium dicitur semodius. De lenticula dictum est libro IV Institutionum, cap. 20.

[b] Hujus antiquæ parcimoniæ et miræ abstinentiæ apud illos observatæ, exemplum refert Cassianus collat. 8 cap. 1, ubi se cum suo germano ab abbate Sereno his lautitiis exceptos commemorat: *Nam pro muria,* inquit, *quæ superjecta olei gutta quotidianæ refectioni solebat apponi, modicum liquaminis miscuit, et olei quiddam solito propensius superfudit. Nam illam olei guttam ob hoc unusquisque quotidie refecturus instillat, non ut ejus ex hoc gutturis quamdam percipiat suavitatem; quippe cujus tantus est modus, ut vix ipsius gutturis fauciumque meatus non dicam linire, sed pertransire sufficiat. Sed ut hoc usu jactantiam cordis, quæ pro abstinentia districtiore, blande solet ac latenter irrepere, et stimulos elationis obtundat: quia quanto abstinentia ipsa occultius exercetur, nulloque hominum teste perficitur, tanto subtilius occultatorem suum tentare non desinit.* Hæc ibi ad hunc locum intelligendum accommodata.

[c] Pro salibus, id est, pro deliciis et lautitiis. Ita illi remissiores et tepidiores monachi, præter morem antiquorum, duplici obsonio utebantur, et duos cibos, ut hic dicitur, propria suavitate distantes, sive distinctos: nempe muriam aceto permixtam oleique guttula aspersam, et caseum oleo itidem superfusum, sub unius saporis (olearii scilicet) oblectatione percipiebant: quorum alterum dicit cujusque refectioni cum paximaciis sive panibus, unius scilicet libræ, sufficere potuisse.

[d] Ἀλκὴ proprie subsidium significat, aut vires, robur: unde ἀλκήεις, fortis, robustus. Sumitur hic pro subsidio vitæ: χρῆσις, id est, usus. Porro Ciaconius solummodo legit κτῆσις, quæ vox dominium et possessionem alicujus rei significat, cui opponitur ἀκτημοσύνη, id est, omnis possessionis vacuitas et nuditas, quam monachi profitentur, de qua supra. Basileensis editio et plerique mss. Græca utramque omittunt.

[e] De sago vide notationem ad lib. V Instit. cap. 30. Cujus inter alia monachorum indumenta meminit D. Hieronymus in epist. ad Eustochium, et in Vita Hilarionis.

visitationes, diversarumque confabulationum atque occupationum interminabilem curam; quarum etiam illo tempore quo hæc videntur impedimenta cessare, tamen animum consuetudinariæ inquietudinis assiduitate suspensum, exspectatio ipsa distendit. Atque ita fit ut anachoreseos illa libertas hujuscemodi nexibus impedita, ad illam cordis ineffabilam alacritatem præpedito non perveniat ascensu, ac fructum eremiticæ professionis amittat: qui si mihi in congregatione nunc atque in turbis sito fuerit denegatus; saltem quies animæ cordisque tranquillitas ab omnibus occupationibus absoluta non deerit: quæ nisi illis quoque qui in solitudine commorantur, præsto fuerit, labores quidem anachoreseos sustinebunt; fructu vero ipsius fraudabuntur, qui non nisi quieta mentis stabilitate conquiritur. Postremo etiam si mihi in cœnobio constituto ab illa puritate cordis aliquid fuerit imminutum, ero solius Evangelici præcepti compensatione contentus, quod certum est omnibus illis eremi fructibus non posse postponi, ut scilicet de crastino nihil cogitem, et usque ad finem subjectus abbati, illum aliquatenus videar æmulari de quo dicitur, *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem* (*Philip.* II): merearque illius verbum humiliter dicere, *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* VI).

CAPUT VII.

Interrogatio de cœnobii, vel solitudinis fructu.

Germanus: Quia te utriusque professionis, non quemadmodum multos, principia tantummodo contigisse, sed ipsa fastigia conscendisse manifestum est; quisnam cœnobitæ, quis eremitæ sit finis, optamus agnoscere. Nulli namque dubium est neminem de his vel fidelius posse vel plenius disputare, quam illum qui utramque perfectionem longo usu et magistra experientia consecutus, meritum earum ac finem veridica potest insinuare doctrina.

CAPUT VIII.

Responsio.

Joannes: Unum eumdemque hominem in utraque professione perfectum esse non posse absolute pronuntiare potuissem, nisi me paucorum admodum retardaret exemplum. Magnum siquidem est in qualibet earum consummatum quempiam reperiri; quanto magis ad plenum utramque perficere, arduum ac pene, ut ita dixerim, homini impossibile esse perspicuum est. Quod tamen si quando provenerit, non statim ad generalem formulam referri potest. Non enim a parte minima, id est, de consideratione paucorum, sed de his quæ multorum, immo omnium subjacent facultati, universalis est regula proponenda. Si qua vero rarissime atque a paucissimis obtinentur, ac possibilitatem communis virtutis excedunt, velut supra conditionem humanæ fragilitatis naturamque concessa, a præceptis sunt generalibus sequestranda, nec tam pro exemplo quam pro miraculo proferenda. Quamobrem id quod inquiritis, secundum mediocritatem sensus mei breviter intimabo. [a] Finis quidem cœnobitæ est omnes suas mortificare et crucifigere voluntates, ac secundum Evangelicæ perfectionis salutare mandatum, nihil de crastino cogitare (*Matth.* VI). Quam perfectionem prorsus a nemine nisi a cœnobita impleri posse certissimum est. Quem virum Isaias propheta describens, ita beatificat atque collaudat: [b] *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Dominum, et sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui* (*Isa.* LVIII). Os enim Domini locutum est. [c] Eremitæ vero perfectio est exutam mentem a cun-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Hieronymus de cœnobitis Ægyptiis et eorum imitatoribus ita testatur (*Epist.* 22): *Prima apud eos confœderatio est obedire majoribus, et quæcumque jusserint facere.* Cassianus libro IV Institut. cap. 8, de præfecto novitiorum agens: *Ejus,* inquit, *hæc erit sollicitudo et eruditio principalis, per quam junior introductus ascendere consequenter etiam culmina perfectionis summa prævaleat: ut doceat eum primitus suas vincere voluntates; quem studiose in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperare de industria curabit quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti, tradunt monachum et maxime juniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerit voluntates* (*Vide coll.* 3 *et* 4).

[b] Turrecrematus hanc sententiam citans: *In hac,* inquit, *auctoritate Dominus per prophetam describit finem sive perfectionem monasticæ sive cœnobiticæ disciplinæ, et fructum sive præmium ejus. Finis consistit in tribus: primum in declinatione a peccatis per quæ violatur quies, per observantiam sabbati designata. Unde ait: Si averteris a sabbato pedem tuum, id est, si non violaveris quietem animi; quæ* (*ut dicit glossa*) *omni tempore celebranda est. Secundo in abnegatione propriæ voluntatis, cum ait: Non feceris voluntatem tuam. Tertio in refrenatione linguæ, ibi: Ut non loquaris sermonem, scilicet malum, contra Deum vel proximum. Fructum autem cœnobiticæ vitæ duplicem tangit: unum in præsenti, qui est delectatio in consolationibus divinis, cum ait: Tunc delectaberis in Domino; alium in vita futura, qui est consolatio felicitatis æternæ, cum inquit: Sustollam te super altitudinem terræ, et cibabo te hæreditate Jacob patris tui.*

[c] Ita plane, et iisdem fere verbis D. Hieronymus ad illud Hieremiæ: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua* (*Thren.* III). *Militum,* inquit, *Christi perfectio est exutam mentem habere a cunctis terrenis negotiis, juxta illud Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus,* etc. (*I Tim.* VI), *eamque, quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo. Quam quidem speciem conversationis boni eremitæ et monachi, qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt; sed rara est et paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim vere et non ex parte perfectus est qui et in eremo squalorem solitudinis et in cœnobio infirmitates fratrum æquabili magnanimitate sustentat. Et ideo in utraque professione per omnia consummatum invenire difficile est, quia nec anachoreta contemptum ac privationem materialium rerum, nec cœnobita theoricam ad integrum potest assequi puritatem.* Ita D. Hieronymus, cum doctrina hujus abbatis belle consonans. Porro huc etiam spectant verba illa Dionysii Areopagitæ (*Eccles. Hier.* c. 6) superius citata (*Collat.* 18 *cap.* 5),

ctis habere terrenis, eamque quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo. Quem virum Hieremias propheta describens, *Beatus*, inquit, *vir qui tulit jugum ab adolescentia sua,* [a] *sedebit solitarius et tacebit* [b], *quia levavit se super se* [c] (*Thren.* III). Psalmista quoque: *Similis factus sum pelicano solitudinis. Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Psal.* CI). Ad hunc igitur finem quem uniuscujusque professionis esse prædiximus, nisi eorum uterque pervenerit, frustra et ille cœnobii et iste anachoreseos expetit disciplinam. Neuter enim virtutem suæ professionis implevit.

CAPUT IX.

De consummata ac vera perfectione.

[d] Sed hæc μερική, id est, non integra et in omnibus consummata perfectio, sed pars perfectionis est. Rara est ergo et paucissimis dono Dei concessa perfectio. Is etenim (*Verba D. Hieronymi ubi supra*) vere et non ex parte perfectus est, qui et in eremo squalorem solitudinis, et in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Et ideo in utraque professione per omnia consummatum invenire difficile est, quia nec anachoreta ἀκτημοσύνην, id est, contemptum ac privationem materialium rerum, nec cœnobita [e] theoricam ad integrum potest assequi puritatem, licet utrumque perfecte abbatem Mosem atque Paphnutium duosque Macarios noverim possedisse. Qui ita erant in utraque professione perfecti, ut cum ultra omnes eremi accolas secedentes, insatiabiliter secreto solitudinis pascerentur, quantum in ipsis erat, nequaquam inquirerent humana consortia, tamen ita frequentiam ac fragilitates ad se concurrentium sustinebant, ut cum ad eos visitationis vel profectus gratia innumera fratrum multitudo conflueret, tam jugem pene susceptionis inquietudinem immobili patientia tolerantes, nihil aliud vel didicisse vel exercuisse omni vitæ suæ tempore crederentur, quam ut communibus tantum advenientium officiis deservirent, ita ut apud cunctos esset ambiguum, in qua potissimum professione eorumdem major esset industria: id est, utrum in illa eremitica puritate, an in ista conversatione communi, magnanimitas eorum mirabilius aptaretur.

CAPUT X.

De his qui imperfecti eremum petunt.

[f] Solent autem nonnulli ita diuturno silentio solitudinis efferari, ut prorsus hominum consortia perhorrescant, et cum vel paululum a secreti sui solitudine, interveniente fratrum visitatione, discesserint, notabili mentis angore et evidentibus pusillanimitatis indiciis æstuare. Quod vel maxime his evenire consuevit, [g] qui non perfecte in cœnobiis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quibus ait monachos ab apostolis appellatos *ab individua et singulari vita, quæ per sanctas divisibilium affectuum in unum complicationes et collectiones, in divinam unitatem singularemque perfectionem promovet*; id est, eo quod rebus divisibilibus et temporalibus derelictis, Monadi, id est, Divinitati soli placere contendant. Quo sensu nomen monachi solis eremitis et solitariis proprie convenire diximus.

[a] Glossa ordinaria: *Cum Deo, non immixtus negotiorum et desideriorum turbis.*

[b] Glossa, *ab omni strepitu mundi.*

[c] Glossa, *contemnendo terrena, et ad cœlestia aspirando. Desiderio enim bono levamur ad Deum, ait Augustinus.* Hæc ibi. Mihi videtur hic tria in monacho commendari: quietem mentis et corporis, quæ per sessionem solitarii designatur: taciturnitatem oris, cum dicitur: *Et tacebit*; et studium contemplationis quo supra se elevatur.

[d] Ita correxit Ciaconius ex Vaticanis, cum antea in plerisque, et Plantiniana etiam editione mendose legeretur, μερὶς, vel μεριτικὴ. Est enim μερικὸς, partialis, dimidiatus, imperfectus. Ita collatione 13 cap. 5 docet abbas Chæremon philosophos gentiles habuisse tantummodo quamdam μερίκην, vel μερίδα, id est, portiunculam castitatis.

[e] Hic rursus theorica pro theoretica apud Cassianum: ut et apud D. Hieronymum, ut superius meminimus (*Collat.* 1, c. 2; *coll.* 14, c. 2).

[f] Tales quibusdam saltem lineamentis depingere videtur D. Hieronymus in epistola 4, ad Rusticum monachum: *Alii,* inquiens, *sublatis in altum humeris, et intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, ut si præconem addideris, putes incedere præfecturam. Sunt qui humore cellarum, immoderatisque jejuniis, tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus ac noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, et Hippocratis magis fomentis quam nostris monitis indigent.* Ita D. Hieronymus. Nec multum ab his dissimiles illi monachi de quibus Evagrius hæc scribit (*Histor. l.* 1 *cap.* 21): *Viri ac mulieres in solitudinem ardoribus effervescentem se abdunt; et solis illis membris, quæ naturæ serviunt necessitati, obtectis, reliquum corpus frigoribus immensis et fervidis solis ardoribus nudum exponunt, æstu æque atque algore contempto. Eo accedit, quod alimentis quibus homines vesci solent penitus rejectis, depascuntur terram: unde* βόσκοι, *id est, pabulatores appellantur; indeque solum victum sibi suppeditant; adeo ut cum tempore belluis similes efficiantur: quippe cum forma corporis et animi habitu ab aliis hominibus discrepent. Ac si forte viderint homines, statim aufugiunt; et si qui eos insequantur, aut elabuntur velocitate pedum, aut abstrusis terræ locis, ad quæ difficillime accedi possit, se occultant.*

[g] Hinc D. Hieronymus in eadem illa epistola: *De ludo,* ait, *monasteriorum hujuscemodi volo egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreant; qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint: qui omnium fuerint minimi, ut primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando nec saturitas superavit; qui paupertate lætantur; quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est,* etc. Cassianus lib. V Institut. cap. 36: *Alium,* inquit, *ordinem, qui excellentior habetur, id est, anachoretarum, cunctorum preconiis instigati, sagacissimo corde videre properavimus: hi namque in cœnobiis primum diutissime commorantes, omnique patientiæ ac discretionis regula diligenter edocti, et humilitatis pariter ac nuditatis virtute possessa, atque ad purum vitiorum universitate consumpta, dirissimis dæmonum præliis congressuri, penetrant eremi profunda secreta.* Et rursus lib. VIII Institut. cap. 17: *Eremum,* ait, *perfectos, omnique vitio purgatos oportet expetere, et excoctis ad purum in congregatione fratrum, vitiis, non pusillanimitatis perfugio, sed divinæ contemplationis obtentu, et desiderio intuitus sublimioris intrare, qui non nisi in solitudine a perfectis solummodo poterit apprehendi.* D. etiam Benedictus (*Cap.* 1 *Regulæ*) prudenter ostendit qui dicendi sint veri anachoretæ, et quinam ad hoc vitæ genus apti et idonei censendi, videlicet, *qui non conversionis fervore novitio* (*Turrecrem. comment.*), *sed monasterii longa experientia didicerunt adversus*

instituti, nec excoctis prioribus vitiis ad solitariam se vitam immaturo desiderio transtulerunt; qui in utraque parte imperfecti semper ac fragiles, quocumque aura commotionis impulerit, inclinantur. Nam quemadmodum consortio vel interpellatione fratrum impatienter exæstuant, ita in solitudine consistentes ejus ipsius quod expetunt [a] silentii non ferunt vastitatem, quippe qui ne ipsam quidem rationem norunt, cujus causa desiderari vel expeti debeat solitudo, sed hanc esse virtutis ac professionis istius existimant summam, ut fratrum consortia declinantes, humanos tantummodo refugiant ac detestentur aspectus.

CAPUT XI.

Interrogatio de remedio eorum qui cito de cœnobiis discedunt.

Germanus : Quo ergo vel nobis vel cæteris qui ejusdem fragilitatis atque miseriæ [*Lips. in marg.* mensuræ] sunt, remedio poterit subveniri, qui cœnobialibus disciplinis tenuiter instituti, ante expulsionem omnium vitiorum, habitationem solitudinis cœpimus affectare, vel quo pacto imperturbatæ mentis constantiam et immobilem patientiæ poterimus apprehendere firmitatem; qui ipsas quodammodo scholas et exercitationis hujus palæstram, in qua ad plenum erudiri ac perfici principia nostra debuerant, intempestive intermissa cœnobii conversatione dereliquimus; qualiter ergo nunc solitarie commorantes, perfectionem longanimitatis ac patientiæ consequemur, vel quemadmodum has sibi inesse vel deesse virtutes exploratrix internorum motuum conscientia deprehendet, ne forte quia ab hominum consortio segregati nullis eorumdem irritationibus provocamur, falsa æstimatione decepti, tranquillitatem mentis nos immobilem possidere credamus?

CAPUT XII.

Responsio quomodo possit solitarius vitia sua agnoscere.

Joannes : In veritate quærentibus medicinam, remedia curationum ab illo verissimo animarum medico, deesse non possunt, his præsertim qui [b] valetudines suas, non desperando aut negligendo contempserint, nec vulnerum suorum pericula celaverint, aut medelam pœnitentiæ procaci mente respuerint, sed pro languoribus ignorantiæ vel errore vel necessitate contractis, humili tandem et cauta ad cœlestem medicum mente confugerint. Ideoque nosse debemus quod si ad solitudinem vel ad abdita loca nondum curatis vitiis secedamus, effectus eorum tantummodo reprimatur, non exstinguatur affectus. Latitat enim intra nos, immo etiam serpit radix omnium, quæ exstirpata non fuerat, peccatorum quam adhuc in nobis vivere his deprehendimus indiciis. Verbi gratia : Cum in solitudine constituti, adventum fratrum vel brevissimam eorum moram cum quadam æstuantis animi anxietate suscipimus, inesse adhuc in nobis vivacissimum impatientiæ fomitem noverimus; cum vero cujusquam fratris speramus adventum, si eo pro necessitate aliqua paululum forsitan demorante, vel tacita indignatio nimia ejus culpaverit tarditatem, et mentem nostram immodicæ exspectationis sollicitudo turbaverit, iræ atque tristitiæ manifeste in nobis vitia residere conscientiæ nostræ probavit examen. Item si fratre vel codicem ad legendum vel quamlibet aliam ad utendum speciem postulante, aut nos illius petitio contristaverit, aut illum negatio nostra repulerit, dubium non est nos adhuc avaritiæ seu philargyriæ laqueis compediri. Quod si recordationem feminæ nobis vel cogitatio subita vel sacræ series lectionis attulerit, et in ea quadam nos senserimus titillatione pulsatos, sciamus necdum exstinctum in membris nostris fornicationis ardorem. Si vero de comparatione strictionis nostræ et remissionis alienæ vel tenuissima mentem nostram tentarit elatio, certum est dira nos superbiæ peste corruptos. Cum hæc ergo in corde nostro deprehenderimus vitiorum indicia, manifeste cognoscamus nobis non affectum, sed effectum deesse peccati. Quæ utique passiones, si nos quandoque conversationi miscuerimus humanæ, protinus de cavernis nostrorum sensuum procedentes, probant se non tunc primum cum eruperint nasci, sed tunc demum quia diu latuerint publicari. Et ita uniuscujusque vitii radices inesse defixas sibi certis indiciis etiam solitarius deprehendit, quisquis puritatem suam non hominibus ostentare, sed illius conspectui inviolatam studuerit exhibere, quem latere omnia cordis arcana non possunt.

CAPUT XIII.

Interrogatio, quomodo sanari possit qui non expurgatis vitiis solitudinem ingressus sit.

Germanus : Argumenta quibus infirmitatum indicia colligantur et rationem discernendarum ægritudinum, id est, quo pacto vitia quæ celantur in nobis valeant deprehendi, lucide satis aperteque percepimus. Omnia siquidem quotidiana experientia ac diuturnis nostrarum motibus cogitationum, ita ut dicta sunt, intuemur. Superest igitur ut quemadmodum probationes causæque morborum evidentissima nobis oratione patefactæ sunt, ita etiam curationum medela monstretur. Nulli namque dubium est, illum posse rectissime de remediis, malarum valetudinum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

fortissimum et astutissimum bellatorem diabolum multorum solatio (id est, adjutorio aliorum, puta doctrina, exemplo, oratione fratrum) *jam docti pugnare, et bene instructi, fraterna ex acie* (id est, congregatione et consortio fratrum commilitantium) *ad singularem pugnam eremi, securi jam sine consolatione, sola manu vel brachio* (id est, propria virtute et fortitudine) *Deo auxiliante contra carnis, mundi et diaboli tentamenta pugnare sufficiant.* Ubi Turrecrematus adducit doctrinam S. Thomæ superius relatam (*Ad cap.* 6), qua docet quibus conveniat vita solitaria, et quam periculosum sit indoctos, et inexpertos, et nondum in bellis spiritualibus satis exercitatos, vitam aggredi solitariam et eremiticam.

[a] Id est, diuturnitatem, prolixitatem et molestiam.

[b] Id est, animi morbos et infirmitates. Est enim

disputare, qui earum prius causas atque origines ægrotantium conscientia attestante deprehenderit. Itaque licet doctrina beatitudinis tuæ vulnerum nostrorum arcana nudaverit, quo fit ut sperare aliquid etiam de remediis audeamus, quia tam evidens declaratio morbi spem remedii pollicetur; tamen quia primum, ut ais, in congregationibus initium salutis acquiritur, et sani in solitudine esse non possunt, nisi quos prius cœnobiorum medicina sanaverit, perniciosa rursum desperatione concidimus, ne forte qui imperfecti cœnobium reliquimus, nequaquam jam perfecti esse in eremo valeamus.

CAPUT XIV.

Responsio super eorum medicina.

Joannes : De morborum suorum curatione sollicitis remedium salutare deesse non poterit, et idcirco eodem modo quo uniuscujusque vitii deprehenduntur indicia, etiam remedia sunt quærenda. Nam quemadmodum solitariis humanæ conversationis vitia diximus non deesse, ita virtutum studia et instrumenta sanitatum omnibus etiam ab humana conversatione discretis posse suppetere non negamus. Cum se igitur impatientiæ sive iræ perturbationibus incursari illis quæ supra ostendimus indiciis unusquisque deprehenderit, contrariis semetipsum semper objectionibus exerceat, [a] et propositis sibi multimodis injuriarum dispendiorumque generibus velut ab alio sibimet irrogatis, assuefaciat mentem suam in omnibus quæ inferre improbitas potest perfecta humilitate succumbere; atque aspera sibi quæque et intolerabilia frequenter opponens, quanta eis occurrere debeat lenitate omni jugiter cordis contritione meditetur. Et ita respiciens ad illas sanctorum omnium sive ipsius Domini passiones, universa non solum conviciorum, sed etiam pœnarum genera, inferiora meritis suis esse pronuntians, ad omnem se dolorum tolerantiam præparabit. Cumque aliquando ad cœtus fratrum aliqua fuerit invitatione revocatus, quod non potest vel raro etiam districtissimis eremi accolis provenire, si mentem suam etiam pro levibus quibusque rebus deprehenderit tacita conscientia fuisse commotam, ut quidam occultorum motuum severissimus censor, mox sibi illa durissima injuriarum genera quibus ad perfectam tolerantiam semetipsum quotidianis meditationibus exercebat exprobret, atque ita se objurgans et increpans alloquatur : Tune ille es bone vir, qui dum te in illa solitudinis tuæ exerceres palæstra, omnia superaturum mala constantissime præsumebas, A qui dudum cum tibi non solum summas conviciorum acerbitates, verum etiam intoleranda supplicia ipse proponeres, satis validum atque ad omnes procellas immobilem te credebas? Quomodo invicta illa patientia tua levissimi verbi prolusione [*Lips. in marg.* prolatione] confossa est? Quomodo domum tuam super illam solidissimam petram tanta ut tibi videbatur mole constructam levis aura commovit? Ubi est illud quod inani fiducia bellum in pace desiderans proclamabas, *Paratus sum et non sum turbatus* (*Psal.* CXVIII)? Et cum propheta sæpe dixisti : *Proba me, Domine, et tenta me, ure renes meos et cor meum* (*Psalm.* CXXV); et *Proba me, Domine, et scite cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est* (*Psalm.* CXXXVIII)? B Quomodo ingentem certaminis apparatum exigua hostis umbra conterruit [*Lips. in marg.* contrivit]? Tali ergo semetipsum compunctionis animadversione condemnans, inultam animi sui commotiunculam esse non sinat, sed arctiore carnem suam jejunii ac vigiliarum correptione castigans, ac jugibus continentiæ pœnis culpam suæ mobilitatis excrucians, id quod ad plenum excoquere in cœnobii conversatione debuerat, in solitudine constitutus hoc exercitationis igne consumat. Illud sane ad obtinendam jugem ac stabilem patientiam constanter *atque immobiliter* est tenendum, non licere nobis quibus lege divina non solum ultio injuriarum, sed etiam memoria prohibetur, cujuslibet detrimenti vel irritationis obtentu ad iracundiam commoveri. Quod C enim animæ gravius potest evenire dispendium, quam ut per commotionis subitam cæcitatem veri atque æterni luminis claritate privata, ab illius qui mitis et humilis est corde contemplatione discedat? Quid, rogo, perniciosius, quidve deformius, quam ut quis honestatis judicium et regulam ac disciplinam rectæ discretionis amittat, et ea sanus ac sobrius perpetret quæ nec temulentus quidem quis ac sensu indigens veniabiliter admisisset? Hæc ergo et cætera his similia detrimenta quisquis perpenderit, non solum universa damnorum genera, sed etiam injuriarum atque pœnarum quæcumque possunt a crudelissimis irrogari, facili sustentatione despiciet, nihil dispendiosius iracundia nec pretiosius animi tranquillitate ac perpetua cordis sui judicans puri- D tate, ob quam non solum carnalium, sed etiam illarum quæ spiritales videntur, rerum spernenda sunt commoda, si alias acquiri vel perfici, nisi cum hujus tranquillitatis perturbatione non possunt.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

valetudo vocabulum anceps, ut alias dictum est.

[a] *Minus enim*, ait B. Gregorius (*Homil.* 35 *in Evang.*), *jacula feriunt quæ prævidentur; et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra hæc per præscientiæ clypeum munimur.* Eam ob causam Christus cum aliis tum apostolis in primis futuras persecutiones accurate prædixit, ut ne postquam evenissent aut scandalizarentur aut conturbarentur. *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut non scandalizemini: Absque synagogis facient vos*, etc. (*Joan.* XVI). Eodem spectans D. Chrysost. homilia de Avaritia : *Rebus*, inquit, *prosperis exspectes adversas. In tranquillitate tempestatem exspecta, in sanitate morbum exspecta; in divitiis paupertatem ac mendicitatem exspecta. Memento*, inquit Scriptura (*Eccles.* XVIII), *tempus famis in tempore abundantiæ, mendicitatem et egestatem in diebus opulentiæ. Ad hunc modum si fueris affectus, tum et divitias multa cum sobrietate administrabis; et egestatem, si incidat, fortissime perferes. Malum enim inexspectatum perturbabit animum, si incidat. Quod autem exspectabatur, si accidat, non multum affert perturbationis.*

CAPUT XV.

Interrogatio, an ita castitas sicut et cæteræ passiones debeat explorari.

Germanus : Sicut cæterorum vulnerum, id est, iræ, tristitiæ vel impatientiæ, per objectionem contrariarum rerum medela monstrata est, ita etiam contra spiritum fornicationis quod curationis genus nos oporteat adhibere volumus edoceri, id est, utrum etiam concupiscentiæ ignis propositis, sicut illic, majoribus irritationis augmentis possit exstingui, quod satis castitati credimus esse contrarium, si non solum exaggerentur in nobis libidinis incentiva, sed vel prætereunte mentis oculo perstringantur.

CAPUT XVI.

Responsio, quibus documentis possit agnosci.

Joannes : Quæstionem quæ etiam tacentibus vobis narrationem nostram fuerat secutura, sagax interrogatio vestra prævenit, et idcirco efficaciter eam sensibus vestris concipiendam esse non ambigo, quandoquidem institutionem nostram acumen vestri præcessit ingenii. Sine labore enim cujuslibet quæstionis dilucidatur obscuritas, cum absolutionem ejus anticipans inquisitio quo ducenda est antecedit. Itaque remediis quidem illorum quæ supra diximus vitiorum, non solum nihil officiunt, verum etiam multum conferunt humana consortia. Nam frequentia impatientiæ suæ crebrius patefacta, quanto magis assiduum superatis dolorem compunctionis intulerint, tanto velociorem laborantibus conferunt sanitatem. Ob quod etiam in solitudine consistentes, cum irritationum fomes atque materia ab hominibus non possit exsurgere, tamen earumdem incitamenta debemus etiam de industria retractare, ut adversus ea [*Lips. in marg.* eam] jugi cogitationum colluctatione pugnantibus nobis medela promptior conferatur. [a] Contra fornicationis vero spiritum diversa ratio, et dispar est causa. Nam quemadmodum corpori usus libidinis carnisque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus est penitus subtrahenda. Satis enim perniciosum est adhuc infirmis ægrisque pectoribus vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere, ita ut nonnumquam eis etiam [b] sub

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Luxuria enim non resistendo, sed fugiendo vincitur. Quod insinuans Apostolus ait : *Fugite fornicationem* (I *Cor.* VI). Id vero quomodo intelligendum sit, declarat D. Thomas (*In comment.*) : *Notandum*, inquit, *quod cætera vitia vincuntur resistendo, quia quanto magis homo particularia considerat et tractat, tanto minus in eis invenit unde delectetur, sed magis anxietur ; sed vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia quanto magis incenditur : sed vincitur fugiendo, id est, totaliter vitando cogitationes immundas, et quaslibet occasiones, ut dicitur Zachar.* II : *Fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus.* Eamdem doctrinam pulcherrime explicat D. Hieronymus; et Vigilantium hæreticum, qui monachos et solitarios, quod libidinis pugnam fugiendo vitarent, velut imbelles et ignavos suggillabat, his verbis aptissime refutat, ejus objectioni respondens : *Cur*, inquit, *pergis ad eremum? videlicet ut te non audiam, non videam ; ut tuo furore non movear, ut tua bella non patiur ; ne me capiat oculus meretricis ; ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis : Hoc non est pugnare, sed fugere ; sta in acie, adversariis armatus obsiste ; ut postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam : nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero, gladium devitavi ; si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum : quid autem necesse est certa dimittere, et incerta sectari? Aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, et superari potes, et vincere ; ego cum fugero, non vinco in eo quod fugio ; sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire : potest fieri ut me non mordeat, tamen potest fieri ut aliquando me mordeat. Matres vocamus, sorores et filias, et non erubescimus vitiis nostris nomina pietatis obtendere. Quid facit monachus in cellulis feminarum? quid sibi volunt sola et privata colloquia, et arbitros fugientes oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. Quod de libidine diximus, referamus ad avaritiam et ad omnia vitia quæ vitantur solitudine. Et idcirco urbium frequentias declinamus, ne facere compellamur quæ nos non tam natura cogit facere quam voluntas.* Hæc Hieronymus; ubi videtur innuere quoddam discrimen inter illa vitia quæ tangit Joannes illis verbis : *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum* (id est, avaritia), *aut superbia vitæ* (1 *Joan.* IV). Siquidem ad concupiscentiam carnis, sive luxuriam, natura quodammodo impellimur ; ad alia vitia non tam natura quam prona voluntate : quod etiam docet Cassianus (*Lib.* VII *Inst. cap.* 4 *et* 5). Omnium tamen vitiorum occasiones et incitamenta, quantum in nobis est, vitare debemus, quia objecta movent potentias, præsertim objecta libidinis, ideoque magis evitanda. Similiter Augustinus in quodam sermone : *Quod libidinem*, inquit (*Serm.* 2 *Domini* 2 *post Trin.*), *fugiendam esse suggerimus, apostolus Paulus evidenter ostendit, qui cum omnibus vitiis prædicaverit esse resistendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit : Resistite, sed Fugite fornicationem. Sic et alibi in Scripturis divinis legimus : Noli in faciem virginis intendere, ne te scandalizet vultus ejus* (*Eccles.* IX). *Et beatus Joseph, ut impudicam dominam posset evadere, pallium quo apprehensus fuerat reliquit, et fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam. Nec tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere.* Ita Augustinus. Est igitur contra luxuriam more Parthorum pugnandum, scilicet fugiendo, *versisque sagittis*, ut Virgilius dixit (*Georg.* III), et eleganter Baptusta Mantuanus :

> Hanc contra certare cave ; nam vincere vinci est :
> Vincere terga dare, et retro vestigia ferre.

[b] Hinc Cassianus monet lib. VI Instit. cap. 13, castimoniæ primam esse custodiam, *ut cum menti nostræ memoria sexus feminei per subtilem suggestionem diabolicæ calliditatis obrepserit, primum immissa recordatione matris, sororum, seu certe feminarum sanctarum, quantocius eam de nostræ mentis recessibus extrudere festinemus*, etc. Eamdem ob causam D. Hieronymus Rustico monacho suadet (*Epist.* 4), *ne vel matri cohabitet : ne*, inquit, *aut afferentem delicatos cibos renuendo contristes ; aut si acceperis, oleum igni adjicias et inter frequentiam puellarum per diem videas quod nocte cogites.* Et libro illo adversus Vigilantium : *Monachus*, inquit, *non doctoris, sed plangentis habet officium ; qui vel se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum ; qui sciens imbecillitatem suam, et vas fragile quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat atque frangatur : unde et mulierum, maximeque adolescentularum vitat aspectum ; et in tantum castigator est sui, ut etiam quæ tuta sunt pertimescat.* Et de S. Augustino scribit Possidius (*In Vita S. Aug. c.* 26) : *Feminarum intra domum ejus nulla umquam conversata est, nulla mansit, nec quidem germana soror, quæ vidua Deo serviens*

recordatione sanctarum feminarum, vel sub sacræ lectionis historia noxiæ titillationis stimulus excitetur. Cujus causa seniores nostri [a] hujuscemodi lectiones sub præsentia juniorum solent consultissime præterire. Sane perfectissimis quibusque et summo jam affectu castimoniæ consummatis probationes quibus examinare se valeant deesse non possunt, quibus perfectissima cordis integritas incorrupto conscientiæ judicio comprobetur. Erit ergo consummatissimo viro similis his quæ supra dicta sunt etiam super hac passione probatio sui, scilicet ut qui se radices morbi hujus penitus jam exstirpasse cognoverit, A explorandæ, si volet, gratia castitatis, interdum etiam aliquam exploratricem sui imaginem possit admittere. Cæterum ab his qui adhuc minus firmi atque perfecti sunt, [b] hanc examinationem nullatenus convenit usurpari, ut conjunctionem femineam et palpationem quodammodo teneram atque mollem corde pertractent, erit enim eis magis noxia quam salubris. Quod enim experimentum hujuscemodi hominibus potest in hac ratione suppetere, ubi et in experimento ipsum est quod vitatur, et in ipsa exploratione discrimen? Cum ergo perfectissima quis virtute fundatus ad illecebram blandientium cogitatio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

multo tempore usque ad diem obitus sui præposita ancillarum Dei vixit. Sed neque patrui sui filiæ, et fratris sui filiæ, quæ pariter Deo serviebant. Cujus exemplum D. Gregorius clericis et monachis imitandum proponit in epistola ad Romanum defensorem (*Lib.* VII *epist.* 39), inter alia scribens : *Legitur quod beatus Augustinus, nec cum sorore habitare consenserit, dicens : Quæ cum sorore mea sunt sorores meæ non sunt. Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio. Nam incautæ præsumptionis est, quod fortis pavet, minus validum non timere.* Idem Augustinus (*Vel quis auctor libri de Singul. Cler.*) alio loco : *Gravem*, inquit, *inimicum sortita est castitas, cui non solum resistendum, sed dimisso freno longius fugiendum. Nec eo minus feminæ fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur ; quia quanto religiosiores, tanto citius alliciunt, et sub prætextu religionis latet viscus libidinis. Experto crede, expertus loquor : coram Deo non mentior. Cedros Libani, duces gregum sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam de Ambrosii vel Hieronymi impudica turpitudine.* Hæc Augustinus. Quibus accedit exemplum abbatis Arsenii, qui matronæ cuidam cupienti se quadam devotione videre, graviter respondit : *Nescis quia mulier es, et per mulieres seducuntur perfecti viri? Numquid non sufficit tibi audisse opera mea? At illa : Nolo, inquit, videre faciem tuam : sed ora pro me. Et ille : Oro, inquit, Deum, ut deleatur memoria tui de corde meo. Illa vero ingemiscens recessit* (*In Vitis Patrum lib.* III, *n.* 65 *et lib.* V *libello* 2). Aliud item exemplum abbatis Pior a Palladio et Sozomeno relatum : qui cum ad sororem, jubente abbate, profectus esset, ut ejus importunis precibus satisfaceret, oculis clausis, alterius ductu ad ejus ostium accedens, se quidem illi videndum præbuit, sed illam ipse minime vidit ; et mox ab ea visus recessit (*Pallad. Lausiac. c.* 87).

[a] Ob hanc causam (nempe ad vitandas hujusmodi cogitationes) D. Prosper (*De Vita Contemplat. l.* III c. 6) ait, *ab antiquis fuisse decretum, ne qui adolescentium legerent Geneseos librum, ac partem Ezechielis prophetæ, vel Cantica Canticorum, et cætera talia in quibus generationes, et actus, et nomina quarumdam scripta sunt mulierum.* Lege D. Hieronymum in primo Commentariorum Ezechielis procemio, et in epistola ad Paulinum de omnibus divinæ historiæ libris. Ad hunc etiam Cassiani locum spectasse videtur D. Benedictus cap. 42 Regulæ, ubi de libris in capitulo post cœnam legendis vel non legendis ita statuit : *Mox ut surrexerint a cœna, sedeant omnes in uno loco, et legat unus Collationes vel Vitas Patrum, aut certe aliud quod ædificet audientes*, sicut sunt libri morales antiqui, puta D. Gregorii et aliorum ; aut homiliæ sanctorum doctorum, quæ principaliter redoleant suavitatem devotionis, et doctrinam ædificationis contineant, ait Turrecremata : quod recte et sanctissime constitutum est, quia sic ex lectione illa monachi materiam ædificationis et devotionis haurire possunt, unde ad contemplationis altitudinem silentii B tempore valeant promoveri. Et ad hoc recte electi sunt libri Collationum et Vitæ Patrum, in quibus doctrina totius perfectionis, et ædificationis, et sanctimoniæ continetur. Sic ille. Subdit vero D. Benedictus : *Non autem Heptaticum, aut Regum*, supple, libros. Ubi Heptaticum vocat, quem D. Hieronymus (*Epist.* 7 *et* 28) Heptateuchum, id est, septenarium, nempe sacrorum librorum : qui septenarius est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum (cujus veluti appendix liber Ruth), quos sequuntur libri Regum. Ut enim Pentateuchum veteres appellarunt quinque libros Mosis, ita junctis simul libris Josue, Judicum et Ruth, Octateuchum nuncuparunt, ut Cassiodorus cap. 1 divinarum Institutionum ; et Græci auctores, quorum scripta leguntur εἰς τὴν ὀκτάτευχον. Verum quoniam Hebræi, ut Hieronymus observat, historiam Ruth in unum librum cum Judicibus compingunt, inde factum est ut Heptateuchum plerique dixerint, pro Octateucho, ut Hieronymus epist. 7 et 28. Et, ut apparet, etiam D. Benedictus loco jam citato, ubi Heptaticum vocat pro Heptateucho. Ad quem ut revertamur, causam ipse ob quam monuit libros istos illa hora non legendos, subdit, dicens : *Quia infirmis intellectibus* (id est, indoctis, imperitis, non habentibus peritiam Scripturarum) *non erit utile illa hora illam Scripturam audire* (*Vide ibidem Smaragdum*). Libri enim legales et historiales, cum pleni sint et tecti multis figurarum obscuritatibus, et plurima contineant profundissima mysteria, non sunt libri ita apti ad legendum simplicibus monachis, et maxime illa hora in qua habenda lectio est, non de variis bellorum historiis, unde varia dormientibus possent generari phantasmata ; sed quæ tota sit ædificatoria, et plena simplicitate moralis doctrinæ, et quæ sanctis meditationibus præstet fulcimentum. *Aliis vero horis legantur.* (Ecce, non vetat simpliciter præfatos libros legales et historiales legi (*Turrecrem.*) ; sed tantum illa hora.) Hactenus D. Benedictus commentario illustratus.

[b] *Nam qui amat periculum, peribit in illo ; et qui tangit picem, inquinabitur ab ea*, ait Sirachides (*Eccl.* III *et* XIII) ; et alibi scriptum est : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deuter.* VI ; *Matth.* IV). Tentaret utique Deum, qui tam evidenti periculo se exponeret, ut castitatem suam experiretur. Hujusmodi etiam examinationem et explorationem periculosam et minime tentandam sensit abbas Paphnutius, cui de sua castitate nimium confidenti, cum angelus dixisset : *Vade, et apprehende nudam et pulcherrimam virginem ; et si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, æstusque carnales pacificos in te senseris perdurasse, tum te carnalis concupiscentiæ laqueis penitus absolutum crede ; ille ex hujusmodi revelatione perculsus, non quidem experimenti divinitus demonstrati pericula consuluit, sed interrogans conscientiam suam, et puritatem sui cordis examinans, nondum pondus castimoniæ suæ, hujus probationis oneri sustinendo sufficere prudenter intellexit, et ab ea probatione abstinuit.* Ita fere collatione 15 cap. 10.

num nullum mentis assensum, nullam carnis commotionem in se deprehenderit excitari, certissima puritatis suæ capiet documenta, ita ut ad hanc se firmitatem puritatis exercens, castitatis atque incorruptionis bonum non solum mente possideat, sed etiam si corporalem feminæ attactum causa cujuscumque, ut solet, necessitatis attulerit, penitus sensum passionis ignoret. Hoc abbas Joannes; [a] cum horæ nonæ refectionem imminere sensisset, collationem fine conclusit.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Monachos olim, utpote quotidie jejunantes extra Pentecosten, non ante horam nonam ab ortu solis (quæ nobis est tertia pomeridiana) cibum sumere solitos, nisi causa exercendæ hospitalitatis jejunium solverent, alibi notavimus. Hanc enim horam solvendi jejunii apud cœnobitas Ægyptios observatam fuisse scribit D. Hieronymus in Epistola 22, ad Eustochium, idemque confirmat Cassianus collatione 21, cap. 23. Unde et D. Benedictus c. 41 : *Quarta*, inquit, *et sexta feria jejunent usque ad nonam : reliquis diebus ad sextam prandeant*. Exstat etiam apud Prudentium (*Hym.* 10 περὶ στέφαν.) hujus antiquæ et primitivæ observationis (qua jejunantes, etiam a potu usque ad nonam abstinebant) insignis memoria hoc versu :

Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes :
Jejunamus, ait; recuso potum :
Nondum nona diem resignat hora.

COLLATIO VIGESIMA,

Quæ est abbatis Pinufii.

DE PŒNITENTIÆ FINE ET SATISFACTIONE.

CAPUT PRIMUM.

De abbatis Pinufii humilitate et latendi studio.

Præclari ac singularis viri [a] abbatis Pinufii de fine pœnitentiæ præcepta dicturus, magnam materiæ partem mihi videor amputare, si humilitatis ejus laudem, quam in quarto Institutionum libro (*Cap.* 30), qui est [b] super instituendis Renuntiantibus titulatus, brevi sermone perstrinxi, lectoris fastidio consulens, hic silentio prætermittam; cum præsertim multi illius opusculi notitiam non habentes in hanc possint incurrere lectionem, et omnis dictorum vacillet auctoritas si dicentis meritum subtrahatur. Hic siquidem cum haud longe a Panephysi Ægypti, ut illic dictum est, civitate, abbas et presbyter ingenti cœnobio præsideret, tantumque eum in omni illa provincia virtutum suarum atque signorum gloria sublimasset, ut sibi jam videretur retributione laudis humanæ laborum suorum recepisse mercedem, timens ne sibi specialiter invisa popularis favoris inanitas, fructum præmii evacuaret æterni, occulte monasterium suum fugiens, ad intima [c] Tabennensium monachorum secreta contendit, ubi non eremi solitudinem, non singularis vitæ securitatem, quam etiam imperfecti quique, laborem obedientiæ in cœnobiis non ferentes, superba non numquam præsumptione sectantur, sed celeberrimo præelegit cœnobio subjugari. Ubi tamen ne ullo habitus sui proderetur indicio, indutus veste sæculari, multis, ut illic moris est, diebus lacrymans pro foribus excubavit, atque ad omnium genua provolutus, post eorum diuturna fastidia, qui ad explorandum ejus desiderium in ultima eum jam ætate velut panis egestate compulsum, non sincere illius propositi sanctitatem expetisse dicebant, tandem ut susciperetur, obtinuit, ubi adolescenti cuidam fratri qui hortum susceperat excolendum, in adminiculum deputatus, cum non solum omnia quæ idem præpositus imperasset, vel quæ injuncti operis cura poscebat, cum admiratione tam sanctæ humilitatis impleret, verum etiam quædam necessaria opera, quæ propter horrorem sui a cæteris vitabantur, ita furtivo per noctem labore perficeret, ut diluculo omnis illa congregatio tam utilium operum admirans ignoraret auctorem. Cumque ita triennium ferme illic, gaudens desideratis tam injuriosæ subjectionis laboribus, exegisset, accidit ut quidam frater eidem cognitus ex illis, unde ille discesserat, Ægypti partibus, adveniret. Qui cum indumentorum ejus atque officii vilitate, promptissimæ cognitionis facilitatem diu hæsitans cohiberet, post explorationem manifestissimam ad ejus genua provolutus, primum stuporem fratribus cunctis, dehinc prodito etiam nomine, quod apud illos quoque præcipuæ sanctitatis fama vulgaverat, etiam dolorem compunctionis incussit, quod scilicet tanti meriti ac sacerdotii virum tam injuriosis operibus deputassent. Sed postquam flens ubertim, et diabolicæ invidiæ quasi gravem proditionis suæ imputans casum [causam], ad monasterium suum honorifica fratrum custodia ambiente perductus est, exiguo illic tempore demoratus, rursus offensus est ipsis honoris sui ac primatus obsequiis; ac furtim ascendens navem, ad Palæstinam Syriæ provinciam transmeavit, ubi velut

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Pynuphium legit Ciaconius, ms. Pinofium : de quo Cassianus lib. IV Instit. cap. 30 et seq.

[b] Id est, *De Institutis Renuntiantium* inscriptus. De qua inscriptione sive titulo libri quarti, vide notam ibidem ad cap. 1.

[c] Tabennenses, sive Tabennensiotæ monachi a S. Pachomio instituti; unde etiam Pachomiani, sive Pachumiani dicti. De quibus Cassianus lib. IV cap. 1, et S. Hieronymus in præfatione Regulæ ejusdem Pachomii.

incipiens atque novitius in illo in quo nos degebamus, monasterii receptus habitaculo, in nostra cellula ab abbate præceptus est commanere. Sed ne illic quidem diu virtutis ejus merita latere potuerunt. Nam simili proditione detectus, atque ad monasterium suum cum ingenti honorificentia ac laude revocatus, tandem quod erat esse compulsus est.

CAPUT II.

De adventu nostro ad abbatem Pinufium.

Cum igitur post non longum tempus nos quoque Ægyptum petere sanctæ institutionis desiderium compulisset, summo eum affectu ac desiderio perquirentes, tanta ejus sumus gratia atque humilitate suscepti, ut nos tamquam [a] pristinos syncellitas, etiam cellulæ suæ, quam in extrema horti parte construxerat, honoraret hospitio. Ubi cum satis ardua atque præcelsa cuidam fratri monasterii Regulam subeunti coram omnibus in synaxi fratribus præcepta tradidisset (quæ in quarto, ut prædiximus, Institutionum libro (*Cap.* 32) quanta potui brevitate complexus sum), tam incomprehensibilia nobis tamque mirifica veræ abrenuntiationis culmina videbantur, ut nullo modo illuc humilitatem nostram crederemus posse conscendere. Igitur desperatione dejecti, et ipso etiam vultu intimam cogitationum amaritudinem non celantes, ad beatum senem, satis anxia mente recurrimus; cui protinus causam tantæ mœstitudinis inquirenti, abbas Germanus, graviter ingemiscens, ita respondit.

CAPUT III.

Interrogatio de pœnitentiæ fine et satisfactionis indicio.

Quanto magnificentior atque sublimior incognitæ nobis sermo doctrinæ tuæ iter arduum præcelsissimæ renuntiationis aperuit, et quasi remota oculorum nostrorum caligine conditum cœlo culmen ejus ostendit, tanto majore desperationis mole deprimimur. Immensitatem siquidem ejus cum exiguitate virium nostrarum metientes, et nimiam abjectionem ignaviæ nostræ cum infinita virtutis ostensæ celsitudine conferentes, pravitatem nostram non solum ad illam non posse proficere, verum etiam ab eo quod est deficere posse sentimus. Nam ponderibus nimiæ desperationis oppressi, quodammodo de infimis ad inferiora prolabimur. Unum proinde ac singulare præsidium medelæ nostris potest conferri vulneribus, ut de fine pœnitentiæ et maxime de satisfactionis indicio aliqua discamus, ut certi de remissione præcedentium delictorum, possimus etiam ad conscendenda fastigia prædictæ perfectionis animari.

CAPUT IV.

Responsio abbatis Pinufii.

Pinufius: Delector admodum quidem copiosis humilitatis vestræ fructibus, quos etiam cellulæ illius quondam habitatione susceptus non incuriosa æstimatione perspexi, valdeque congaudeo, *quia id* quod a nobis omnium Christianorum infimis sola forsitan verborum libertate præcipitur, tanta admiratione suscepistis, ut ea (si non fallor) haud segnius quam a nobis dicta sunt impleatis. [b] Cumque (sicut memini

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est ejusdem cellæ cohabitatores, vel in eadem cella cohabitantes. Sidonius concellitas dicit; Ennodius concellaneos eadem significatione. Pristinos autem hic vocat, quia superius dixit, sub finem capitis, *Pinufium in eadem cella, monasterii scilicet Bethleemitici, secum commanere jussum, cum in illo velut incipiens et novitius receptus esset.* Ad cujus intelligentiam notanda verba D. Hieronymi in illa præfatione Regulæ Pachomianæ: *Habent,* inquit, *per singula monasteria Patres, et dispensatores, et hebdomadarios, ac ministros, et singularum domorum præpositos; ita ut in una domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant præposito; sintque, pro numero fratrum, triginta, vel quadraginta domus in uno monasterio; et ternæ vel quaternæ domus in unam tribum fœderentur, ut vel ad opera simul vadant, vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem.* Hæc ibi. Itaque syncellitatæ dicebantur fratres plus minusve quadraginta in una cella, vel potius in una domo commanentes, et uni præposito subjecti. Erant enim in una domo plures cellæ, in quibus aut singuli, aut certe bini, vel terni, auctore D. Hieronymo in epist. ad Eustochium (*Epist.* 22), commanebant. Unde et ejusdem Regulæ art. 7 manifeste distinguuntur cellæ a domibus: *Mane,* inquit, *per singulas domos, finitis orationibus, non statim ad suas cellas revertentur, sed conferent inter se quæ præpositos audierint disputantes,* etc. Porro, illa duorum aut plurium fratrum sive monachorum in eadem cella seu cubiculo cohabitatio posterioribus sæculis et moribus visa est non expedire nec condecere, quod etiam alibi monitum memini. Unde in concilio Turonesi ita sancitum legitur: *Neque liceat monachis cellas habere communes, ubi aut bini maneant, aut singulares reponi possint,* etc. (*Turon.* II, *c.* 10). Justinianus imper. in sua Novella (*Novell.* 5 *de monachis*) statuit ut monachis una quidem sit domus, unum commune cœnaculum ac dormitorium; diversa tamen cubicula sive cellulæ: *Aut si forte,* inquit, *non sufficit ad multitudinem monachorum domus una, in duas aut plures* (distribuantur), *non tamen seorsim et apud semetipsos, sed in communi testis alterutri sint honestatis et castitatis; nisi tamen quidam eorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in secessu, quos vocare anachoretas et hesychastas consueverunt, tamquam ex communione ad meliora exceptos.* Hæc ibi, quæ tum ex aliis Patribus, tum ex Regula D. Benedicti desumpta sunt cap. 22. Ubi Casinenses hoc statutum addiderunt: *Secundum modernum morem, propter honestatem, et ut liberius fratres se exercere possint in orationibus et aliis exercitiis spiritualibus, et ut vitetur curiositas, dormitorium divisum est per diversas cellas, et assignamus unicuique fratrum cellam unam, sic ut singuli in singulis dormiant cellis.* Hæc ipsi ad declarationem ejus cap. Regulæ, quo statuitur ut *singuli per singulos lectos dormiant monachi.*

[b] Ita emendatum e codice Basileensi et nonnullis manuscript., cum antea corrupte legeretur: *Cumque, sicut memini, laborem operis vestri pene dictorum nostrorum exsequitur industria,* Ciaconius tamen legit. *Cumque, sicut memini, industria laboris vestri pene dictorum nostrorum exæquetur instructio.* Alii: *Cumque, sicut memini, labore operis vestri pene dictorum nostrorum gravitas exæquetur.* Sensus est: Cum vos antehac noverim ea quæ dico et moneo reipsa pene ad unguem præstare. Vel ut aliis verbis præcedentibus dixit: *Cum ea (si non fallor) haud segnius quam a nobis dicta sunt impleatis.*

labore operis vestri pene dictorum nostrorum exæquetur industria, ita meritum vestræ virtutis occultatis, tamquam si nulla ad vos eorum quæ quotidie exercetis aura pervenerit. Sed quia idipsum summa laude dignissimum est, quod velut adhuc rudes incognita vobis esse ista sanctorum instituta testamini, id quod a nobis sedulo postulatis breviter ut possumus complectamur. Necesse est enim ut ultra possibilitatem nostram atque virtutem antiquæ familiaritatis vestræ pareamus imperio. Itaque de pœnitentiæ exhortatione vel merito multi non solum dictis, verum etiam scriptis plurima vulgaverunt, monstrantes quanta ejus utilitas, quantaque sit gratia, ita ut Deo præteritis facinoribus offenso, tamque justissimam pœnam pro tantis criminibus inferenti, si dici fas est, quodammodo obsistat, et quasi inviti (ut ita dixerim) dexteram suspendat ultoris. Verum hæc omnia vobis, vel pro sapientia supernaturali, vel pro indefesso sacrarum studio litterarum, ita cognita esse non ambigo, ut de his prima plantatio vestræ conversationis inoleverit. Denique non de pœnitentiæ qualitate, sed de ejus fine ac satisfactionis indicio solliciti, id quod ab aliis prætermissum est, sagacissima interrogatione disquiritis. Quapropter omni brevitate atque compendio propositionis vestræ desiderio satisfacere nitimur.

CAPUT V.

De modo pœnitentiæ, et indulgentiæ perceptæ argumento.

[a] Pœnitentiæ plena et perfecta definitio est, ut peccata pro quibus pœnitudinem gerimus, vel quibus nostra conscientia remordetur, nequaquam ulterius admittamus. [b] Indicium vero satisfactionis et indulgentiæ est affectus quoque eorum de nostris cordibus expulisse. Noverit enim unusquisque nec dum se peccatis pristinis absolutum, quamdiu sibi satisfactioni et gemitibus incubanti vel illorum quæ egit vel similium criminum ante oculos imago præluserit, eorumque non dicam oblectatio, sed vel recordatio infestaverit mentis arcana. Itaque tunc se is qui pro satisfactione pervigilat a criminibus absolutum, ac de præteritis admissis veniam percepisse cognoscat, cum nequaquam cor suum eorumdem vitiorum illecebris senserit vel imaginatione perstringi. Quamobrem verissimus quidam examinator pœnitentiæ et indulgentiæ [*Lips. in marg.* index] in conscientia residet nostra, qui absolutionem reatus nostri ante

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Eodem fere modo alii Patres pœnitentiam definiunt. Lactantius l. VI Inst. cap. 24 : *Agere*, ait, *pœnitentiam, nihil aliud est quam profiteri et affirmare se ulterius non peccaturum*. Et infra : *Is enim quem facti sui pœnitet, errorem suum intelligit, ideoque Græci melius et significantius* μετάνοιαν *dicunt, quam nos possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, et confirmat animum suum ad rectius vivendum*. Augustinus serm. 7 de Tempore : *Ista est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur; quando sic pœnitet, ut non repetat*. Gregorius homil. 34 super Evangelia : *Pœnitere est anteacta peccata flere, et flenda non committere* : Et Isidorus lib. II de Summo Bono cap. 16 : *Isaias de peccatoribus dicit : Lavamini, mundi estote. Lavatur et mundus est qui et præterita plangit et flenda iterum non committit. Lavatur et non est mundus qui plangit quæ gessit, nec deserit : et, post lacrymas, ea quæ defleverat repetit*. Verum ut hæ et hujusmodi sententiæ sane intelligantur, notandum quemadmodum superius de amicitia vera dictum est collat. 16, ita de vera pœnitentia sentiendum, duobus eam modis accipi posse, ut docte annotat D. Bonaventura in quartum Sentent. (*Dist.* 14). Primo modo vera pœnitentia dicitur in qua reperitur vera ratio pœnitentiæ, quomodo verum aurum dicimus quod non est adulterinum; et hoc modo accepta vera pœnitentia opponitur falsæ aut simulatæ. Alio modo vera dicitur pœnitentia quæ hominem perducit ad finem ultimum, id est, vitam æternam. De hac igitur vera, id est, perfecta pœnitentia, loquuntur Patres, quando dicunt veram pœnitentiam esse præterita peccata deflere, et flenda ulterius non committere; vel certe intelligunt pœnitentiam esse cessationem a peccatis, saltem in voto et proposito pœnitentis; quemadmodum Patres Tridentini (*Sess.* 14 *c.* 4) docent contritionem (quæ est primus pœnitentiæ actus) *esse animi dolorem, et detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero* (*Vide ss.* 6 *cap.* 14); quomodo etiam videntur accipienda verba Augustini, Isidori et abbatis Pinufii hoc loco. Illud vero indubitatum esse debet, quod et a Patribus Tridentinis declaratur, *pœnitentiæ vocabulum tum in divinis litteris, tum apud SS. Patres, non pro sola resipiscentia aut mutatione vitæ, ut volunt hæretici, sed pro detestatione et vindicatione peccatorum commissorum usurpari*. Concilii verba sunt (*Ubi supra*) : *Declarat sancta synodus hanc contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum, et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis; et facite vobis cor novum, et spiritum novum* (*Ezech.* XVIII). *Et certe qui illos sanctorum clamores consideraverit : Tibi soli peccavi, et malum coram te feci; laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum* (*Psal.* L *et* VI); *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isa.* XXXVIII); *et alios hujus generis; facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio et ingenti peccatorum detestatione manasse*. Hæc synodus.

[b] Id est, indicium, sive argumentum, quo quis colligat se plene et perfecte expiasse peccata, aut satisfecisse pro peccatis, et proinde eorum veniam et indulgentiam esse consecutum, qui est finis pœnitentiæ, de quo instituta et inscripta hæc collatio. Ad hunc porro locum sane intelligendum non negligenda Petri Maturi annotatio (*Chron. part.* II, *c.* 2, *tit.* 15, § 19) apud S. Antoninum : Quæ hoc loco, ait, traduntur, de cognoscenda peccatorum suorum absolutione et remissione, indicia quidem et conjecturæ esse possunt absolutionis peccatorum; non tamen certa et necessaria argumenta, quibus homo ad id credendum pro certo adduci possit : neminem enim nisi per divinam gratiam certum esse posse certitudine fidei sibi peccata esse dimissa, constans est catholicorum opinio. Vide Canisium in Opere Catech. cap. de Peccatis contra Spiritum S. quæst. 3, et S. Thomam in 1-2, quæst. 112, a. 5, Sotum lib. III de Nat. et Grat. c. 10-12, et Vegam de Justificatione lib. IX, qui confirmant ea quæ in concil. Trident. sess. 6 cap. 9 et can. 12 et 13 sunt sancita, et Sixtum Senens. lib. VI Bibliothecæ annot. 210. Hæc Petr. Maturus. Sed vide plura inferius annotata.

cognitionis et judicii diem adhuc nobis in hac carne commorantibus detegit et finem satisfactionis ac remissionis gratiam pandit. Et ut hæc eadem quæ dicta sunt, significantius exprimantur,[a] tum demum præterita nobis vitiorum contagia remissa esse credenda sunt, cum fuerint de corde nostro præsentium voluptatum desideria pariter passionesque depulsæ.

CAPUT VI.

Interrogatio, an reminiscenda sint pro cordis compunctione peccata?

Germanus :[b] Et unde nobis gigni poterit humiliationis illa sancta salutarisque compunctio, quæ ex persona pœnitentis ita describitur : *Peccatum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non operui; dixi, Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino* (*Psal.* XXXI); ut illud quoque quod sequitur efficaciter dicere mereamur : *Et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Ibid.*)? vel quemadmodum in oratione prostrati nosmetipsos ad confessionis lacrymas valebimus excitare, per quas delictorum veniam consequi mereamur, secundum illud : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI); si peccatorum nostrorum memoriam de nostris cordibus extrudamus, quam jubemur econtrario tenaciter custodire, dicente Domino : *Et iniquitatum tuarum non recordabor; tu vero memento* (*Esa.* XLIII *sec. LXX*)? Ob quam rem non solum operans, verum etiam orans ad peccatorum meorum recordationem mentem meam etiam de industria revocare contendo, ut ad humilitatem veram et contritionem cordis efficacius inclinatus, audeam dicere cum Propheta : *Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* XXIV).

CAPUT VII.

Responsio quousque anteriorum actuum recordatio sit habenda.

Pinufius : Interrogatio vestra, ut jam supra dictum est, non de pœnitentiæ qualitate, sed de ejus fine proposita est, et de satisfactionis indicio, ad quam congrue (ut arbitror) consequenterque responsum est. Cæterum hoc[c] quod de peccatorum recordatione dixistis utile satis ac necessarium est, sed adhuc agentibus pœnitentiam, ut cum jugi pectoris sui contusione proclament, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum contra me est semper* (*Psal.* L), et cum Propheta : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele* (*Psal.* L), et cum Apostolo : *Quæ quidem retro sunt oblivisci, ad ea vero quæ ante sunt me extendere* (*Philip.* III), et cum Psalmista : *Memor fui nocte nominis tui, Domine* (*Psal.* CXVIII), et cum Propheta : *Memento, Domine, quid acciderit nobis* (*Thren.* V), et cum Apostolo : *Memores estote vinctorum tanquam et vos conligati* (*Hebr.* XIII), et cum Propheta : *Memento, Domine, David et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI), et cum Apostolo : *Memores estote prædecessorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei* (*Hebr.* XIII), et cum Propheta : *Memento, Domine, testamenti tui* (*Psal.* LXXIII), et cum Apostolo : *Memores estote sermonis quem ego prædicavi vobis* (*I Cor.* XV), et cum Propheta : *Memento, Domine, opprobrii servorum tuorum* (*Psal.* LXXXVIII), et cum Apostolo : *Memores estote quod aliquando vos gentes eratis in carne* (*Ephes.* II), et cum Propheta : *Memento, Domine, filiorum Edom* (*Psal.* CXXXVI), et cum Apostolo : *Memores estote quod sine Christo eratis* (*Ephes.* II), et cum Propheta : *Memento, Domine, Jerusalem* (*Psal.* CXXXVI), et cum Apostolo : *Memores estote quod eratis aliquando tenebræ* (*Ephes.* V), et cum Propheta : *Memento, Domine, quæ mihi accidit* (*Thren.* III), et cum Apostolo : *Memores estote quod aliquando eratis sine Deo* (*Ephes.* II

tem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper (*Psalm.* L); illud etiam, *Et cogitabo pro peccato meo* (*Psalm.* XXXVIII). Dum ergo agimus pœnitentiam, et adhuc vitiosorum actuum recordatione mordemur, necessarium est ut ignem conscientiæ nostræ obortus ex confessione culpæ lacrymarum imber exstinguat; cum vero cuiquam in hac humilitate cordis et spiritus contritione defixo, atque in labore et gemitu perduranti, horum recordatio fuerit consopita, et conscientiæ spina de medullis animæ gratia Dei miserentis evulsa, [a] certum est eum ad satisfactionis finem atque indulgentiæ merita pervenisse, et ab universorum criminum labe purgatum. Ad quam tamen oblivionem non alias pervenitur, nisi per oblitterationem vitiorum atque affectuum pristinorum et perfectam cordis atque integram puritatem; quam sine dubio nullus eorum qui per ignaviam sive contemptum vitia sua purgare

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Idem aliis verbis cap. quinto : *Tunc se is qui pro satisfactione pervigilat, a criminibus absolutum, ac de præteritis admissis veniam percepisse cognoscat*, etc. Quæ quidem assertio prima fronte videri posset inter errores Cassiani, sive Collatorum, merito annumeranda; cum constet neminem in hac vita citra revelationem divinam de statu animæ suæ et percepta venia peccatorum certum ac securum esse posse (*Trident. conc. ss.* 6 *c.* 9 *et* 16), ut ex tertia nota ejusdem cap. patet, nisi benigna explicatione (quam auctor, licet subobscure, suggerit) posset excusari. Quod et Cuychium et Ciaconium itidem animadvertisse existimo, cum in suis observationibus ac censuris hanc sententiam minime attigerint, qui alias hujusmodi tam diligenter excusserunt. In hac porro explicatione tria notanda sunt. 1° Loquitur Auctor non de certitudine absoluta et infallibili, qualis apud philosophos certitudo demonstrationis, quæ parit scientiam, et inter Christianos certitudo fidei catholicæ, cui non potest subesse falsum; sed de certitudine morali et fiduciali, quæ ex quibusdam signis et indiciis veræ conversionis, satisfactionis et remissionis peccatorum colligitur (de quibus infra) et a Deo inspiratur. Secundo, cum ab horum vere pœnitente et justificato removet omnem recordationem præteritorum criminum, non intelligit de simplici seu nuda recordatione, rememoratione, apprehensione eorumdem; quia potest quis a peccatis esse absolutus, et infestari nihilominus a recordatione præteritorum; sed de recordatione seu imaginatione illecebrosa, et cum aliquo affectu et oblectatione conjuncta, quæ in peccatis carnis præcipue locum habet, diciturque communiter a theologis delectatio morosa : quæ quamdiu in animo residet, et rationem ad se trahit, certum est non esse in homine et perfectam pœnitentiam, et omnimodam conscientiæ puritatem, quæ est finis pœnitentiæ, de quo instituta hæc collatio et disputatio. Tertio, loquitur hic abbas non de ipsa pœnitentiæ veritate et qualitate, ut ipse initio hujus cap. inculcat, sed *de pœnitentiæ fine*, ut præfert titulus hujus collationis, id est, de scopo et perfectione, ad quam tendit ipsa pœnitentia. Tunc enim perfecta et consummata censetur pœnitentia, cum quis per opera pœnitentiæ et satisfactionis plenariam omnium peccatorum veniam et remissionem, tum quoad culpam, tum quoad pœnam consecutus est, cum hic sit finis et scopus pœnitentiæ, ut dictum est. At de hoc nullus in hac vita omnino certus esse potest, nisi ex speciali revelatione divina, ut illi quibus a Domino dictum est : *Remittuntur, vel remissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* IX; *Luc.* V *et* VII). Quin etiam culpa non vacat id curiosius quam par est investigare, quemadmodum respondit D. Gregorius nobili cuidam feminæ ex imperatoris aula, quæ id ab eo obnixe quæsierat : *Rem*, inquit (*Lib.* VI *epist.* 186), *inutilem postulasti, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis; quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus apostolus jam ad tertium cælum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret* (II *Cor.* XII), *et tamen adhuc trepidans dicebat : Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (1 *Cor.* IX). *Adhuc timet, qui jam ad cælum ducitur, et jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur. Perpende, filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. Habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim : Beatus vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII); *et rursus scriptum est : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II). *In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exsultet.* Hæc Gregorius. Quæ quamvis ita se habeant, solent tamen Patres (*Bern. Rossignol. de disciplin.*; *Christ. perfect. l.* I *cap.* 11) ad consolationem pœnitentium, veræ conversionis et remissionis peccatorum signa quædam indicare, ut ex iis quisque conjiciat in quo statu sit, et quadamtenus se, ut potest, deprehendat : quæ etiam illud emolumentum afferunt, ut animam pœnitentis accendant ad id optandum et consequendum, quod fortasse nondum adeptus est in hac cum Deo reconciliatione. Hæc autem signa a SS. Basilio et Bernardo discere possumus. S. Basilius sic habet (*In Reg. Brev. inter.* 269) : *Hac ratione persuaderi potest animæ cuipiam quod a peccatis libera sit et expurgata, si quis in seipso affectionem illam similem David inesse animadverterit, apud quem est : Iniquitatem odio habui et abominatus sum* (*Psal.* CXVIII). *Secundo aut assecutum se præceptum illud Apostoli, qui dixit : Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam* (*Coloss.* III); *ut vere dicere possit : Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam* (*Psal.* CX). *Tertio, porro quis intelligit se in hujusmodi affectione positum, si etiam adversus peccatores admirabilem et horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut David, apud quem est : Vidi prævaricantes, et tabescebam* (*Psal.* CXVIII); *Apostoli vero, qui ait : Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (I *Cor.* XI)? Et infra : *Quandocumque igitur quis vel in suis vel in alienis peccatis eo modo quo supra diximus animo affectum se animadverterit, tum credat se liberum a peccato.* S. Bernardus vero sic (*Serm. de* 4 *modis orandi*) : *At fortasse quæras unde aut quomodo nosse poteris utrum hanc consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conservandæ humilitatis gratia divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse.* Et post pauca : *Tunc ait Dominus paralytico : Surge, tolle lectum tuum, et ambula* (*Matth.* IX). *Et tu ergo,* 1° *si jam surgis desiderio supernorum;* 2° *si grabatum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus, sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud et ferat quo non vult;* 3° *si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ ante sunt extendens desiderio et proposito proficiendi* (*Philip.* III); *curatum te esse non dubites : neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleviatum; et nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est.* Ita D. Bernardus.

neglexerit assequitur, nisi qui gemitus atque suspiria mœsta jugitate continuans omnem sordium pristinarum excoxerit labem, et virtute animi atque opere proclamaverit ad Deum : *Delictum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meam non operui* (*Psal.* XXXI). Et *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI); ut consequenter mereatur audire : *Quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus* (*Jerem.* III). Illud quoque similiter ad eum voce Domini dirigatur, *Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua* (*Isa.* XLIV). Et iterum : *Ego sum qui delco iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum jam non recordabor* (*Isa.* XLIII). Et ita funiculis peccatorum suorum, quibus unusquisque constringitur (*Prov.* V), absolutus Domino cum omni gratiarum actione cantabit : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV).

CAPUT VIII.

Multis modis ad peccatorum expiationem perveniri posse.

Post illam namque [a] generalem baptismi gratiam, et illud [b] pretiosissimum martyrii donum, quod sanguinis ablutione conquiritur, [c] multi sunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim tantum simplici illo pœnitentiæ nomine salus æterna repromittitur, de quo beatus apostolus Petrus (*Actor.* III) : *Pœnitemini*, inquit, *et convertimini, ut deleantur peccata vestra*. Et Joannes Baptista, vel ipse Dominus (*Matth.* III *et* IV) : *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum*. Sed etiam per charitatis affectum peccatorum moles obruitur : *Charitas enim operit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV). Similiter etiam per eleemosynarum fructum vulneribus nostris medela præstatur; quia *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccles.* III). Ita etiam per lacrymarum profusionem conquiritur ablutio peccatorum : *Lavabo* enim *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*; denique subjungit, ostendens eas non inaniter fuisse profusas : *Discedite*, inquiens, *a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei* (*Psal.* VI). Nec non per criminum confessionem eorum abolitio conceditur : *Dixi* enim, ait, *Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Et iterum : *Narra tu iniquitates tuas primus, ut justificeris* (*Isai.* XLIII). Per afflictionem quoque cordis et corporis, admissorum scelerum remissio similiter obtinetur. Nam *vide*, inquit, *humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* XXIV). Præcipueque per emendationem morum : *Auferte*, inquit, *malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Qua scilicet plena et perfecta confertur remissio omnium peccatorum (*Concil. Trident. sess.* 5, *c.* 5) : plena quidem, quia omnia, quantumvis multa et enormia, condonantur; perfecta vero, quia unumquodque eorum perfecte remittitur absque ulla pœnæ alicujus in futuro sæculo luendæ reservatione. Quam baptismi gratiam prænuntiavit Ezechiel (*Cap.* XXXVI) illis verbis : *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*. Quem locum citans Hieronymus in epistola ad Oceanum : *Ab omnibus*, inquit, *mundabo vos sordibus; in omnibus, nihil prætermittit*. Et in eamdem sententiam subdit illud Micheæ VII : *Ipse demerget iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra*.

[b] Martyrium supplere vicem baptismi in non renatis, constans est Ecclesiæ traditio a Gratiano relata (*De Consecrat. dist.* 4, *c. Baptismi*; *Basil. l. de Spiritu S.*); unde et *baptismus sanguinis* appellatur, et martyres in suo sanguine baptizari dicuntur. Hinc D. Augustinus XIII de Civit. cap. 7 : *Quicumque*, inquit, *etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit* (*Joan.* III) : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum, alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit* (*Matth.* VIII) : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Et alio loco* (*Luc.* IX) : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Hinc est quod scriptum est* (*Psal.* CXV), *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut etiam delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui cum mortem differre non possent, baptizati sunt, deletisque omnibus peccatis ex hac vita emigrarunt, quanti sunt hi qui mortem differre cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire hanc vitam, quam eum negando ad ejus baptismum pervenire*. Ita Augustinus D. item Cyprianus in epistola ad Jubaianum, catechumenos martyres dicit *baptizari gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo, de quo Dominus in Evangelio dicebat habere se aliud baptisma baptizari* (*Luc.* XII). Quam doctrinam de baptismo sanguinis, ut ibidem annotat Pamelius, sumpsit Cyprianus ex Tertulliano lib. de Baptismo (*Cap.* 16), ubi ait : *Est quidem nobis etiam secundum lavacrum, unum et ipsum, sanguinis scilicet, de quo Dominus : Habeo, inquit, baptismo tingi, cum jam tinctus fuisset*. Et infra : *Hic est baptismus, qui lavacrum et non acceptum repræsentat, et perditum reddit*. Meminit ejusdem baptismi sanguinis D. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum (*Cap.* 3), auctor libri de Ecclesiæ Dogmat. cap. 74, Prosper sententia 146. Eadem de re latius D. Bernardus epist. 77, et Gratianus de Consecr. dist. 4 cap. *Baptismi vicem*.

[c] Pœnitentiæ fructus vocat non ipsos pœnitentiæ effectus; sed opera pœnalia et satisfactoria, seu quæcumque externa signa ex quibus vera *animi* pœnitudo cognosci potest, ut sunt lacrymæ, jejunia, peccatorum confessio, bona opera præteritis peccatis contraria, de quibus dicitur Matth. III : *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ*. Unde titulus huic cap. a Ciaconio et aliis ascribitur : *De diversis pœnitentiæ fructibus*. Multa autem hujusmodi operum genera hic recenset, quæ passim in Scripturis commendantur, ut media ad Deum nobis propitiandum, et veniam peccatorum obtinendam utilissima, non quod singula per se et seorsim ad hoc sufficiant, sed simul et cum aliis requisitis conjuncta et adhibita, ut alias dictum est (*Ad collat.* 9 *cap.* 21); in quibus præcipuum locum obtinet sacramenti pœnitentiæ, et absolutionis, sacramentalis susceptio, aut ejus votum, quod in ipsa conversione ad Deum et contritione cordis includitur.

agere perverse, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, et venite et arguite me, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra ut coccinum, velut nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (*Isai.* I). Interdum etiam intercessione sanctorum impetratur venia delictorum. *Qui* enim *scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat et dabit ei vitam Deus peccanti non ad mortem* (I *Joan.* V). Et iterum: *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum; et allevabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei* (*Jacobi* V). Nonnumquam etiam misericordiæ ac fidei merito labes excoquitur vitiorum, secundum illud: *Per misericordiam et fidem purgantur peccata* (*Proverb.* XV). Per conversionem plerumque et salutem eorum qui nostris monitis ac prædicatione salvantur. *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvat animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (*Jacobi* V). Per indulgentiam nihilominus et remissionem nostram, ad indulgentiam nostrorum facinorum pervenitur: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra* (*Matth.* VI). [a] Videtis ergo quantos misericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris, ut nemo salutem cupiens, desperatione frangatur, cum videat se tantis ad vitam remediis invitari. Si enim pro infirmitate carnis afflictione jejuniorum abolere te

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Antonius hujus capitis summam suo more prosecutus, ad hujus periodi finem sistendum existimavit, et ne qua ex prædictis erroris occasio suboriri posset, suam sententiam explicationemque interposuit, quam et hic attexere nec lectori ingratum, nec inutile duxi. Sic igitur ipse (*In Chron. p.* II, *c.* 2, *tit.* 1, § 19): *Oportet*, inquit, *sane hoc intelligere. Nam peccatum quandoque dicitur culpa ipsa vel offensa, quandoque pœna debita pro peccato. Et quantum ad culpam, principaliter et effective solus Deus indulget. Ego solus, ait per Isaiam* (*Cap.* XLIII), *deleo iniquitates tuas. Et Augustinus: Nemo dimittit peccata, nisi Christus, qui est Agnus Dei tollens peccata mundi* (*Joan.* I), *etc. De Consecrat. dist.* 4 *c. Nemo. Ex parte autem peccatoris sola contritio, mediante gratia, secundum illud Ezechielis* (*Cap.* XVIII): *In quacumque die peccator conversus fuerit, et ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor, ait Dominus. Quantum vero ad pœnam temporalem debitam pro peccatis, sic omnia prædicta valent ad remissionem peccatorum, id est, pœnarum debitarum pro peccatis. Et hoc intelligendum si fiant in statu gratiæ: nam facta in mortali, ad illud non valent, sed dispositive ad remissionem mortalium, id est, ut per illa quis disponatur et habilitetur ad gratiam et veram contritionem, ut dicitur de pœnitentia dist.* 5 *c. Falsas. Et infra, inquit Pinuphius: Si verecundia retrahente, revelare ea coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere ei* (*Psal.* L): *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. Et hoc etiam sane intelligendum, quia postquam emanavit illa Decretalis: Omnis utriusque de pœnitent, et remiss. necesse est confiteri, si habet copiam* (supple confessarii) *et potest. Tempore autem Joannis Cassiani erat in opinione talis materia, videlicet si est necessaria confessio fienda sacerdoti? vel potest hoc intelligi de publica confessione, quæ fiebat a religiosis ad mortificationem.* Hactenus S. Antoninus, sententiam Cassiani more scholastico explanans; in qua tamen explicatione Petrus Maturus, maturo judicio et insigni eruditione vir, nonnulla observavit quæ clariori et exactiori explicatione indigerent, quam et suis hisce verbis ascripsit: Quamquam hoc Cassiani caput pie admodum D. Antoninus interpretetur, nonnulla tamen his addenta duxi, ut magis fidei catholicæ veritas elucescat. Primum igitur certum est solum Deum auctoritate sua peccati remittendi habere potestatem: sed et illud in confesso est sacramenta novæ legis, sacerdotesque ipsa conferentes, gratiam conferre, et peccata remittere, tamquam causas secundas et instrumentales, ut, post D. Augustinum sup. Joan. tract. 80 et lib. XIX contra Faustum cap. 16, tradit D. Thomas in III part. q. 62 a. 1 et 4 et in IV dist. 1 q. 1 a. 4 et q. 2, et D. Antoninus in IV part. Sum. tit. 14 c. 2 § 1, et Sotus in IV dist. 1 q. 3 a. 1 et dist. 20 q. 2 a. 1. Quod etiam in concilio Floren. in doctrina de sacramentis, et in Tridentino sess. 6. c. 7 et 14 et can. 6, 7 et 8, definitum est. Quod vero adjungitur, solam contritionem ex parte peccatoris, remittendi peccati vim habere, id etiam verum est; sed huic contritioni confitendi satisfaciendique propositum adsit, necesse est, ut tradit ipse D. Antoninus in III part. hujus operis cap 7 § 3 et in III part. Sum. tit. 14 c. 18, et Sotus in IV dist. q. 1 a. 1, et Cajetan. opusc. 17; quod etiam a concilio Trident. definitum est sess. 6 c. 14 et sess. 14 c. 4. Cum vero postea subjungit (D. Antoninus), post decretalem: *Omnis utriusque sexus,* confessionem fuisse necessariam, non sic est accipiendum, quasi confessio sacramentalis ab illo solum tempore fuerit necessaria, vel tum primum instituta. Nam illa est de jure divino, a Christo videlicet instituta, et semper in Ecclesie observata, ut indicat D. Thomas in III part. q. 64 a. 2 et in Supplem. q. 6 a. 2, et diserte probat Sotus in IV dist. 18 q. 1 a. 1; quod definitum est in concilio Trident. sess. 7 can. 1 et sess. 14 can. 3. Vide etiam Vegam de Justificatione lib. XIII cap. 28. Cæterum celeberrima illa decretalis. nihil aliud quam tempus, in quo mandatum illud Christi sit adimplendum, præfinivit. Sicut enim absurdum est dicere communionem sacram in hac ipsa decretali institutam fuisse, quamvis ea communicandi tempus statuerit: sic sane a vero abhorret asserere in sacram tunc fuisse institutam confessionem, quamvis ibi tempus confitendi fuerit determinatum. Quod item decretum est in concilio Trident. sess. 14 cap. 5 et cap. 8. Quod denique addit D. Antonius tempore Cassiani in opinione fuisse talem materiam, intelligendum non est de secreta apud sacerdotem confessione. Numquam enim de ea apud catholicos dubium fuit quin ea esset ad salutem necessaria: sed hoc ad confessionem publicam, et quasi theatricam est referendum, ut ait etiam D. Antoninus, quam paulo ante a Nectario Constantinopolitano episcopo Constantinopoli abrogatam fuisse Sozomenus tradit lib. IX Historiæ Tripart. cap. 36. Quare quæcumque hæretici ex D. Chrysostomo colligunt contra sacram peccatorum confessionem, de secreta apud sacerdotem non sunt intelligenda, sed de publica et de ea quæ fiebat in conspectu totius populi, ut aperte docent Sixtus Senen. lib. V Biblioth. Annot. 175 et Vegas de Justificatione lib. XIII cap. 29; de eadem quoque confessione publica intelligenda esse Cassiani verba, satis hæc sequentia indicant: *Qui scilicet Deus et absque ullius verecundiæ publicatione curare, et sine improperio peccata donare consueverit.* Ubi hæc notantur, quæ in publica manifestatione peccatorum, non autem in secreta confessione eveniunt: Hucusque Maturi annotatio ad S. Antoninum: quæ tamen ad hunc Cassiani locum sane intelligendum æque pertinet. Sed vide cætera in sequenti nota.

peccata non posse causaris, nec potes dicere : *Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea immutata est propter oleum* (*Psal.* CVIII) ; *quia cinerem tamquam panem manducabam, et poculum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI) : eleemosynarum ea redime largitate. Indigenti si non habes quod impartias (licet nullum ad hoc opere necessitas inopiæ ac paupertatis excludat, quandoquidem et illius viduæ duo tantum æra ingentibus divitum muneribus præferuntur (*Luc.* XXI), et pro calice aquæ frigidæ mercedem se redditurum Dominus (*Matth.* X) repromittit), certe absque illis morum poteris emendatione purgari. Quod si perfectionem virtutum exstinctione vitiorum omnium non potes adipisci, sollicitudinem piam erga utilitatem alienæ salutis impende. Si autem te idoneum huic ministerio non esse conquereris, operire peccata poteris charitatis affectu. In hoc quoque si te fragilem fecerit quælibet mentis ignavia, oratione saltem atque intercessione sanctorum remedia vulneribus tuis humilitatis affectu submissus [subnixus] implora. Postremo quis est qui non possit suppliciter dicere : *Peccatum meum cognitum tibi feci, et injustitiam meum non operui* (*Psal.* XXXI)? ut per hanc confessionem etiam illud confidenter subjungere mereatur, *Et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Ibid.*). Quod [a] si verecundia retrahente revelare coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt confiteri ea jugi supplicatione non desinas, ac dicere, *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper ; tibi soli peccavi, et malum coram te feci* (*Psal.* L) ; qui et absque illius verecundiæ publicatione curare, et sine improperio peccata donare consuevit. Post istud quoque tam promptum certumque subsidium, aliud quoque adhuc facilius largita est nobis divina dignatio, ipsamque remedii opem nostro commisit arbitrio, ut indulgentiam nostrorum scelerum pro nostro præsumamus affectu, dicentes ei : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). Quisquis igitur ad indulgentiam suorum criminum desiderat pervenire, istis semetipsum aptare studeat instrumentis, nec obdurati cordis pervicacia a remedio salutari fontem tantæ pietatis avertat ; quia etiamsi hæc omnia fecerimus, non erunt idonea ad expiationem scelerum nostrorum, nisi ea bonitas Domini clementiaque deleverit, [b] qui cum religiosi conatus obsequia supplici mente a nobis oblata perspexerit, exiguos parvosque conatus immensa liberalitate prosequitur, dicens : *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum jam non recordabor* (*Isai.* XLV). Ad hunc ergo quem prædiximus statum quisquis conscenderit, satisfactionis gratiam quotidianis jejuniis et mortificatione cordis et corporis assequetur : quia, sicut scriptum est, *sine sanguinis effusione non fit remissio* (*Hebr.* IX). Nec immerito. *Caro enim et sanguis regnum Dei possidere non possunt* (I *Cor.* XV). Et ideo quisquis ab hujus sanguinis effusione gladium spiritus, quod est verbum Dei, voluerit inhibere, absque dubio illa Jeremiæ prophetæ maledictione plectetur. Nam [c] *maledictus*, inquit,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Similes sententiæ passim apud Chrysostomum Cassiani doctorem et magistrum leguntur, quibus hæretici adversus confessionem sacramentalem abutuntur. Homil. 2 in psalmum L : *Peccata tua dicito, ut deleas illa : si confunderis alicui dicere quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico, ut confitearis conservo tuo, sed dicito Deo qui curat ea.* Et Homil. 4, de Lazaro : *Cur igitur*, inquit, *pudescis et erubescis confiteri peccata tua? cave enim homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conservo confiteris, ut in publicum proferat, sed ei qui Dominus est, qui medicus est, ostendis vulnera tua, neque enim ignorat, etiamsi ei non dixeris*, etc. Porro hæc et similia tum Chrysostomi, tum Cassiani dicta, non esse intelligenda de secreta et sacramentali confessione in qua homo confitetur homini, non ut homini, sed ut Deo, id est, Dei vicario, sed de publica et theatrali, quæ publice fiebat ab iis qui publicam pœnitentiam agebant, annotant Cuychius et Ciaconius, post Magistrum Sententiarum in quarto, dist. 17, ubi postquam dixisset peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, subdit : *Illud Joannis Chrysostomi superius positum non est ita intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit, ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, et semel, nec oportet publicari coram multis quod occultum est. Quod notavit dicens : Non tibi dico, ut te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico egeŕ remedio, ita et occulta secreta confessione et occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est ut quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur ; sed lingua cordis, non carnis, apud verum Judicem id jugiter confiteri debemus.* Sic ille. De hac igitur confessione interna, quæ Deo primum facienda est, loquitur hic Pinufius : quæ tamen confessionem externam et sacramentalem non excludit, sed ad eam dirigitur, ejusque votum seu propositum includit ac supponit.

[b] Redolet hæc sententia eumdem sensum et intellectum quem aliæ similes in collatione decima tertia prolatæ et refutatæ (*Cap.* 7, 8, 9, 13). Proinde sanius interpretanda et admittenda, aut similiter cum illis explodenda. Admittenda quidem, si de conatibus hominis justificati, et per gratiam operantis vel pœnitentis ex præveniente Dei gratia excitatis, intelligatur ; explodenda vero, si de conatibus aut viribus solius liberi arbitrii, seclusa gratia præveniente et excitante, qui nihil ad gratiam et salutem per se conferre possunt. Verissima enim est D. Bernardi sententia dicentis (*Lib. de Gratia et Lib. Arbitr.*) : *Conatus liberi arbitrii et cassi sunt si non adjuventur, et nulli si non excitentur.*

[c] Hæc sententia præter litteralem sensum, *qui huc* non facit, duobus modis secundum tropologiam a Patribus exponitur. Priori modo, quem hic Cassianus sequitur, maledictus Deoque invisus dicitur qui prohibet vel subtrahit gladium suum a sanguine, id est, qui hostes suos, affectus pravos, mortificationis gladio non cædit, non resecat, sed vivere patitur et dominari, nec Apostoli monitis acquiescit dicentis : *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Coloss.* III). Item : *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam* (*Gal.* II), etc. Et rursum : *Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum Jesum, et carnis curam ne feceritis in desideriis* (*Rom.* XIII). Altera expositio superiores tangit, qui subditorum peccata et excessus gladio disciplinæ

qui prohibet suum gladium a sanguine (*Jer.* XLVIII). Hic namque est gladius qui illum noxium, sanguinem, qua animatur materia peccatorum, salubriter fundens, quidquid repererit in membris nostris carnale terrenumve concretum, resecat et abscindit, ac mortificatos vitiis vivere Deo et spiritalibus facit vigere virtutibus; et ita jam non recordatione veteris admissi, sed spe futurorum gaudiorum flere incipiet; nec tam de præteritis malis quam de venturis cogitans bonis, non ex peccatorum mœrore lacrymas, sed ex æternæ illius lætitiæ alacritate profundet, atque obliviscens ea quæ posteriora sunt, id est, carnalia vitia, ad ea quæ in ante sunt extendetur, hoc est, spiritalia dona atque virtutes.

CAPUT IX.

Quod utilis sit perfectis oblivio peccati, et quod flagitiorum recordatio sit vitanda.

Cæterum quod paulo ante dixisti, te etiam de industria præteritorum peccatorum memoriam retractare, [a] hoc fieri penitus non oportet, quinimmo etiamsi violenter irrepserit, protinus extrudatur. Multum namque retrahit mentem a contemplatione puritatis, ejus præcipue qui in solitudine commoratur, implicans eam sordibus mundi hujus, et præfocans fetore vitiorum. Dum enim recolis ea quæ secundum principem sæculi sive per ignorantiam sive per lasciviam commisisti, ut concedam tibi quod in hac cogitatione posito oblectatio nulla subrepat, certe antiquæ putredinis vel sola contagio necesse est ut tetro mentem fetore corrumpat, et spiritalem virtutum fragrantiam, id est, suavitatem boni odoris excludat. Cum ergo præteritorum memoria vitiorum pulsaverit sensum, ita ab ea resiliendum est, sicut refugit vir honestus et gravis, si impudicæ ac procacis feminæ in publico aut colloquiis aut amplexibus appetatur. Qui utique nisi se a contactu ejus festinus abstraxerit, et vel brevissimam moram inhoneste confabulationis admiserit, etiamsi consensum impudendæ respuat voluptatis, infamiæ tamen ac reprehensionis notam cunctorum prætereuntium judicio non evadet. Ita igitur etiam nos oportet cum fuerimus in hujusmodi cogitationes pestifera recordatione deducti, raptim ab earum contemplatione discedere, et implere illud quod a Salomone præcipitur: *Sed*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

corrigere et castigare negligunt, eisque segniter indulgent aut dissimulant. Ita D. Gregorius in Pastorali (*Cap.* 26): *Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo tempore committerent. Quanta ergo culpa involvantur, aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare negligunt ea sectione verborum? Unde et bene per prophetam dicitur: Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jerem.* XLVIII). *Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur: Et gladius meus manducabit carnes* (*Deuter.* XXXII). Et Petrus Damiani (*Lib.* IV *epist.* 3): *Ille,* inquit, *gladium compescit a sanguine, qui peccata delinquentium negligit vindicare.*

[a] Nempe præteritorum, ut ante dixit, peccatorum memoriam retractare. Quod de peccatis carnalibus et venereis intelligendum est, ut indicat etiam titulus hujus cap., qui tamen apud auctores nonnihil variat; nam Dionysius et Ciaconius habent: *Quod utilis sit perfectis oblivio peccati, et quod flagitiorum recordatio sit vitanda.* Cuychius vero, secundum editionem Plantinianam et Basileensem: *Quod utilis sit profectus oblivio peccati, et quod flagitiorum recordatio sit vitanda,* ubi sane *profectus* redundare videtur, cum absque eo planior et plena sit sententia: *Quod utilis sit oblivio peccati,* etc., quasi diceret non cujusvis peccati, sed flagitiorum, ut statim exponit. Flagitia siquidem proprie dicuntur, non quælibet vitia, sed præcipue peccata carnis aut luxuriæ, quia turpia, servilia, et flagris digna. Unde Cicero in Catone *Stupra,* ait, *et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis.* Et in II de Finibus, flagitiosas vocat libidines. Hujusmodi porro peccata, non resistendo, ut alia vitia, sed fugiendo, hoc est, eorum recordationem et cogitationem penitus excludendo vincuntur, ut alias sæpe dictum est (*Collat.* 19 *cap.* 16), et patet ex toto contextu hujus capitis. Hujusmodi ergo præteritorum seu diu commissorum peccatorum memoriam retractare ac revolvere non expedit; quia quo magis cogitantur et revolvuntur in particulari, eo majorem afferunt vitiosæ libidinis et voluptatis illecebram, et incentivum, aut certe periculum, ut docet S. Thomas nuper in hoc argumento citatus. Quam doctrinam confirmant etiam alii Patres in his collationibus disserentes, pluribus in locis, e quibus hæc præcipue notanda. Abbas Serapion collat. 5 cap. 4: *Puritati,* inquit, *studentibus plurimum confert ut harum carnalium passionum materias ipsas sibi primitus subtrahant, quibus potest vel occasio vel recordatio earumdem passionum ægrotanti adhuc animæ generari. Necesse est enim ut morbo duplici duplex adhibeatur curatio. Nam corpori, ne concupiscentia in effectum tentet prorumpere, necessario effigies et materia subtrahenda est; et animæ nihilominus, ne eam vel cogitatione concipiat, attentior meditatio Scripturarum, et sollicitudo pervigil, ac remotio solitudinis utiliter apponenda.* Item abbas Joannes collat. 19 c. 16: *Contra fornicationis spiritum diversa ratio* (supple certandi) *et dispar est causa. Nam quemadmodum corpori usus libidinis carnisque vicinitas, ita etiam menti memoria ejus est penitus subtrahenda. Satis enim perniciosum est, adhuc infirmis ægrisque pectoribus vel tenuissimam recordationem hujus passionis admittere,* etc. Hæc illi, quibus non repugnat quod superius docuit Auctor, sive abbas Pinufius (*Collat.* 20 *cap.* 7), pœnitentiam agentibus non modo utilem, sed et necessarium esse peccatorum recordationem, ut cum jugi pectoris sui contusione proclamant: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L), ubi plura hac de re notavimus. Utilis enim est peccatorum recordatio, ut quis admissa defleat et puniat; non ita tamen ut in eorum assidua aut diutina cogitatione, seu imaginatione, seu revolutione, immoretur. Quod præcipue locum habet in peccatis carnalibus, ut dictum est, idque tam quoad viros perfectos, qui longa pœnitentia præteritæ vitæ maculas absterserunt, quam quoad imperfectos et imbecilles, sed diversa ratione. Nam imperfectis quidem noxia est recordatio ejusmodi peccatorum, ut ex dictis patet, ob fragilitatem naturæ corruptæ et periculum vitiosæ oblectationis. De talibus enim potissimum loquitur apostolus Jacobus, cum ait: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (*Jac.* I). Perfectis vero, aut proficientibus, cum hac occasione a contemplationis dulcedine, orationis fervore et fiducia aliisque sanctioribus exercitiis abstrahuntur; quod præcipue spectasse videtur abbas in hoc capite, et præ se fert titulis ille a Dionysio et aliis præfixus.

[a] *exili* [*Lips. in marg.* exi], inquit, *noli demorari in* A *loco ejus, neque intendas oculo tuo in eam* (*Prov.* v); ne videntes nos angeli immundis ac turpibus cogitationibus involutos, non possint de nobis prætereuntes dicere : *Benedictio Domini super vos, benedixímus vobis in nomine Domini* (*Psal.* CXXVIII). Impossibile namque est mentem bonis cogitationibus immorari, cum [b] principale cordis ad turpes atque terrenos intuitus fuerit devolutum. Vera est enim illa Salomonis sententia : [c] *Oculi tui cum viderint alienam, os tuum tunc loquetur prava, et jacebis tamquam in corde maris, et sicut gubernator in magna tempestate ; dices autem : Ferierunt me, sed non dolui; et deluserunt me, ego autem nescivi* (*Prov.* XXIII). Derelictis autem non solum turpibus, sed etiam terrenis cogitationibus universis, erigenda est semper ad cœlestia nostræ mentis intentio, secundum Salvatoris nostri sententiam. *Ubi enim ego sum,* inquit, *illic et minister meus* B *erit* (*Joan.* XII). Solet enim frequenter accidere ut dum vel suos vel aliorum lapsus imperitorum quispiam miserantis retractat affectu, ipse etiam subtilissimi teli voluptario perstringatur assensu; et initium sub specie pietatis exortum, obsceno ac noxio fine concludit. [d] *Sunt* enim *viæ quæ videntur hominibus rectæ, novissima autem earum venient in profundum inferni* (*Prov.* XVI). Quapropter studendum est nobis ut virtutum potius appetitu et desiderio regni cœlorum, quam noxiis vitiorum recordationibus, nosmetipsos ad compunctionem laudabilem provocemus, quia ne- C cesse est tamdiu quempiam pestilentissimis cloacæ fetoribus præfocari, quamdiu supra eam stare vel cœnum ejus voluerit commovere.

CAPUT X.

De satisfactionis indicio, et oblivione præteritorum criminum.

[e] Noverimus autem nos, ut sæpe diximus, tunc demum pro præteritis satisfecisse peccatis, cum ipsi motus atque affectus per quos pœnitenda commisimus fuerint de nostris cordibus amputati. Quod tamen nullus obtinere posse se credat, qui non prius ipsas causas atque materias pro quibus in illa collapsus est crimina omni spiritus fervore succiderit; ut, verbi gratia, si in fornicationem vel adulterium perniciosa feminarum familiaritate collapsus est, summa festinatione etiam ipsum earum devitet aspectum; aut certe, si per abundantiam vini epularumque est nimietate succensus, illicitam ciborum crapulam summa districtione castiget. Et rursum, si in perjurium, aut furtum, aut homicidium, aut blasphemiam, pecuniarum desiderio atque amore corruptus incurrit, materiam avaritiæ illectricem suæ deceptionis abscindat. Si in iracundiæ vitium superbiæ passione propellitur, arrogantiæ ipsius fomitem summa humilitatis virtute convellat. Et ita ut unumquodque peccatum possit exstingui, causa atque occasio per quam vel ob quam admissum est debet primitus amputari. Isto etenim curationum remedio, ad oblivionem quoque admissorum criminum sine dubio pervenitur.

CAPUT XI.

Venialium peccatorum non debet nos capere oblivio, sed mortalium dumtaxat.

Verum ista prædictæ oblivionis definitio [f] super capitalibus tantum sit criminibus constituta, quæ Mosaica quoque damnantur, quorum sicut per conversationem bonam abjiciuntur vel consumuntur affectus, ita etiam accipit pœnitentia finem. Cæterum [g] ab istis minutis in quibus septies justus cadit,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Textus Vulgatus : *Longe fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus ejus* (*Prov.* v). Ubi D. Hieronymus hæc habet : *Et Apostolus ait : Fugite fornicationem* (I *Cor.* VI), *quia nimirum primum hujus vitii remedium est longe ab eis fieri quorum præsentia vel allicit, vel cooperatur ad vitium. Sed et ab hæreticorum auditu segregari infirmis auditoribus prodest.*

[b] Id est, mentem, seu cogitationem, de quo vide annotationem ad collat. 7 cap. 12.

[c] Vulgata versio : *Oculi tui videbunt extraneas, et cor tuum loquetur perversa; et eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices : Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me, et non sensi.* In quem locum Ven. Beda : *Vox,* D ait, *percussi et dormientis exprimitur. Mens quippe a cura sollicitudinis dormiens verberatur, et non dolet, quæ sicut imminentia mala non prospicit, sic nec quæ perpetraverat agnoscit. Trahitur, et nequaquam sentit, qui per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Qui quidem evigilare optat ut vina rursum reperiat; quia quamvis somno stuporis a sui custodia prematur, vigilare tamen ad curas sæculi nititur, ut semper voluptatibus ebrietur; et cum ad illud dormiat in quo solerter vigilare debuisset, illud appetit ad quod laudabiliter dormire potuisset.* Hactenus Beda.

[d] Citatur hæc sententia collat. 1 cap. 20, ubi etiam aliquid notavimus.

[e] Cap. 5 : *Indicium satisfactionis et indulgentiæ est, affectus quoque eorum de nostris cordibus expulisse. Noverit enim unusquisque necdum se peccatis pristinis absolutum, quamdiu sibi satisfactioni et gemitibus incubanti vel illorum quæ gemit vel similium criminum ante oculos imago præluserit, eorumque non dicam oblectatio sed vel recordatio infestaverit mentem.* Et infra : *Tum demum præterita nobis vitiorum contagia remissa esse credenda sunt, cum fuerint de corde nostro præsentium voluptatum desideria pariter passionesque depulsæ.* Quæ quomodo intelligi debeant, vide ibidem notatum.

[f] Id est, de peccatis mortalibus. Potest ex hoc cap. probari distinctio peccati mortalis, quod crimen vocatur, et venialis, sive delicti; quam Pelagius, et Jovinianus hæretici tollebant e medio. De qua D. Gregorius XXI Moralium (*Cap.* 9) : *Hoc,* inquit, *inter peccatum distat et crimen, quod omne crimen peccatum est, non tamen omne peccatum crimen est; et in hac vita multi sine crimine, nullus vero esse sine peccatis valet. In qua videlicet peccatorum et criminum distinctione pensandum est, quia nonnulla peccata animam polluunt, quam crimina exstinguunt.* Eadem fere D. Augustinus in Enchiridio (*Cap.* 64).

[g] Minuta a Patribus dicuntur peccata venialia, allusione quadam ad illud Lucæ XII : *Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.* Per novissimum enim minutum intelligunt Patres peccata levissima, ut sunt verba otiosa, pro quibus in carcere purgatorii satisfaciendum erit, nisi in hac vita purgata vel relaxata fuerint. D. Hieronymus in Matthæi cap. v . *Hoc est,* inquit, *quod dicit : Non egredieris de carcere, donec etiam minuta peccata per-*

ut scriptum est (*Prov.* XXIV), et resurgit, numquam deerit pœnitudo. Aut enim per ignorantiam, aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis, singulis diebus vel inviti, vel volentes frequentur incurrimus, pro quibus et David orans Dominum, purificationem atque indulgentiam deprecatur, dicens: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo* (*Ps.* XVIII). Et Apostolus: *Non enim quod volo facio bonum, sed quod odi malum, hoc ago* (*Rom.* VII). De quibus idem etiam ejulans exclamavit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Ibid.*). Tanta enim in his facilitate tamquam naturali lege prolabimur, ut quantalibet circumspectione atque custodia caveantur, [a] non possit ad plenum ista vitari; de istis siquidem unus discipulorum, quem diligebat Jesus, *solvas*. Augustinus serm. 41 de Sanctis: *Illo*, inquit, *transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem, non capitalia, sed minuta peccata purgantur.* Et infra: *Quibus* (peccatis minutis) *licet occidi animam non credamus, ita tamen eam, veluti quibusdam pustulis et quasi horrenda scabie replentes, deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis aut vix aut cum grandi confusione venire permittant.*

[a] D. August. lib. de Natura et Gratia cap. 36: *Excepta*, inquit, *sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quia concipere ac parere meruit eum quem* A abrupta definitione pronuntiat, dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et verbum ejus non est in nobis* (I *Joan.* I). Proinde perfectionis culmen pertingere cupienti non satis proderit ad finem pœnitentiæ pervenisse, id est ab illicitis temperare, nisi etiam in illis virtutibus indefesso cursu semetipsum semper extenderit quibus ad satisfactionis indicia pervenitur. Nec enim a fetidissimis criminum sordibus, quæ abhorret Dominus, quemquam abstinuisse sufficiet, nisi etiam illam bonam virtutum fragrantiam qua Dominus delectatur, puritate cordis et Apostolicæ charitatis perfectione, possederit. Hucusque abbas Pinufius de satisfactionis indicio ac pœnitentiæ fine disseruit. Qui licet ut in ejus cœnobio residere mallemus sollicito deprecare- B tur affectu, tamen fama Scythioticæ solitudinis invitatos, cum retinere non posset, emisit.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, cum hic viverent, congregare possemus, et interrogare utrum essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus, nisi quod Joannes apostolus: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. I). Ita Augustinus, cujus sententiam comprobavit Ecclesia in concilio Tridentino (*Sess.* 6, *c.* 22), canone in hæc verba edito: *Si quis dixerit hominem semel justificatum posse in tota vita sua peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Verum de his plura dicenda erunt collat. 22 cap. 9, et collat. 23 cap. 6 et sequentibus.

COLLATIO VIGESIMA PRIMA,

Quæ est prima abbatis Theonæ.

DE REMISSIONE QUINQUAGESIMÆ.

CAPUT PRIMUM.

Priusquam verba collationis hujus habita cum summo viro [a] abbate Theona incipiamus evolvere, necessarium reor ut initium conversionis ejus brevi sermone perstringam, quia ex hoc vel meritum viri vel gratia evidentius poterit patere lectori. Hic igitur, adolescens admodum, parentum studio imperioque C connexus est vinculo conjugali. Nam dum pudicitiæ ejus religiosa sedulitate prospiciunt, et ancipitem lapsum lubricæ verentur ætatis, præveniendos adolescentiæ motus licito nuptiarum remedio crediderunt. Cum ergo hic unius [b] lustri tempus cum conjuge peregisset, venit ad [c] abbatem Joannem, qui tunc temporis merito sanctitatis electus [d] diaconiæ

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De Theona, vel Theone, abbate dictum est ad coll. 2 c. 11, cujus exhortatione compunctus Serapion occultum gastrimargiæ vitium, quo laborabat, manifestavit, et insigni miraculo ab eo morbo curatus est. Agunt de eodem Palladius Lausia. 50, ubi eum virum sanctum vocat, et prophetiæ dono præditum, et triginta annorum silentium tenuisse scribit; Sozomenus lib. VI, cap. 28, et Historiæ Tripart. lib. VIII, cap. 1. Ascribuntur autem huic Theonæ tres collationes proxime sequentes: prima hæc, *de remissione Quinquagesimæ*, id est, relaxatione jejunii tempore paschali, ut vocamus, usque ad Pentecosten; altera, *de nocturnis illusionibus*; tertia, *de eo quod dicit Apostolus: Non enim quod volo bonum, hoc facio*, etc.

[b] Lustrum Isidoro est (*Lib.* V *Etymol.*) πενταετηρὶς, *id est, quinquennium, quod quinto anno dicitur condi*, inquit, *propter olympiadas.* (i. e. loco olympiadum) *a Romanis. Adhuc enim consules, adhuc era, nondum erant. Est enim quinquennale tempus. Ideo vero sic vocatur, eo quod censu in republ. peracto urbs Roma lustrabatur.* Sic ille. Varro lib. V: *Lustrum quinquennale tempus significat, et a luendo, hoc est, solvendo, deducitur, quod quinto quoque anno vectigalia et tributa solverentur, sive quod singulis quinquenniis civitates lustrarentur.* Quia igitur census ipse, sive lustrum, quinto quoque anno habebatur (quo temporis spatio apud Romanos censorum magistratus durabat), invaluit consuetudo ut lustri nomine spatium quinque annorum intelligatur, quod olympias apud Græcos dicitur, id est, quinquennium. Hinc D apud Sidonium (*Lib.* IX *epist.* 10) bilustre tempus, quod scholiastes decennium interpretatur.

[c] Illum, ut reor, de quo supra collat. 18, quæ ejus nomine inscribitur.

[d] Diaconiam hoc loco docet Baronius (*In Martyrol.* 8 *Augusti*) accipi pro ipsa œconomia, seu dis-

præsidebat. Non enim ad hunc gradum quilibet propria voluntate aut ambitione provehitur, sed is quem cunctorum seniorum cœtus ætatis prærogativa et fidei atque virtutum testimonio excellentiorem omnibus sublimioremque censuerit. Ad hunc, inquam, beatum Joannem cum piæ devotionis studio prædictus tunc juvenis advenisset, deferens religiosa munera inter cæteros possessores, qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant, videretque eos senex cum multis ad se muneribus confluxisse, et devotioni eorum vicissitudinem cuperet repensare, cœpit eis secundum Apostolum (I *Cor.* IX) spiritalia seminare, quorum metebat dona carnalia; denique ita sermonem adhortationis instituit.

CAPUT II.

Exhortatio abbatis Joannis ad Theonam et cæteros qui cum eo venerunt.

Delector quidem, o filii charissimi, pia vestrorum munerum largitate, et devotionem hujus oblationis, cujus dispensatio mihi credita est, gratanter amplector, quia fideliter primitias vestras ac decimas indigentium usibus profuturas velut sacrificium A Domino bonæ suavitatis offertis. Harum scilicet oblatione plenitudinem quoque fructuum universæque substantiæ vestræ, ex qua hæc Domino delibastis, ubertim benedicendam credentes, vosque secundum mandati illius fidem multiplici ubertate bonorum omnium etiam in hoc sæculo cumulandos : [a] *Honora Deum de tuis justis laboribus, et deliba ei de fructibus justitiæ tuæ, ut impleantur horrea tua abundantia tritici, vino autem torcularia tua redundent* (*Prov.* III). Quam devotionem fideliter exsequentes [*Lips. in marg.* assumentes], scitote vos legis antiquæ justitiam consummasse, sub qua tunc positi et transgredientes eam reatum inevitabiliter incurrebant, et implentes ad perfectionis apicem pervenire non poterant.

CAPUT III.

De decimarum et primitiarum oblatione.

Decimæ [b] siquidem præcepto Domini usibus Levitarum, [c] oblationes vero ac primitiæ erant sacerdotibus consecratæ (*Num.* V *et* XVIII); sed primitiarum hic erat modus, ut quinquagesima pars vel frugum vel animalium, templi vel sacerdotum ministerio præberetur (*Num.* III). Quem modum tepi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

pensatione monasterii. Dispensationem enim Latina voce idem munus appellat Cassianus Inst. lib. V cap. 40. At multo probabilius videtur accipi, sicut et coll. 18 c. 7 et rursus infra c. 8 et 9, pro collecta seu collectione pecuniarum et eleemosynarum quæ a populo diebus dominicis conferebantur in ecclesia, in usus monachorum et aliorum pauperum : quarum cura et dispensatio uni monacho a senioribus electo committebatur, ut monachorum et eremitarum qui per eremum dispersi erant, aliorumque egentium aut infirmorum necessitati provideret. Unde et œconomus dicebatur; hodie eleemosynarium vocamus. Id enim satis aperte significatur verbis sequentibus, cum dicitur : *Ad hunc beatum Joannem cum piæ devotionis studio prædictus tunc juvenis advenisset, deferens religiosa munera inter cæteros possessores qui certatim decimas vel primitias frugum suarum memorato seni de suis substantiis offerebant*, etc. Dicebantur autem hi tales exhibere aut deferre diaconiam, aut præsidere diaconiæ, quod idem erat, ac pauperibus erogando eleemosynas ministrare, aut, quod vulgo dicitur, mensæ pauperum præesse. Quo munere functi primum Hierosolymis septem primi diaconi ab apostolis ea occasione instituti (*Act.* VI), et Romæ S. Laurentius levita et martyr sub Sixto pontifice, et, si recentiora quæras tempora, Titus diaconus, cujus meminit D. Prosper in Chronico anno Domini 129 his verbis : *Titus diaconus vir sanctus Romæ pecunias pauperibus distribuens interfectus.* Vide cætera alibi notata (*Coll.* 18 *c.* 7) de diaconia.

[a] Ita enim ex Græco citat D. Hieronymus in Ezechielis cap. XLV. Vulgata autem lectio est : *Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum omnium tuarum da pauperibus* (*Prov.* III). Ubi idem Hieronymus : Multi multa pauperibus, sed de aliena substantia, ac frugibus, quas vi vel fraude rapuerunt, tribuunt. Multi largiuntur de suo; sed largiendo Dominum non honorant, quia favoris humani, et non amore superni inspectoris, faciunt. Qui ergo proficuum sibi eleemosynæ fructum fore desiderat, et de suis propriis, et in Conditoris honorem tribuat, ut scilicet homines, qui ejus plasma sunt, quique ad ejus imaginem sunt facti, recreentur. Non solum autem de substantia pecuniæ, quam pauperi porrigimus, sed de cunctæ bonæ operationis quam agimus, de] universæ cœlestis gratiæ quam percepimus, substantia vel frugibus Dominum honorare jubemur, hoc est, ejus in omnibus, et non nostram, quærere laudem. Sed et ille Dominum de sua substantia suarumque frugum primitiis honorat, qui omne quidquid boni operatur, non hoc suis viribus ac meritis, sed supernæ gratiæ tribuit, memor illius verbi : *Quia sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV).

[b] Numer. XVIII de levitis dicitur : *Nihil aliud possidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum et necessaria separavi.* Porro totus hic locus ex commentario D. Hieronymi in Ezechielis cap. XLV desumptus videtur, ubi quatuor genera decimarum distinguit : δεκάδα, inquit, *hoc est, decimam partem omnium frugum, Leviticæ tribui populus ex lege debebat. Rursum ex ipsis decimis levitæ, hoc est, inferior ministrorum gradus, decimas dabat sacerdotibus, et hæc est quæ appellatur* δευτεροδεκάδα. *Erant quoque et aliæ decimæ, quas unusquisque de populo Israel in suis horreis separabat, ut comederet eas cum iret ad templum, in urbe Jerusalem, et in vestibulo templi, et sacerdotes ac levitas invitaret ad convivia. Erant autem et aliæ decimæ, quas pauperibus recondebant, quæ Græco sermone appellantur* πτωχοδεκάδαι. *At vero primitiva* (id est, primitiæ) *quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offerentium arbitrio derelicta; traditionemque accepimus Hebræorum, non lege præceptam, sed magistrorum arbitrio inolitam : qui plurimum, quadragesimam partem dabant sacerdotibus; qui minimum, sexagesimam; inter quadragesimam et sexagesimam licebat offerri quodcumque voluissent. Quod igitur in Pentateucho dubium derelictum est, hic specialiter definitur propter sacerdotum avaritiam, ne amplius a populo exigant in primitiis deferendis, id est, ut sexagesimam partem offerant eorum quæ gignuntur e terra.* Hæc Hieronymus.

[c] Sicut ex decimis datis a laicis sacerdotibus decimæ sumebantur quæ principi sacerdotum a sacerdotibus inferioribus dabantur; ita fiebat de primitiis, et dicebantur istæ decimæ decimarum, et primitiæ primitiarum. Qui eas offerebat, dicebat : *Ecce nunc ego attuli tibi primitias frugum terræ, quas dedisti mihi, Domine.* Cui respondebatur : *Benedictus tu in civitate, et benedictus tu in agro. Benedicti filii uteri tui, et genimina terræ tuæ, et fructus jumentorum tuorum*, etc.

diores quique infideliter minuentes, religiosiores vero etiam cumulantes, illi ex sexagesima, hi autem ex quadragesima fructuum suorum parte pendebant. [a] Justi enim, quibus lex non est posita, sic probantur, non esse sub lege, ut justitias legis non solum implere, verum etiam superare contendant, sitque devotio eorum legali major imperio, quæ observantiam cumulans præceptorum voluntaria [*Lips. in marg.* voluntarie] addat ad debita.

CAPUT IV.

Quod Abraham, David et cæteri sancti mandata legis fuerint supergressi.

Ita namque et Abraham futuræ legis præcepta legimus supergressum, cum superatis quatuor regibus, de spoliis Sodomorum, quæ sibi velut victori non immerito debebantur, et quidem rege ipso cujus spolia retulerat suppliciter offerente, nihil penitus acquiescit attingere, sub divini nominis testificatione proclamans : *Extendo manum meam ad Deum excelsum, qui fecit cœlum et terram, si a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ accipiam ex omnibus quæ tua sunt* (*Genes.* XIV). Sic David præcepta legis cognoscimus supergressum, qui [b] præcipiente Mose ut inimicis talio redderetur, non solum hoc non fecit, verum etiam dilectione complexus est persequentes, et pro his Domino pie supplicans, etiam lugubriter flevit, et ultus est interfectos. Ita Eliam quoque et Jeremiam probamus non fuisse sub lege, qui cum licito uti conjugio absque reprehensione potuissent, [c] perseverare tamen virgines maluerunt. Sic Elisæum ac reliquos ejusdem propositi viros Mosaica legimus superasse mandata, de quibus Apostolus ita dicit : *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, egentes, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, et in montibus, et in speluncis, et in cavernis terræ* (*Hebr.* XI). [d] Quid de filiis Jonadab filii Rechab dicam, quos Jeremiæ prophetæ, offerenti ex præcepto Domini vinum, ita legimus respondisse : Non bibimus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster præcepit nobis, dicens : *Non bibetis vinum vos et filii vestri, usque in sempiternum, et domum non ædificabitis, et sementem non seretis, et vineas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris* (*Jerem.* XXXV). Unde etiam ab eodem propheta merentur audire : *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel : Non deficiet vir de stirpe Jonadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus* (*Ibid.*). Qui omnes offerre possessionum suarum decimas non contenti, sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potius Deo ac suas animas

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] *Lex*, ait Apostolus, *justo non est posita, sed injustis*, etc. (I *Tim.* I). Cujus sententiæ verum intellectum docet Augustinus (*Lib de Spiritu et Littera cap.* 10) petendum esse ex aliis similibus ejusdem Apostoli sententiis, ut est illa ad Rom. VI : *Non enim estis sub lege, sed sub gratia*; et cap. VII : *Nunc autem soluti sumus a lege, in qua detinebamur*; et ad Gal. V : *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quibus sententiis non significat Apostolus justos non teneri legibus, vel non peccare si legem non servent; sed non habere legem supra se, quasi cervicibus suis imminentem, et flagello terrentem ac minantem, ut habent injusti, qui timore tantummodo pœnæ legibus obtemperant. Operantur enim justi bonum amore justitiæ ac libenti animo, operaturi etiamsi lex non esset, aut nullam pœnam minaretur. *Unde ipsi sibi sunt lex, dum ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*, sicut Apostulus ad Rom. II dicit : *Unde in eos non habet lex vim coactivam, sicut habet in injustos*, ait S. Thomas (1-2, *q* 96, *a.* 5 *ad* 1). Quod et poeta eleganter expressit illis versibus :

> Oderunt peccare boni virtutis amore :
> Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Quocirca justi in lege potius esse dicuntur, quam sub lege, ut idem Apostolus de seipso ait (I *Cor.* IX) : *Factus sum iis qui sub lege sunt quasi sub lege essem* (*cum ipse non essem sub lege*), *et iis qui sine lege erant tamquam sine lege essem* (*cum sine lege Dei non essem, sed in lege essem Christi*). Hoc igitur sensu S. Thomas (*In Comment. et* 1-2, *q.* 93, *art.* 6) exponit justo non esse legem positam, id est impositam tamquam onus, quod eum premat metu et terrore supplicii, sive quoad vim coactivam, ut modo dictum est. Quomodo vero justos dicat Apostolus (*Gal.* V) non esse sub lege, idem explicat in hunc modum : *Illud verbum Apostoli potest intelligi dupliciter. Uno modo velut esse sub lege intelligatur ille qui nolens obligationem legis subditur, quasi cuidam ponderi. Unde glossa ibidem dicit quod sub lege est qui timore supplicii quod lex minatur, non amore justitiæ, a malo opere abstinet. Et hoc modo spirituales viri non sunt sub lege, quia per charitatem, quam Spiritus sanctus cordibus eorum infudit, voluntarie id quod legis est implent. Alio modo potest intelligi, in quantum hominis opera qui a Spiritu sancto agitur, magis dicuntur esse opera Spiritus sancti quam ipsius hominis : Unde cum Spiritus sanctus non sit sub lege, sequitur quod hujusmodi opera, in quantum sunt Spiritus sancti, non sunt sub lege.*

[b] Talionis legem non indixit Moyses singulis et privatis hominibus, ut Scribæ et Pharisæi perperam intelligebant; sed judicibus dumtaxat et magistratibus, ut alias dictum est (*Collat.* 8 *c.* 24), nimirum ut in judicandis et puniendis injuriis proximo illatis, et ad judicium deductis, hanc regulam et modum tenerent, et noxios pœna talionis punirent, vulnus pro vulnere, livorem pro livore, mortem pro morte irrogando; oculum pro oculo, dentem pro dente auferendo.

[c] Eliam, Elisæum, Jeremiam, aliosque in veteri Testamento virgines permansisse testatur etiam D Hieronymus in epist. ad Eustochium (*Epist.* 22) : *Virgo*, inquit, *Elias, Elisæus virgo, virgines filii prophetarum. Et Jeremiæ dicitur : Et tu ne accipias uxorem.* Et lib. I adversus Jovinianum cap. 13 eumdem redarguit, quod Eliam et Elisæum stulte in catalogo poneret maritorum. Idemque confirmat Cassianus lib. VI Instit. cap. 4.

[d] De his D. Hieronymus epist. ad Paulinum (*Epist.* 13), ubi eos monachos veteris Testamenti annumerans : *De his*, inquit, *sunt et illi filii Rechab, qui vinum et siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Jeremiam voce laudantur, et promittitur eis quod non deficiat de stirpe eorum vir stans coram Domino* (*Jerem.* XXXV). *Hoc reor et septuagesimi psalmi titulum significare : Filiorum Jonadab, et eorum qui primi in captivitatem ducti sunt. Iste est Jonadab filius Rechab, qui in Regnorum libro scribitur currum ascendisse cum Hieu* (IV *Reg.* X). *Et hujus filii sunt, qui in tabernaculis semper habitantes, ad extremum, propter irruptionem Chaldaici exercitus, intrare compulsi, hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, urbe, quasi carcere, sint reclusi.*

obtulerunt, pro quibus nulla ab homine fieri commutatio potest, sicut Dominus in Evangelio contestatur : *Quam dabit homo commutationem pro anima sua* (*Matth.* XVI).

CAPUT V.

Quod sub Evangelii gratia degentes superare debeant mandata legalia.

Quapropter scire debemus nos (a quibus non jam exigitur legale mandatum, sed quibus evangelicus quotidie intonat sermo (*Matth.* XIX) : *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me*), cum decimas de substantiis nostris offerimus Deo, adhuc quodammodo sub legis sarcina detineri, et necdum ad evangelicum illud fastigium pervenisse, quod obtemperantes sibi, non tantum præsentis vitæ beneficiis, sed etiam futuris præmiis munerat. Lex enim factoribus suis non regnorum cœlestium præmia, sed vitæ hujus solatia repromisit, dicens : *Qui fecerit hæc, vivet in eis* (*Levit.* XVIII). Dominus autem discipulis suis et apostolis : *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth.* V) ; *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Nec immerito; non enim tam laudabile est si ab illicitis quam si etiam a licitis temperemus, et his propter ejus reverentiam non utamur qui ea nobis propter infirmitatem nostram utenda permisit. Itaque si enim hi qui decimas fructuum suorum fideliter offerentes præceptis Domini antiquioribus famulantur, necdum possunt evangelicum culmen ascendere; illi qui ne hæc quidem faciunt, quantum ab eo absint, manifestissime pervidetis. Nam quemadmodum poterunt evangelicæ gratiæ esse participes, qui consummare etiam leviora legis præcepta contemnunt? Quorum facilitatem usque adeo imperiosa legislatoris verba testantur, ut etiam maledictum non implentibus proponatur : *Maledictus* enim, inquit, *qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis hujus, ut faciat ea* (*Deut.* XXVII). Hic autem pro excellentia et sublimitate mandatorum dicitur : *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX). Illic legiferi violenta compulsio, præceptorum indicat parvitatem. Contestor enim, inquit, vobis hodie cœlum et terram, quod si non custodieritis præcepta Domini Dei vestri, peribitis a facie terræ (*Deut.* IV). Hic magnificentia sublimium mandatorum, ipsa non tam imperantis, quam adhortantis conditione signatur : *Si vis perfectus esse, fac hoc aut illud* (*Matth.* XIX). Ibi inexcusabile etiam recusantibus Moyses pondus apponit. Hic consilio tantum volentibus et ad perfectionem festinantibus, Paulus occurrit. Non enim generaliter præcipiendum erat, nec, ut ita dixerim, canonice ab omnibus exigendum, id quod propter mirificam sublimitatem non potest passim ab omnibus apprehendi, sed consilio potius provocantur omnes et gratia ; ut hi qui magni sunt, possint virtute perfectionis non immerito coronari : qui autem parvi sunt et mensuram ætatis plenitudinis Christi implere non possunt, licet fulgore majorum velut siderum tecti latere videantur, tamen a tenebris maledictionum quæ in lege sunt, alieni, nec præsentium malorum cladibus abdicantur, nec supplicio plectuntur æterno. [a] Non ergo Christus ad illa virtutum excelsa fastigia quemquam præcepti necessitate constringit, sed liberi arbitrii provocat potestate, et salubritate consilii, et desiderio perfectionis accendit. Ubi enim præceptum, ibi [b] necessitas, et ubi neces-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Locus communis de consiliis Evangelicis ad quæ monachi sponte ac libere se obligant; quæque a præceptis distinguuntur ; de quibus notanda occurrunt nonnulla SS. Patrum elogia huic loco consentanea. Gregorius Nazianzenus orat. 1 in Julianum : *In legibus*, inquit, *nostris aliæ parendi necessitatem imponunt, nec sine periculo prætermitti possunt : aliæ non necessitate constringunt, sed in electione et voluntate positæ sunt : ac proinde hanc rationem habent, ut qui eas custodierint, honore et præmiis exornentur ; qui autem minus eas expleverint, nihil periculi pertimescant*, Cyprianus lib. de Habitu virginum : *Neque hoc jubet Dominus, sed hortatur ; nec jugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum : sed cum habitationes multas apud Patrem suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis ; carnis desideria castrantes, majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis.* Ambrosius lib. de Viduis : *Qui præceptum*, inquit, *impleverint, dicere possunt : Servi inutiles sumus ; quod debuimus facere, fecimus* (*Lucæ* XVII). *Hoc virgo non dicit : non dicit ille qui bona sua vendidit et pauperibus distribuit.* Hieronymus lib. I in Jovinianum : *Proponit agnothetes præmium, invitat ad cursum, tenet in manu virginitatis bravium, ostendit purissimum fontem, et clamitat : Si quis sitit, veniat et bibat. Non dicit : Velitis, nolitis, bibendum vobis est atque currendum ; sed Qui voluerit, qui potuerit currere atque potare, ille vincet, ille satiabitur, et ideo plus amat virgines Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat imperatum*, etc. (*Vide eumdem in ep.* 12 *ad Eustochium c.* 8).

[b] Distinguitur a theologis triplex necessitas, sicut et triplex libertas (*Bellarm. lib.* II *de Monachis cap.* 29). Prima est necessitas naturalis, quæ est absoluta determinatio ad unum ; quomodo bestiæ operantur ex necessitate : huic opponitur libertas arbitrii, quæ est in homine. Secunda est necessitas coactionis, sive ea sit absoluta coactio, ut cum quis trahitur vi, quo non vult ire : sive sit moralis, et quasi conditionata coactio : ut cum quis nollet aliquid facere et non libenter facit, facit tamen coactus timore aliquo humano aut servili. De qua necessitate loquitur Apostolus, cum ait : *Non ex tristitia, aut ex necessitate.* Et ad Philemonem : *Ne velut ex necessitate bonum tuum sit, sed voluntarium* : id est, non coactum aut extortum, repugnante voluntate, sed ex proprio affectu. Tertia est necessitas obligationis, sive ea proveniat ex præcepto, sive ex voto : cui opponitur libertas ab hujusmodi obligatione. Id enim dicimur libere facere, quod non tenemur; id vero necessario, quod tenemur facere. Talis autem necessitas non excludit libertatem arbitrii, sed eam præsupponit; nec minuit bonitatem aut meritum operis, sed potius auget. Unde D. Augustinus in epist. ad Armentarium, qui de voto continentiæ emisso tristabatur : *Non te*, ait, *vovisse pœniteat ; immo gaude jam tibi non licere, quod cum detrimento tuo licuisset. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* De hac ne-

sitas, ibi et difficultas; ubi difficultas, ibi et negligentia; ubi negligentia, ibi et peccatum; ubi peccatum, consequenter et pœna. Custodientes vero hæc ad quæ præfixæ legis severitate coguntur, pœnam potius quæ ab illa intentabatur, effugiunt, quam mercedem aut præmia consequantur.

CAPUT VI.

Quod Evangelii gratia sicut perfectis tribuit regna cælorum, ita veniabiliter sustentet infirmos.

Itaque [a] sicut fortes ad sublimia atque præcelsa Evangelicus sermo sustollit, ita non patitur infirmos ad ima demergi : perfectis quidem tribuens beatitudinis plenitudinem, veniam vero impartiens fragilitati. [b] Lex enim consummantes præcepta sua, in

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cessitate loquitur hic abbas, cum ait : *Ubi præceptum, ibi necessitas*. Confert enim præcepta legis Mosaicæ cum consiliis evangelicis, quæ sunt opera perfectionis et, ut vocat, *excelsa virtutum fastigia*, et idcirco non debuit eis imponi illa necessitas præcepti; ne ex tali necessitate sequeretur difficultas, non quidem per se et ex natura præcepti, sed ex vitio et imbecillitate hominum, uti accidit in observatione legalium. Quod enim hic dicitur : *Ubi necessitas, ibi difficultas : ubi difficultas, ibi et negligentia*, etc., verum quidem est de necessitate illa coactionis quam Apostolus vocat *spiritum servitutis in timore* (*Rom.* IV), quo nimirum Judæi præcepta legis observabant, non autem de necessitate præcepti, aut voti, per se et absolute loquendo. Fieri enim potest, immo ordinarie fit, ut quod fit ex præcepto aut voto, fiat libentius et promptius quam quod fit sine præcepto aut voto. Quod si aliqui cum tristitia et difficultate, id accidit ex pravitate aut imbecillitate hominum, non ex natura præcepti aut voti. Proinde nihil hinc concludi potest contra voti præstantiam et dignitatem, quasi melius sit aut magis meritorium facere aliquid sine voto quam ex voto : immo contrarium tenendum est, ut docet et explicat D. Thomas triplici ratione : *Primo*, inquit, *quia vovere est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis opus melius est, et magis meritorium. Secundo quia qui vovet aliquid et facit, magis se Deo subjicit quam qui solum facit. Subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem : sicuti plus dat, qui dat arborem cum fructibus, quam qui dat fructus tantum : ut ait Anselmus in libro de Similitudinibus* (*Cap.* 84). *Tertio quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bono. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bono pertinet ad perfectionem virtutis, ut patet per Philosophum in secundo Ethicorum* (*Cap.* 4). *Sicuti peccare mente obstinata aggravat peccatum, et dicitur peccatum in Spiritum sanctum*. Ita S. Thomas (**2-2**, *q.* 88, *art.* 6).

[a] Hoc caput cum præcedentibus continuant mss. nonnulli. Excusi separant, ut et Dionysius. Porro doctrinam hujus cap. confirmat S. Fulgentius in cap. XXIV Matthæi, ubi ait : *In quibus mandatis* (scilicet Evangelicis) *tamquam ditissimis ferculis, sic cœlestium deliciarum copia spiritualis exuberat; ut in verbo Dei abundet quod perfectus comedat, abundet etiam quod parvulus sugat. Ibi est enim simul et lacteus potus, quo tenera fidelium nutriatur infantia : et solidus cibus, quo robusta perfectorum juventus spiritualia sanctæ virtutis accipiat incrementa* (*Vide B. Dionys. Areopag. epist. ad Titum*).

[b] Obscura sententia : et fere obscurior etiam ipsa Dionysii paraphrasis, quæ mihi quidem obtigit satis mendose impressa, quæ sic habet : *Lex enim collocavit consummatis præcepta sua tamquam in quodam meditullio meriti utriusque, tantum separans a gloria perfectorum, quantum secernit a damnatione transgressorum*. Sed nec Lavardinus sensum mihi videtur assecutus : qui quidem non aliunde elici potest, quam ex præcedenti cap. ubi hæ traduntur utriusque legis, antiquæ et novæ, antitheses et veluti oppositiones quædam sive differentiæ, nimirum : *Lex vetus lex timoris : lex nova lex charitatis. Lex vetus humilis in præceptis*, scilicet cæremonialibus, quæ ab Apostolo dicuntur *informia et egena elementa et mandata carnalia; gravis et rigida in pœnis* et suppliciis, minis et maledictionibus; *parca et inops in præmiis*, utpote temporalibus et terrenis dumtaxat (*Gal.* IV, *Heb.* VII). Econtrario lex nova sublimis in præceptis et consiliis Evangelicis, larga et munifica in præmiis cœlestibus et æternis; benigna in pœnis irrogandis et peccatis relaxandis; invitans potius quam terrens; et pacem, indulgentiam ac veniam omnibus pœnitentibus impertiens. Lex vetus perfectos et imperfectos, fortes et imbecilles æqua lance librans, pariterque remunerans, et mulctans; sicque *in meditullio* (ut hic dicitur (*utriusque meriti* (scilicet præmii et pœnæ), id est æquali conditione utrosque collocans et relinquens. Lex autem nova fortes ad altiora semper provocans et provehens, imbecillis indulgens, illos amplioribus præmiis remunerans, his etiam digna suis meritis præmia decernens. Itaque *Lex vetus quantum a transgressorum damnatione secernit, tantum separat a gloria perfectorum*, hoc est, tam diversa est lex vetus a nova in remuneratione observatorum, quam diversa est in privatione transgressorum : quia sicut humilia et parva sunt præcepta, ita et præmia; et sicut transgressorum pœnæ temporales et externæ, ita et observatorum remuneratio temporalis et externa, cum e diverso in lege nova et Evangelica res se habeat. Verum hæc plenius et accuratius explicanda videntur ex S. Thoma, qui de hac utriusque legis, Mosaicæ et Evangelicæ, differentia pertractans : Dicendum, inquit, quod omnes differentiæ quæ assignantur inter novam legem et veterem accipiuntur secundum perfectum et imperfectum. Præcepta enim cujuslibet legis dantur de actibus virtutum : ad operanda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti, qui nondum habent virtutis habitum, et aliter illi qui sunt per habitum virtutis perfecti. Illi autem qui nondum habent habitum virtutis, inclinantur ad agendum virtutis opera ex aliqua causa extrinseca, puta ex comminatione pœnarum, vel ex promissione aliquarum extrinsecarum remunerationum, puta honoris, vel divitiarum, vel alicujus hujusmodi : et ideo lex vetus, quæ dabatur imperfectis, id est, nondum consecutis gratiam spiritualem, dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad observantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum; et dicitur habere quædam temporalia promissa. Illi autem qui habent virtutem, inclinantur ad virtutis opera agenda propter amorem virtutis, non propter aliquam pœnam aut remunerationem extrinsecam : et ideo lex nova, cujus principalitas consistit in ipsa spirituali gratia indita cordibus, dicitur lex amoris, et dicitur habere promissa spiritualia et æterna, quæ sunt objecta virtutis, præcipue charitatis. Et propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum : quia qui timore pœnæ a peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus qui amore justitiæ abstinet a peccato : et propter hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur animum cohibere. Fuerunt tamen aliqui in statu veteris Testamenti habentes charitatem et gratiam Spiritus sancti, qui principaliter exspectabant promissiones spirituales et æternas, et secundum hoc pertinebant ad legem novam. Similiter etiam in novo Testamento sunt aliqui carnales, nondum pertingentes ad perfectionem novæ legis, quos oportuit etiam in novo Testamento induci ad virtutis opera per ti-

utriusque meriti velut quodam meditullio collocavit, quantum a transgressorum damnatione secernens, tantum separans a gloria perfectorum. Quod quidem quam infimum quamque miserabile sit, vel ex præsentis vitæ statu et comparatione perspicite, in qua miserrimum ducitur, si hoc tantum quis studeat ac laboret, ne reus modo inter honorificos homines, et non etiam locuples ac honorabilis et gloriosus habeatur.

CAPUT VII.

Quod in nostra situm sit potestate, utrum sub Evangelii gratia, an sub legis velimus terrore consistere.

Quamobrem in nostra hodie situm est potestate, utrum sub Evangelii gratia, an sub Legis velimus terrore consistere. Cuilibet enim parti pro qualitate actus sui unumquemque necesse est aggregari. Nam aut supergredientes legem suscipit Christi gratia, aut certe inferiores velut debitores suos sibique obnoxios lex retentat. Reus namque legalium præceptorum nequaquam evangelicam perfectionem valebit attingere, quamvis Christianum se et Domini gratia liberatum inaniter glorietur. Non solum enim hic credendus est adhuc esse sub lege, qui ea quæ lex præcipit, detrectat implere, sed etiam ille qui ea tantum quæ lex jubet observare contentus est, ac nequaquam vocationi et gratiæ Christi condignos exhibet fructus, ubi non dicitur : Decimas tuas et primitias offeres Domino Deo tuo, sed, *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo, et veni, sequere me* (*Deut.* XII, *Matth.* XIX, *Luc.* IX) : ubi ob perfectionis magnificentiam discipulo postulanti, ne brevissimum quidem horæ spatium pro patris conceditur sepultura, nec humanæ charitatis officium divini amoris virtuti præfertur.

CAPUT VIII.

Quemadmodum Theonas conjugem suam ut et ipsa renuntiaret, exhortatus sit.

Quibus auditis, beatus Theonas inexstinguibili desiderio Evangelicæ perfectionis accensus, semen verbi fecundo corde conceptum, quasi profundis atque edomitis condidit sulcis, in eo vel maxime humiliatus atque compunctus, quod eum senex non solum Evangelicam perfectionem non attigisse dixisset, sed etiam vix legis ipsius adimplesse mandata. Siquidem cum decimas frugum suarum solitus esset [a] diaconiæ annis singulis dependere, primitiarum rationem ne audisse quidem se arbitraretur; quam tamen etiamsi similiter implesset, longe nihilominus secundum senis sententiam se ab Evangelica perfectione distare suppliciter fatebatur. Domum itaque revertitur mœstus, illaque affectus tristitia, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operaretur, ac de sua jam voluntate et definitione non dubius, erga salutem conjugis, omnem mentis sollicitudinem curamque convertit, eamque ad desiderium quo fuerat ipse succensus, cœpit exhortatione simili provocare, et ut Deo pariter in sanctimonia et castitate servirent, diurnis nocturnisque fletibus admonere, dicens conversionem melioris vitæ nequaquam esse protelandam, quia necessitati subitæ mortis vana spes immaturæ non præjudicaret ætatis, quippe quæ infantes, pueros, adolescentes, pari, ut senes, sorte præriperet.

CAPUT IX.

Quemadmodum non acquiescente uxore sua ad monasterium pervolarit.

[b] Cumque hujusmodi obsecrationibus jugiter persistenti conjux durissima non præberet assensum, seque diceret solatio maritali pro ætatis suæ flore penitus abstinere non posse; ac proinde si quid deserta ab eo criminis admisisset, illi potius ascribendum qui conjugii fœdera dirupisset. Ad hæc ille cum diu conditionem naturæ prætendisset humanæ, quam fragilem et incertam periculosum esset carnalibus desideriis et operibus diutius implicari; adjiciens astruebat, non licere cuiquam ejus se boni extorrem facere quod didicisset, majorisque esse noxæ despicere cognitam bonitatem, quam incognitam non amare; proinde se jam reatu etiam prævaricationis involvi, si inventis tam præclaris tamque cœlestibus donis terrena ac sordida prætulisset. Ad omnem sane aiebat ætatem omnemque sexum perfectionis magnificentiam pertinere, et universa Ecclesiæ membra ad conscendendam sublimium meritorum celsitudinem provocari, dicente Apostolo : *Sic currite ut comprehendatis* (I *Cor.* IX); nec propter lentorum et segnium moras, paratos atque alacres

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

morem pœnarum, et per aliqua temporalia promissa : lex autem vetus etsi præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut dicitur Rom. III. Hæc S. Thomas : quibus doctrina hujus cap. et sequentium mirifice illustratur, et elucidatur.

[a] De diaconia vide supra (*Cap.* 1), et observa insuper hoc loco decimas et primitias olim in Ecclesia a populo deferri, et offerri solitas diaconiæ, id est, communi mensæ pauperum, ex qua tum monachi, tum alii Ecclesiæ ministri alimenta percipiebant œconomo dispensante; quo munere functus dicitur abbas Theonas post Eliam abbatem, cap. sequenti.

[b] Totum hoc caput, quo factum singulare abbatis Theonæ narratur, qui, dimissa uxore, etiam invita et reluctante, ad eremum et monachatum se contulit, docte et accurate examinavit et elucidavit D. Cuychius, omnesque rationes ab eodem Theona pro defensione et approbatione sui divortii allatas confutavit, ut pene otiosum videatur ejus censuræ aliquid superaddere. Unius tamen Bellarmini sententiam de hoc facto hic ascribam, qui cum e Scriptura primum, tum ex Patribus, tum demum ex sacris pontificum et conciliorum decretis probasset matrimonium ratum et consummatum non solvi per monasticam professionem, nec licere conjugibus post matrimonii consummationem, nisi ex mutuo consensu, vovere continentiam, aut monachatum; ad hoc exemplum Theonæ sibi objectum respondet esse illud unum ex iis factis sanctorum quæ admiranda sunt, non imitanda. Credendum enim est peculiari Spiritus sancti admonitu aut inspiratione id factum esse, præter communem ordinem ac legem, quandoquidem ille tot claruit postea signis et virtutibus. Sic ille. Atque idem fere Ciaconius in sua annotatione.

debere subsistere, cum rectius sit ut desides a præcurrentibus incitentur, quam ut properantes a residentibus obligentur. Proinde statutum sibi dicebat decretumque esse renuntiare sæculo, ac mori mundo, ut vivere possit Deo; et si hanc beatitudinem nequeat obtinere, ut cum socia sua in consortium transeat Christi, malle se vel cum unius membri dispendio salvum fieri, et velut debilem introire in regnum cœlorum, quam cum soliditate corporis condemnari (*Matth.* XVIII). Adjiciebat autem etiam ista dicens : Si Moyses pro duritia cordis dimitti permisit uxores (*Deut.* XXIV, *Matth.* XIX), quare hoc non sinat Christus pro desiderio castitatis, præsertim cum idem Dominus inter cæteras affectiones (id est, patrum, matrum ac filiorum, quibus omnem reverentiam, non solum lex (*Exod.* XX), sed etiam ipse (*Matth.* XV) præceperat exhibere, tamen pro nomine suo ac desiderio perfectionis non solum contemnenda simpliciter, sed etiam (*Luc.* XIV) odio habenda esse decernens), conjungat eis similiter etiam uxorum nomen dicens : *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). In tantum ergo perfectioni quam prædicat nihil patitur comparari, ut illam quoque necessitudinem solvat patris ac matris, quæ secundum Apostolum primum obtinet in repromissione mandatum : *Honora scilicet patrem et matrem, quod est mandatum primum in repromissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram* (*Ephes.* VI); eamque despici pro suo amore præcipiat (*Matth.* XIX). Evidenter itaque sicut eos evangelicus sermo condemnat qui, non interveniente adulterii crimine, uxoria vincula dirumpunt, ita ob amorem Christi et desiderium castitatis his qui jugum carnale rejecerint etiam centupla præmia repromittit. Quapropter si fieri potest ut ad hanc optatissimam mihi partem accepta tandem ratione flectaris, scilicet ut Domino servientes, pœnam gehennæ pariter evitemus, charitatem conjugii non refuto, immo etiam majore adhuc dilectione complector; agnosco enim et veneror adjutricem meam, Domini mihi sententia deputatam, et indirupto eidem fœdere charitatis in Christo cohærere non respuo, nec a me separo quod Dominus mihi primæ statim conditionis lege conjunxit, dummodo sis et ipsa quod Conditor esse te voluit. Si vero non ad adjutorium esse volueris, sed in deceptionem; et adminiculum te non mihi, sed adversariam malueris exhibere, atque ob hoc attributum putas conjugii sacramentum, ut te huic quæ ingeritur fraudans saluti, insuper etiam me a discipulatu retrahas Salvatoris, ita illam abbatis Joannis, immo Christi ore prolatam sententiam viriliter apprehendam, ut me a spiritali bono nulla carnalis avellere possit affectio. *Qui* enim, inquit, *non odit patrem, et matrem, et filios, et fratres, et sorores, et uxorem, et agros, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Cum ergo his atque hujusmodi verbis muliebris non flecteretur intentio, et in eadem obstinationis duritia permaneret : Si ego, inquit beatus Theonas, te abstrahere a morte non possum, nec tu me separabis a Christo : Tutius est autem mihi cum homine, quam cum Deo habere divortium. Aspirante itaque gratia Dei, definitionis suæ exsecutionem instanter aggressus est, nec intepescere per aliquam moram desiderii sui passus est ardorem; nam confestim omni mundana facultate nudatus ad monasterium pervolavit. Ubi in brevi tanto splendore sanctitatis et humilitatis enituit, ut beatæ memoriæ Joanne ad Dominum ex hac luce migrante, [a] sancto quoque Elia, viro qui haud minor [b] decessore suo fuit, similiter decedente, tertius Theonas universorum præelectus judicio, in diaconiæ eis dispensatione successerit.

CAPUT X.

Exponit Cassianus quorsum exemplum istud in medium produxerit.

[c] Nemo autem existimet nos hæc ad provocanda conjugiorum divortia texuisse, qui non solum nuptias minime condemnamus, verum etiam Apostolicam sequentes sententiam, dicimus : *Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus* (*Hebr.* XIII); sed ut lectori initium conversionis quo tantus ille vir Deo dicatus est, fideliter panderemus. A quo bona gratia hoc primum deposco, ut, sive hoc ei placeat sive displiceat, me quoquomodo a calumnia alienum esse concedens, in suo hoc facto aut laudet aut re-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Duos Elias abbates sive anachoretas commemorat Palladius in Lausiacis, alterum Lausiaca 51, de quo hæc ait : *Vidimus alium quoque senem in solitudine Antinoi, quæ est metropolis Thebaidis, Eliam nomine, qui natus erat centum et decem annos. Super eum dicebant Spiritum Eliæ prophetæ requievisse,* etc. De eodem Sozomenus lib. sexto, capite vigesimo octavo, et Nicephorus lib. undecimo, capite trigesimo quarto, et Rufinus lib. II cap. 12. Alterum Lausiaca 111. At neuter horum huic loco quadrare videtur. Nam ille prior solus septuaginta annos egit in monte quodam inaccesso, *adeo ut ipsum quoque videre esset formidabile,* ait Palladius. Alter vero in locis Palæstinæ habitans in spelunca, non inter monachos Ægyptios communem agens vitam, ut hic de quo est sermo. De abbate Elia meminit itidem Auctor lib. V de Vitis Patrum lib. IX. De alio item Elia abbate Joannes Moschus in Prato Spirit. cap. 19.

[b] Decessor dicitur qui successori decessit ac locum cessit, ut successor qui decessori succedit. Ita Sidonius lib. V epist. 16, Cœlestinus papa epist. 1 c. 2, concilium Carthag. VI can. 1, Cassiodorus lib. VII epist. 2, Gregorius Turon. lib. IV de S. Martino cap. 7, concilium Toletan. XII cap. 1.

[c] Verba sunt Cassiani, non abbatis Joannis, ut contextus docet, quamquam aliter prima fronte videri posset. Excusat enim se Cassianus quod illud exemplum abbatis Theonæ retulerit, ex quo videri posset velle suadere divortia conjugiorum; quam suspicionem a se refutat, illud factum neque approbans ipse neque damnans, sed aliorum judicio relinquens.

prehendat auctorem. Ego autem qui non meam super hac re sententiam prompsi, sed rei gestæ historiam simplici narratione complexus sum, æquum est ut sicut mihi de eorum qui hoc factum probant laude nihil vindico, ita eorum qui id improbant non pulser invidia. Habeat ergo suum de illo, ut diximus, unusquisque judicium; sed moneo ut ita censuram sui castiget examinis, ne se æquiorem aut sanctiorem divino credat esse judicio, quo in eum etiam apostolicarum collata sunt signa virtutum, ut taceam de tantorum Patrum sententia, a quibus factum ejus non solum minime reprehensum, verum etiam usque adeo collaudatum esse manifestum est, ut eum summis ac sublimissimis viris diaconiæ electione prætulerint. Et puto tot spiritualium virorum, Deo auctore, prolatum [*Lips. in marg.* probatum] non errasse judicium, quod etiam tanta signorum, ut supra jam dictum est, admiratio confirmabat.

CAPUT XI.

Quæstio cur in Ægypto totis diebus Quinquagesimæ non jejunetur, nec genua in oratione curventur.

Sed jam tempus est ut promissæ disputationis ordinem prosequamur. Igitur abbas Theonas cum diebus[a] Quinquagesimæ nos in nostra cellula visitasset,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De Quinquagesima egimus lib. II Institut. cap. 18, ubi ex sententia veterum duplicem distinximus Quinquagesimam, alteram jejunii et pœnitentiæ ante Pascha, alteram lætitiæ et remissionis post Pascha, nempe a die Paschatis usque ad diem Pentecostes; de qua hic agitur. Dicitur autem Quinquagesima, seu Græca voce Pentecoste, quia spatium quinquaginta dierum complectitur. Quomodo D. Hieronymus adversus Montanum et Luciferianos scribens, *per omnem Pentecosten* dixit (*Epist.* 54, *ad Marcellum et cont. Lucifer.* c. 4). Qui tamen alibi (*Epist.* 22, *ad Eustochium*) Pentecosten non pro tota Quinquagesima, seu spatio quinquaginta dierum, sed pro termino, seu fine eorumdem, ut vulgo solet, accipit, hoc est, pro ipsa solemnitate diei Pentecostes, sive adventus Spiritus sancti quæ Quinquagesimam complet ac terminat, juxta illud Act. secundo : *Dum complerentur dies Pentecostes*; dum inter alia monachorum Ægyptiorum instituta ita scribit : *Jejunium totius anni æquale est, excepta Quadragesima qua conceditur districtius vivere. A Pascha ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia, quo et traditioni ecclesiasticæ satisfiat, et ventrem cibo non onerent duplicato.* Sic D. Hieronymus : *A Pascha,* inquit, *ad Pentecosten cœnæ mutantur in prandia;* quia cum ante Pascha, hoc est, in Quadragesima, cœnarent dumtaxat absque prandio, e diverso post Pascha usque ad Pentecosten prandebant absque cœna, unica semper refectione contenti, nisi causa hospitum cogerentur sæpius mensam apponere. Duplici autem ratione ejusmodi mutatio apud eos fiebat : primum, ut traditioni Ecclesiasticæ, de remissione scilicet Quinquagesimæ, satisfacerent, relaxato nimirum utcumque strictiore illo jejunio, quod ante Pascha ad vesperam usque, vel certe horam nonam, servabant. Secundo, ne corpus antea extenuatum et debilitatum, duplicato cibo, id est, gemina refectione, nimium onerarent et prægravarent. Exstat præterea hujus antiquæ institutionis et observationis monasticæ insigne monimentum in concilio Turonensi secundo can. 13 in hæc verba : *De jejuniis vero antiqua a monachis instituta serventur, ut de Pascha usque ad Quinquagesimam* (*id est,* Pentecosten), *exceptis Rogationibus, omni die fratribus prandium præparetur. Post Quinquagesimam tota hebdomada exacte jejunetur. Postea usque ad calendas Augusti in septimana jejunent, secunda, et quarta, et sexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie Missæ sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto et Novembri ter in septimana. De Decembri usque Natalem Domini omni die jejunent. Et quia inter Natalem Domini usque ad Epiphaniam omni die festivitates sunt, itemque prandebunt.* Et post pauca : *Post Epiphaniam vero usque ad Quadragesimam ter in septimana jejunent.* Hæc ibi, ex quibus varia monachorum jejunia pro diversitate temporum instituta noscuntur, excepta semper Quinquagesima, sive tempore Paschali, ut dictum est (*Lib.* II *Instit. c. ult.*). Porro quod totis Quinquagesimæ diebus monachi illi nec genua in oratione publica curvarent, nec usque ad horam nonam, ut alio tempore solebant, jejunare præsumerent, ut hic et alibi dicitur; id non ipsis peculiare fuisse, sed ex antiqua traditione communiter in Ecclesia observatum plurimi et gravissimi auctores testantur. Tertullianus lib. de Corona Militis (*Cap.* 3) : *Jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare; eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus.* Quem locum Tertulliani D. Hieronymus adversus Luciferianos (ut annotavit Rhenanus) videtur æmulatus, his quidem verbis (*Cap.* 4) : *Nam et multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt; velut, in lavacro ter caput mergitare* (id est, trina mersio in baptismo); *die Dominico et per omnem Pentecosten nec de geniculis adorare* (id est, flexis genibus orare) *et jejunium solvere, multaque alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.* Rursus quod ad jejunium attinet, idem Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomii : *Bis,* inquit, *in hebdomada, quarta et sexta sabbati, ab omnibus jejunatur, excepta Pentecoste* (id est, ut Tertullianus loquitur, *a die Paschæ in Pentecosten usque,* vel, ut Cassianus, *totis Quinquagesimæ diebus*). Sed et dictæ traditionis rationem reddit in procemio Commentar. in Epist. ad Ephesios : *Pentecosten,* inquit, *tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curvantur in terram, sed cum Domino ad cælorum alta sustollimur.* S. Epiphanius in compend. doct. Eccles.: *Per totum quidem annum jejunium hoc servatur in sancta catholica Ecclesia, quarta,* inquam, *et prosabbato* (id est, feria sexta) *usque ad horam nonam, excepta sancta Pentecoste,* id est, *per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque jejunium imperatum est.* S. Ambrosius sermo, 61 et apud Gratianum dist. 76 (*Cap. Scire*) : *Per hos,* ait, *quinquaginta dies nobis est jugis et continuata festivitas, ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genibus succidamus.* Similiter D. August. epist. 119 : *Propter hoc,* inquit, *jejunia relaxamus, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis. Unde etiam omnibus diebus dominicis ad altare id observatur.* Idem docent alii Patres. Maximus Taurinensis episcopus homil. 1 de Pentecoste, Isidorus lib. 1 de Offic. cap. 33, et Rabanus lib. II de Instit. clericorum cap. 41. Denique eo spectat tota hujus abbatis ratiocinatio, ut doceat quam ob causam instituta esset illa quam vocat remissio Quinquagesimæ, id est, relaxatio jejunii in Quinquagesima, seu tempore paschali. Cæterum hæc non ita accipienda sunt, quasi nefas sit hoc tempore ex privata devotione jejunare, modo citra superstitionem, et contemptum, et scandalum id fiat. Hoc enim expresse monuit D. Hieronymus in epistola ad Lucinium Bœticum (*Epist.* 28), citatus itidem a Gratiano, his verbis (*Dist.* 76 *cap. ult.*) : *Utinam omni tempore jejunare possimus : quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes et die dominico apostolum Paulum et cæ*

vespertina orationum solemnitate transacta, humi paululum considentes, cœpimus diligentius percunctari cur apud eos tanta observantia caveretur, ne quis penitus totis Quinquagesimæ diebus vel genua in oratione curvaret, vel usque ad horam nonam jejunare præsumeret; eoque id diligentius scrutabamur, quod nequaquam hoc tanta cautione servari in Syriæ monasteriis videramus.

CAPUT XII.

Responsio de natura eorum quæ bona, vel mala, vel media sunt.

Ad hæc abbas Theonas tali usus est sermonis exordio: Oportet quidem nos auctoritati Patrum, consuetudinique majorum usque ad nostrum tempus per tantam annorum seriem protelatæ, etiam non percepta ratione cedere; eamque, ut antiquitus tradita est, jugi observantia ac reverentia custodire. Verum etiam quoniam causas hujus rei et rationem vultis agnoscere, accipite breviter ea quæ a senioribus nostris tradita super hac institutione comperimus. Verumtamen antequam Scripturæ divinæ auctoritas proferatur, si placet, de natura ipsius jejunii et qualitate pauca dicamus, ut disputationem nostram subsequens Scripturarum confirmet auctoritas. Divina sapientia per Ecclesiasten omni rei, id est, universis seu prosperis, seu quæ adversa putantur et tristia, tempus esse proprium designavit, dicens: [a] *Omnibus tempus est, et tempus omni rei sub cælo. Tempus pariendi et tempus moriendi, tempus plantandi et tempus evellendi quod plantatum est, tempus occidendi et tempus sanandi, tempus destruendi et tempus ædificandi, tempus plorandi et tempus ridendi, tempus plangendi et tempus saltandi, tempus mittendi lapides et tempus colligendi lapides, tempus amplectendi et tempus longe fieri ab amplexibus, tempus acquirendi et tempus perdendi, tempus custodiendi et tempus expellendi, tempus dirumpendi et tempus sarciendi, tempus tacendi et tempus loquendi, tempus amandi et tempus odiendi, tempus belli et tempus pacis* (*Eccle.* III). Et infra, *Quia tempus est,* inquit, *omni rei et omni facto* (*Ibid.*). Nihil igitur ex his esse bonum perpetuum definivit, nisi cum fuerit horum quid opportune et competenter expletum; ita ut hæc eadem quæ nunc opportune gesta bene cedunt, si importuno vel incongruo tempore præsumantur, inutilia inveniantur et noxia; [b] absque his dumtaxat quæ per se principaliter vel bona, vel mala sunt, [c] nec aliquando possunt in contrarium derivari, ut

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

eo credentes fecisse legimus (*Act.* XIII). Et infra: *Nec hoc dico, quod dominicis diebus jejunandum putem, et contextas quinquaginta diebus ferias auferam; sed unaquæque provincia in suo sensu abundet, et præcepta majorum leges apostolicas arbitretur.* Et Isidorus ibidem citatus (*Lib.* I *de Offic. Eccl. cap.* 42): *Post Pascha,* inquit, *usque ad Pentecosten, licet observatio Ecclesiarum abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit, tamen si qui monachorum vel clericorum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi: quia Antonius, et Paulus, et cæteri Patres antiqui, etiam his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die dominico.* Hæc ille. Verum adversus præmissa objiciet fortasse quispiam: Si ex sententia SS. Patrum tempore Quinquagesimæ, id est, a die Paschatis usque ad diem Pentecostes inclusive, remittitur et intermittitur jejunium, cur ergo jejunatur in vigilia Pentecostes, et in diebus Rogationum ante Ascensionem Dominicam? Respondeo: Jejunium in vigilia Pentecostes non esse ex primæva Ecclesiæ institutione, vel apostolica traditione, ut jejunia quatuor temporum, sed ex pia consuetudine, et devotione fidelium, ac reverentia erga tantam solemnitatem adventus Spiritus sancti posterioribus sæculis introductum (nam Patres constanter affirmant nullum esse jejunium inter Pascha et Pentecosten imperatum), nec tam ad pœnitentiam et afflictionem corporis quam ad devotionem et spiritale gaudium excitandum, in Ecclesia observari. Unde et jejunium exsultationis et lætitiæ appellatur (S. *Thom.* 2-2, *q.* 147, *a.* 5; *Duran. in Ratio. lib.* VI, *cap.* 106). Constat tamen hanc consuetudinem esse perantiquam. Nam ejus jejunii meminit Ordo Romanus, qui ab Alcuino et Amalario passim citatur his verbis: *Sabbato in vigiliis Pentecostes omnes jejunium faciunt.* Unde colligitur hanc esse consuetudinem Ecclesiæ universalis, quæ habet vim legis et præcepti: quamvis alioqui nullum exstet de hoc jejunio præceptum expressum, ut docet etiam D. Thomas, et post eum Cajetanus. Quod autem ad triduanum jejunium Rogationum attinet, communis est sententia non tam præcepti quam consilii fuisse ejusmodi observationem, cum ex dictis constet inter Pascha et Pentecosten ex antiquissima institutione nulla jejunia imperari. Sicubi tamen hoc ipsum jejunium præcepti lege servatur, non est improbandum. Servanda est in ejusmodi rebus Ecclesiæ consuetudo, ut Hieronymus in epistola ad Lucinium, et Augustinus in epistola ad Casulanum, monent. Ita Bellarminus. Meminit ejusdem institutionis et triduani jejunii in Rogationibus D. Augustinus serm. 173 de Tempore, in vigilia Ascensionis, et Sidonius lib. v. epist. 14 et lib. VII epist, 1. Necnon canon 29 concilii Aurelianensis, a Gratiano relatus cap. *Rogationes,* de Consec., dist. 3, et qui de officiis et ritibus ecclesiasticis scripserunt (*Gregor. Valent. in* 2-2, *et disp. q.* 2; *Bellarm. lib.* II *de Bonis Operib. c.* 21; *Baron. in Not. ad Martyrol.* 25 *Aprilis*; *Alcuin, l.* II; *Amalar. l.* II, *c.* 37; *Raban. lib.* II *de Instit. cleric. c.* 40).

[a] Ita ex Hebræo vertit Hieronymus. At Vulgata versio est: *Omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo: tempus nascendi, et tempus moriendi,* etc. (*Eccles.* III).

[b] Rerum et actionum humanarum tria genera distinguit: quædam ita per se et intrinsece sunt bona, ut numquam possint fieri mala, ut virtutes. Virtutem enim definit Augustinus *esse bonam qualitatem mentis, qua nemo male utitur* (*Lib.* III, *de Libero Arbit. c.* 18 *et* 19). Hæc autem vocat auctor principaliter bona, vel principalia bona. Alia econtrario per se et intrinsece mala, ut numquam possint fieri bona, ut mendacium, adulterium, etc. Et hæc similiter vocat principaliter mala, vel principalia mala; quoniam non ideo mala, quia prohibita; sed ideo prohibita, quia mala. Inter hæc autem extrema, sunt media quædam, et veluti adiaphora, in quo genere collocat abstinentiam, jejunium, et delectum ciborum, quæ si congruo tempore fiant et ad bonum finem referantur, puta ad Dei gloriam et carnis macerationem, bona; si ad malum finem, puta ad ostentationem aut superstitionem, vel alieno tempore, vel immoderate assumantur, mala. Habes eamdem distinctionem collatione 6, cap. 3.

[c] *Quia virtute nemo male uti potest,* ait Augustinus. At contra objicit S. Thomas (1-2, *q.* 55, *a.* 4): *Quicumque superbit de aliquo, male utitur eo: sed multi superbiunt de virtute; dicit enim Augustinus in Regula* (*Cap.* 3), *quod superbia etiam bonis operibus*

est justitia, prudentia, fortitudo, temperantia, cæteræque virtutes, sive e diverso vitia, quorum definitione in aliam partem cadere omnino mutarive non possunt. Si qua vero in utrumque affectum possunt aliquando transire, ut pro qualitate utentium vel bona inveniantur vel mala, hæc non absolute pro sua natura, sed pro perpetrantis affectu et opportunitate temporis, vel utilia interdum, vel noxia sentiuntur.

CAPUT XIII.

Quale bonum sit jejunium.

Quamobrem nunc quærendum est quid super jejuniorum statu decernere debeamus, utrumnam similiter et ipsum bonum esse eo modo quo justitiam, prudentiam, fortitudinem aut temperantiam diximus, quæ in partem contrariam penitus transire non possunt; an medium quid, quod interdum factum possit prodesse, interdum prætermissum condemnare non possit, quodque nonnumquam egisse reprehensibile sit, nonnumquam prætermisisse laudabile. Si enim in illa definitione virtutum, etiam jejunium censeamus, ut inter principalia bona cibo- A rum abstinentia collocetur, erit profecto eorum mala et criminosa perceptio. Quidquid enim principali bono contrarium est, sine dubio principale malum esse censendum est. Quod definiri a nobis Scripturarum sanctarum non permittit auctoritas. [a] Si enim tali sensu ac proposito jejunemus ut peccatum contrahi in escarum participatione credamus, non modo nullos fructus pro abstinentia consequemur, sed etiam reatum maximum ac sacrilegii crimen [b] secundum Apostolum contrahemus, *abstinentes a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur* (I *Tim.* IV). [c] *Qui enim putat quid commune esse, illi commune esse* (*Rom.* B XIV); et idcirco ob solam perceptionem escæ neminem legimus condemnatum, nisi forte junctum *quid* fuerit, vel postea subsecutum, per quod meruerit condemnari.

CAPUT XIV.

Quod non sit principale bonum jejunium.

[d] Itaque hoc medium esse etiam ex hoc manife-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

insidiatur, ut pereant. Falsum est ergo, quod nemo virtute male utatur. Respondet S. Thomas *quod virtute potest aliquis male uti, tamquam objecto, puta cum male sentit de virtute, cum odit eam, vel superbit de ea; non tamquam principio usus, ita scilicet quod malus sit actus virtutis.*

[a] Hæc enim fuit hæresis et superstitio multorum hæreticorum, qui idcirco jejunabant, aut a quibusdam cibis abstinebant, quod eos natura sua immundos et abominabiles crederent, et propterea illicitos atque prohibitos. Et alii quidem omnium animantium carnes immundas esse dicebant, ut Ebionitæ apud Epiphanium, hæresi 30; Encratitæ apud Augustinum, hæresi 25; Eustathiani apud Socratem. lib. II, cap. 33; Priscillianistæ apud Augustinum, hæresi 70; Apostolici apud Bernardum serm. 66 in Cantica. Alii non solum carnes, sed etiam vinum immundum dixerunt atque omnino vitandum, ut Manichæi, apud Augustinum, hæresi 46. *At Christiani,* inquit Augustinus (*Contra Faustum l.* XXX *cap.* 5), *non hæretici, sed catholici, edomandi corporis causa, propter animam ab irrationabilibus motibus humiliandam, non quod illa esse immunda credant, non solum a carnibus, verum etiam a quibusdam terræ frugibus abstinent, vel semper, sicuti pauci; vel certis diebus atque temporibus, sicut per Quadragesimam fere omnes.*

[b] *In novissimis diebus,* ait Apostolus, *discedent quidam a fide, prohibentes nubere et abstinere a cibis, quos Deus creavit,* etc. (I *Tim.* IV). Quibus verbis damnat Apostolus quosdam hæreticos, præsertim Marcionistas et Manichæos, quos in spiritu prævidebat futuros, *in novissimis diebus,* id est, posterioribus aut sequentibus temporibus, qui a cibis quibusdam abstinerent, et abstinendum docerent, tamquam per se immundis et illicitis: quod catholici non faciunt, dum a cibis quibusdam studio temperantiæ aut castigandæ carnis causa abstinent: quomodo primi illi Christiani apud Alexandriam a S. Marco instituti ad vesperam tantum cibum sumere, et a carnibus et vino abstinere solebant, ut ex Philone referunt Eusebius lib. II Histor. cap. 17, et S. Hieronymus in Philone, cap. 75. S. Epiphanius in Doctr. Compendio testatur fuisse qui sponte abstinerent a carnibus per totum annum; sed in hebdomada sancta, sive majore, quæ sanctum Pascha præcedit, totam Ecclesiam perseverare solitam in siccorum usu, quæ xerophagia dicitur; de qua alias egimus (*Lib.* IV *Inst. c.* 21). S. item Hieronymus in epistola ad Eustochium (*Epist.* 22) scribit apud anachoretas et monachos Ægyptios continua per totum annum fuisse jejunia (excepta Pentecoste, ut dictum est) et perpetuam a vino et carnibus abstinentiam. Idem docet Augustinus lib. I de Moribus C Eccles. c. 31, et passim alii Patres.

[c] *Scio,* inquit Apostolus, *et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est* (*Rom.* XIV). Ubi, *commune,* id est, profanum et immundum. Sic enim vocabant Judæi quidquid aut edere aut contrectare eis non licebat. *Nihil vero commune,* inquit Paulus, per ipsum, δι' αὐτοῦ, per aspirationem, id est, per se, quia nihil natura sua immundum; *si vero spiritu leni* δι' αὐτοῦ, ut noster interpres legit, id est, per ipsum, scilicet Dominum Jesum, qui purificat omnia. Unde Petro dictum est in Actis: *Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris* (*Act.* X). Purificavit autem Deus omnes cibos, quia nullos Christianis voluit esse immundos; sicut Judæis multi erant cibi immundi, *ob significationem et figuram, quam Christus amovit implendo omnes figuras,* ait S. Thomas (*In Commentario*). Itaque Christianis a nullo cibo tamquam immundo abstinendum est, quia neque natura D immundus, ut hæretici volebant; neque significatione, ut tempore veteris legis. Cæterum si quis existimat cibum aliquem esse immundum, et tamen eo vescitur; fit illi immundus, secundum Apostolum, propter conscientiam. *Ei,* inquit, *qui existimat quid commune esse, illi commune est* (*Rom.* XIV), quia contra conscientiam agit, quæ secundum axioma theologorum, (quamvis erronea sit) semper obligat. *Nam omne quod non est ex fide, peccatum est,* ait ibidem Apostolus. *Quod non est ex fide,* id est, quod contra conscientiam et propriam persuasionem fit, *peccatum est;* πίστις enim hoc loco persuasionem significat, ut Patres docent et contextus exigit (S. *Tho.* 1-2, *q.* 19, *art.* 5 *et* 6; *Bell. l.* V *de Gratia et Lib. Arb. c.* 10).

[d] Paraphrastes: *Medium ergo quoddam esse jejunium hinc probatur, quoniam sicut justificat dum servatur, ita non damnat dum frangitur, nisi forte,* etc. *Medium,* scilicet inter ea quæ per se et semper bona, et ea quæ semper et per se mala. Inter quæ jejunium medium dicitur, *quod internum observatum prodesse*

stíssime declaratur, quia sicut justificat custoditum, ita non condemnat irruptum, nisi forte præcepti transgressio magis quam escarum præceptio puniatur. Principali autem bono ita nullum oportet vacuum esse tempus, ut sine eo cuiquam esse non liceat, quia necesse est cessatione ejus in malum corruere negligentem. Nec rursum [a] principali malo ullum conceditur tempus, quia quod noxium semper est, numquam poterit, si admissum fuerit, non nocere, vel in partem umquam laudabilem commutari. Ac proinde ea quibus qualitates statutas videmus et tempora, et quæ sic observata sanctificant, ut omissa non polluant, media esse manifestum est, ut puta nuptias, agriculturam, divitias, solitudinis remotionem, vigilias, sacrorum lectionem, meditationemque librorum, ipsaque jejunia, de quibus principium sermonis exortum est. Quæ omnia divina præceptio, vel sanctarum auctoritas Scripturarum, non ita incessabiliter obtinenda, nec jugiter custodienda decrevit, ut ea paululum intermisisse nefarium sit. Quidquid enim imperative decernitur, mortem ignorat non impletum; quæcumque vero suadentur potius quam jubentur, facta prosunt, infecta non puniunt. Et idcirco aut omnia hæc, aut certe quædam, pro causa, pro loco, pro modo, pro tempore, circumspecte agere nos majores nostri et provide observare jusserunt : quia si congrue horum aliquid actitetur, aptum atque conveniens; si incongrue, ineptum esse constat ac noxium : ac [b] si velit quis in fratris adventu in quo Christum debet humanitate reficere et gratissima susceptione complecti, austeritatem jejunii custodire, nonne inhumanitatis potius crimen incurrit, quam laudem aut meritum religionis acquirit? Vel si cum defectio et imbecillitas carnis reparationem virium escæ perceptione deposcit, non aquiescat aliquis rigorem abstinentiæ relaxare, nonne magis crudelis sui corporis homicida, quam salutis provisor est æstimandus? Ita etiam cum tempus festivitatis escarum congruum fotum et refectionem necessariæ absolutionis indulget, si quis jejuniorum rigidam observantiam indirupte voluerit retentare, necesse est ut non tam religiosus, quam inconditus atque irrationabilis habeatur. Sed et illis hæc nihilominus reperiuntur adversa, qui humanam laudem jejuniis aucupantur, et inani ostentatione palloris, famam sanctitatis acquirunt, quos evangelicus sermo in præsenti suam recepisse mercedem pronuntiat (*Matth.* VI); vel quorum per prophetam Dominus jejunium detestatur, ex quorum persona cum sibi objiciens ante dixisset, *Quare jejunavimus, et non aspexisti; humiliavimus animas nostras, et nescisti?* confestim subjiciens prodidit causas cur non mererentur audiri : *Ecce*, inquit, *in die jejuni vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare, sicut usque in hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem affigere hominem animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Numquid istud vocari jejunium, et diem acceptabilem Domino* (*Isa.* LVIII)? Deinde infert docens quomodo acceptabilis fiat continentia jejunantis, atque evidenter enuntiat per se solum jejunium non posse prodesse, nisi has quæ subjiciuntur causas habuerit consequentes : *Nonne hoc est*, inquiens, *jejunium quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet, Ecce adsum* (*Ibid*). Videtis ergo jejunium nequaquam principale bonum a Domino judicari, eo quod non per seipsum, sed per alia opera bonum ac placitum Deo fiat; et rursum ex accidentibus causis, non solum vanum, verum etiam odibile censeatur, dicente Domino, *cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum* (*Jer.* XIV).

CAPUT XV.

Quod ea quæ sui natura bona sunt non debeant propter ea quæ media sunt exerceri; sed potius, e converso, ea quæ media sunt, ad ea quæ principaliter bona sunt acquirenda, suscipi debeant.

Non enim misericordia, patientia, et charitas, vel illa prædictarum præcepta virtutum, in quibus utique bonum est principale, propter jejunia sunt tenenda, [c] sed potius jejunia propter illa. Elaborandum est enim ut virtutes illæ quæ vere bonæ sunt, jejuniis acquirantur, non ut ad jejuniorum terminum tendant illarum gesta virtutum. Ob hoc ergo est utilis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

possit, interdum prætermissum condemnare non possit; quodque nonnumquam egisse reprehensibile sit, ait Auctor superiori cap. Jejunium ergo non damnat hominem, dum frangitur, aut non servatur, scilicet legitime et tempore ab Ecclesia concesso.

[a] Quidnam vocet principale bonum, aut principale malum, dictum est supra (*Cap.* 12).

[b] Huc pertinent quæ alias de hospitalitate exercenda et jejunio regulari causa hospitum relaxando non semel notavimus.

[c] Chrysostomus homilia 47 in Matthæum : *Hæc dixi, non quia jejunium mihi non placeat, quod magnis soleo efferre laudibus, sed quia doleo si, cæteris negle-ctis, satis ad salutem vobis jejunium existimetis, quod in choro virtutum ultimum certe sortitur locum. Præcipuæ namque virtutes sunt charitas, humilitas, misericordia.* Et Hieronymus ad Cælantiam : *Quid enim prodest tenuari corpus abstinentia, si animus intumescit superbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi sumus? Tunc, inquam, præclara est abstinentia, tunc pulchra atque magnifica castigatio corporis cum est animus jejunus a vitiis. Immo qui probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbium.*

carnis afflictio, ob hoc ei adhibenda est inediæ medicina, ut per illam ad charitatem, in qua immobile ac sine ulla temporis exceptione perpetuum bonum est, pervenire possimus. Neque enim medicinæ, aurificinæ, vel cæterarum quæ in hoc mundo sunt artium, disciplina, propter instrumenta quæ ad opus ejus pertinent exercetur, et non potius ferramenta propter artis studium præparantur; quæ sicut utilia sunt peritis, ita superflua his qui artis ipsius nesciunt disciplinam. Et sicut his qui ad efficiendum opus suum, eorum ministerio fulciuntur, plurimum prosunt, ita illis qui, cujus rei gratia instituta sint ignorantes, sola eorum possessione contenti sunt, penitus prodesse non possunt, quia utilitatis eorum [*Lips. in marg.* suæ] summam in retentione eorum tantum, non in operis consummatione constituunt. Illud ergo est optimum principaliter, propter quod fiunt illa quæ media sunt; ipsum vero præcipuum bonum, non ob aliam causam, sed propter suam tantum agitur bonitatem.

CAPUT XVI.

Quomodo a cæteris bonis principale discernatur bonum.

Quod quidem a cæteris quæ media esse prædiximus, his secernitur modis : si per se bonum sit, et non per aliud aliquid; si propter se necessarium sit, et non propter aliud; si immutabiliter semperque sit bonum, ac perpetuo suam retinens qualitatem, numquam in partem possit transire contrariam; si ademptio vel cessatio ejus non possit summam non inferre perniciem; si id quod illi contrarium est, similiter principale sit malum, nec in partem bonam possit aliquando transire. Quæ definitiones quibus principalium bonorum natura discernitur, ascribi jejuniis omnino non possunt. Neque enim ex semetipsis bona, aut propter se necessaria sunt, quæ propter acquirendam cordis et corporis puritatem salubriter exercentur, ut, aculeis carnis obtusis, mens pacifica suo concilietur Auctori; nec immutabiliter semperque sunt bona, quia plerumque eorum intermissione non lædimur, immo etiam in perniciem interdum animæ importunius celebrata vertuntur.

A Sed nec principale malum est id quod illi videtur adversum, id est, ciborum naturaliter jucunda perceptio, quæ nisi intemperantia atque luxuria, vel alia quædam vitia subsequantur, mala non potest definiri; quia [a] *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem* (*Matth.* xv). Principali itaque derogat bono, nec perfecte aut sine peccato illud exsequitur, quisquis hoc non propter idipsum, sed propter aliud aliquid facit. Omnia enim hujus gratia facienda sunt, ipsum vero propter se solum est expetendum.

CAPUT XVII.

De ratione et utilitate jejunii.

Talem igitur definitionem super jejunii qualitate jugiter retinentes, ita illud totis viribus animi appe-
B tamus, ut tamen tunc demum id nobis congruum noverimus, si in eo temporum ratio, si qualitas, si mensura servetur; nec ita ut in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed ut per ipsum ad puritatem cordis et apostolicam charitatem pervenire possimus. Igitur ex hoc ipso jejunium cui non solum specialia præfixa sunt tempora quibus vel exerceri debeat vel prætermitti, sed etiam qualitas modusque prepositus est, non principale bonum, sed medium quiddam esse manifestum est. Cæterum hæc quæ præcepti auctoritate, vel mandantur ut bona, vel interdicuntur ut noxia, numquam ita exceptioni temporum subjacent, ut interdum, aut quæ vetita sunt, fieri debeant; aut quæ imperata sunt, prætermitti.
C [b] Nec enim ullus justitiæ, patientiæ, sobrietati, pudicitiæ, charitati, statutus est modus; nec rursum injustitiæ, impatientiæ, furori, impudicitiæ, invidiæ atque superbiæ libertas aliquando permissa est.

CAPUT XVIII.

Non semper congruum esse jejunium.

Quamobrem his de jejunii qualitate præmissis, subdenda adhuc sanctarum Scripturarum videtur auctoritas, per quam approbetur manifestius jejunium perpetuo custodiri nec debere nec posse. In Evangelio jejunantibus Pharisæis una cum discipulis Joannis Baptistæ, cum apostoli, utpote amici et convivæ cœlestis illius Sponsi, necdum jejuniorum ob-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Nimirum per se, et ex natura sua, sicut Judæi putabant. Potest tamen inquinare ratione inobedientiæ aut intemperantiæ qua sumitur; sicut potest ratione scandali cum quo sumitur : quomodo vesci carnibus die jejunii coinquinat animam; alioquin nec ebrietas, nec ingurgitatio coinquinaret animam, quod nec hæreticus dixerit.

[b] Quomodo dicatur, justitiæ, patientiæ, sobrietati, pudicitiæ, charitati nullus modus esse statutus, non caret aliqua difficultate. Et quidem de charitate, quæ mater est et regina omnium virtutum, sic loquuntur Paula et Eustochium in epistola ad Marcellam (*Epist.* 17 *inter epist. Hieronymi*) : *Mensuram charitas non habet.* Et D. Bernardus (*Lib. de Diligendo Deo*) : *Modus diligendi Deum est diligere sine modo.* E diverso est axioma philosophicum, quo dicitur *virtus in medio consistere.* Et D. Hieronymus (*In epitaphio Paulæ*) commendat illam philosophorum sententiam : μεσότης ἡ ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ πέλεται, id est, modus virtus est, nimietas vitium : *quod nos,*
D inquit, *una et brevi sententiola exprimere possumus : Ne quid nimis* (*Vide S. Th.* 1-2, *q.* 64 *a.* 1 *et* 4). Sed facilis responsio est, nihil aliud velle hunc abbatem, quam justitiæ, patientiæ, et cæteris virtutibus nullum esse statutum modum ex parte temporis : quia nullum est tempus quo justitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam, charitatem colere, et contraria vitia vitare non debeamus : quod aliis verbis præcedentibus, sed eodem sensu, dixerat, *numquam ita exceptioni temporum hæc subjacere, ut interdum aut quæ vetita sunt fieri debeant, aut quæ imperata sunt prætermitti.* Confert enim jejunium, velut medium quoddam bonum, cum duobus extremis, nempe virtutibus et vitiis hic commemoratis, docetque virtutes semper et omni tempore colendas, et vitia semper et quovis tempore fugienda, jejunium vero certis temporibus legitime et cum debita mensura et moderatione assumendum; alias intermittendum, aut relaxandum, ut fit tempore Quinquagesimæ, de quo peculiariter hic agitur.

servantiam custodirent, discipuli autem Joannis qui summam justitiæ se de jejuniis possidere credebant, quippe illius sectatores qui eximius pœnitentiæ prædicator ita cunctis populis formam suo præbebat exemplo, ut non solum varia escarum genera quæ humanis usibus suggeruntur, abnueret, verum etiam communem panis ipsius esum penitus ignoraret, Domino conqueruntur, dicentes, *Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant* (*Matth.* IX)? Quibus respondens Dominus evidenter ostendit, non omni tempore congruum esse jejunium et necessarium, cum aliqua festivitatis tempore vel interveniens charitatis occasio, indulgentiam refectionis admiserit : [a] *Numquid possunt,* inquiens, *filii Sponsi lugere quamdiu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc jejunabunt* (*Ibid.*). [b] Quæ verba licet ante resurrectionem dixerit corporis sui, tamen proprie Quinquagesimæ tempus ostendunt, in quo post resurrectionem per quadraginta dies Domino cum discipulis epulante, jejunare illos quotidianæ ejus præsentiæ gaudium non sinebat.

CAPUT XIX.

Interrogatio cur totis quinquaginta diebus jejunium relaxetur?

Germanus : Quare igitur tota Quinquagesima abstinentiæ rigorem prandiis relaxamus; cum utique Christus quadraginta tantum diebus post resurrectionem cum discipulis suis fuerit commoratus.

CAPUT XX.

Responsio.

Theonas : Non incongrue interrogatio vestra rationem integerrimæ veritatis meretur agnoscere. [c] Post ascensionem Salvatoris nostri, quæ quadragesimo resurrectionis ejus acta est die, apostoli reversi de monte Oliveti, in quo se ad Patrem pergens præbuit intuendum, sicut etiam Actuum Apostolorum lectio contestatur (*Cap.* I), ingressi Hierosolymam, decem diebus adventum Spiritus sancti exspectasse referuntur, quibus expletis, quinquagesima eum die cum gaudio susceperunt, et ita est per hæc festivitatis hujus numerus evidenter impletus. Quem in veteri quoque Testamento legimus figuraliter adumbratum, in quo (*Deuter.* XVI), consummatis hebdomadibus septem, primitiarum panis per sacerdotes Domino jubebatur offerri, qui veracissime per apostolorum prædicationem, qua in illo die concionati leguntur ad populum, oblatus Domino comprobatur, verus scilicet primitiarum panis qui, novæ doctrinæ institutione prolatus, quinque millibus virorum escæ suæ munere satiatis, primitivum de Judæis Christianorum populum Domino consecravit. Et idcirco hi quoque decem dies cum superioribus quadraginta pari solemnitate sunt ac lætitia celebrandi. [d] Cujus festivitatis traditio, per apostolicos viros ad nos usque transmissa eodem tenore servanda est. Ideo namque in istis diebus nec genua in oratione curvantur, quia inflexio genuum velut pœnitentiæ ac luctus indicium est. Unde etiam per omnia eamdem in illis solemnitatem quam die dominica custodimus, in qua majores nostri, nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reverentiam resurrectionis Dominicæ tradiderunt.

CAPUT XXI.

Interrogatio utrum abstinentia jejunii relaxata non obsit corporis castitati?

Germanus : Potestne hæc caro insolitis blandimentis tam longæ festivitatis illecta non [e] aliquid

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Apposite ad hunc locum eluçidandum scribit B. Hieronymus in hæc verba (*In comment. Matth* IX) : *Nonnulli putant idcirco post dies quadraginta passionis jejunia debere committi, licet statim dies Pentecostes et Spiritus sanctus adveniens indicent nobis festivitatem. Et ex hujus occasione testimonii Montanus, Prisca et Maximilla etiam post Pentecosten faciunt Quadragesimam, quod ablato Sponso, filii Sponsi debeant jejunare. Ecclesiæ autem consuetudo ad passionem Domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spirituali saginæ corporis jejunio præparemur.* Hæc Hieronymus suggillans Montani et Montanistarum ineptiam, qui hujus occasione sententiæ Quadragesimam post Pentecosten celebrabant, nimirum ablationem Domini et Sponsi interpretantes ipsam Ascensionem, cum Ecclesia catholica a Spiritu sancto melius edocta per ablationem Sponsi passionem et mortem Domini nostri interpretetur, et ideo tunc majora jejunia instituat cum ipsam Dominicam passionem commemorare aggreditur, per quæ etiam jejunia ad spiritalem saginam, id est, paschalem refectionem et synaxim præparatur; nam secundum rationem Montanistarum sequeretur omni tempore jejunandum esse citra id temporis quo Christus in cœlum ascendit.

[b] Illa scilicet : *Numquid possunt filii Sponsi jejunare, quamdiu cum illis est Sponsus?* Quibus verbis ait proprie designari tempus Quinquagesimæ, in quo Christus post resurrectionem suam cum discipulis conversatus *per dies quadraginta apparens eis, et convescens, et loquens de regno Dei* (*Actor.* I). Quibus diebus addendi fuere illi decem dies, ob promissionem et exspectationem adventus Spiritus sancti, pari solemnitate et lætitia celebrandi, ut infra habetur.

[c] Eodem fere modo D. Ambrosius : *Instar,* inquit, *dominicæ tota Quinquagesima dierum curricula celebrantur, et omnes isti dies velut dominici deputantur. Resurrectio enim Dominica est. Nam in dominica resurgens Salvator reversus ad homines est, et post resurrectionem tota Quinquagesima cum hominibus commoratus est. Æqualis erga eorum necessarium ut esset festivitas, quorum æqualis esset et sanctitas. Sic enim disposuit Dominus, ut sicut ejus passione in Quadragesimæ jejunio contristaremur, ita ejus resurrectione Quinquagesimæ feriis lætaremur.* Hæc Ambrosius.

[d] De hac antiqua traditione a Patribus accepta satis dictum in præcedentibus (*Cap.* 11).

[e] *Sentuosum,* id est, spinosum, metaphorice pro vitioso sumitur. *De illo quamvis abscisso vitiorum fomite,* id est, carnis lascivia, sive concupiscentia, per longam abstinentiam prius edomita; concupiscentiam enim fomitem peccati vocat etiam D. Augustinus lib. I de Peccat. Meritis cap. ultimo, et ex eo synodus Tridentina, dum ait (*Sess.* 5 *c.* 5) : *Manere in baptizatis concupiscentiam et fomitem hæc sancta synodus fatetur et sentit : quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam resistentibus non valet.* Et quibus verbis intelligitur improprie admodum et κατα-χρηστικῶς dici hunc fomitem abscissum, cum in renatis maneat post baptismum.

sentuosum de illo, quamvis abscisso, vitiorum fomite germinare, aut mens præsumptis ultra consuetudinem dapibus onerata non erga famulum corpus rigorem dominationis suæ inflectere, præsertim cum in nobis viridior ætas cito ad rebellionem subdita possit membra compellere, si vel escas solitas abundantius, vel certe insolitas licentius præsumamus?

CAPUT XXII.

Responsio de reservando continentiæ temperamento.

Theonas : Si universa quæ gerimus rationabili mentis appendamus examine, et de puritate cordis nostri non aliorum judicium, sed nostram semper conscientiam consulamus, certum est istam refectionis intercapedinem juste districtioni obesse non posse, si modo, ut dictum est, æquam indulgentiæ continentiæque mensuram pari lance perpendens, [a] utramque similiter nimietatem mens incorrupta castiget; et utrum spiritum nostrum deliciarum deprimat pondus, an vero alteram, hoc est corporis partem, major abstinentiæ inclinet austeritas, vera discretione distinguat, illam vel comprimens, vel sublevans portionem, quam vel extolli senserit, vel gravari. Nihil enim Dominus noster ad cultum atque honorem suum absque judicii moderatione vult fieri, quia *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* XCVIII). Et idcirco sapientissimus Salomon, ut in neutram partem vergente judicio declinemus, admonet dicens, *Honora Deum de tuis justis laboribus, et deliba ei de fructibus justitiæ tuæ* (*Prov.* III). [b] Etenim residet in conscientia nostra incorruptus quidam ac verus judex, qui nonnumquam super statu puritatis nostræ, cunctis errantibus, solus ipse non fallitur. [c] Omni enim cautione atque solertia jugi si circumspecti cordis servetur intentio, quomodo, judicio nostræ discretionis errante, aut inconsideratæ continentiæ cupiditate succensi, aut desiderio nimiæ remissionis illecti, substantiam virium nostrarum iniquæ trutinæ examinatione libremus, sed in altera quidem lance animæ puritatem, in altera vires corporis collocantes, ita vero conscientiæ judicio utraque pendamus, ut in neutram partem unius rei affectu præponderante perversi, vel ad immodicam districtionem, vel ad nimiam remissionem, æqualitatis libram propensius inclinemus, et illud nobis vel pro remissionis vel pro districtionis nimietate dicatur, [d] *Nonne si recte offeras, non autem recte dividas, peccasti* (*Gen.* IV, *sec.* LXX)? Illas etenim jejuniorum victimas, quas nobis violenta viscerum convulsione inconsiderate extorquentes Domino recte offerre nos credimus, ille qui diligit misericordiam et judicium, exsecratur dicens, *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocaustum* (*Isa.* LXI). Illos etiam qui oblationem, id est, officiorum atque actuum suorum præcipua ad fotum carnis atque usus proprios præsumentes, reliquias eorum Domino ac minimam deferunt portionem, velut operarios fraudulentos sermo divinus ita condemnat, *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (*Jerem.* XLVIII). Non ergo immerito eum qui se ita iniquo fallit examine, increpat Dominus dicens : *Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant* (*Psal.* LXI). Et idcirco beatus Apostolus,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sic abbas Moyses collat. 2 cap. 16 : *Omni*, inquit, *conatu debet discretionis bonum virtute humilitatis acquiri, quæ nos illæsos ab utraque potest nimietate servare. Vetus namque sententia est,* ἀκρότητες ἰσότητες, *id est, nimietates æqualitates sunt. Ad unum enim finem nimietas jejunii et voracitas pervenit, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum quo somni gravissimi torpor involvit. Nam per excessum continentiæ debilitatum quemque ad illum statum revocari necesse est, in quo negligens quisque per incuriam detinetur.* Hæc ille. Vide ibi notationes nostras (*Vide lib.* VI *Inst. c. ult.*).

[b] Idem collat. 20 c. 5 : *Verissimus quidam examinator pœnitentiæ et indulgentiæ judex in conscientia residet nostra, qui absolutionem reatus nostri ante cognitionis et judicii diem adhuc nobis in hac carne commorantibus detegit, et satisfactionis finem ad remissionis gratiam pandit.* Quæ quomodo intelligenda sint, ibi est explicatum.

[c] Similia sunt loca lib. V Institut. cap. 8, 9 et 22; collat. 2 cap. 22 et 26. Quibus et SS. Patrum sententiæ astipulantur. Basilius lib. de Vera Virginitate : *Sicut in gulæ intemperantiam declinare grave et periculosum est, ita per nimium abstinentiam corpus atterere et inutile reddere omni profecto ratione caret. Neque enim abstinere a voluptate gulæ per se expetendum est, sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quod si illud cujus gratia ciborum abstinentiam eligimus, per immoderatam negligamus inediam, contra atque instituimus agimus. Nam fracto contriloque instrumento, neque Deo inhærere per lectionis et orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officium obire Igitur et corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed ut servitio illius ad philosophiæ* (id est, sapientiæ vel contemplationis) *studia uti possimus.* S. Hieronymus in epist. ad Nepotianum (*Epist.* II) : *Tantum tibi modum jejuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, et non superstitiosa jejunia.* Et ad Rusticum monachum (*Epist.* IV) : *Jejunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum, et majorem refectionem poscentia erumpant in cruditatem, quæ parens libidinum est. Modicus et temperatus cibus et carni et animæ utilis est.*

[d] Ita secundum Græcam translationem Septuag. Interpretum, quam plerique Patres secuti sunt; atque inter alios Augustinus lib. XV De Civit. Dei cap. 7 : *In hac*, inquit, *admonitione quam Deus protulit ad Cain, illud quidem quod dictum est : Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? quia non elucet cur vel unde sit dictum, multos sensus peperit ejus obscuritas, cum divinarum Scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exprimere. Recte quippe offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui uni tantummodo sacrificandum est. Non autem recte dividitur, dum non discernuntur recte vel loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel qui offertur, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est, ut divisionem intelligamus discretionem; sive cum offertur ubi non oportet; sive cum offertur quando non oportet, aut quod non tunc, sed alias oportet; sive cum id offertur quod nusquam et numquam penitus debuit; sive cum electiora sibi ejusdem generis rerum tenet homo, quam sint ea quæ offert Deo; sive cum ejus rei quæ oblata est fit particeps profanus, aut quilibet quem fas non est fieri.* Sic Augustinus. Porro Vulgata versio divi Hieronymi a concilio Tridentino approbata sic habet : *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit* (*Gen.* IV).

ut, discretionis moderamina retinentes, in neutram partem illecti nimietate vergamus admonet, dicens : *Rationabile obsequium vestrum* (*Rom.* XII). Quam rem etiam legislator similiter interdicit, ita præcipiens : *Statera justa, et æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius* (*Levit.* XIX) ; Salomone quoque parem super hoc sententiam proferente : [a] *Pondus magnum et pusillum, et mensuræ duplices, immunda sunt apud Dominum utraque, et qui facit ea in adinventionibus suis compedietur* (*Prov.* XX). Proinde non solum illo quo diximus, sed etiam hoc modo studendum est nobis, ut nec iniqua pondera in cordibus nostris, nec in horreis conscientiæ nostræ mensuras duplices habeamus ; id est, ne ea ipsi quæ districtionis regulam molliunt remissiore indulgentia præsumentes, eos quibus verbum Domini prædicamus districtioribus præceptis et gravioribus quam ipsi perferre possimus ponderibus obruamus. Quod cum facimus, quid nisi duplici pondere atque mensura præceptorum Domini mercem frugemque vel appendimus vel metimur? Si enim aliter ea nobis, aliter nostris fratribus dispensemus, recte increpamur a Domino, eo quod stateras dolosas ac mensuras duplices habeamus, secundum illam sententiam Salomonis qua dicitur, *Abominatio est Domino pondus duplex, et statera dolosa non est bona in conspectu ejus* (*Ibid.*). Hoc etiam modo reatum dolosi ponderis duplicisque mensuræ evidenter incurrimus, si districtiora quædam quæ privatim per nostras cellulas exercere consuevimus humanæ laudis cupiditate coram fratribus ostentemus, abstinentiores scilicet et sanctiores apparere affectantes humano conspectui quam divino. Qui morbus præcipue non modo vitandus, verum etiam abominandus est nobis. Sed interim a quæstione proposita paulo longius evagati, ad eamdem a qua discessimus, revertamur.

CAPUT XXIII.

De refectionis tempore atque mensura.

Igitur prædictorum dierum ita est custodienda solemnitas, ut corporis atque animæ cultui prosit magis indulta quam noceat, quia nec illius festivitatis gaudium aculeos carnis obtundere, nec [b] immitis ille adversarius dierum novit reverentia mitigari. Ut ergo et diebus festivis statutæ consuetudo solemni-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgatus textus : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum* (*Prov.* XX). Cujus sententiæ triplicem expositionem moralem hic affert Auctor, a qua non multum discrepat D. Hieronymi gemina itidem expositio in hæc verba : *Pondus et pondus, hoc est, majus et minus ; mensura et mensura, similiter major et minor, utrumque abominabile est apud Deum. Præpositi enim in Ecclesia prave viventes has duplices mensuras in domibus, hoc est, conscientiis suis habent, quia bonum quod aliis imperant ipsi minime faciunt, et malum quod in subditis damnant ipsi perpetrare non desinunt. Pondus et pondus, mensuram et mensuram, hypocritæ atque hæretici in domibus, hoc est, in sensibus suis habent, in eo quod se mundos in cogitatione et puros in actione sua esse mentiuntur, cæteros vero velut sordidos atque peccatores respuunt et contemnunt, quasi statera dolosa et mensura duplici aliter sua et aliter facta proximorum pensant, ac per hoc in utroque abominabiles apud Deum existunt : diversum namque pondus in domo sua, diversam habet mensuram, ut aliter videlicet in semetipso, aliter mentiatur in proximo, qui in suis semper actibus quæ laudari, in aliorum vero quæ vituperari possint, rimatur. Et ideo talem juste abominatur Dominus, quia nimirum quantum sibimet ipsi absque meritis placet, tantum superno inspectori merito displicet.* Hæc elegantter D. Hieronymus, quæ si cum textu nostro conferantur, plane eidem consentanea reperiuntur.

[b] Mihi videntur hæc de triplici adversario posse exponi, puta de diabolo, de carne, de conscientia nostra. De diabolo exponit Dionysius hac paraphrasi hujus loci : *Sic servanda est solemnitas prædictorum dierum, ut concessa remissio prosit magis quam noceat cultui sive profectui carnis et animæ, quia nec stimulus carnis neque diabolus mitigatur gaudio alicujus festivitatis aut dierum honore.* Sic ipse, quem et Lavardinus sequi videtur. De hoc quippe adversario ait Petrus Apostolus : *Adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (I *Pet.* V). Atque hic adversarius immitis et crudelis nulla dierum reverentia mitigatur, id est, nulla solemnitatum reverentia et religione tangitur, ut propterea conquiescat, et nos impugnare seu ad malum sollicitare desistat : immo quo remissiores et liberiores offendit, eo audacius et importunius aggreditur ; de carne etiam seu carnis cupiditate potest intelligi, eo modo quo a nonnullis (*Athanas. q.* 62, *l.* I *epist.* 80, *Juvencus in carm.*) exponuntur illa verba Salvatoris Matth. V : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es cum eo in via*, etc. Quo quidem in loco, ait Isidorus Pelusiotes, *per adversarium, corporis cupiditatem spiritui repugnantem divine intelligit. Viam autem hic vitam vocat, quæ a genere nostro sine ulla institione peragratur. Consensum denique ac benevolentiam erga corpus, agnitionem rebellionis ipsius appellat, quæ confestim perspici debet : ne alioqui, si ipsius imperiis succubuerimus, ac res superna vocatione indignas perpetraverimus, ab illa Judici tum dedamur, cum ad opera nostra et sermones colligendos venerit, reddendumque unicuique juxta opus suum.* Sic ille ex versione Billiana. Verum hæc expositio minus fortasse idonea et commoda huic loco videri possit (ut de textu et sensu evangelico nihil dicam), quod hoc modo non distingueretur hæc sententia a præcedente, cum hic adversarius idem sit cum aculeis carnis ; proinde nulla fuisset opus distinctione : quamvis vere etiam dici possit hic adversarius, id est, carnis stimulus nulla dierum reverentia mitigari, id est, conquiescere, qui etiam B. Paulo quovis tempore molestus erat (I *Cor.* XIV). Tertia expositio, quæ mihi magis placet, de conscientia, quæ nos ut gravissimus adversarius accusat ; neque mitigari, pacari et secura esse potest, si nos in diebus Quinquagesimæ, aut alia solemnitate, nimia uti licentia, intemperantia, vel remissione senserit, quæ cultui sive profectui corporis vel animæ noceat, ut superius dictum est. De quo adversario eodemque judice ac vindice supra dixit (*Cap.* 22) : *Residet in conscientia nostra incorruptus quidam ac verus judex, qui nonnumquam super statu puritatis nostræ cunctis errantibus solus ipse non fallitur.* Et alibi vocat *arbitram, non solum actuum, sed et cogitationum nostrarum conscientiam* (*Collat.* 11, *cap.* 9). Quam D. Hieronymus συντήρησιν, vulgus synderesim nuncupat. Atque hoc modo etiam D. Athanasius (*Quæst.* 62) locum illum Evangelii (*Matth.* V) interpretatur : *Dicitur*, inquit, *etiam conscientia adversarius. Nam occulte nos in corde nostro redarguit, coercet a malo, et si simus inobedientes, tandem nos ad Dei tribunal sistit, ubi et pœnas dabimus, tum enormium peccatorum, tum etiam levium et minimorum.*

tatis conservetur, et saluberrimus parcimoniæ modus minime transcendatur, sufficit ut indulgentiam remissionis eo usque progredi patiamur [a] ut cibus qui hora diei nona fuerat capiendus, paulo citius, id est, sexta hora pro festivitatis tempore capiatur, ea ratione dumtaxat, ut escarum solitus modus vel qualitas non mutetur, ne puritas corporis, vel integritas mentis, abstinentia Quadragesimæ diligentius acquisita, Quinquagesimæ remissione depereat, nihilque nobis prosit obtinuisse jejuniis quod mox amitti cogat incitata saturitas : præsertim cum etiam hostis nostri non ignota versutia, tunc præcipue munitionem nostræ puritatis impugnet, cum ejus custodiam senserit solemnitatis celebritate laxatam. [b] Quamobrem vigilantissime providendum est, ne umquam mentis nostræ vigor blandis seductionibus enervetur, ne, veluti supra jam dictum est, castimoniæ puritatem Quadragesimæ labore quæsitam Quinquagesimæ requie ac securitate perdamus. Et idcirco nulla penitus in ciborum qualitate vel modo admittatur adjectio, sed ab escis quarum continentia diebus jejunii pro integritate pudicitiæ utebamur, etiam diebus celeberrimis similiter temperemus, ne lætitia festivitatis perniciosissimam nobis carnalium incentivorum suscitans pugnam, vertatur in luctum, illamque nobis excellentiorem, quæ gaudio incorruptionis exsultat, festivitatem mentis eripiat, et incipiamus post brevem carnalis lætitiæ vanitatem, amissam cordis pudicitiam longo pœnitentiæ mœrore deflere. Studendum quinimmo est ut non frustra ad nos illa propheticæ adhortationis commonitio dirigatur : *Celebra, Juda, festivitates tuas, et redde vota tua* (*Nahum.* I). Si enim continentiæ jugitatem interjecta dierum solemnitas non mutarit, spiritalibus feriis jugiter perfruemur, et ita nobis a servili operatione cessantibus, *Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sabbato* (*Isaiæ* LXVI).

CAPUT XXIV.

Interrogatio de diversa observatione Quadragesimæ.

Germanus : Quid causæ est ut sex hebdomadibus Quadragesima celebretur, licet in quibusdam provinciis religionis forsitan propensior cura adjecisse hebdomadam etiam septimam videatur, cum neuter numerus, [c] die dominico sabbatoque subtracto, quadraginta dierum impleat summam? Sex enim et triginta dies in ipsis hebdomadibus tantummodo concluduntur.

CAPUT XXV.

Responsio ad propositam interrogationem, qua etiam docet Quadragesimæ jejunium vicem decimarum totius anni complecti.

Theonas : Licet quorumdam pia simplicitas hujus rei amputet quæstionem, tamen quia etiam illa quæ alius interrogatione indigna duxisset, scrupulosius perscrutantes, integram observantiæ nostræ ac mysterii veritatem desideratis agnoscere : evidentissimam hujus etiam rei percipite rationem, ut manifestius approbetis nihil irrationabile nostros tradidisse majores. Lege Mosaica universo populo *generalis* est promulgata præceptio : *Decimas tuas et primitias offeres Domino Deo tuo* (*Exod.* XXII). Itaque qui substantiarum nostrarum omniumque fructuum decimas offerre præcipimur, multo magis necesse est [d] ut ipsius quoque conversationis nostræ et humani usus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Eodem modo abbas Moyses collat. 2 cap. 26 docet quomodo humanitas, id est, hospitalitas, fratribus advenientibus exhiberi possit, absque dispendio consuetæ districtionis et abstinentiæ : *Ut in neutra parte reprehensibiles inveniamur, si hæc,* inquit, *a nobis consuetudo retineatur, ut hora nona de duobus paximaciis quæ nobis canonica mensura jure debentur, uno paximacio prælibato, aliud, hujus exspectationis gratia, in vesperam reservemus ; quod si supervenerit quispiam fratrum, cum ipso pariter insumamus, nihil consuetudini solitæ amplius adjungentes ; et hac dispensatione nequaquam fratris nos contristabit adventus, qui nobis debet esse gratissimus, siquidem ita humanitatis exhibemus obsequia, ut nihil a rigore continentiæ relaxemus.*

[b] Observa hic, religiose lector, qua frugalitate et temperantia utendum tempore paschali, sive post jejunium Quadragesimæ, et in diebus solemnioribus, ut hic dicitur. Cujus insignis documenti rationem habuisse videtur Innocentius III pontifex, dum inter alia monasticæ reformationis instituta ita decernit (*Cap. Cum ad monasterium, de statu monach.*) : *Nec in quibusdam solemnitatibus (sicut aliquando fieri consuevit) conventus exeat cum abbate, paucis ibi relictis, ut extra refectorium edant carnes, cum illis diebus præcipue regularis disciplina sit studiosius observanda.*

[c] Nam, ut alibi ostensum est (*Lib.* III *Instit. cap.* 9), Orientales, seu Græci diem sabbati a jejunio Quadragesimæ excipiebant et subtrahebant, excepto sabbato paschali, eatenus quidem, ut diebus sabbatinis non jejunarent, sed tamen a carnibus et ovis abstinerent, ut et dominicis. Quod in Occidente in Ecclesia Mediolanensi tempore D. Ambrosii observatum ipsemet testatur lib. de Elia et Jejunio dicens : *Quadragesima totis, præter sabbatum et dominicum, jejunatur diebus. Hoc jejunium Domini Pascha includit.* Cum igitur apud Orientales sabbata *cum dominicis*, apud Latinos vero non nisi *dies dominici* a jejunio exciperentur, necesse erat ab illis septem, ab his tantummodo sex hebdomadas jejunii quadragesimalis observari, ut numerum triginta sex dierum pariter exæquarent. Nam septima hebdomada apud illos supplebat vicem sabbatorum, adjuncto sabbato Paschæ. Sed de his plura in sequentibus.

[d] Hæc una ratio, præter alias complures, cur instituta fuerit Quadragesima, seu quadragesimale jejunium, nimirum ut quasi decimas vitæ nostræ operumque nostrorum per abstinentiam quadragesimalem Domino offeramus (*Vide Bellarm. lib.* II *de Bon Oper. in partic. c.* 16 ; *hom.* 16 *in Evang. Gratian. dist.* 5 *de Consecr. c. Quadragesima*). Quam rationem etiam D. Gregorius pro concione ad populum his verbis expressit : *A præsenti etenim die* (hoc est, a prima dominica Quadragesimæ, ut Gratianus retulit) *usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt : quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt : ex quibus dum sex dies dominici subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent ; dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus ; ut qui nobismetipsis per acceptum annum vixímus, auctori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam mortificemus. Unde, fratres charissimi, sicut offerre in lege jubemini decimas rerum, ita et offerre contendite decimas dierum.* Ita Gregorius. Similiter et Isidorus lib. I de Offic.

operumque nostrorum decimas offeramus, quæ profecto in supputatione Quadragesimæ evidenter implentur. Omnium enim dierum numerus quibus revolutus in orbem annus includitur, [a] triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem vero hebdomadibus, si dies dominici et sabbata subtrahantur, quinque et triginta supersunt dies jejuniis deputati; sed [b] adjecta illa vigiliarum die, qua usque in gallorum cantum, illucescente dominica, jejunium sabbati protelatur, non solum sex et triginta dierum numerus adimpletur, verum etiam pro decimis quinque dierum qui residui videbantur, si illud quod superest, adjectum noctis spatium computetur, plenitudini totius summæ omnino nihil deerit.

CAPUT XXVI.

Quomodo etiam primitias nostras Domino debeamus offerre.

Quid [c] vero de primitiis dicam, quas ab omnibus qui Christo fideliter famulantur, quotidie certum est exhiberi? Nam cum expergefacti a somno, et quasi rediviva post soporem alacritate surgentes, priusquam motum sensus ullius corde concipiant, vel memoriam aut curam rei familiaris admittant, cogitationum suarum ortus atque principia divinis consecrant holocaustis, quid nisi primitias vere suorum fructuum, per summum sacerdotem Jesum Christum, pro usu vitæ hujus et imagine quotidianæ resurrectionis exsolvunt? Quique etiam a somno excitati, hostiam jubilationis suæ Deo similiter offerentes, primo linguæ suæ motu ipsum invocant, ipsius nomen laudesque concelebrant; atque ad canendos ei hymnos primo labiorum claustra reserantes, immolant Deo sui oris officia. Cui etiam pari deferunt modo prima manuum suarum gressuumque libamina, cum e cubilibus consurgentes in oratione consistunt, et priusquam in propriis causis membrorum suorum fungantur officio, nihil sibi de ministerio eorum ante decerpunt, sed ad ipsius honorem promovent gressum, atque in ejus laudatione defigunt, et ita cunctorum motuum suorum primitias protensione manuum, incurvatione genuum et totius corporis prostratione persolvunt. Illud enim quod decantatur in psalmo, alias implere non possumus, *Præveni in maturitate et clamavi* (*Psal.* CXVIII); et, *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua* (*Ibidem*), et, *Mane oratio mea præveniet te* (*Psal.* LXXXVII); nisi ut post quietem somni in hanc lucem, ut supra diximus, velut e tenebris et imaginaria [d] morte revocati, de universis officiis mentis et corporis nihil omnino in nostris præsumere necessitatibus audeamus. Nullus namque est alius quem aut propheta prævenerit matutinus, aut nos prævenire similiter debeamus, nisi aut nosmetipsos, id est, occupationes nostras et affectus curasque mortales, sine quibus esse non possumus, aut suggestiones subtilissimas inimici, quas nobis adhuc quiescentibus ac sopore demersis, per phantasias inanium somniorum inferre conatur, quibus nos mox evigilaturos occupet et involvat, ut primitiarum nostrarum opima deflorans primus ipse decerpat. Quamobrem omni nobis cautione curandum est (si tamen vim prædicti versiculi opere volumus adimplere), ut ita primos matutinarum cogitationum ortus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

cap. 36, hunc Cassiani locum imitatus: *Lege*, inquit, *Mosaica universo populo generaliter est præceptum decimas et primitias Domino Deo offerre. Itaque dum in hac sententia principia voluntatum consummationesque operum nostrorum referre ad Dei gratiam admonemur, in supputatione tamen Quadragesimæ summa ista decimarum legalium expletur. Totum enim anni tempus numero* 36 *dierum decimatur. Subtractis enim a Quadragesima diebus dominicis, quibus jejunia resolvuntur, his diebus, quasi pro totius anni decimis ad ecclesiam concurrimus, actuumque nostrorum operationem Deo in hostiam jubilationis offerimus.*

[a] *Semis*, id est, cum dimidio: non *senis*, ut mendose apud Dionysium. Nam decima pars dierum totius anni secundum exactiorem supputationem omnino requirit et complectitur dies triginta sex cum dimidio (*Durand. l.* VI *Rational. cap.* 28; *Gratian. de Consecra. dist.* 3 *cap. Sabbati*; *Alcuinus l. de Divin. Offic.*; *Amalar. c.* 26; *Raban. l.* II *de Instit. Cleric. cap.* 38; *Durand. supra c.* 78). Si enim tantummodo triginta sex decies in se multiplicentur, ut Gregorius et Isidorus minus exacte supputant, non resultant nisi trecenti sexaginta dies: unde surpersunt quinque dies, qui decem dimidiatis æquantur. Vide glossam insignem apud Gratianum ubi supra.

[b] Id est, a vigilia Paschæ, sive sabbato sancto: quo die non solum Romani, sed et Græci et Orientales præter morem sabbatorum jejunare, et vigilias in ecclesia usque ad mediam noctem diei dominicæ celebrare solebant. Unde Missa ejus sabbati non est Missa diei, sed noctis, ut notant fere quotquot de fficiis et cæremoniis ecclesiasticis scripserunt: et satis id indicat collecta et præfatio ejusdem, ubi noctis, non diei fit mentio. Hinc D. Hieronymus in cap. 25 Matthæi docet traditionem esse apostolicam, *ut in die vigiliarum Paschæ ante noctis dimidium populos dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi; et postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta festum cunctos agere diem.* Quin et Vigilantius hæresiarcha, teste eodem Hieronymo (*Lib.* I *advers. Vigilantium cap.* 4), sic vigilias nocturnas ecclesiasticas sui nominis hostis impugnabat, et minuere conabatur, ut tamen semel in anno, in paschali solemnitate vigilias peragendas esse jactaret. Exstat etiam sermo D. Augustini de Vigiliis Paschæ ab Amalario (*Amalar. lib.* I *cap.* 16) citatus in hoc argumento.

[c] Ut illi præcepto superius (*Cap.* 3 *hujus collat.*) allegato de decimis et primitiis Deo offerendis, quatenus naturale est, et ad mores spectans, satisfaciamus; præter decimas totius anni, quas jejunio quadragesimali persolvi diximus, docet hic abbas etiam primitias quasdam easque multiplices quotidie Deo a nobis offerendas, idque primis horis diei, id est, matutino tempore, ut primitiæ vere dicantur.

[d] Id est, mortis imagine:

> Ecquid enim est somnus, gelidæ nisi mortis imago?

ait poeta (*Juvenal*). Hinc fit, ut et somnus in Scripturis sæpe pro morte accipiatur; et dormire dicantur mortui: *Lazarus amicus noster dormit*; dixerat autem de morte ejus Joan. XI: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent* (I Thessal. IV).

solers vigilantia tueatur, ne quid ex eis festina [a] præsumptio liventis attaminet inimici, nostrasque primitias tamquam viles jam atque communes a Domino faciat reprobari. Qui si præventus a nobis pervigili mentis circumspectione non fuerit, anticipationis nequissimæ consuetudinem non deponens quotidie nos fraudibus suis prævenire non desinet. Et idcirco si placitas et acceptabiles Deo primitias ex fructibus nostræ mentis optamus offerre, non mediocrem sollicitudinem debemus impendere, ut omnes nostri corporis sensus, matutinis præcipue horis, tamquam sacrosancta Domini holocausta in omnibus illibata atque intacta servemus. Quod devotionis genus multi etiam sæcularium summa cautione custodiunt, qui ante lucem vel diluculo consurgentes, nequaquam familiaribus ac necessariis mundi hujus actibus implicantur, priusquam cunctorum actuum suorum operationumque primitias, ad ecclesiam concurrentes, divino studeant sacrare conspectui.

CAPUT XXVII.

Cur diverso dierum numero Quadragesima a plerisque observetur?

Porro quod dicitis, diverso more, id est, sex vel septem hebdomadibus per nonnullas provincias Quadragesimam celebrari, [b] una ratio idemque jejuniorum modus diversa hebdomadarum observatione concluditur. Hi enim sibi sex hebdomadarum observantiam præfixerunt, qui putant die quoque sabbati jejunandum. Sex ergo in hebdomada jejunia persolvunt, qui eosdem sex et triginta dies sexies revoluta consummant.

CAPUT XXVIII.

Quare vocetur Quadragesima, cum triginta et sex tantummodo diebus jejunetur?

Una ergo, quemadmodum esse diximus, ratio, idemque est jejuniorum modus, licet in hebdomadarum numero discrepare videatur. Sed profecto cum rationem hujus rei humana oblitterasset incuria, tempus hoc quo anniversariæ, ut dictum est, decimæ Deo triginta et sex semis jejuniis offeruntur, Quadragesimæ nomen accepit, quod fortasse vel propter hoc visum sit hoc vocabulo debere censeri, quod Moyses, vel Elias, vel ipse Dominus noster Jesus Christus quadraginta diebus jejunasse traduntur. Ad cujus numeri sacramentum illi quoque quadraginta anni, quibus Israel est in solitudine commoratus, et quadraginta similiter mansiones quibus eam mystice pertransisse describitur, non incongrue coaptantur. Et fortasse ipsa decimatio recte quasi ab [c] usu telonei [d] Quadragesimæ nomen accepit. Ita *enim illa*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Id est, diaboli nobis invidentis. Attaminare pro contaminare aut contingere. Utitur eo verbo frequenter. S. Ambrosius, apud quem etiam ille locus Apostolis ad Coloss. II sic legitur : *Ne tetigeritis, ne attaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt ad corruptelam ipso usu.*

[b] Nulla igitur inter Latinos et Græcos discrepantia in numero dierum, licet in numero hebdomadarum. Nam utrique triginta sex dies jejuniorum in Quadragesima observabant; sed hi (nempe Græci, sive Orientales) septem hebdomadibus Quadragesimam celebrabant, quia non tantum dies dominicos, sed etiam sabbatinos a jejunio subtrahebant, excepto sabbato sancto. Latini vero, sive Romani, sex tantum hebdomadas jejunabant, quia solos dies dominicos a jejunio quadragesimali excipiebant. Proinde utrique in numero dierum conveniebant, licet in numero hebdomadarum differrent. Sicuti enim in sex hebdomadis triginta sex dies jejuniorum inveniuntur, demptis dominicis, ita etiam in septem hebdomadis totidem dies jejuniorum continentur, detractis dominicis et sabbatis, uno tantum excepto paschali. Porro Græcos Quadragesimæ tempus septem hebdomadis constituisse docet S. Joannes Damascenus libello de Jejuniis ad Cometam, ubi in eam rem citat veteres D. Athanasium libro Sermonum solemnium, D. Basilium in sermone contra ebrios, D. Petrum Martyrem patriarcham Hierosolym, et Anastasium Antiochenum in libro quem Ὁδηγὸν vocat. Verum Socrates et post eum Sozomenus (*Socrat. l.* V *c.* 21, *Sozom. lib.* VII *c.* 19) Græcos ejusmodi intelligunt Constantinopolitanos et nationes circumjacentes usque ad Phœniciam. Addunt tamen per Illyricum, Græciam occidentalem, Libyam, Ægyptum et Palæstinam, parem retineri Quadragesimam sex hebdomadibus constantem.

[c] Telonium, sive teloneum, locus ubi vectigalia colligebantur, qui et apud Judæos mensa publicanorum appellabatur; quoniam plerumque vectigal pecunia erat, quæ super mensam numerari solet, ex quo loco vocatus Matthæus de Publicano in apostolum repente mutatus est. Dictum est autem telonium a Græca voce τέλος, quæ inter alia vectigal significat. Unde τελῶνες, sive τελῶναι, telonarii, qui et publicani qui vectigalia exigebant, de quibus in lib. III de Indulgen. Debit. c. Theodos. Canonem telonei apud Cassiodorum lib. V epist. 39 legimus, Gotthorumque regibus pensitatum fuisse inde intelligimus (*Hieron. in cap.* IX *Matthæi*; *Suidas*, *v.* τέλος et τελώνης, *Budæus in comment.*).

[d] Tres rationes probabiles insinuat cur Quadragesima dicta sit, etiam eo tempore quo non quadraginta, sed triginta sex tantum dies jejunaretur. Prima ratio eo spectat, quod licet numerus *quadragenarius* non esset completus, tamen quia parum abesset, visum fuerit etiam Quadragesimæ nomine debere appellari, cum hoc jejunio profiterentur se Christi, Moysis et Eliæ quadragenarium, pro suo modulo, velle imitari : præsertim cum etiam dominicis, licet non plenum et perfectum esset jejunium, tamen imperfectum saltem et portionale, ut vocat Tertullianus (*Lib. de Jejunio*), ubique servaretur; nempe *exceptio quorumdam eduliorum*, ut hic dicitur, id est, abstinentia a carnibus et cæteris cibis vetitis. Secunda, quod numerus quadragenarius sit pœnitentiæ et afflictionis symbolum, ideoque per quadraginta annos, et 40, vel, secundum Hieronymum, quadraginta duas mansiones, sive stationes, populi Israelitici in deserto adumbratus (*Hier. in* III *Jonæ et Ezech.* XXIX, *et epist.* 127 *ad Fabiolam*; *Petr. Damianus lib.* II *epist.* 3) Hanc rationem plenius exposuit D. Ambrosius serm. 23 de Quadragesima : *Legimus*, inquit, *in veteri Testamento* (*Deut.* III), *cum sanctus Moyses filios Israel de jugo Ægyptiæ captivitatis erueret, ut in terram eos repromissionis induceret, quadraginta et duorum cum dierum ad memoratam terram mansionibus pervenisse, tantoque illum temporum numero potitum esse promisit, quanto et nos promissis nobis a Salvatore perfrui gratulamur. Eodem, inquam, numero Moyses per mansiones pervenit ad requiem, quo et nos per jejunia properamus ad cœlum. Jejunia enim nostra mansiones quædam sunt, per quæ iter spiritualiter facientes, animæ virtutibus ambulamus, diurno profectu repromissæ nobis terræ viciniores efficimur*, etc. Tertia

publica vulgo vocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regis commodis deputatur, quantum et a nobis a rege omnium sæculorum pro usu vitæ nostræ legitimum Quadragesimæ vectigal exigitur. Sane licet ratio, quod quemadmodum apud Romanos ex usu telonii (*Cicer. Act.* 4 *in Verrem*), id est, ex vectigalibus, decimis, aliisque redditibus populi Romani, quos Publicani exigebant, aut exigendos pretio exhibito venditabant (unde et decumani dicebantur a decumis vel decimis), certa portio principi sive imperatori cedebat, quæ et Quadragesima vulgo censebatur; ita abstinentiæ veluti vectigal annuum, quod Deo pendimus, ad illius similitudinem Quadragesimæ nomen sortitum fuerit. Aliam itidem causam his subtiliorem ex Alcuino colligere licet lib. de Divin. Offic. cap. 8, ubi et nominis Septuagesimæ rationem assignat his verbis : *Consuetudo est divinarum Scripturarum ut omnis numerus ex quo quamlibet decadem transierit, ut si tertiæ monadi incurrat* (sic enim legendum puto), *non deputetur idem numerus decadi præcedenti, sed ei ad quam tendit. Lege librum Genesis in genealogia filiorum Noe.* Sic ille. Eodem igitur modo de jejunio quadragesimali statuendum est, ut cum triginta sex dies tricesimam excedant, ad quadragesimam idcirco pertinere dicantur, et eo nomine censeri debuerint. Porro ex his quæ hactenus de jejunio quadragesimali dicta sunt, colligere licet aliquot puncta in hoc tractatu maxime notanda, et scitu digna. 1° In Ecclesia catholica omnibus sæculis tum apud Græcos, tum apud Latinos jejunium paschale fuisse dierum 40, aut fere 40, id est, triginta sex. Nam omnia concilia et Patres antiqui utuntur nomine Quadragesimæ, cum jejunium paschale commendant (*Bellar. lib.* II *de Bon. Ope. in partic. cap.* 15; *concil. Nicæn. can.* 5; *Laodicen. can.* 49; *Ignatius epist. ad Philipp.*; *Orig. hom.* 10 *in Levit.*; *Tertul. lib.* II *de Jejunio*; *Basil. orat.* 2 *de Jejunio*). Nomine autem Quadragesimæ non potest intelligi, nisi numerus quadragenarius, aut fere quadragenarius. 2° Quadragesimam proprie incipere in prima dominica Quadragesimæ, ut observavit Micrologus cap. 49; et colligitur ex D. Ambrosio, Gregorio, Cassiano et aliis qui scribunt Quadragesimam constare 42 diebus; et detractis sex dominicis, in quibus non jejunatur, remanere dies jejunii triginta sex : idemque perspicuum est tum ex officio ejus dominicæ, tum ex eo quod jejunium Quadragesimæ olim solvebatur ad vesperam; modo post officium Vesperarum; jejunium autem quatuor dierum præcedentium primam dominicam, passim solvitur ad nonam, sive post officium Nonæ. 3° Cum ab initio triginta sex diebus tantum constaret jejunium quadragesimale, quod pro decima totius anni computabatur, ut dictum est : tamen, ut ex Gregorio citat Gratianus (*De Consecr. d.* 5, *cap. Quadragesima*), ut sacer numerus 40 dierum adimpleretur, quem Salvator noster suo sacro jejunio consecravit, quatuor dies præcedentis hebdomadæ additos esse, ad supplementum videlicet quadraginta dierum, nempe feriam quartam, quæ caput jejunii subnotatur, et quintam feriam sequentem, et sextam, et sabbatum. Verum hujus institutionis alia etiam ratio esse potuit, ut cum decima jejunii quadragesimalis simul aliquid nomine primitiarum Deo in horum quatuor dierum observantia exhiberemus; atque hac etiam ratione præceptum illud naturale de decimis et primitiis offerendis pariter impleremus. 4° Non satis constare quando vel a quo primum quatuor isti dies instituti fuerint in supplementum Jejunii quadragenarii, sive ad explendum numerum 40 dierum. Nam SS. Patres disertis verbis tradunt jejunium quadragesimale esse 40 dierum. Unde intelligitur jam antea in plerisque Ecclesiis observatos fuisse quatuor hos dies ante primam dominicam Quadragesimæ. D. Augustinus serm. 62 de tempore : *Merito*, inquit, *numerum quadraginta dierum custodire debemus, quem per exempla Moysis, Eliæ et Christ. legimus consecratum.* S. Leo sermone 4 de Quadragesima : *Provisum est, ut ad reparandam mentis puritatem* 40 *nobis dierum exercitatio mederetur.* Et serm. 5 : *Apostolicæ institutio* 40 *dierum jejunio impleatur.* Id etiam colligitur ex cap. 2 concilii Arausici (*Apud Burchard. lib.* XIII *cap.* 9), sive primi, sive secundi, quorum utrumque longe ante tempora D. Gregorii celebratum fuisse constat, quo præcipitur. *Ut in sabbato sancto, hoc est in vigilia Paschæ, jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis, aut infirmis, non solvatur; nec ipsa in Parasceve, quia cœna Domini, et Parasceve, et sabbatum ad illos quadraginta dies* (jejunii quadragesimalis) *respiciunt.* Unde consequens est quatuor istos dies jam tum fuisse Quadragesimæ adjunctos, cum ad numerum istum quadraginta dierum etiam pertineant, eumdemque compleant et perficiant, proinde initium jejunii quadragesimalis incipere a quarta feria, cum in confesso sit apud omnes dominicos dies jejunandi lege solutos esse. Ad hæc concilium Agathense circa annum Domini quingentesimum sextum celebratum cap. 9 præcipit pœnitentes cinere aspersos et cilicio indutos ab episcopo extra ecclesiam ejici in capite Quadragesimæ, quod non aliud esse videtur, quam ipsa quarta feria Cinerum, quam *in capite jejunii* vocamus, quo die cantores olim in ecclesia canere soliti : *Immutemus habitum cinere et cilicio, jejunemus et ploremus ante Dominum,* etc.; quod etiam hoc tempore in eadem quarta feria decantari consuevit, quod die dominico, qui dies lætitiæ semper a Patribus habitus est, numquam usurpatum legitur. Denique hujus additionis ut perantiquæ et in universa Ecclesia, saltem Latina, receptæ, meminerunt Scriptores ecclesiasticarum cæremoniarum et observationum, ubi de capite jejunii tractant : inter quos Amalarius Fortunatus dicit quatuor istos dies simili cum illis tringinta sex devotione venerabiles, et pari abstinentia, hoc est, jejunii observatione custodiendos, et sanctorum Patrum auctoritate et ratione ipsa commendari. Quos autem sanctos Patres appellat, non ipso utique D. Gregorio recentiores, sed potius vel æquales, vel antiquiores existimare consentaneum est. Illis accedat Alphonsus Pisanus qui lib. de Pœnit. cap. 8 : Romanæ, inquit, Ecclesiæ consuetudo semper fuit, ut a feria quarta Cinerum usque ad paschales dies. Quadragesimæ jejunium celebraretur : in eo siquidem temporis spatio, exceptis dominicis, quadragenarius numerus relinquitur. Unde constat verum non esse, quod quidam existimarunt, Gregorium quatuor illos dies jejunii ante primam dominicam Quadragesimæ addidisse. Exstant siquidem D. Augustini multo Gregorio antiquioris sermones in feria quarta Cinerum et tribus diebus sequentibus. Hæc ille et plura illa. Cæterum monet card. Bellarminus additionem quatuor horum dierum fuisse aliquo modo variatam. Nam tempore S. Leonis quatuor dies erant feria secunda, quarta, sexta, et sabbatum; tempore autem sancti Gregorii feria quarta, quinta, sexta, et sabbatum, ut nunc observatur. Quæ ratio Gratianum fortasse movere potuit, ut existimaret quatuor istos dies fuisse a D. Gregorio institutos; qui tamen quædam Gregorii nomine citat, quæ apud Gregorium non exstant ut annotavit Pet. Maturus ad S. Antoninum. Sed de his plura apud Turrecrematum in cap. 49 Regulæ D. Benedicti, et Bellarminum lib. II de Bonis Oper. cap. 15 et sequent. ex quo nonnulla summatim decerpsimus.

A

B

C

D

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

monachorum genus antiqua inimicæ gentis consuetudine testabantur, et ad transmigrandum de suis sedibus acrius perurgeri, eo quod secundum illam similitudinem qua tunc Ægyptii filios Israel violentis afflictionibus opprimebant, nunc quoque verum Israel, id est, monachorum plebem intellectuales Ægyptii durissimis ac lutulentis operibus incurvare conentur, ne per amicam Deo quietem terram Ægyptiam deserentes, ad eremum virtutum salubriter transeamus : ita ut adversum nos Pharao infremens dicat, *Otiosi sunt, et idcirco vociferantur dicentes, Eamus et sacrificemus Domino Deo nostro; Opprimantur laboribus, et solliciti sint in operibus suis, et non sint solliciti in verbis vanis* (*Exod.* v). Nam utique vanitas impiorum sanctum Domini sacrificium, quod non nisi in eremo liberi cordis offertur, summam esse astruit vanitatem, abominatio est etenim peccatori religio.

CAPUT XXIX.

Quod perfecti supergrediantur legem Quadragesimæ.

Hac [a] igitur Quadragesimæ lege, qui justus atque perfectus est, non tenetur; nec exigui hujus canonis subjectione contentus est, quem profecto illis qui per totum anni spatium deliciis vel negotiis sæcularibus implicantur (I *Tim.* I), Ecclesiarum principes statuerunt; ut vel hac legali quodammodo necessitate constricti, his saltem diebus vacare Domino cogerentur, ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi ructus quosdam fuerant voraturi, vel decimas Domino dedicarent. Cæterum justi quibus lex non est posita, quique spiritalibus officiis non exiguam illam, id est, decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt a decimarum legalium functione, idcirco si eos superveniens honesta et sancta necessitas coarctarit, audent [b] stationem jejunii absque ulla disceptatione laxare. Non enim ab eis decimarum exiguitas mutilatur, qui [*Lips. in marg.* quia] omnia sua Domino secum pariter obtulerunt. Quod profecto absque summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntarie offerens Deo, inexcusabiliter solvere decimas suas legis necessitate compellitur. Quapropter liquido comprobatur perfectum esse non posse famulum legis, qui vel illa quæ prohibentur cavet, vel illa quæ præcipiuntur exsequitur, sed illos vere esse perfectos qui etiam his quæ a lege concessa sunt non utuntur. Et hac ratione cum de Mosaica lege dicatur : [c] *Nihil enim ad perfectum perduxit lex* (*Hebr.* VII), nonnullos sanctorum in veteri Testamento perfectos legimus exstitisse, quia transcendentes legis imperium sub evangelica perfectione vixerunt, *scientes quod justis non est lex posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis* (I *Tim.* I).

CAPUT XXX.

De causa et initio Quadragesimæ.

[d] Sciendum sane hanc observantiam Quadragesi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Sufficere mihi videbatur hic monuisse lectorem, ut annotationes et censuras dom. Cuychii, nec non Ciaconii in hunc locum diligenter perlegeret et expenderet. Sed opportune occurrit sententia card. Bellarmini de hoc itidem loco, qua Cassianum seu potius Theonam abbatem non modo excusat, sed longissime abfuisse asserit ab errore Begardorum, qui docebant viros perfectos non teneri legibus jejuniorum; quam sententiam Bellarmini pro lectoris commoditate et satisfactione hic ascribendam duxi. Sic igitur Bellarminus (*Lib.* II *de Bon. Oper. cap.* 10) : *Quod attinet ad Cassianum, longissime abfuit ipse a Begardorum errore. Tria autem sunt præcipua quæ docet in eo capite. Primum affirmat homines justos ac perfectos non subjacere legi cogenti, cum ipsi non per Quadragesimam solum, sed etiam per totum annum sponte alacriterque jejunent. Deinde addit ejusmodi perfectos viros, si causa adsit relaxandi jejunium indictum, tutius id posse facere quam cæteros qui non servant nisi præscripta jejunia quoniam ipsi certi sunt et apud se et apud alios se non causa intemperantiæ, sed solius charitatis, relaxasse jejunia. Addit tamen tertio viros illos perfectos, qui per totum annum jejunant, non teneri legibus jejuniorum, quibus cæteri tenentur, cum ipsi plus offerant Deo quam his legibus præcipiatur. Atque in hoc tertio non existimamus sententiam ejus esse sequendam, tum quia non oportet propter oblationem voluntariam prætermittere necessariam, tum propter rationem paulo ante traditam; quamvis enim non egeant illi ad carnem edomandam jejunio paucorum dierum, qui per totos menses jejunare solent; tamen lex communis est et omnibus indicta, proinde eos quoque obligare non desinit.* Hactenus Bellarminus. Cujus sententiæ omnino suffragatur synodus Tridentina (*Sess.* 6 *can.* 2), *sub anathemate definiens hominem justificatum et quamlibet perfectum teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ.*

[b] Stationem jejunii apud Cassianum pro ipso jejunio accipi, alibi ostendimus (*Lib.* V *Instit. cap.* 24) : quo etiam modo accipit Tertullianus in lib. de Oratione extremo, ubi quærit, *utrum per Eucharistiæ perceptionem solvatur statio?* quod perinde est ac si quæreret an Eucharistia sit talis cibus, ut eo sumpto, censeatur solutum esse jejunium? In antiquo illo libro, licet apocrypho, qui Pastoris inscribitur, Hermas ejus libri auctor sic introducit Pastorem secum loquentem : *Quid tam mane huc venisti?* Respondi : *Quoniam, Domine, stationem habeo. Quid est, inquit, statio? Et dixi : Jejunium.* Sic etiam D. Hieronymus nomen stationis usurpavit lib. II contra Jovinianum ita scribens : *Saul, sicut in Regnorum primo libro scribitur, Maledictus, inquit, qui ederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis. Et non gustavit omnis populus ejus. Tantique fuit auctoritas stationis semel Domino destinatæ, ut Jonathas, qui causa victoriæ exstiterat, deprehenderetur sorte, et ignorantiæ crimen declinare non posset.*

[c] Ex se, supple. Nam quod aliqui sancti et perfecti sub lege exstiterint, id non ex lege seu virtute legis, sed ex gratia Christi, id est, Messiæ, in quem credebant, consecuti sunt, ut passim docet Apostolus in Epistolis, lege tantum ad gratiam disponente et tamquam pædagogo manuducente. Unde Joan. I absolute et per antithesim dicitur : *Lex per Moysen data est : Gratia et veritas per Jesum Christum facta est,* non per Moysen.

[d] Quamvis Ciaconius hunc locum utcumque defendere et ab errore et falsitate vindicare conetur, tamen duo sunt hic quæ mihi videntur castigatione magis quam excusatione ac defensione digna. Primum, non fuisse ab apostolis in ipsis Ecclesiæ primordiis latam legem de observatione Quadragesimæ, sed posterioribus temporibus a sacerdotibus, id est, episcopis fuisse institutam (*Bellar. lib.* II *de Bonis*

mæ, quamdiu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate nec quasi legali sanctione constricti, arctissimis jejuniorum terminis claudebantur, qui totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Verum cum ab illa Apostolica devotione descendens quotidie credentium multitudo suis opibus incubaret, nec eas usui cunctorum secundum Apostolorum instituta divideret (*Actor.* IV), sed privatim impendiis suis consulens non servare tantum, sed etiam augere contenderet (*Actor.* V), Ananiæ et Sapphiræ exemplum non contenta sectari; id tunc universis sacerdotibus placuit, ut homines curis sæcularibus illigatos, et pene (ut ita dixerim) continentiæ vel compunctionis ignaros, ad opus sanctum canonica jejuniorum indictione revocarent, et velut legalium decimarum necessitate compellerent, quæ utique infirmis prodesse possit, et perfectis præjudicare non possit, qui sub gratia Evangelii constituti, voluntaria legem devotione transcendunt, ut ad illam Apostolicæ sententiæ beatitudinem possint pervenire : *Peccatum enim in vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* VI). Vere enim dominationem in illo non potest exercere peccatum, qui dominatur affectibus peccatorum.

CAPUT XXXI.

Interrogatio quemadmodum intelligi debeat quod ait Apostolus, peccatum in nobis non dominabitur.

Germanus : Quia non potest fallax hæc Apostolica esse sententia, quæ securitatem non solum monachis, sed etiam omnibus Christianis generaliter repromittit, nimium nobis videtur obscura. Cum enim cunctos qui Evangelio credunt, a jugo et dominatione peccati liberos atque alienos esse pronuntiat, quomodo pene in omnibus baptizatis viget dominatio peccatorum, secundum sententiam Domini qui ait : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII) ?

CAPUT XXXII.

Responsio de differentia gratiæ et legalium præceptorum.

Theonas : Quæstionem nobis rursus non modicam inquisitio vestra commovit, cujus vim licet sciam ab inexpertis nec tradi posse nec percipi, tamen in quantum potero verbis absolvere et breviter expedire tentabo; si modo intellectus vester ea quæ dicimus, etiam operibus subsequatur. Quæcumque enim non per doctrinam, sed per experientiam cognoscuntur, sicut tradi ab inexperto nequeunt, ita nec mente concipi vel teneri, nisi ab eo qui simili studio fuerit atque institutione fundatus. Et idcirco necessarium reor ut primum diligentius inquiramus quidnam sit propositum vel voluntas legis, vel quæ gratiæ disciplina atque perfectio; ut consequenter ex his, sive dominationem peccati, sive expulsionem ejus possimus agnoscere. Itaque lex principaliter jubet expeti copulam nuptiarum dicens : [a] *Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem* (*Isaiæ* XXXI *sec.* LXX) ; et, *Maledicta sterilis quæ non peperit.* Econtrario gratia ad incorruptionis perpetuæ puritatem et castimoniam nos beatæ virginitatis invitat : *Beatæ,* inquiens, *steriles quæ non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt;* et, *Qui non oderit patrem et matrem, et uxorem, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Et illud Apostoli : *Reliquum*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Oper. c. 14). Secundum, olim in Ecclesia primitiva æquale et continuum ab omnibus Christianis servatum fuisse jujunium : sed sensim frigescente devotione, cum inciperent apud multos negligi jejunia, placuisse omnibus sacerdotibus, ut Quadragesimæ jejunium indiceretur, et fixa lege stabiliretur. At illi sententiæ repugnat inprimis canon apostolicus (*Can.* 68), et a D. Clemente recensita constitutio apostolica de observatione Quadragesimæ (*Clem. lib.* V *Constit. c.* 13). Repugnant et SS. Patres, qui unanimi consensu jejunium Quadragesimæ docent apostolicam esse institutionem et traditionem. Unde D. Hieronymus ad Marcellam : *Nos,* inquit, *unam Quadragesimam secundum traditionem apostolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus.* Et S. Leo : *Quod ergo, dilectissimi, omni tempore unumquemque congruit facere Christianum, id nunc sollicitius et devotius exsequendum, ut apostolica constitutio* 40 *diebus jejunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, sed privatione maxime vitiorum.* Fundamentum ejusdem sententiæ etiam falsum esse docet card. Bellarminus his verbis : Tametsi enim credibile sit apostolos aliosque nonnullos, sicut in communi vivebant, et continentiam perpetuam colebant; ita etiam vel per totum annum, vel certe frequentissime jejunasse; tamen neque certum neque verisimile est omnes Christianos per totum annum servasse jejunium : quemadmodum nulla ratione affirmari debet omnes ubique Christianos sub apostolis vitam cœlibem et communem duxisse. Nam apud Corinthios aliasque civitates Græcorum, ut ex epistolis Pauli apostoli perspicuum est, Christiani permulti liberis operam dabant, et res suas proprias retinebant : unde et *per unam sabbati* (id est, die dominica) collectæ apud eos fiebant, ut pauperes et eleemosynis divitum alerentur : ut etiam docet Cassianus lib. VII Institut. cap. 17. Ad hæc I ad Corinthios VII admonet Corinthios Apostolus, ut ad tempus intermittant opus conjugale, *ut vacent orationi* (ubi Græci addunt, καὶ τῇ νηστείᾳ, id est, et jejunio). Non ergo per totum annum jejunare soliti. Et I Corinth. VIII monet, ut comedant quidquid in macello venit. Unde colligimus etiam carnibus vesci potuisse; a quibus tamen abstinent jejunantes.

[a] Sic transtulerunt LXX locum illum Isaiæ, ubi nos habemus : *Cujus est ignis in Sion, et caminus ejus in Hierusalem.* Et ita citat D. Hieronymus epist. 101, ad Pammachium : *Illud enim,* inquit, *quod legimus in Esaia, Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Hierusalem; solent Hebræi deridere cum audierint.* Et in epist. ad Eustochium (*Epist.* 22) : *Alia,* inquit, *fuit in veteri lege felicitas. Ibi dicitur : Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Hierusalem* (*Isa.* XXXI, *Psal.* CXXVII). *Et : Maledicta sterilis quæ non pariebat* (*Deuter.* XV). *Et : Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Isa.* LVI). *Et : Repromissio divitiarum* (*Matth.* V). *Et : Non erit infirmus in tribubus tuis* (*Luc.* XVI). *Nunc eunuchis dicitur : Ne te lignum arbitreris aridum* (II *Cor.* XII). *Habes locum pro filiis et filiabus, in cœlestibus sempiternum. Nunc benedicuntur pauperes, et Lazarus diviti præfertur in purpura. Nunc qui infirmus est, fortior est,* etc. Hæc et alia D. Hieronymus, quæ cum doctrina hujus capitis et aliquot sequentium, quibus de differentia gratiæ et legalium præceptorum, hoc est, legis Evangelicæ et Mosaicæ, agitur, optime conveniunt.

est, ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint (I *Cor.* VII). Lex dicit : *Decimus tuas et primitias non tardabis offerre* (*Exod.* XXII). Gratia, *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX). [a] Lex talionem conviciorum et injuriarum non prohibet ultionem, dicens : *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Exod.* XXI). Gratia congeminationem injuriarum vel cædis quæ fuerint irrogata, nostra patientia vult probari, et ad [b] duplicis dispendii tolerantiam paratos esse nos præcipit : *Qui te percusserit*, inquiens, *in dexteram maxillam, præbe ei et alteram ; et illi qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* (*Matth.* V). Illa [c] inimicos odio habendos (*Levit.* XIX) : hæc ita diligendos esse decernit, ut pro ipsis etiam Deo semper censeat supplicandum (*Matth.* V).

CAPUT XXXIII.

Quod leviora Evangelii præcepta quam legis.

Quisquis igitur hoc Evangelicæ perfectionis culmen ascenderit, iste profecto supra omnem legem tantarum virtutum meritis sublimatus, et universa quæ per Moysen præcepta sunt quasi parva despiciens, tantum sub gratia Salvatoris se esse cognoscit, cujus adjutorio se ad illum sublimissimum statum intelligit pervenisse. Non ergo dominatur in eo peccatum, quia charitas Dei quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* V), omnem alterius cujusque rei excludit affectum ; nec potest aut vetita concupiscere, aut imperata contemnere ; cujus totum studium totumque desiderium divino amori semper intentum, usque adeo vilium rerum oblectatione non capitur, ut etiam his quæ concessa sunt, non utatur [d]. In lege autem in qua conjugiorum jura servantur, quamvis cohibita luxuriæ evagatio uni tantum feminæ mancipatur, tamen nequaquam possunt carnalis concupiscentiæ aculei non vigere, et difficile est ut ignis cui etiam studiose pabula suggeruntur, ita præfixis terminis includatur, ut non etiam extra evagatus amburat [*Lips. in marg.* adurat] quidquid attigerit. Cui etiam si sua illa ita semper occurrat objectio, ut exæstuare extrinsecus non sinatur, tamen etiam dum cohibetur, incendit ; quia voluntas [*Al.* voluptas] ipsa culpabilis est, et ad velocissimos adulteriorum raptatur excessus consuetudo concubitus. Cæterum quos gratia Salvatoris sancto incorruptionis amore flammaverit, ita omnes carnalium desideriorum spinas Dominicæ charitatis igne consumunt, ut nec tepens fovilla vitiorum refrigerium integritatis imminuat. Legis ergo famuli licitorum usu ad illicita prolabuntur, gratiæ participes dum licita contemnunt, illicita non noverunt. Sicut autem vivit in conjugii amatore peccatum, ita etiam in eo [e] qui decimas suas et primitias non tardat offerre, vivit avaritia. Et qui habet uxorem tamquam non habens, ita et qui possidet mundum tamquam non possidens (I *Cor.* VII) ; et qui habet res tamquam non habens, ita et qui habet uxorem tamquam non habens. Et qui habet uxorem tamquam non habens, ita et qui habet res tamquam non habens. Et qui habet uxorem tamquam non habens, ita et qui habet uxorem

mitias tantum redhibere contentus est : necesse est enim eum dum tardat aut negligit, aut in qualitate earum, aut in quantitate, aut in quotidiana distributione peccare. Qui enim jubetur ea quæ sua sunt infatigabiliter indigentibus ministrare, quamlibet ea summa fide ac devotione dispenset, tamen difficile est ut non laqueos peccatorum frequenter incurrat. In illos vero qui consilium Domini non spreverunt, sed omnem substantiam suam pauperibus forte præerogantes, sumpta sua cruce largitorem cœlestis gratiæ subsequuntur, peccatum non potest dominari. Non enim eum dispensantem sacratas jam Christo opes et quasi alienas pia distributione pecunias, infidelis servandi victus cura mordebit, nec eleemosynæ hilaritatem abiget mœsta cunctatio : quia quod semel totum obtulit Deo, id jam alienum sine propriæ necessitatis recordatione aut angusti victus timore dispergit, qui certus est, cum ad desideratam pervenerit nuditatem, multo magis a Deo se quam volucrem cœli esse pascendum. Econtrario is qui substantiam retinens mundialem, aut decimas fructuum suorum atque primitias, aut partem pecuniarum constrictus legis antiquæ sanctione distribuit, licet peccatorum suorum ignem maxime hoc eleemosynæ rore exstinguat, impossibile tamen est, quantavis opes suas magnanimitate dispenset, ut se ad plenum eruat a dominatione peccati, nisi forte per gratiam Salvatoris, cum re etiam ipsum affectum deposuerit possidendi. Pari modo non potest non cruento peccati imperio famulari, quicumque oculum pro oculo, dentem pro dente (*Exod.* XXI), ex præcepto legis eruere, [a] aut inimicum suum odio mavult habere ; quia necesse eum dum talionis vicissitudine ulcisci suam optat injuriam, dum contra inimicos odii amaritudinem servat, furoris atque iræ perturbatione semper accendi. Quicumque vero sub Evangelicæ gratiæ illuminatione versatur, ac malum non resistendo superans, sed sufferendo dexteram percutienti maxillam, etiam alteram præbere voluntarius non moratur, et volenti adversum se de tunica litigium commovere, remittit et pallium, quique diligit inimicos suos, et orat pro calumniantibus se, hic peccati repulit jugum, ac vincula dirupit (*Matth.* V, *Hebr.* VII). Non enim vivit sub lege, quæ non interimit seminaria peccatorum (unde non immerito de ipsa beatus Apostolus, reprobatio, inquit, fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus et inutilitatem ; nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et Dominus per prophetam : Et [b] dedi, inquit, eis præcepta non bona, et justificationes in quibus non vivent in eis), sed sub gratia, quæ non ramos tantum nequitiæ amputat, sed ipsas penitus radices noxiæ voluntatis evellit.

CAPUT XXXIV.

Quemadmodum quis probetur esse sub gratia.

Quisquis ergo perfectionem Evangelicæ studuerit tenere doctrinæ, hic sub gratia constitutus peccati dominatione non premitur. Hoc est enim esse sub gratia, ea quæ gratia mandat implere. Quicumque vero perfectionis Evangelicæ plenitudini subjectus esse noluerit, non ignoret se, quamvis baptizatus sibi videatur ac monachus, non esse sub gratia, sed sub legis adhuc vinculis præpeditum, peccati pondere prægravari. Propositum namque est ejus, qui omnes a quibus receptus fuerit, gratia adoptionis assumit, non destruere, sed superædificare ; [c] nec evacuare, sed adimplere Mosaicas sanctiones. Quod nonnulli penitus ignorantes, et consiliorum atque exhortationum Christi magnificentiam negligentes, ita præsumptivæ libertatis securitate solvuntur, ut non solum Christi præcepta tamquam ardua non attingant, verum etiam ipsa illa quæ illis incipientibus parvulisque [d] Mosaica lege mandata sunt, velut an-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Ulpianus (*In l.* XXI *de Ædil. edic.*), facere ut rursus habeat venditor, quod vendidit : et quia id fiebat reddendo ac restituendo, idcirco redhibitio dicta est, quasi redditio et in integrum restitutio. Nam, ut ait Festus, redhibitum proprie dicitur, quod redditum est. Sumitur ergo hic redhibere simpliciter pro reddere, exhibere, solvere : ut et apud Plautum III Menæch. : *Salvum tibi, ut mihi dedisti, redhibeo marsupium.* Utitur eadem voce redhibitionis Cassianus lib. IV Institut. cap. 4.

[a] Hoc non ex Legis præscripto, sed ex perversa Pharisæorum et Scribarum interpretatione, ut dictum est. Glossa in cap. V Matthæi : *Sciendum*, ait, *in toto corpore Legis non esse scriptum : Odio habebis inimicum tuum. Sed hoc dicitur, quantum ad traditionem Scribarum, quibus visum est hoc addendum, quia Dominus præcepit filiis Israel persequi inimicos suos et delere Amalech de sub cælo* (*Exod.* XVII).

[b] *Loquitur ibi Dominus*, ait S. Thomas (1-2, *q.* 98, *art.* 1), *de præceptis cæremonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant, per quam homines a peccato mundarentur, cum tamen per hujusmodi se peccatores ostenderent ; unde signanter dicitur : Et judicia in quibus non vivent* (*Ezech.* XX), *i. e. per quæ vitam gratiæ obtinere non possunt ; et postea subditur : Et pollui eos in muneribus suis, id est, pollutos ostendi.*

[c] Sic enim Christus initio fere suæ prædicationis protestatus est : *Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere legem, sed adimplere* (*Matth.* V). Adimplevit autem non tantum subministrando spiritum gratiæ per quam lex a nobis impleatur, sed et confirmando, et melius interpretando et supplendo, quæ in veteri lege minus erant expressa, ut patet ex eodem loco (*Vide S. Tho.* 1-2, *q.* 107, *art.* 2).

[d] Quamvis præcepta sive mandata legis Mosaicæ judicialia et cæremonialia sint antiquata et abolita per legem novam et Evangelicam, non tamen præcepta, quæ dicuntur moralia et naturalia ; quæ vim habent obligandi ex ipso dictamine rationis : in quo genere præcipua sunt quæ decalogo continentur, ad quæ etiam cætera reducuntur (*S. Tho.* 1-2. *q.* 98, *a.* 4, *et q.* 107, *art.* 2). Proinde, licet Christiani non teneantur lege Mosaica, quatenus ejusmodi, i. e. quatenus per Moysen lata est (quandoquidem Moysis legislatio tantum pertinuerit ad populum Israeliticum, idque usque ad adventum Christi et prædicationem Evangelii dumtaxat ; in qua tota Mosaica constitutio finem accepit), tenentur tamen absolute præceptis decalogi : idque duplici ratione. Primo quia decalogus non aliud est quam explicatio legis naturæ, quæ toti generi humano communis est : neque ad hoc ut quemquam obliget, externa promul-

tiquata contemnant, illud quod Apostolus exsecratur noxia libertate dicentes : *Peccabimus, quia non sumus sub lege, sed sub gratia* (*Rom.* VI). Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit ; nec sub lege, quia etiam ipsa illa parvula legis mandata non suscipit, hic duplici peccatorum oppressus imperio, ob hoc solum gratiam Christi percepisse se credit, ut per noxiam libertatem ab eo fieret alienus, in illud incidens quod apostolus Petrus ne incurramus enuntiat : *Quasi liberi,* inquit, *agite, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem* (I *Pet.* II). Beatus quoque apostolus Paulus : *Vos,* enim, *inquit, in libertatem vocati estis, fratres* (*Galat.* V), id est, ut absoluti sitis a dominatione peccati, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, id est, frustrationem legalium mandatorum credatis esse licentiam vitiorum. Hæc vero libertas, quia nusquam nisi ibi sit tantum ubi Dominus commoratur, Paulus apostolus docet : *Dominus,* inquiens, *spiritus est ; ubi autem spiritus Domini, ibi libertas* (II *Cor.* III). Quapropter nescio utrum hunc beati apostoli sensum, sicut hi qui experti sunt sapiunt, exprimere atque elucidare potuerim : unum scio apertissime illum etiam sine expositione cujusquam omnibus reserari, [a] qui πραχτιχὴν, id est, actualem perfecte tenuerint disciplinam. Non enim laborabunt ut quod jam operando didicerunt, intelligant disputando.

CAPUT XXXV.

Interrogatio cur interdum jejunantes carnalibus incentivis acrius urgeamur.

Germanus : Obscurissimam quæstionem et multis etiam, ut putamus incognitam, apertissime revelasti. Unde hoc quoque profectui nostro adjicias deprecamur, ut cur interdum etiam propensius jejunantibus nobis et exhaustis atque defectis, vehementiores pugnæ corporis excitentur, diligenter edisseras. Nam plerumque etiam expergefacti e somno, cum deprehenderimus nos [b] corporalis veneni contagium pertulisse, ita dejicimur conscientia, ut ne ad ipsam quidem orationem consurgere fiducialirer audeamus.

CAPUT XXXVI.

Responsio, quod hæc quæstio futuræ Collationi debeat reservari.

Theonas : Studium quidem vestrum, quo perfectionis viam non transitorie, sed principaliter atque perfecte desideratis attingere, infatigabiliter huic disputationi nos provocat inhærere : nec enim de exteriore castimonia et circumcisione manifesta, sed de illa quæ in occulto est, diligenter inquiritis, scientes in hac visibili carnis continentia, perfectionis plenitudinem non inesse, quæ haberi, vel per necessitatem, vel per hypocrisim etiam *ab infidelibus* potest : sed illam cordis voluntariam et invisibilem puritatem quam beatus Apostolus ita prædicat : [c] *Non enim qui in manifesto Judæus, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in occulto Judæus, et circumcisio cordis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* II), qui solus scil. cordium secreta rimatur: tamen quia satisfieri desiderio vestro ad plenum non potest, breve enim quod superest spatium noctis, ad indagandam hanc obscurissimam non sufficit quæstionem, congruum reor ut interim differatur. Sensim enim hæc et corde ab omni cogitationum strepitu penitus absoluto, ut a *nobis* proferri, ita vestris debent mentibus intimari ; quæ sicut propter conscientiæ purificationem oportet inquiri, ita nisi ab eo qui donum integritatis expertus est, tradi assignarique non possunt. Non enim quæritur quid inanium argumenta verborum, sed quid interna conscientiæ fides et major vis veritatis inculcet. Et idcirco de emundationis hujus scientia atque doctrina, nec proferri aliquid nisi ab experto, nec transfundi quidquam potest, nisi in cupidissimum valdeque sollicitum virtutis ipsius amatorem, qui non eam vacuis nudisque sermonibus suscitando, sed totis animi viribus annitendo optet attingere : scilicet non studio loquacitatis infructuosæ, sed desiderio puritatis internæ.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

gatione indiget ; cum singulorum cordibus sit inscripta. Secundo, quia legem decalogi Christus in Evangelio confirmavit, et ad vitam consequendam necessariam esse docuit, dicens : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (*Matth.* XIX) ; atque adeo legem suam esse voluit, ut merito legislator propterea dicendus sit, non tantum redemptor ac mediator. Unde Patres concilii Tridentini *anathema in eos pronuntiant, qui dicunt legis præcepta nihil ad Christianos pertinere ; aut Christum a Deo hominibus datum ut Redemptorem cui fidant ; non etiam ut legislatorem cui obediant : aut denique hominem justificatum et quamlibet perfectum non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ* (*Conc. Trid. sess.* 6 *can.* 19, 20 *et* 21).

[a] Hanc ita describit abbas Nesteros collat. 14, c. 1, πραχτιχὴ, *id est, actualis, quæ emendatione morum et vitiorum purgatione perficitur.* Et cap. 2 : *Quisquis igitur ad Theoricen voluerit pervenire, necesse est ut omni studio atque virtute actualem primum scientiam consequatur. Nam hæc quidem absque theorica possideri potest : theorice vero sine actuali omnino apprehendi non potest.* Et cap. seq. docet hanc practicen in duobus consistere, nempe in expellendis vitiis et virtutibus acquirendis.

[b] Quid per corporalis veneni contagium intelligat, sequenti collatione explicabitur.

[c] Id est, non qui palam ac manifeste se carne Judæum esse jactat, *sed qui in abscondito,* id est, corde ac spiritu per fidem Christum confitetur, is vere Judæus est. *Neque quæ in manifesto in carne circumcisio est,* id est, non externa carnis, sed spiritalis vitiorum circumcisio, ea vera circumcisio est. Sic non qui se castum et religiosum exterius demonstrat continuo coram Deo et vere castus et religiosus est, *sed qui in occulto,* id est, corde ac mente purus et castus, *cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est* (*Rom.* II).

COLLATIO VIGESIMA SECUNDA,

Quæ est secunda abbatis Theonæ.

DE NOCTURNIS ILLUSIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Post dies ferme septem, Quinquagesimæ solemnitate transacta, cum in ipso noctis initio, id est post synaxin vespertinam, promissæ disputationis exspectatione suspensi, sancti Theonæ cellulam fuissemus ingressi, alacer senex hilari vultu ac blando nos prior sermone compellans : Mirabar, inquit, ardentissimum studium vestrum his septem diebus absolutionem propositæ quæstionis potuisse differre, et debitori suo præcipue non roganti, dilationem tanti temporis præstitisse. Justissimum proinde est, ut quia ultro mihi benignitas vestra tam largas concessit inducias, ego quoque moram in debiti reddi- A tione non faciam. Grata namque est hujus fenoris occupatio, quæ majora dum solvitur augmenta conquirit; et non solum percipientem ditat, verum B etiam nihil minuit largienti. Duplices siquidem congregat quæstus rerum spiritalium dispensator. Lucrum enim non solum in illius qui audit profectu, verum etiam in sua disputatione consequitur, non minus semetipsum ad desiderium perfectionis accendens, dum instruit auditorem. Quamobrem vester ardor, meus profectus est; vestra sollicitudo, mea compunctio est. Nam utique et ipse nunc mente torperem, nihilque in meo corde de his quæ expetitis, pertractarem, nisi me vester fervor atque exspectatio ad rerum spiritalium recordationem suscitaret quodammodo dormitantem. Et idcirco proferatur in medium quæstio, si vedetur, cujus pridem pro angustia temporis absolutionem procrastinare maluimus.

CAPUT II.

Repetitio propositæ interrogationis cur majorem abstinentiam major interdum carnis impugnatio subsequatur.

[b] Hoc enim, ni fallor, inquisitio vestra complexa est, cur interdum remissius jejunantes, levioribus carnis hujus aculeis titillemur, et nonnumquam districtius abstinentes, afflicto exhaustoque corpore, incentivis acrioribus urgeamur, ita ut quemadmodum patefecit vestra confessio, expergefacti reperiamus nos humorum naturalium egestione respersos.

CAPUT III.

Ex tribus causis corporalem pollutionem provenire.

Hujus [c] ergo infestationis triplicem causam nostri prodidere majores, quæ modum temporis constituti intempestivis irrumpat excessibus. Aut enim superflua escarum nimietate congeritur, aut per incuriam mentis elabitur, aut inimici illudentis insidiis provocatur. Primum igitur gastrimargiæ, id est, voracitatis vel gulæ vitium, hanc redundantiam obsceni humoris extrudit. Nam et cum districtioris abstinentiæ tempore statum polluit puritatis, [d] non de præsenti, ut putatis, inedia, sed de nimietate præteritæ saturitatis effunditur. Quod enim per voracitatis ingluviem concretum fuerat in medullis, necesse est ut per pruritum, aut certe per ignorantiam, quamvis magno jejunio tabefacti corporis egeratur. Quamobrem non solum lautioribus epulis abstinendum, sed etiam a vilioribus cibis æquali est contiC nentia temperandum : immo ipsius etiam panis et

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Credibile est per hos dies Cassianum cum suo Germano de his quæ superiore collatione tractata et disputata fuerant, privatim more suo inter se contulisse, eaque memoriæ diligentius commendasse, aut etiam scriptorum monimentis ad posterorum eruditionem et ædificationem, ut cætera, tradidisse.

[b] Hoc est, quod superius (*Collat.* 18, *cap.* 31) aliis verbis dixit, *nos corporalis veneni contagium pertulisse*, id est, pollutos esse.

[c] De causis pollutionis nocturnæ et involuntariæ, quæ alias illusio dicatur (de hac enim hic agitur, non de voluntaria aut procurata, quæ mollities vel immunditia appellatur, a qua viri sancti et religiosi longissime absunt et abhorrent), ita Joannes Climacus gradu decimo quinto, suam et aliorum sententiam commemorat : *Sunt nonnulli qui sola ciborum causa hujusmodi bella adversum nos excitari atque obsceni humoris profluvium fieri putant atque asseverant : ego autem extrema fatigatos ægritudine et ad* D *summum jejunantes valide hujusmodi aspergine fœdari cognovi. Interrogavi aliquando peraptissimum quemdam et discretionis gratia ornatum monachum, quid de his sentiendum esset, mihique admodum lucide beatus ille respondit : Est, inquit, quidem in somnis quædam seminis emissio, quæ ex ciborum multitudine et requie est; et alia quæ ex superbia contingit : cum scilicet diutius mundi a fœda hac repersione perstiterimus, et per hoc in superbiam efferimur. Fit rursus plerumque cum judicamus atque condemnamus proximum. Horum, inquit, generum duo contingere etiam infirmis possunt, fortassis et omnia. Porro si quis seipsum prædictis omnibus causis mundum esse conspicit, hic ex hujus modi tranquillitate beatus est. Qui vero ex dæmonum invidia id patitur, Deo id fieri ad tempus permittente, fit ut per hanc calamitatem, quæ sine peccato est, altissimam tuto possideat humilitatem.* Hæc ille. Paulo aliter D Gregorius in Responsione (*Cap.* 11) ad Augustinum Anglorum episcopum : *In hac,* inquit, *illusione, valde necessaria discretio, quia valde subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit.* Et quæ sequuntur inferius recitanda. In Vitis Patrum hæc præterea leguntur : *Dixit abbas Moyses : Per has quatuor res pollutionis passio gignitur : per abundantium escæ et potus, et satietatem somni; per otium et jocum, et ornatis vestibus incedendo.* Hæc de causis pollutionis nocturnæ.

[d] Similes sententiæ apud Cassianum l. v. Inst. c. 9, et lib. VI c. 11 et 23, et collat. 12 cap. 7.

aquæ satietas est cavenda, ut possit diu in nobis acquisita corporis puritas permanere, atque imitari quodammodo intemeratam spiritus castitatem; licet nos necesse sit confiteri, interdum etiam absque ulla mentis industria, vel per temperiem corporum, vel per ætatis maturitatem, quosdam rarius sordidari, vel certe fluxus istius egestione non pollui. Sed alterius meriti est, qui pacem inerti felicitate [*Dionys.* securitate; *Lips. in marg.* facilitate] consequitur, alterius qui triumphum gloriosis virtutibus promeretur: Hujus enim potentia vitiorum omnium debellatrix digna miraculo est: illum quem facultas boni in sua tuetur ignavia, [a] censendum magis dixerim securitate quam laude. [b] Secunda impuri illius profluvii causa est, si mens spiritualibus studiis atque exercitiis vacuata, nec disciplinis interioris hominis instituta, quemdam sibi segnitiei situm per consuetudinem continui torporis obduxerit, aut cum sordidarum cogitationum inimicitias [*Al.* impudicitias] non cavendo, ita illam cordis sublimissimam puritatem segniter concupiscit, ut omnem perfectionis et castimoniæ summam in sola credat exterioris hominis castigatione consistere. Cujus erroris atque socordiæ vitio consequenter eveniet, ut non solum multimoda cogitationum pervagatio inverecunde atque procaciter secretum mentis irrumpat, sed etiam pristinarum omnium passionum intra eam semina perseverent. Quæ quamdiu in ejus abditis delitescunt, quamvis rigido corpus jejunio castigetur, tamen nihilominus dormientem illecebrosis phantasmatibus inquietant: quibus ante legitimi temporis cursum, non jam ex naturæ necessitate, sed adhuc ex fraude nequitiæ spiritalis, obsceni eliciantur humores, qui non tam inanitate carnis quam mentis circumspectione atque virtute si penitus inhiberi nequeunt, saltem ad illam egestionis simplicem qualitatem, auxiliante gratia Dei, perducuntur. Ideoque in primis discursus sunt sensuum coercendi, ne mens istis excessibus assuefacta, ad fœdiora incitamenta luxuriæ somnians pertrahatur. Tertia causa est, cum per ordinatam quidem atque sollicitam continentiæ disciplinam, contritione cordis et corporis perpetuam castimoniæ puritatem optamus acquirere; sed nos utilitati carnis ac spiritus egregie consulentes, [c] fraudulentissimi hostis ita impugnat invidia, ut dum dejicere fiduciam conscientiæ nostræ nosque velut reatu aliquo humiliare conatur, illis præcipue diebus quibus *majore integritatis* merito desideramus divino tantummodo placere conspectui, absque ullo quidem carnis pruritu, mentisve consensu, nec per illusionem phantasmatis alicujus, sed tamen simplici fluxus illius egestione nos polluit, ut a sacrosancta communione deterreat, licet in quosdam incipientium et quorum corpora necdum longa jejuniorum castigatione tenuata sunt, ob hoc diabolica factione hæc evenire credatur illusio, ut cum eos intensioribus jejuniis studere cognoverit, omnes eorum conatus hac arte subvertat; ut dum se non solum nihil ad puritatem corporis districtiore jejunio profecisse, verum etiam gravius sentiunt fuisse pollutos, magistram incorruptionis ac puritatis altricem, abstinentiæ districtionem tamquam æmulam perhorrescant. (*Vide lib.* II, *Instit. c.* 13, *et lib.* VI *cap. ult.*) Quapropter nosse debemus non idcirco nos tantum ab unoquoque

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Cuychius duplicem hic annotavit lectionem: Alteram, *Magis dixerim securitatem habere, quam laudem,* quæ est Basileensis; alteram e ms. quam magis probat, *Censendum magis dixerim securitate quam laude,* nempe dignum. Sic ipse. Quam lectionem hic secuti sumus, omisso tamen supplemento, quod minime necessarium visum est. Dionysius paraphrastes hunc locum ita expressit: *Pœnitentia* (pro potentia) *namque istius sic pugnando vincentis, debellatrix omnium vitiorum est admiratione digna. Illum autem, quem facilitas boni tuetur in sua ignavia, judico magis dicendum esse securum, quam collaudandum.*

[b] Ita Cassianus l. VI c. 11: *Qualitas,* inquit, *cogitationum, quæ distensionibus* (i. e. distractionibus et negotiis variis) *diei negligentius custoditur, probatur quiete nocturna. Et idcirco cum intercesserit aliqua talis illusio, non culpa somni credenda est, sed negligentia temporis præcedentis, et manifestatio morbi latentis intrinsecus, quem non primitus noctis hora parturiit, sed intimis animæ reconditum fibris ad cutis superficiem somni refectione produxit, arguens occultas æstuum febres, quas per totum diei spatium noxiis cogitationibus pasti contraximus.*

[c] Adversus hujusmodi infestationes et illusiones diabolicas solemnis est illa Ecclesiæ et piarum mentium vespertina precatio:

> Procul recedant somnia,
> Et hostium phantasmata,
> Hostemque nostrum comprime,
> Ne polluantur corpora.

Item in alio hymno, qui in Quadragesima recitatur ad Completorium:

> Ne gravis somnus irruat,
> Nec hostis nos surripiat,
> Nec caro illi consentiens
> Nos tibi reos statuat.

S. Alexander papa, qui quintus a B. Petro sedit, ordinavit aquam sacerdotali benedictione sanctificatam in cubiculis retinendam pro effuganda diaboli malitia, ne somniis vel phantasmatibus nobis illudat. Est vero singulare nec silentio prætereundum, quod huic infestationi et illusioni diabolicæ amoliendæ D. Bernardus suggerit remedium experimento probatum: *Si per noctem,* inquit, *illusio tibi acciderit, non contristeris, sed in crastino confitere; et aliquo te vocante ad Missam ut ministres, caute coram omnibus te excusa per signum, ut est consuetudinis, quatenus omnes illam tuam pollutionem intelligant. Fecit hoc aliquis apud nos, etiam nullo vocante ad Missas, ut magis erubesceret; et a tentatione carnis liberatus est in tantum, ut vix aliquid tale postmodum senserit, nec nisi semel vel secundo per annum pruritum hujusmodi patiebatur.* Item in vita S. Malachiæ c. 47. *Cum S. Malachias archiepiscopus sacramenta offerret, et appropinquaret ei diaconus, intuitus eum ingemuit, quod sensisset penes eum latere, quod non conveniret. Peracto sacrificio, secreto percontatus de conscientia sua, confessus est illusum se per somnium nocte. Cui injungens pœnitentiam: Non debueras, inquit, hodie ministrasse, sed verecunde te subtrahere, ut hac humilitate purgatus, dignius exinde ministrares.* Hæc D. Bernardus.

vitio debere purgari, quia suis perturbationibus nostrum occupet sensum, sed quia contentum non sit solum absque aliorum consortio dominari, sed intromisso omnium vitiorum diriore collegio, subditam sibi mentem multiplicata captivitate populetur. [a] Et idcirco gastrimargia vincenda est, non propter se tantum, ne scilicet onerosa nos voracitate corrumpat; nec propter hoc solum, ne carnalis concupiscentiæ nos igne succendat, sed ne etiam iracundiæ vel furoris atque tristitiæ, cæterarumque omnium passionum faciat esse mancipia. Nam cum nobis esca ac potus vel negligentius vel tardius ministratur, si gulæ dominatione deprimimur, consequens est ut etiam iracundiæ stimulis incitemur. Et rursus, voluptuosis saporibus demulceri absque philargyriæ peste non possumus, per cujus superfluos apparatus magnis luxuria gaudet impendiis. Philargyria vero, cenodoxia atque superbia, et omnium multitudo vitiorum individua societate junguntur; atque ita unumquodque vitium, si vigere in nobis vel solum cœperit, etiam cœteris suggerit incrementa.

[a] Vide lib. v Institut. c. 6, 10, 21 et 23, et Collat. 5 c. 10 et 11.

CAPUT IV.

Interrogatio an ad sacrosanctam communionem accedere liceat nocturna illusione pollutum?

Germanus : Dispensatione Dei credimus hanc quæstionem in medium fuisse prolatam, ut illud quod, verecundia interrogandi fiduciam cohibente, numquam potuimus edoceri, nunc opportunitate collationis, causæque ipsius ordine provocati, sciscitari fiducialiter audeamus. Si igitur eo tempore quo accedi oportet ad sacrosancta mysteria, senserimus nos somnii illusione pollutos, præsumenda est [b] an vitanda illa salutaris escæ sacrosancta perceptio?

[b] Eamdem quæstionem inter alias D. Gregorio proposuit S. Augustinus Anglorum episcopus his verbis: *Quæro etiam si post illusionem quæ per somnum solet accidere, vel corpus Dominicum accipere valeat, vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare?* Cui D. Gregorius ita respondit, præmissa distinctione superius recitata : *Cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse.* * *Cum vero ultra modum appetitus in sumendis alimentis rapitur atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii vel Missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii qui implere mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet, sed ab immolatione sacri mysterii abstinere, ut arbitror, humiliter debet, si tamen dormientis mentem turpis imaginatio non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus etiam in somno corporis positus, imaginationibus non fœdetur. Qua in re ostenditur quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo judicio libera; cum se, etsi dormienti corpore, nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice imaginatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel, quod majus est, peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum : quia cum primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit; et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem et consensum judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio.* Hactenus D. Gregorius; cujus doctrinam compendiosius et enucleatius explicans S. Thomas docet circa pollutionem nocturnam duo posse considerari : *Unum*, inquit (III *part.*, *q.* 80, *art.* 7), *ratione cujus ex necessitate impedit hominem a sumptione hujus sacramenti. Aliud autem ratione cujus non ex necessitate impedit hominem, sed ex quadam congruentia : Ex necessitate quidem impedit hominem ab hujus sacramenti perceptione solum peccatum mortale; et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata peccatum mortale esse non possit : nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale annexum : et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnæ* (*Vide Dominicum a Soto in* IV *Sent. dist.* 12, *q.* 1, *a.* 7). *Quandoque enim provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, qui phantasmata commovere possunt : ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus. Aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi et potus. Quælibet autem harum trium causarum potest et sine peccato, et cum peccato veniali vel mortali existere. Et si quidem sit sine peccato, vel cum peccato veniali, non ex necessitate impedit sumptionem, ita scilicet quod homo sumendo sit reus corporis et sanguinis Domini. Si vero sit cum mortali peccato, impedit ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse et mortale et veniale peccatum. Quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum volentium impedire hominem a sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in Collationibus Patrum, quod cum quidam frater pateretur pollutionem semper in festis in quibus communicandum erat, seniores comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat decreverunt quod propter hoc a communione non cessaret : et ita cessavit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lascivæ quandoque possunt esse omnino sine peccato, puta cum aliquis causa lectionis, vel disputationis cogitur de talibus cogitare : et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ : ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate Augustini supra inducta* (*Aug. l.* XII *de Gen. ad litter. c.* 15). *Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia et delectatione; et si adsit consensus, erit peccatum mortale : si vero desit, erit veniale. Similiter etiam et causa corporalis quandoque est sine peccato, puta cum est ex infirmitate naturæ : unde et quidam etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur. Vel etiam si sit ex superfluitate naturæ, sicut enim contingit sanguinem fluere absque peccato, ita et semen, quod est super-*

* Locus apparet corruptus, et diversa lectio apud Gratianum dist. 6, cap. *Testamentum*.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

CAPUT V.

Responsio, quando reatum contrahat hæc passio dormienti?

Theonas : Omni quidem industria, quantum in nobis est, studere debemus, ut immaculatam castimoniæ puritatem illo vel maxime tempore teneamus, quo venerandis assistere optamus altaribus ; et vigilantissima circumspectione præcavendum est, ne carnis integritas præcedente tempore custodita, in ea præcipue in qua nos ad communionem salutaris convivii præparamus nocte, fraudetur. Verum si hostis ille nequissimus ut nobis cœlestis remedii subtrahat medicinam, custodiam sopitæ mentis illuserit, ita dumtaxat ut nullo reprehensibili interveniente pruritu, nullo contaminetur oblectationis assensu, sed egestionem aut naturali necessitate propulsam, aut certe impugnatione diaboli absque sensu voluptatis elicitam, ad impedimentum nostræ sanctificationis obtenderit, possumus et debemus ad gratiam salutaris cibi confidenter accedere. Sin vero nostro vitio hæc fuerit egesta concretio, convenientes conscientiam nostram illud Apostolicum formidemus : *Qui manducaverit panem et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem primum semetipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat* (I *Cor.* XI). Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit non discernens corpus Domini : id est, nequaquam A illum cœlestem cibum a communium escarum vilitate secernens, nec talem esse dijudicans, quem non nisi pura liceat mente vel carne præsumere. Denique infert : *Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi ;* [a] *spiritales scilicet infirmitates ac mortes ex hac specialiter dicens præsumptione generari.* Multi enim qui eum [*Lips. in marg.* cum] illicita usurpatione præsumunt, infirmantur fide, et imbecilli sunt mente, passionum scilicet languoribus involuti, et dormiunt somno peccati, ab hoc sopore lethali nequaquam salutari sollicitudine resurgentes. Deinde sequitur : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* : hoc est, si nosmetipsos perceptione sacramentorum, quotiescumque peccati vulnere prævenimur, *judicaremus indignos,* B impenderemus utique studium ut per pœnitudinis emendationem ad ea digne possemus accedere, et non tamquam indigni severissimis infirmitatum flagris castigaremur a Domino, ut vel sic compuncti ad remedia nostrorum vulnerum recurramus, ne digni præsentis sæculi brevissima correptione non habiti, in futuro simul cum hujus mundi peccatoribus condemnemur. Quod etiam in Levitico evidenti denuntiatione præcipitur : [b] *Omnis mundus manducabit carnes ; et anima quæcumque comederit de carnibus sacrificii salutaris quod est Domini, in qua est immunditia, peribit coram Domino* (*Levit.* II). In Deuteronomio quoque a spiritalibus castris immundus simi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

fluitas sanguinis secundum philosophum (*Arist. l.* I *de Gener. animal. c.* 18 *et* 19). *Quandoque est cum peccato; puta cum provenit ex superfluitate cibi et potus, et hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale : licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes, propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus. Unde et Gregorius scribens Augustino Anglorum episcopo dicit cessandum esse a communione quando ex turpibus cogitationibus provenit ; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest utrum nocturna pollutio impediat ex necessitate sumptionem hujus sacramenti. Ex quadam vero congruentia impedit quantum ad duo, quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere* (*unde et volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant*), *nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra et fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi. Aliud autem est evagatio mentis quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contingit. Hoc tamen impedimentum quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Gregorius dicit, cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest, ipsa necessitas compellit.* Hæc S. Thomas, quibus nihil exactius, nihil explicatius in hac materia afferri potest ; ideoque ut huic loco et fere totius collationis argumento maxime accommodata, ita minime prætermittenda visa sunt. Quibus optime consentiunt quæ in Cæremoniali Benedictorum congregationis Birsfelden. habentur, quæ hic etiam referre non erit alienum aut supervacaneum. Sic igitur cap. de illusis nocturno somno : *Et si nocturna pollutio plerisque accidat, nulla culpa sua præcedente, quia tamen hujusmodi passio quamdam carnis pruriginem* C *mentis hebetudinem post se relinquere consuevit, ea durante in passo, decens est eum a celebratione seu communione abstinere, etiamsi, ut præfertur, provenerit sine culpa. In solemnibus tamen festivitatibus, seu temporibus præcipuis, propter notam poterit, quisquis ille est, prævia confessione et devota exercitatione pro posse habilitatus, cum permissione prælati aut confessoris confidenter accedere, sive ad celebrationem, sive ad communionem. Similiter faciat is, cui ex officio incumbit ea die qua sibi hujusmodi accidit casus, Missam celebrare. Si quis autem quotidie aut frequentatione nimia hujusmodi patiatur fluxum, uti nonnullis ex sola cogitatione, seu affatu, vel auditu vitiorum carnalium in confessione aut alias, etiam invitis et renitentibus cum detestatione vitii, contingere consuevit ; non propterea rarius celebrandi aut sacra se communione privandi occasionem sumat, sed consulto et annuente prælato seu confessore suo, simul et affectu trahente, fiducialiter accedat.* Hæc ibi a prudentibus et religiosis Patribus edita.

D [a] Interpretatur hic abbas verba illa Apostoli : *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi,* de infirmitate spiritali, seu morbo animi, et morte itidem spiritali, id est, peccato lethali : cum plerique Patres tam Græci, quam Latini de morbis et mortibus corporalibus interpretentur, quibus a Deo immissis multi apud Corinthios in primitiva Ecclesia puniebantur, ob indignam Eucharistiæ perceptionem. Cujus rei alia quædam exempla habes apud Cyprianum in sermone de lapsis, Palladium in Lausiacis, Sophronium in Prato spirituali.

[b] Citavit etiam hunc locum Cassianus lib. VI Institut. cap. 8, ubi vide notata. Porro hæc sententia apud LXX non reperitur Levitici VII, ut hic citatur ; sed huic similis est Levitici XXII : *Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Domino.*

liter mystice segregatur : [a] *Si fuerit,* inquit, *inter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, et non revertetur priusquam ad vesperam ablutus aqua sit, et post solis occasum regredietur in castra* (*Deuter.* XX).

CAPUT VI.

Quod nonnumquam pollutio corporis culpa vacet, et inimici factione contingat, exemplo ostenditur.

Verum ut manifestius approbetur, [b] quod etiam inimici factione nonnumquam hæc eliciatur impuritas : [c] Novimus fratrem, qui cum castimoniam cordis et corporis summa circumspectione atque humilitate promeritam jugiter possideret, ac nequaquam nocturnis ludificationibus tentaretur, quoties tamen se ad percipiendam communionem Dominicam præparasset, immundo fluxu dormiens fœdabatur. Qui cum multo se tempore a sacrosanctis mysteriis trepidus abstineret, tandem hanc ad seniores detulit quæstionem, remedium impugnationis ac doloris sui medicabili eorum consilio consecuturum se esse confidens. Sed cum primam causam morbi ejus spiritalium medicorum doctrina discuteret, quæ solet ex abundanti ciborum præsumptione descendere, eamque memorata fratri deprehenderent non inesse, atque hanc illusionem nequaquam vitio saturitatis constaret emergere; eo quod nec fratris nota districtione solemnium dierum, quibus illa pollutio contingebat, specialis exceptio, hoc illos pateretur opinari : ad secundam [d] hujus valetudinis causam illico transtulerunt inquisitionis indaginem, discutientes ne animæ forsitan culpa, caro exhausta jejunio impuris illusionibus urgeretur, quibus etiam districtissimi viri, paululum elati de sui corporis fuerint puritate, per superbiæ vitium polluuntur, quod scilicet donum præcipuum Dei, id est, corporis castitatem, humanis se viribus obtinuisse crediderint. Interrogatus igitur utrum industriam suam ita capacem hujus crederet esse virtutis, ut ope divini non egeret auxilii, summa hunc impium sensum exsecratione detestans, cum se humiliter astruxisset ne cæteris quidem diebus corporis puritatem retinere potuisse, nisi divina in omnibus gratia fuisset adjutus, illi

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ad hunc locum alludens D. Gregorius : *Testamentum,* inquit, *veteris legis pollutum Domino dicit : et nisi lotum aqua, etiam usque ad vesperam intrare Ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter intelligens populus spiritalis* (id est Christianus), *quasi per somnium eum illudi reputat; qui tentatus immunditia, vanis imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpam cogitationum lacrymis abluat; et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi ad vesperam, cognoscat.* Ita citat Gratianus, licet paulo aliter habeat origin. Gregorii. Isidorus quoque in eamdem sententiam scribens : *Nocturnum,* inquit (*Comment. in Deuter. cap.* XX) *somnium est tentatio occulta, per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid concipitur, quod tamen corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus egredi extra castra præcipitur : quia videlicet dignum est, ut qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fidelium societatibus arbitretur. Culpæ suæ meritum ante oculos ponat, et ex bonorum se existimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire, est turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperam aqua lavatur, cum defectum suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta convertitur, ut fletibus diluat omne quod animum occulta inquinatione accusat. Sed post occasum solis ad castra redeat, quia defervescente tentationis ardore, necesse est ut iterum fiduciam erga societatis bonum sumat. Post aquam quippe occumbente sole ad castra revertitur, qui post lamenta pœnitentiæ frigescente flamma cogitationis illicitæ, ad fidelium merita præsumenda reparatur, ut jam se a cæteris longe esse non æstimet qui mundum se per obitum intimi ardoris gaudet.* Hucusque Isidorus. Addit et alio loco (*Lib.* III *Sentent.* c. 6) : *Qui nocturna illusione polluitur, quamvis extra memoriam cogitationum sese persentiat inquinatum; tamen hoc, ut tentaretur, culpæ suæ tribuat, suamque immunditiam statim fletibus tergat.*

[b] Id est, diaboli opera et illusione pollutio in somnis procuretur. Sic infra : *Occultas diabolicæ factionis insidias perviderunt.* Item : *Omnis diabolicæ factionis scena detecta est.* Rursus : *Adversarii factiosa docuit ludificatione propelli.* Quod pollutio subinde a diabolo procuretur dormientibus, diserte docet D. Thomas (3 *p., q.* 80, *a.* 7) : *Quandoque,* ait, *pollutio provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusione, qui phantasmata commovere possunt : ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur.* Thomas Cantipratanus lib. II (*Cap.* 57) : *Hoc verme dæmonia figurantur, quæ nocte hominibus apparent in somnis, et eos visionibus phantasmaticis polluunt et illudunt.* Et subdit exemplum *de Monacho cui dæmon insultavit, quod ei in somnis pollutionem excitasset. De hoc,* inquit, *quiddam ridiculosum legisse me memini. Cum quidam monachus ad obsessum energumenum accessisset, circumstante multo populo, eum cum irrisione morduci dæmonium inclamavit dicens : Eia, frater, eia, numquid pulchram tibi in hac nocte mulierem in somnis adduxi? Quippe, ut post confusionem monachus retulit, in somnis pollutus fuerat illa nocte, et non confessus fuit.* Sic ipse. Vide plura ad cap. 3 hujus.

[c] Hoc exemplum retulit D. Thomas supra citatus. Huic simile est, quod in Vita V. Petri de Morono legitur, qui ex anachoreta summus pontifex creatus dictus est Cœlestinus quintus; sed pontificatu se abdicans et in solitudine reliquam vitam agens, virtutibus ac miraculis claruit : a quo et ordo Cœlestinorum initium et nomen accepit. Accidit enim, ut refert Petrus Aliacensis, ut ob sacri mysterii reverentiam magna ei perplexitas oriretur, quidnam sibi agendum esset, cum nocturna pollutione corpus suum maculari contingeret; licet tamen animus ejus mundissimus tali immunditiæ pro viribus resistere niteretur. Et cum a religiosis fratribus quæreret consilium, si eodem die celebrandum esset vel a celebratione cessandum, nec esset una omnium sententia, aliis sic. aliis aliter sentientibus : pia mens ejus in dubio fluctuans, ad auxilium recurrit divinum. Et ecce in somnis assistere ei visus est Christus, hujus dubietatis perplexitatem dissolvens, eumque parabolica similitudine instruens; quod si asinus suus, id est, brutale et irrationale corpus pro innata consuetudine suam faceret immunditiam, non propter hoc rector ejus, id est, rationalis animus, a consensu immundæ carnis illecebræ alienus, deberet ab ascensu cœlestium, hoc est, a contemplatione divinorum, vel ab exercitio spiritualium mysteriorum torpere. Qua visione consolatus servus Dei, mentis quietem, spiritualemque lætitiam resumpsit intelligens ob involuntariam, legique mentis suæ repugnantem carnis pollutionem, non eum oportere a divini sacramenti communione cessare. Hæc ibi.

[d] Id est, invaletudinis seu infirmitatis, ut sæpe dictum est.

LVI). Qui sunt isti filii et filiæ, quibus in tantum isti præferuntur eunuchi, ut etiam locum ac nomen melius accepturi esse dicantur, nisi illi sancti qui in veteri Testamento in conjugiorum copula permanentes, per observantiam mandatorum in adoptionem filiorum Dei non immerito pervenerunt? Quod etiam nomen est illud quod eis velut præcipuum quiddam vice remunerationis summæ promittitur, nisi hoc quod Christi vocabulo dicimur esse censendi? De quo nomine alibi per prophetam ait: *Et servos meos vocavi nomine alio, in quo qui benedicendus est super terram, benedicetur in Deo, Amen; et qui jurat in terra jurabit in Deo, Amen* (*Isa.* LXV). Et iterum: *Et vocabitur*, inquit, *tibi nomen novum quod os Domini nominavit* (*Isa.* LXII). Quique pro hac cordis et corporis puritate, etiam illa præcipua ac singulari beatitudine perfruentur, [a] ut illud canticum jugiter canant, quod nemo alius sanctorum canere potest, nisi isti soli qui sequuntur agnum quocumque vadit? *Virgines* enim *sunt, et cum mulieribus se non coinquinaverunt* (*Apoc.* XIV). Proinde si ad hanc sublimissimam virginum gloriam volumus pervenire, omni virtute incorruptionem mentis acspiritus excolamus, ne in illarum insipientium virginum (*Matth.* XXV) numero collabamur, quibus idcirco non est reputata virginitas, quia a commixtione carnali immunes sese tantummodo servaverunt, et ob hoc [b] virgines quidem, sed fatuæ nuncupantur quia deficiente in vasis earum oleo puritatis internæ, claritas ac splendor corporalis virginitatis exstinguitur; interioris enim fotu [*Lips. in marg.* potu] ac pabulo puritatis subministrari necesse est etiam exteriori homini castitatem, eamque jugiter ad perseverantiam incorruptionis perpetuæ animari. Et ideo fatuæ illæ virgines gloriosum sponsi thalamum cum illis prudentibus non merentur intrare, quæ integrum spiritum suum et animam et corpus sine querela in die Domini nostri Jesu Christi non servaverunt. Illi namque sunt veri atque incorrupti virgines Christi, illi admirabiles atque egregii reputantur eunuchi, non qui metuunt, sed quibus non libet fornicari, nec qui impudicitiæ reprimunt frena, sed qui ipsam quoque minimam mentis titillationem et tenuissima libidinis incitamenta vicerunt, et eo usque extenuaverunt illum carnis (ut ita dixerim) sensum, [c] ut non solum ex commotione ejus, nulla oblectatione, sed ne exigua quidem titillatione tangantur.

CAPUT VII.

Quod numquam dignum se communione Dominica quispiam debeat judicare.

Tanta autem cor nostrum humilitatis debemus vallare custodia, ut hanc definitionem perpetua sensuum stabilitate teneamus, nequaquam nos posse ad tantum purificationis meritum pervenire, ut si hæc quæ supra dixi per Dei gratiam omnia fecerimus, [d] indignos tamen nos communione sacri corporis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

modo utilitatem promittis continentibus sanctis? Nomen æternum dabo eis; et si forte hic ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco: Nec umquam deerit. Quid quæris amplius? æternum hoc nomen, quidquid illud est, spadonibus Dei, quod utique gloriam quamdam propriam excellentemque significat; non erit commune cum multis, quamvis in eodem regno et in eadem domo constitutis. Nam ideo fortasse et nomen dictum est, quod eos quibus datur distinguat a cæteris.

[a] Divus Augustinus libro de Sancta Virginitate, virgines alloquens et collaudans, inter cætera sic ait capite 29: *Videbit vos cætera multitudo fidelium quæ Agnum ad hoc sequi non valet; videbit, nec invidebit; et collætando vobis, quod in se non habet, habebit in vobis. Nam et illud canticum novum proprium vestrum dicere non poterit; audire autem poterit, et delectari vestro tam excellenti bono. Sed vos qui et dicetis et audietis, quia et hoc quod dicetis a vobis audietis, felicius exsultabitis jucundiusque regnabitis.* Hæc Augustinus, et ipsum imitatus D. Gregorius in Pastorali (*Par.* III, *c.* 29): *Singulariter*, inquit, *canticum Agno cantare est, cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant; quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant.*

[b] Hujusmodi virgines, tam in masculino quam feminino sexu, acriter perstringit et suggillat D Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia virginitatis inter alia scribens (*Epist* XXII): *Timeamus illam prophetiam, ne in nobis etiam compleatur: Virgines bonæ deficient* (*Amos* VIII). *Observa quid dicat: Et virgines bonæ deficient, quia sunt et virgines malæ. Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* V). *Perit ergo et mente virginitas. Istæ sunt virgines malæ, virgines carne, non spiritu, virgines stultæ, quæ oleum non habentes excluduntur a Sponso. Si autem et illæ quæ virgines sunt, ob alias tamen causas, virginitate corporum non salvantur, quid fiet illis quæ prostituerunt membra Christi, et mutaverunt templum sancti Spiritus in lupanar*, etc.

[c] *Hæc enim est consummatio castitatis*, ait abbas Chæremon (*Collat.* 12 *cap. ult.*), *ut vigilantem monachum oblectatio libidinis nulla perstringat, ut quiescentem somniorum non fallat illusio; sed cum dormienti tantum per sopitæ mentis incuriam commotio carnis obrepserit, quemadmodum sine ulla titillatione voluptatis excitata est, ita etiam sine ullo pruritu corporis conquiescat.*

[d] Alia est dignitas meriti, alia dispositionis; dignitate meriti nemo tam vecors est, ut se dignum credat communione tanti Sacramenti, quasi suis meritis hoc beneficium debeatur; aut tantam assecutus sit mentis puritatem, ac perfectionem, quantam hujus Sacramenti dignitas ac majestas requirit, cum quisque communicaturus humiliter cum centurione dicere debeat: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*, etc. (*Matth.* VIII). Dignitas dispositionis est idonea et necessaria præparatio ad sacram communionem vel sacrificii incruenti oblationem; quam qui habet, digne; qui non habet, indigne accedere dicitur ad hoc Sacramentum. De qua præparatione hæc a Patribus concilii Tridentini tradita sunt et definita (*Sess.* XIII *cap.* 7): *Si non decet ad sanctas ullas functiones quempiam accedere nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini* (1 *Cor.* XI). *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum:*

esse credamus. Primum quia cœlestis illius mannæ tanta majestas est, ut nemo hac lutea carne circumdatus per suum meritum ejus edulium, et non ex gratuita Domini largitate percipiat. Deinde quia nullus ita circumspectus in hujus mundi potest esse conflictu, ut eum saltem rara vel levia peccatorum tela non feriant, quia impossibile est ut non aut ignorantia, aut negligentia, aut vanitate, aut obreptione, aut cogitatione, aut necessitate, aut oblivione peccetur. Nam etsi ad tam præcelsum quis virtutum culmen ascenderit, ut Apostolicum illud non jactanter exclamet : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum*; sciat se tamen absque peccato esse non posse. Neque enim frustra idem Doctor adjunxit : *Sed non in hoc justificatus sum*; id est, non si ego justum me esse credidero, veram confestim gloriam possidebo; vel quia me conscientia mea nullius peccati reprehensione compungit, idcirco nullius sordis contagione fuscatus sum; multa enim etiam meam conscientiam latent, quæ cum sint mihi incognita atque obscura, Deo nota atque manifesta sunt. Ideo subjiciens : *Qui autem me*, inquit, *judicat Dominus est*; id est, ab illo solo quem secreta cordium non latent, verum judicii in me proferetur examen.

A

B

CAPUT VIII.

Objectio Germani abbatis, ex his quæ de sacra perceptione dicta sunt.

Germanus : Supra dictum est non nisi sanctos cœlestium Sacramentorum esse debere participes; nunc adjicitur impossibile esse homini ut immunis penitus sit a delicto. Si nullus ergo liber a noxa, nullus est sanctus, et consequens est ut homo cui sanctitas deest, mysteriorum Christi particeps esse non possit, et regnum etiam cœlorum sperare non debeat, quod solis sanctis Dominus pollicetur.

CAPUT IX.

Responsio quod multi sancti esse possint, nemo tamen absque peccato nisi Christus.

Theonas : Multos quidem esse sanctos ac justos negare non possumus, sed inter sanctum et immaculatum multa distantia est. Aliud est enim esse quempiam sanctum, id est, divino cultui consecratum; hoc enim nomen non solum hominibus, sed etiam locis et vasculis templi atque lebetibus, attestante Scriptura, commune est. Aliud est autem esse absque peccato, quod unius Domini nostri Jesu Christi singulariter convenit majestati, de quo etiam Apostolus velut præcipuum quid ac speciale pronuntiat dicens : *Qui peccatum non fecit* (I *Petr.* II). Satis enim vilem atque indignam ejus præconiis laudem quasi incomparabile ac divinum ei aliquid assignavit, si etiam nos illibatam ab omni peccato possumus transigere vitam. Rursus Apostolus ad *Hebræos* : *Non enim habemus*, inquit, *pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris*, [a] *tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato* (*Hebr.* IV). Si igitur etiam terrenæ humilitatis nostræ cum illo excelso divinoque Pontifice hæc potest esse communio, ut etiam nos absque ulla peccati offensione tentemur, cur Apostolus hoc in illo velut unicum ac singulare suscipiens [*Lips. in marg.* suscipiens], ejus meritum ab hominibus tanta divisione discrevit? Hac ergo sola ab omnibus nobis exceptione distinguitur, qui nos non absque peccato, illum sine peccato constat fuisse tentatum. Quis etenim hominum *quamvis fortis* atque bellator sit, hostilibus tamen talis plerumque non pateat? Quis velut impenetrabili carne circumdatus, tantis præliorum periculis sine periculo misceatur? Ille autem solus *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV) conditionem mortis humanæ cum universa carnis fragilitate suscipiens, nullius est umquam sordis maculatus attactu.

C

CAPUT X.

Quod solus Filius Dei absque ullo peccati vulnere vicerit tentatorem.

[b] Tentatus est enim secundum similitudinem nostram (*Hebr.* IV) gastrimargiæ primum vitio, ut ei callidus ille serpens, eo ordine quo Adam ante seduxerat (*Genes.* III), esurienti escæ desiderio conare-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Probet seipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat : quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quod si necessitate urgente sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur. Rursus in decreto de observandis et evitandis in celebratione Missæ (Sess. XXII) : *Quanta*, inquiunt, *cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari qui facit opus Dei negligenter* (*Jerem.* XLVIII). *Quod si necessario fatemur nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia qua Deo Patri reconciliati sumus in altari per sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam et diligentiam in eo ponendum esse, ut, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.* Hæ ibi. Porro antiquam hanc fuisse observationem demonstrat etiam id quod ex Sozomeno narrat Cassiodorus lib. VIII Hist. trip. c. 1. de Dioscoro et Eulogio monachis Ægypti sacerdotibus sanctissimis : *Dioscorus*, inquit, *non amplius centum monachis præsidebat Qui cum presbyter esset, sacrificia faciens omnem perfectionem adhibebat examinando et diligenter dijudicando accedentes ad sacra mysteria, ita ut expiarent mentem et mali cujuspiam conscientiam non haberent.* Et addit de Eulogio : *Eulogius presbyter fertur præscientiam habuisse cogitationum quorumlibet ad se venientium, eorumque delicta palam redarguebat, et quæcumque latenter cogitassent sibi revelata manifestabat. Qui vero aliquid mali gessissent, vel pravum consilium habuissent, ab altari suspendebat, manifestans eis peccatum quod egerant, et diligentia purgatos rursus suscipiebat.* Hæc ibi.

D

[a] Vide in hanc sententiam notata Collat. 5, c. 5.

[b] De Christi tentationibus eodem modo et iisdem fere verbis disseruit abbas Serapion collat. 5 cap. 6, quare supervacaneum fuerit plura de his annotare.

tur illudere : *Si Filius*, inquiens, *Dei es, dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Sed nullum recipiens ex hac tentatione peccatum, cum ei facultas indubitata suppeteret, respuit cibum quem ei deceptionis artifex ingerebat, dicens : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut.* VIII). Tentatus est etiam cenodoxia secundum similitudinem nostram, cum ei dictum est : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Matth.* IV). Sed subdola diaboli suggestione captus non est, et vanissimum seductorem etiam Scripturarum objectione confutans, *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Tentatus est etiam tumore superbiæ secundum similitudinem nostram, cum ei a diabolo promitterentur omnia regna mundi et gloria eorum, sed irrisa atque objurgata est nequitia tentatoris. Respondit enim ei : *Vade retro, Satanas* (*Matth.* IV); *scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI). His autem testimoniis edocemur ut fraudulentis [a] suggestionibus inimici nos quoque similiter auctoritate Scripturarum debeamus obsistere. Rursum tentatus est superbia secundum similitudinem nostram, ut idem insidiarum artifex regnum, quod ab ipso oblatum ante respuerat, per homines ei moliretur ingerere; sed absque peccato insidias tentantis irrisit. *Cum enim cognovisset Jesus quod venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus* (*Joan.* VI). Tentatus est secundum similitudinem nostram, cum verberatus flagris, cum palmis cæsus, cum sputorum horrore respersus est, cum ad extremum pertulit crucis exquisita supplicia (*Matth.* XXVI); sed nullis umquam non dicam contumeliis, verum ne suppliciis quidem ad tumorem vel levissimæ indignationis impulsus est, quia in patibulo constitutus misericorditer proclamavit : *Pater, ignosce eis, non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII).

CAPUT XI.

Quod in similitudine carnis peccati solus venerit Christus.

Quemadmodum vero et illud accipietur, quod eum Apostolus [b] in similitudine carnis peccati venisse commemorat (*Rom.* VIII), si etiam nos nulla peccati labe pollutam habere possumus carnem? Nam et hoc de illo qui solus est absque peccato tamquam singulare memoratur : *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati* (*Galat.* IV); quia veram atque integram suscipiens substantiam carnis humanæ, non ipsum peccatum in ea, sed similitudinem peccati suscepisse credendus est. Similitudo enim non ad carnis veritatem, [c] secundum pravum quorumdam hæreticorum sensum, sed ad peccati est imaginem referenda. Erat enim in ipso vera quidem caro, sed absque peccato, similis scilicet peccatrici. Illud siquidem ad humanæ substantiæ pertinet veritatem, hoc vero ad vitia refertur et mores.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Quemadmodum Salvator noster omnes diaboli tentationes Scripturarum seu verbi divini præsidio disjecit ac dispulit, ita Apostolus Ephesiis consuluit ut eodem contra tentationes dæmonis uterentur : *Et galeam*, inquiens, *salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei. Resistere tentationibus*, inquit B. Gregorius (XIX *Moral. c. ult.*), *omnino non sufficit, qui hunc verbi Dei tenere gladium male vivendo postponit.* Et S. Hieronymus ad Eustochium (*Epist.* 22) : *Statim*, ait, *ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatis incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem : Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi caro* (*Psal.* CXVII). Sic S. Antonius, teste Athanasio, dæmonum tentationibus opponebat quasi telum illum versiculum Psalmographi : *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor et ego despiciam inimicos meos* (*Psal.* LXVII). Et illum : *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.* Denique abbas Isaac collat. 10 (*Cap.* 10), docet versiculum illum psalmi LXIX : *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina*, esse potentissimum ad expugnandas omnes tentationes remedium. *Habet siquidem*, inquit, *adversus universa discrimina invocationem Dei; habet humilitatem piæ confessionis; habet sollicitudinis ac timoris perpetui vigilantium; habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam; confidentiam præsentis semperque astantis præsidii. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est et impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus.* Hæc ille.

[b] *Græce* ἐν ὁμοιώματι, in similitudine. Quam lectionem hic Auctor secutus est, ubi tamen vulgata versio habet : *In similitudinem*. Dicitur autem Christus in similitudine vel in similitudinem carnis peccati venisse, ait Tertullianus (*Libro de Carne Christi cap.* XVI), *non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis et non veritatem; sed similitudinem carnis peccatricis vult intelligi.* Plenius D. Thomas : (*In Commentario ejus loci*) : *In similitudinem carnis peccati* non est sic intelligendum quasi veram carnem non habuerit, sed solum carnis similitudinem, quasi phantasticam, sicut Manichæi dicunt; cum ipse Dominus dicat Lucæ ult. : *Spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere.* Unde non solum dicit *in similitudinem carnis*, sed *in similitudinem carnis peccati.* Non enim habuit carnem peccati, id est, cum peccato conceptam et peccato obnoxiam, quia caro ejus fuit concepta per Spiritum sanctum, qui tollit peccatum. Matth. I : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Sed habuit similitudinem carnis peccati, id est, carnem similem carni peccatrici, in hoc quod erat passibilis. Nam caro hominis ante peccatum passioni subjecta non erat. Ita sanctus Thomas.

[c] Marcionis hæresiarchæ, contra quem Tertullianus libro adversus eum edito de Carne Christi; Manichæorum, contra quos D. Augustinus lib. de Hæresibus et alibi passim; Priscillianistarum, contra quos S. Leo pontifex epistola 93. Hi enim hæretici verba Apostoli perperam interpretantes, et more sophistico quale quid exponentes, ut dialectici loquuntur, dicebant Christum non veram carnem, sed phantasticam assumpsisse, similitudinem illam carnis peccati ad carnem ipsam, non ad peccatum, referentes. Contra Tertullianus (*Lib.* V *contra Marcionem*) : *Non magnum foret*, inquit, *si Spiritus Dei carnem remediaret; sed si caro consimilis peccatrici, dum caro est, sed non peccati. Ita similitudo ad titulum peccati pertinet, non ad substantiæ mendacium. Nam nec addidisset* PECCATI, *si substantiæ similitudinem vellet intelligi, ut negaret veritatem. Tantum enim carnis posuisset, non et peccati. Cum vero sic struxit,* CARNIS PECCATI, *et substantiam confirmavit, id est, carnem; et similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est, ad peccatum.*

Habebat similitudinem carnis peccati, cum velut homo ignarus ac pro cibo sollicitus percontaretur : *Quot panes habetis* (*Marc.* VI)? Sed sicut peccato nequaquam caro illius, ita nec anima ignorantiæ subjacebat. Denique statim evangelista subjungit : *Hoc autem dicebat Jesus tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus* (*Joan.* VI). Habebat carnem similem peccatrici, cum velut sitiens a Samaritana muliere posceret potum ; sed non erat peccati sorde polluta, quia econtrario mulier provocata est petere aquam vivam quæ illam numquam sitire permitteret, sed fieret in ea fons aquæ salientis in vitam æternam (*Joan.* IV). Habebat carnis istius veritatem cum dormiret in navi ; sed ne pariter navigantes peccati similitudine fallerentur, *surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna* (*Matth.* VIII). Communi cum omnibus sorte peccato subditus videbatur, cum diceretur de ipso : *Hic homo si esset propheta, sciret utique quæ et qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est;* sed peccati non habuit veritatem, quia blasphemam cogitationem arguens Pharisæi, statim mulieris peccata dimisit (*Lucæ* VII). Peccatricem cum cæteris gerere putabatur carnem, cum velut homo in mortis discrimine constitutus, et imminentium suppliciorum terrore perculsus oraret : *Pater, si possibile, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI); et, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Ibid.*). Sed peccati contagium nesciebat illa tristitia, quia vitæ auctor mortem formidare non poterat. Ait enim : *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam a me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X).

CAPUT XII.

Quod justi et sancti omnes non fuerunt in similitudine, sed in veritate peccati.

In hoc ergo ille homo qui natus ex Virgine est, magna a cunctis qui ex utriusque sexus commixtione producimur distantia segregatur; quod cum omnes non similitudinem, sed veritatem peccati in carne gestemus, ille non veritatem, sed similitudinem peccati et veræ carnis assumptionem suscepit. Denique licet scriptum de eo in Isaia propheta Pharisæi apertissime meminissent, quia *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*Isa.* LIII) : tamen ita similitudine carnis peccati fallebantur, ut dicerent : *Ecce homo vorax et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus* (*Matth.* XI). Et ad illum qui illuminatus fuerat cæcum : *Da gloriam Deo; nos enim scimus quia hic homo peccator est* (*Joan.* IX). Et ad Pilatum : *Nisi esset hic homo peccator, non eum tradidissemus tibi* (*Joan.* XVIII). Hujus ergo rei quæ illi tantum singularis ac propria est, æqualitatem sibi blasphemiæ superbiæque crimine vindicabit, quisquis se esse sine peccato ausus fuerit profiteri. Consequens enim est ut similitudinem carnis peccati, et non veritatem peccati, habere se dicat.

CAPUT XIII.

Quod non sint tam gravia peccata sanctorum ut eis auferant meritum aut nomen sanctitatis.

Cæterum [a] justos et sanctos viros non esse immunes a culpa manifeste Scriptura pronuntiat, dicens : [b] *Septies in die cadet justus et resurget* (*Prov.* XXIV). Quid enim aliud est cadere quam peccare? Et tamen cum dicatur septies cadere, nihilominus pronuntiatur justus, nec justitiæ ejus præjudicat lapsus fragilitatis humanæ, quia multum interest inter justi et peccatoris hominis lapsum. Aliud est enim admittere mortale peccatum, et aliud est cogitatione quæ peccato non caret præveniri ; vel ignorantiæ, aut oblivionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere, [c] aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsi-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Huic SS. Patrum doctrinæ subscribit synodus Tridentina his verbis (*Sess.* 6 c. 11) : *Licet in hac mortali vita quantumvis sancti et justi in levia saltem et quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant; non propterea desinunt esse justi. Nam justorum illa vox est, et humilis, et verax : Dimitte nobis debita nostra; quo fit ut justi ipsi eo magis se obligatos ad ambulandum in via justitiæ sentire debeant, quo liberati jam a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, juste, et pie viventes proficere possint per Christum Jesum, etc.* (*Vide collat.* 20 c. *ult.*, *et collat.* 23 c. 6 *et seq.*). Cæterum ab his et similibus sententiis, quibus generatim asseritur omnes homines, quantumvis justos et sanctos, non esse immunes a peccato, præter Christum Dominum, qui non purus homo, sed verus Deus et homo est, ideoque ἀναμάρτητος, id est, impeccabilis; excipienda etiam est Deipara virgo Maria, quam SS. Patres docent, ex singulari Dei privilegio, per omnem vitam ab omni peccato liberam atque immunem exstitisse. Unde D. Augustinus (*Lib. de Natura et Gratia* c. 36) : *Excepta,* inquit, *sancta virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem,* etc. Et eadem synodus Tridentina, dum negat hominem semel justificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare; hanc adjecit exceptionem (*Sess.* 6 *can.* 23) : *Nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia.*

[b] Beda, seu quisquis auctor Commentarii in eum locum, iisdem pene verbis, quibus hic abbas : *Quomodo,* inquit, *justus appellatur, qui cadere, id est, peccare memoratur? nisi quia de levibus quotidianisque peccatis loquitur, sine quibus nec justorum quisquam esse in hac vita potuit : quia nimirum per ignorantiam, per oblivionem, per cogitationem, per sermonem, per subreptionem, per necessitatem, per fragilitatem carnis, singulis diebus, vel inviti, vel volentes, frequenter reatum incurrimus; et tamen resurgit justus, videlicet quia justus est, nec justitiæ ejus præjudicat lapsus humanæ fragilitatis. Unde bene cum de justi casu loqueretur, non addit,* in malum ; *quia etsi in malum est, quod cadunt; ne tamen in malo in quod ceciderunt hærere possint, citius resurgendo procurant. At contra de reprobis : Impii autem,* inquit, *corruent in malum : quia videlicet impii, cum ceciderint, vel* (*quod est gravius*) *corruerint, ut Scriptura dicit, id est, cum capitalia crimina perpetraverint, ita suo casui delectando assentiunt, ut ab hoc relevari pœnitendo despiciant.* Hæc ibi.

[c] Ad punctum, seu momentum temporis, in fidei theoria hæsitare, contingit duobus modis. Primo cum assensu firmo et certo, cum quis spontanee et deliberate elegit dubitare et dubius permanere de

tare, aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari, aut necessitate naturæ aliquantisper a summa perfectione recedere. Hæc enim sunt septem lapsuum genera in quibus sanctus licet nonnumquam cadat, tamen justus esse non desinit; quæ quamvis levia esse videantur ac parva, tamen faciunt eum sine peccato esse non posse. Habet enim pro quibus quotidianam gerens pœnitudinem, et veniam veraciter debeat postulare, et pro suis indesinenter orare peccatis, dicens : *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI). Et ut evidentissimis probemus exemplis et errasse nonnullos sanctorum, et tamen a sua non discessisse justitia, certe ille beatissimus et apostolorum eximius Petrus, quid aliud credendus est fuisse quam sanctus, præsertim id temporis quo ei a Domino dicebatur : *Beatus es, Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est; et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XIV). Quid hac Dominica laude præclarius? Quid hac potestate ac beatitudine potest esse sublimius? Et tamen post paululum, cum ignorans mysterium passionis, tantæ utilitati [*Lips. in marg.* utilitatis] humani generis inscius obviaret, dicens : *Absita te, Domine, non erit tibi hoc*; meretur audire : *Vade post me, Satanas, scandalum es mihi, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* (*Ibid.*). Numquidnam cum his eum verbis ipsa [a] æquitas increparet, [b] aut nequaquam cecidisse, aut in aliquo fidei articulo, v. g., *An sit purgatorium?* et non vult assentiri et firmiter credere, quod quidem est peccatum mortiferum. Nam ut ait Stephanus papa (*Extra de hæret. cap.* 1) : *Dubius in fide, infidelis est.* Et D. Bernardus : *Fides ambiguum non habet; quod si habet, fides non est.* Et hæc infidelitas, seu dubitatio de fide potest esse in puncto, seu momento temporis (quia voluntatis assensus non pendet ex tempore) : et si voluntaria est, etiam mortalis est, non minus quam delectatio morosa, etiam in momento, secundum omnes (*S. Tho.* 2-2, *q.* 10, *art.* 7; *et Cajet. ib.*; *Majorin.* III, *dist.* 25; *Panormit. in c.* 1 *de hæret.*; *M. Canus de Locis Theolog. lib.* XII, *cap.* 9). Alio modo contingit fluctuare circa fidem, non ex pleno consensu, sed vel ex subreptione, seu hæsitantia non voluntaria, vel ex negligentia in repellenda dubitatione, vel ex quadam infirmitate, seu imbecillitate fidei, de qua dictum est Petro : *Modicæ fidei, quare dubitasti* (*Matth.* XIV)? Ubi dubitatio non tollit omnino fidem, sed modicam et imperfectam arguit. Atqui de tali hæsitatione in theoria fidei loquitur hic abbas, dum inter culpas veniales recenset; quod satis indicant ipsa verba : *Ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare,* id est, leviter et imperfecte vacillare.

[a] Ipsa Æquitas, id est, ipsa Veritas, nempe Christus Dominus, qui de seipso ait : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XII). Et Psaltes regius : *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit* (*Psalm.* LXXXIV). Est autem emphasis in verbo *Æquitas*; quasi dicat : Æquissimus Dominus et Judex, immo ipsissima Æquitas et Veritas.

[b] Phrasis obscura, et sic resolvenda, quasi dicat : Omnino credendus est Petrus sic a Domino increpatus cecidisse, et tamen in sanctitate et justitia permansisse. Æquivalet enim geminata negatio affirmationi. Sed quæritur quomodo Petrus ceciderit, id est, peccaverit (*nihil enim aliud est cadere, quam peccare,* ait ipse superius) quando dixit : *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc,* etc. (*Matth.* XVI). Cui quæstioni solvendæ simul et huic loco elucidando sufficerit duorum antiquorum Patrum et Ecclesiæ doctorum sententias hic referre, et hæreticorum perversæ interpretationi ex adverso opponere. His siquidem verbis admodum insolentibus Petrum ea de causa reprehendunt; ejusque fidem, quantum in ipsis est, elevant et suggillant, quasi stulte voluerit Christum a morte, ex qua salus nostra pendebat, revocare. At longe alio spiritu aliaque modestia Chrysostomus et Hieronymus de Petro loquuntur : nimirum quemadmodum paulo ante Christum Filium Dei vivi esse professus, singularem præ cæteris apostolis in eum fidem ostenderat; ita nunc illum majorem erga eumdem Christum amorem demonstrasse; et si quid peccavit, ex ignorantia et imprudentia peccasse.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Quod ut magis constet ipsos Patres satius fuerit suis verbis audire loquentes. Sic igitur Chrysostomus (*Homil.* 45 *in Matth.*) : *Quid est hoc,* inquit, *quod Petrus, qui revelatione Patris potitus erat, sic velociter cecidit, et instabilis est effectus? Sed dicimus non esse mirum si hoc ignoravit, qui de passione revelationem nondum acceperat. Quod enim Christus Filius Dei vivi esset, revelatione didicerat. Mysterium vero crucis et resurrectionis nondum ei fuerat revelatum. Ipse vero ostendens quod oporteret eum ad passionem venire, Petrum increpavit,* etc. D. autem Hieronymus in Commentario Matthæi (*Vide eumdem in epist. ad Algasiam quæst.* 3) : *Sæpe diximus,* ait, *nimii ardoris amorisque quam maximi fuisse Petrum in Dominum Salvatorem. Quia ergo post confessionem suam, qua dixerat, Tu es Christus filius Dei vivi; et præmium Salvatoris, quod audierat, Beatus es, Simon Barjona,* etc., *repente audit a Domino, oportere se ire Hierosolymam, ibique multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum, et occidi et tertia die resurgere; vult* (id est, putat) *destrui confessionem suam, nec putat fieri posse ut Filius Dei occidatur : assumitque eum in affectum suum, vel separatim ducit, ne præsentibus cæteris condiscipulis magistrum videatur arguere, et cœpit increpare illum amantis affectu, et optantis dicere : Absit a te, Domine. Vel ut melius habetur in Græco,* Ἵλεώς σοι, Κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο, *hoc est, propitius sis tibi, Domine, non erit tibi hoc : non potest fieri, nec recipiunt aures meæ, ut Dei Filius occidendus sit. Ad quem Dominus conversus ait : Vade retro me, satana, scandalum mihi es. Satanas interpretatur adversarius, sive contrarius : quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari. Multi putant, quod non Petrus correptus sit, sed adversarius spiritus* (id est, diabolus) *qui hæc dicere Apostolo suggerebat. Sed mihi hic error apostolicus, et de pietatis affectu veniens, numquam incentivum diaboli videbitur. Vade retro me, satana Diabolo dicitur : Vade retro* (*Matth.* IV). *Petrus audit : Vade retro me : hoc est, sequere sententiam meam; quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Meæ voluntatis est, et Patris* (*cujus veni facere voluntatem*), *ut pro hominum salute moriar; tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum cadere, ut multos fructus afferat.* Hucusque D. Hieronymus. E quibus discimus Petrum, satanam, non quasi proprio diaboli, sed quasi communi adversarii vocabulo a Christo fuisse appellatum, quia sibi pro hominum salute mori volenti adversabatur, *et tantæ utilitati humani generis,* ut ait hic abbas, *inscius et imprudens obviabat.* At cur eum Christus tam acriter reprehendit? Respondet Maldonatus (*In comment. Matth.* XVI), *Non tam quod Petri culpa, siqua tamen fuit, quam quod rei de qua agebatur, magnitudo merebatur.* Jansenius vero (*Concord. evang.* 66) : *Imprudenter,*

sanctitate atque justitia non permansisse credendus est? Quid illo etiam tempore [a] numquid ruinam manifeste negandus est pertulisse, quo imminente, persecutorum metu, ter Dominum negare compulsus est? Sed confestim, pœnitudine subsequente, [b] amarissimis lacrymis maculam tanti criminis abluendo, sanctitatis atque justitiæ meritum non amisit (*Matth.* XXVI). De ipso igitur ac de ejus similibus sanctis illud etiam quod a David canitur debemus accipere: *A Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus voletnimis. Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam* (*Ps.* XXXVI). Cujus enim gressus a Domino diriguntur, quid aliud potest esse quam justus? Et tamen de hoc ipso dicitur: *cum ceciderit, non collidetur.* Quid est *cum ceciderit,* nisi cum lapsum peccati alicujus incurrerit? *Non collidetur,* inquit, id est, nequaquam diu opprimetur incursione peccati; sed licet ad præsens videatur elisus, tamen divino quod implorat erectus auxilio, celeri resurrectione stabilitatem justitiæ non amittit: vel etiamsi ad præsens per fragilitatem carnis aliquid admiserit, suppositione manus Dominicæ reparabit. Nec enim sanctus esse desinit post ruinam, qui cum se fiducia operum suorum justificari non posse cognoscat, et tantis peccatorum nexibus credat sola Domini gratia liberandum, cum Apostolo proclamare non desinit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII).

CAPUT XIV.

Quomodo intelligendum sit illud Apostoli: Non enim quod volo bonum facio.

Nam cum apostolus Paulus inæstimabilem abyssum puritatis, resistentibus cogitationum æstibus, penetrari ab homine non posse cognoscens, diu velut per profunda jactatus, ante dixisset: *Non enim quod volo bonum, facio, sed quod odi malum, hoc ago* (*Rom.* VII). Et rursum: *Si autem quod nolo, hoc facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: et condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati quæ est in membris meis* (*ibid.*); omni vel sua vel naturæ ipsius fragilitate perspecta, tam immensæ altitudinis vastitate conterritus, ad tutissimum portum divini confugit auxilii; et quasi de navigii sui oneribus mortalitatis oppressi, naturali infirmitate desperans, ab eo cui impossibile nihil est, naufragiorum deposcit remedia, cum quodam miserabili vociferans ejulatu: [c] *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Ibid.*)? Statimque absolutionem quam desperavit de imbecillitate naturæ, de Dei benignitate præsumpsit, confidenter adjungens: [d] *Gratia Dei per Christum Dominum nostrum* (*Ibid.*)

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

inquit, *jam et sine discretione Dominum amabat. Cogitare enim debuisset eum quem confessus erat esse Dei Filium, nihil increpatione dignum aut agere aut dicere posse; expendere item quod dixisset Dominus, oportere sic fieri, ac ideo visum esse Patri. Verum quominus hæc perpenderet, amoris nondum perfecti, sed adhuc nimis humani vehementia fecit.*

[a] Minime scilicet. Quis enim neget aut dubitet Petrum negando Christum graviter cecidisse et ruinam pertulisse? Fuere tamen qui existimarunt Petrum, cum Christum negavit, aut non peccasse, aut certe mentitum non esse, sed, salva veritate, ambigue locutum. Nec enim, aiebant, mentiebatur, qui Christum hominem, purum scilicet, se nosse negabat quam Deum verum cognoscebat. Quos notasse videtur D. Hieronymus his verbis (*In comment. Matth.* XXVI): *Scio quosdam, pio affectu erga apostolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem, et esse sensum: nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat:* ME NEGABIS, *non hominem.* Ita Hieronymus. At quorsum, inquies, hoc exemplum allegat Auctor, quod ejus scopo et argumento hujus cap. potius repugnare videtur, quo docet sanctos et justos in hac vita non esse immunes a culpis venialibus et quotidianis, ut dictum est, cum constet hanc Petri negationem non fuisse culpam levem et venialem, sed gravissimam? R. Quia de culpa Petri leviore fecerat mentionem, qua suum intentum probaverat, cum proclive esset ut ei objiceretur alia Petri culpa longe gravior in negatione Christi, huic objectioni occurrens docet hoc Petri exemplo sanctos et justos interdum quidem graviter labi et peccare, sed mox a lapsu resurgere, Deo supponente manum suam, id est, auxilium gratiæ suæ subministrante, et eos misericorditer erigente: proinde licet ad tempus subinde excidant a justitia et sanctitate; non ita tamen, ut ex albo justorum penitus eradantur, quia per pœnitentiam, saltem extremam et finalem, ad justitiam revertuntur, et merita præcedentium bonorum recuperant; et hoc est quod ait Psalmista: *Justus cum ceciderit, non collidetur,* sic nimirum, ut in æternum pereat, et a Deo abjiciatur, instar vasis collisi et confracti. Loquitur enim de *electis, quos Deus* infallibili gratia ad regnum perducit: quia *quos prædestinavit, hos et justificavit*; quos autem justificavit, hos et glorificabit.

[b] S. Leo pontifex serm. 9 de passione Domini: *Felices,* ait, *sancte Apostole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. Adfuit enim dextera Domini nostri Jesu Christi, quæ labentem te, priusquam dejiceris, exciperet, et firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam. Abundavit fletus, ubi non defecit affectus, et fons charitatis lavit verba formidinis: nec tardatum est remedium abolitionis, ubi non fuit judicium voluntatis. Cito itaque in soliditatem suam rediit petra, tantam recipiens fortitudinem, ut quod tunc in Christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret.*

[c] *Corpus mortis appellat,* inquit Hieronymus (*Lib.* I *Apol. in Rufin. c.* 6), *quod vitiis, et morbis, et perturbationibus, ac morti subjaceat, donec cum Christo resurgat in gloria; et fragile prius lutum excoquatur fervore Spiritus sancti in testam solidissimam, demutans gloriam, non naturam.* Ita Hieronymus. Potest tamen genitivus *hujus* referri etiam ad mortem ipsam, ut sensus sit: *De corpore mortis hujus* id est, in quo hoc genus mortis etiam invitus experior.

[d] Duplex lectio apud Græcos. Aliqui enim legunt: χάρις τῷ Θεῷ, *gratia Deo,* id est, gratias ago Deo, ut Chrysost. (*Homil.* 13), et Hieronymus (*Epist.* 151

CAPUT XV.

Objicit Germanus, ex peccatorum persona Apostolum hæc dixisse.

Germanus : Multi hoc apostolicum ita intelligi debere definiunt, ut hoc eum non ex sua, sed ex peccatorum persona dixisse confirment, eorum scilicet qui volentes semetipsos a corporalibus illecebris ac voluptatibus abstinere, obstricti vitiis pristinis, et oblectatione carnalium passionum captivati, semetipsos cohibere non possunt, dum [a] inolita consuetudine vitiorum, velut immiti quadam tyrannidis dominatione, depressi, ad libertatem pudicitiæ respirare non possunt. Quomodo enim beato Apostolo, quem ad summum perfectionis totius culmen, certum est pervenisse, illud poterit convenire quod dicit : *Non enim quod volo bonum, facio, sed quod odi malum, hoc ago.* Illud etiam quod subjungit : *Si autem quod nolo, hoc ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum?* Nec non etiam hoc : *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). In quo igitur hæc personæ apostolicæ possunt coaptari? Quid enim est boni quod ille non potuerit implere? Et econtrario, quid illud est mali quod nolens et odiens, tamen cogente natura, invitus admiserit? Ad quam vero peccati legem electionis vas, in quo Christus Dominus loquebatur, potuit captivus adduci? Qui cum omnem inobedientiam, et omnem extollentem se adversus Deum altitudinem captivasset (II *Cor.* X), de semetipso cum fiducia proclamabat : *Bonum agonem certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (II *Tim.* 4.).

CAPUT XVI.

Dilatio propositæ quæstionis.

Theonas : Intrantem me tutissimum silentii portum, rursus ad immensum profundissimæ quæstionis pelagus revocare conamini; sed opportunitatem fidæ stationis amplexi, hic interim cursu tam longæ collationis emenso, taciturnitatis anchoram jaciemus, ut crastina die, si tamen nulla vis tempestatis obstiterit, flatu prosperi spiritus explorato, disputationis vela pandamus.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quæst. 8) Ad Algasiam. Alii vero : χάρις τοῦ Θεοῦ, in genitivo : id est, *gratia Dei*, sup. liberabit me, non lex Moysi, non vires naturæ; atque hoc modo vertit noster interpres.

[a] Inolita seu inveterata vitiorum consuetudo quam difficile curetur, præter alia Scripturæ testimonia, docet evidenter illa Jeremiæ sententia, qua inveteratam Judæorum perstringit malitiam : *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum* (*Jerem.* XIII). *Non natura*, inquit, ibidem Hieronymus, *sed nimia consuetudine et amore peccandi firmatum, sic in naturam conversum videatur.* Et in Epistola ad Lætam de institutione filiæ : *Difficulter*, inquit, *eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Recens testa diu et saporem retinet et odorem quo primum imbuta est.* Basilius in Regulis fusius disput. (*cap.* 6). *Consuetudo vetustate firmata naturæ vim solet nancisci.* Chrysostomus in II ad Corinth. cap. 4 : *Magna est consuetudinis tyrannis; adeoque magna, ut perinde cogat ac natura.* Denique hanc difficultatem in seipso expertus D. Augustinus eamdem prolixe declaravit in narratione suæ conversionis. Sic enim inter alia lib. VII (*Cap.* 5) Confessionum : *Ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus; et inde mihi catenam fecerat, et constrinxerat me : quippe ex voluntate perversa facta est libido; et dum servitur libidini, facta est consuetudo; et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Beda in cap. 15 Lucæ hæc de Zachæo : *Intrantem Jericho Salvatorem videre quærebat; sed præ turba non poterat; quia gratiæ quam mundo Salvator attulit participare cupiebat; sed inolita vitiorum consuetudo, ne ad votum perveniret, obstabat. Eadem quippe turba noxiæ consuetudinis, quæ cæcum clamantem, ne lumen peteret, increpabat, etiam suspicientem publicanum, ne Jesum videat, tardat.*

COLLATIO VIGESIMA TERTIA,

Quæ est tertia abbatis Theonæ.

DE VELLE BONUM ET AGERE MALUM.

CAPUT PRIMUM.

Reversa igitur luce, cum ad [a] perscrutandam abyssum apostolicæ quæstionis summa a nobis senex compelleretur instantia, ita effatus est : Testimonia quibus probare conamini, apostolum Paulum non ex sua, sed peccatorum dixisse persona : *Non enim quod volo bonum, facio; sed quod odi malum hoc ago.* Vel illud : *Si autem quod nolo hoc facio, jam non*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] *Abyssum apostolicæ quæstionis*, vel, ut superius dixit (*Collat.* 21 *cap. ult.*), *immensum profundissimæ quæstionis pelagus* hyperbolice vocat quæstionem quidem satis difficilem et obscuram de verbis Apostoli ad Rom. cap. VII nuper a Germano propositam, et huic collationi reservatam : cujus summa hæc est : An ibi loquatur Apostolus in persona peccatorum, ut volebat Germanus, an in persona sua, suique similium id est justorum? Vel, aliis verbis : An loquatur de hominibus impiis, in peccati statu constitutis et carnalibus; an vero de justis, per gratiam renatis et spiritualibus, qualis erat Paulus? Quæ quidem quæstio non adeo difficilis est et profunda ut huic abbati visa est. Nam utroque modo verba Apostoli exponi posse docet D. Augustinus, et post eum D. Thomas, nec desunt utrique parti sui auctores, et assertores antiqui et probati. Priorem enim expositionem tradiderunt Chrysostomus, Theophy-

ego operor illud, sed quod habitat in membris meis peccatum. Vel quod sequitur : *Condelector enim lege Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII) ; econtrario evidenter ostendunt peccatorum personæ hæc non posse omnimodis convenire, sed ad solos quæ dicta sunt attinere perfectos ; et eorum tantum qui apostolorum merita subsequuntur, congruere sanctitati. Cæterum quo pacto personæ peccatorum hoc poterit convenire quod dicit : *Non enim quod volo bonum, facio ; sed quod odi malum, hoc ago?* Sed nec illud quidem : *Si autem quod nolo hoc facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum?* Quis enim delinquentium nolens se adulteriis fornicationibusque contaminet ? Quis invitus proximo tendat insidias ? Quis inevitabili necessitate cogatur, ut falso testimonio hominem opprimat, furtove decipiat, aut alterius spolia concupiscat, vel sanguinem fundat ? Quinimmo, ut scriptum est, [a] *humanum genus diligenter intentum est ad nequitiam a juventute sua* (*Gen.* VII *sec* LXX). In tantum enim omnes vitiorum amore flagrantes desiderant implere quæ cupiunt, ut etiam pervigili cura opportunitatem committendi sceleris aucupentur, ac de ignominia sua et criminum cumulo gloriantes, secundum sententiam objurgantis Apostoli (*Philip.* III) laudem sibi quamdam de confusione conquirant. Quos etiam Jeremias propheta non solum non nolentes, nec cum requie cordis et corporis flagitiorum eos crimina perpetrare, verum etiam in tantum eos asserit laboriosis conatibus, ut ad affectum eorum perveniant, desudare, ut a lethali scelerum appetitu nec obsistentibus arduis difficultatibus revocentur ; dicens : *Ut iniqua agerent laboraverunt* (*Jerem.* IX). Illud quoque quis dixerit peccatoribus convenire : [b] *Itaque ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII), quos nec mente nec carne Deo servire manifestum est ? aut quemadmodum hi qui peccant corpore, mente serviunt Deo, cum vitiorum fomitem caro ex corde concipiat ; et ipse auctor utriusque naturæ, fontem atque originem peccatorum ex eo pronuntiet emanare ? *De corde*, inquiens (*Matth.* XV), *procedunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, furta,* et cætera hujusmodi. Quamobrem evidenter

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

lactus et alii in eum locum, et ipse Augustinus l. I ad Simplicianum c. 1, qui existimant Apostolum non loqui de se suique similibus justis, sed induisse personam hominum impiorum, qui carnis concupiscentia ducuntur, et pertrahuntur in multa flagitia ; seu, quod idem est, voluisse statum humani generis sub peccato constituti nec per gratiam reparati in seipso exprimere. Unde ait : *Scio quia lex spiritualis est ; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato* (*Rom.* VII). Cui sententiæ suffragari etiam videtur D. Hieronymus in cap. III Danielis, ubi ait : *Quomodo illi tres pueri in fornace constituti ex persona populi ita loquebantur : Peccavimus, et inique egimus recedentes a te,* etc. ; *sic illud Apostoli intelligendum esse : Non enim quod volo, hoc ago ; sed quod nolo, illud operor. Et cætera quæ in eodem loco scripta sunt.* Verum altera expositio eidem Augustino postea magis placuit l. II Retr. c. 1, et passim in libris adversus Pelagianos : quam etiam D. Anselmus, Thomas et alii posteriores interpretes magis approbarunt, ut et noster hic Theonas ; cui proinde satius est nos inhærere. Verum ut lectori utcumque satisfiat, et hæc sententia magis elucidetur, respondendum est argumentis superius a Germano in contrarium objectis (*Collat. præced. cap. penult.*) : *Quomodo,* inquit, *beato Apostolo, quem ad summum totius perfectionis culmen certum est pervenisse, illud poterit convenire quod dicit : Non enim quod volo, facio bonum ; sed quod odi malum, hoc ago. Illud etiam quod subjungitur : Si autem quod nolo, hoc ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Nec non etiam hoc : Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis. In quo igitur hæc personæ apostolicæ poterunt coptari ? Quid enim est boni, quod ille non potuerit adimplere ? Et econtrario, quid illud est mali, quod nolens et odiens, tamen cogente natura invitus admiserit ? Ad quam vero peccati legem electionis vas, in quo Christus Dominus loquebatur, potuit captivus abduci ?* Hactenus Germanus. Ut autem his argumentis breviter respondeatur (nam plenior eorum discussio et explicatio ab interpretibus petenda est), notandum est Apostolum eo loci agere de motibus concupiscentiæ involuntariis, ex peccato Adæ in natura corrupta et vitiata pullulantibus, *quos etiam* viri sancti et perfecti in hac vita experiuntur inviti. Hoc enim est quod ait Apostolus : *Non quod volo bonum, hoc ago ;* quia volo non concupiscere, non sentire motus concupiscentiæ, quod tamen assequi nequeo. *Sed quod odi malum* (scilicet concupiscere), *hoc facio. Ubi facere se dixit,* inquit Augustinus (*Lib. contra duas epist. Pelagian. cap.* 10), *non affectu consentiendi, sed ipso motu concupiscendi.* Hoc igitur est bonum, quod Apostolus non potuit in hac vita adimplere, nullum scilicet concupiscentiæ motum experiri ; et hoc malum, quod se etiam nolentem et odientem facere affirmat, nempe concupiscere : quod etsi malum sit, quia est quidam morbus et defectus naturæ corruptæ, non tamen est *proprii nominis* peccatum, si absit consensus rationis ; quamvis subinde ab Apostolo vocetur peccatum ; quia est causa et fomes peccati, ut docet, et explicat synodus Tridentina (*Sess.* 5, *in decret. de peccato origin.*). Proinde quod ab Apostolo subjungitur : *Si autem quod volo, hoc ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum,* id est, si secundum carnem concupisco, quod tamen mente detestor, non est opus meum, sed opus peccati, id est, concupiscentiæ, quæ ex peccato est et ad peccatum inclinat. At id quod tertio loco objecit Germanus, de lege membrorum captivante, seu captivum ducente *in* legem peccati, quod Apostolo non videtur convenire, respondet D. Augustinus captivantem dici, id est, captivare conantem, vel captivantem secundum carnem, non secundum mentem (*Lib. de Nup. et Concupisc. c.* 30). Verum hæc plenius explicabuntur c. 11 et sequentibus.

[a] Vulgatus textus : *Cuncta cogitatio cordis* (humani) *intenta ad malum omni tempore* (*Genes.* VI). Ex Hebræo autem : *Figmentum cordis humani tantum malum.* Est autem hyperbolica locutio, ad solos sceleratos illius temporis referenda, ut et illa Psalmistæ : *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt,* etc. (*Psal.* XIII). Nam certum est ibi Noemum, ut et hic Davidem et alios justos et probos excipi oportere.

[b] De multiplici lege quam eo loco distinxit Apostolus vide infra ad cap. 11 hujus collationis.

ostenditur hoc nullo modo de peccatorum posse intelligi personis, qui non solum non oderunt, sed etiam diligunt mala; et in tantum Deo nec mente nec carne deserviunt, ut ante delinquant mente quam corpore, et priusquam carnis expleant voluptatem, præveniantur mentis cogitationumque peccato.

CAPUT II.

Docet in Apostolis multa quidem fuisse bona, sed boni ipsius complementum solo voto ac desiderio, ipsos habuisse.

Superest igitur ut virtutem sensus ex intimo dicentis metiamur affectu, et quid beatus Apostolus dixerit bonum, quidve comparatione ejus pronuntiaverit malum, non nuda significatione verborum, sed eodem quo ille discutiamus intuitu: intellectum quoque ejus secundum dignitatem pronuntiantes ac meritum perscrutemur. Tunc enim sententias Deo inspirante prolatas, secundum propositum ac voluntatem ejus comprehendere poterimus, cum eorum a quibus promulgatæ sunt statum ac meritum perpendentes, non verbo, sed experimentis parem induerimus affectum, pro cujus qualitate sine dubio vel concipiuntur universi sensus, vel sententiæ proferuntur. Quamobrem, quid sit principaliter bonum, quod Apostolus non potuerit perficere cum vellet, diligentius indagemus. [a] Multa enim novimus bona, quæ beatum Apostolum, omnesque illius meriti viros, et habuisse per naturam, et acquisisse per gratiam, negare non possumus. Est enim bona castitas, laudabilis continentia, miranda prudentia, larga humanitas [humilitas], circumspecta sobrietas, modesta temperantia, pia misericordia, sancta justitia; quæ omnia in apostolo Paulo ejusque consortibus ita plena atque perfecta fuisse dubium non est, ut virtutum potius quam verborum magisterio ab eis religio doceretur. Quid quod jugi Ecclesiarum omnium cura (II *Cor.* II) ac pervigili sollicitudine semper exusti sunt? Quantum hoc misericordiæ bonum, quanta perfectio est, pro scandalizantibus uri, cum infirmantibus infirmari? Cum ergo tantis Apostolus abundaverit donis, quid illud est boni cujus perfectione caruerit, non poterimus agnoscere, nisi in illum quo ipse locutus est profecerimus affectum. Omnes itaque quas eum diximus habuisse virtutes, quamvis velut gemmæ splendidissimæ atque pretiosæ sint, tamen si præclaro illi atque [b] præcipuo margarito, quod ille evangelicus negotiator inquirens, universis quæ possedit, venditis (*Matth.* XIII), comparare desiderat, conferantur, ita eorum meritum revilescit atque contemnitur, ut eis sine cunctatione distractis unius tantum boni possessio locupletet bonorum innumerabilium venditorem.

CAPUT III.

Quod sit vere bonum quod Apostolus se perficere non posse testatur.

Quid ergo est unum quod illis tantis tamque innumeris bonis tam incomparabiliter præponatur, ut spretis abjectisque omnibus solum debeat possideri, nimirum illa pars optima cujus magnificentiam ac perpetuitatem cum relicto susceptionis atque humanitatis officio, Maria prælegisset, ita prædicatur a Domino: *Martha, Martha, sollicita es et turbaris circa multa;* [c] *paucis vero opus est, aut etiam uno. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Lucæ* X). [d] Una ergo et sola est theoria, id est, contemplatio Dei, cui merito omnia justificationum merita, universa virtutum studia postponuntur; et illa quidem omnia quæ in apostolo Paulo fulsisse prædiximus, non solum bona et utilia, verum etiam magna atque præclara sunt. [e] Sed sicut, verbi gratia, stanni metallum, quod alicujus utilitatis et gratiæ putabatur, fit argenti contemplatione vilissimum, et rursum auri comparatione meritum evanescit argenti: aurum quoque ipsum gemmarum collatione contemnitur, et ipsarum nihilominus quamvis insignium multitudo gemmarum unius margaritæ candore superatur; ita et illa omnia merita sanctitatis,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ad hunc locum elucidandum, præter ea quæ Dom. Cuychius annotavit, juverit etiam notasse quod secundum Augustinum triplicia sunt bona in homine, quæ vocat maxima, media et minima (*Lib.* II *de Libero Arb.* c. 19). Minima bona sunt, sine quibus recte vivitur, ut sanitas, robur, forma corporis, eloquentia, scientia, et hujusmodi; media, sine quibus non potest recte vivi, ut potentiæ, et facultates animæ, præsertim voluntas et intellectus. Magna et maxima, quibus recte vivitur, et nemo male utitur, ut sunt virtutes animi, dona Spiritus sancti; his enim nemo male uti potest, ut principiis agendi, quamvis possit male uti, ut objectis, velut si quis de virtute superbiat, ut superius ex D. Thoma annotatum. Si de primo et secundo genere bonorum loquatur hic abbas, cum dicit beatum Apostolum et alios justos multa bona per naturam habuisse, nulla est difficultas. Nam ejusmodi bona naturalia sunt, et naturæ vires non superant. Si vero de tertio genere, ut apparet ex verbis consequentibus, quatenus id verum aut falsum censeri debeat, explicatur a Cuychio.

[b] Respicit parabolam evangelicam (*Matth.* XIII), ubi bonus negotiator omnes vendere dicitur margaritas, ut de pretio earum unam emat pretiosissimam margaritam. Dicitur autem margarita, et margaritum in neutro genere. Unde Tertullianus, lib. de Pallio (*Cap.* V); *Margarita vel ipso nomine pretiosa dehausit.* Et alibi (*Ad Martyres c.* 4), hoc proverbii loco usurpat: *Tanti vitrum? Quanti verum margaritum?* Quod D. Hieronymus imitatus (*Epist. ad Paulinum*): *Si tanti,* ait, *vitrum, quanti pretiosum margaritum?* Quo dicto summa inæqualitas significatur: margaritarum enim, alias unionum summun inter gemmas pretium; vitrum autem vilissimum, quod tamen margaritas mentiri potest, et imperitos fallere.

[c] Vide hæc explicata collat. 1 cap. 8; et S. Thomam 2-2, quæst. 182, art. 1.

[d] Sunt hæc ipsa verba D. Hieronymi lib. VIII in Lamentationes Jeremiæ c. 3, unde hic auctor est mutuatus. Est autem huic similis locus collat. 1, cap. 8, ubi abbas Moyses ita concludit: *Videtis ergo principale bonum in theoria sola, id est, in contemplatione divina Dominum posuisse: unde cæteras virtutes, licet utiles et necessarias promuntiemus, secundo tamen gradu censendas esse decernimus; quia universæ hujus unius parantur obtentu,* etc.

[e] Hæc eadem verba cum præcedentibus leguntur apud S. Augustinum serm. 43 de Tempore.

quamvis non solum ad præsens bona et utilia sint, verum etiam donum æternitatis acquirant, tamen si divinæ centemplationis meritis cenferantur, vilia atque, ut ita dixerim, vendibilia censebuntur. Et ut hanc eamdem comparationem etiam Scripturarum confirmet auctoritas, nonne de universis quæ a Deo creata sunt, generaliter Scriptura pronuntiat, dicens : *Et ecce omnia quæ fecit Deus, erant bona valde* (*Genes.* I)? Et iterum : *Universa quæ fecit Deus, bona in tempore suo* (*Eccl.* XXXIX)? Hæc igitur quæ in præsenti non solum bona simpliciter, verum etiam cum additamento valde bona pronuntiantur; sunt enim revera in hoc mundo commorantibus nobis ad usum vitæ, aut ad corporis medicinam, aut ad aliquam causam ignotæ nobis utilitatis accommoda, vel certe in eo etiam valde bona, quod *faciunt nos invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, sempiternam quoque virtutem jus, ac divinitatem* (*Rom.* I), ex tanta tamque ordinata molitione fabricæ mundialis et omnium quæ in ea sunt subsistentia, contemplari; hæc tamen omnia nec boni nomen tenebunt, si futuro illi sæculo comparentur, ubi bonorum nulla immutatio, nulla est veræ beatitudinis formidanda corruptio. Cujus mundi beatitudo ita describitur : *Erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis septempliciter, sicut lux septem dierum* (*Isaiæ* III). Magna igitur hæc et præclara intuitu atque mirifica, si futuris ex fide repromissionibus conferantur, continuo vanitas apparebunt, dicente David : *Omnia sicut vestimentum veterascent, et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Ps.* CI). Ergo quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum nisi deitas sola, omnes vero creaturæ ut beatitudinem æternitatis vel immutabilitatis obtineant, non hoc per suam naturam, sed per creatoris sui participationem et gratiam consequuntur, tenere hoc meritum bonitatis creatori suo collatæ non possunt.

CAPUT IV.

Bonitatem humanam atque justitiam non esse bonam, si divinæ bonitati ac justitiæ conferatur.

Quod si etiam manifestioribus adhuc testimoniis hujus sententiæ rationem voluerimus astruere, nonne cum multa pronuntiari bona in Evangelio legerimus, et arborem bonam, et thesaurum bonum, et bonum hominem et bonum servum, quia *non potest,* inquit, *arbor bona malos fructus facere, et bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*; et, *Euge, serve bone et fidelis* (*Matth.* VII, XII, XV, *Lucæ* XVIII); et utique hos omnes secundum se bonos esse non dubium sit : si respiciamus ad bonitatem Dei, nullus eorum pronuntiabitur bonus, dicente Domino, [a] *Nemo bonus nisi solus Deus* (*Marc.* X). Cujus intuitu etiam ipsi apostoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali esse dicuntur, Domino ita ad eos loquente : *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bonum spiritum petentibus se* (*Matth.* VII)! Denique sicut [b] bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur, ita etiam justitia nostra divinæ, collata justitiæ panno menstruatæ similis deputatur, dicente Isaia propheta : [c] *Sicut pannus menstruatæ, universæ justi-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Per naturam scilicet, ut superius dictum est (*Cap.* 3). Nam ipsius essentia est ipsissima bonitas. Alia autem omnia a Deo bona sunt per participationem, ut docet B. Dionysius Areopag. de Divin. Nom. cap. 4 : *Nam quemadmodum,* inquit, *sol iste non cogitatione, aut electione, sed eo ipso quod est illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt; ita et summum illud bonum solem superans* (*non secus ac obtusam imaginem primitiva excellente forma*) *ipsa sua substantia omnibus quæ sunt, pro captu cujusque, totius bonitatis injicit radios.* Ita Dionysius. Vide ibi insignem commentarium D. Thomæ Aquinatis.

[b] Dure id dictum, et grano salis condiendum. Non enim desinit esse vera bonitas, et justitia in homine justo, et multo minus in malitiam convertitur, si cum Deo conferatur; sed quia tanta est puritas et sublimitas bonitatis et justitiæ divinæ, ut omnis hominum et angelorum bonitas et justitia ei comparata injustitia potius, et malitia videatur. Sicut stellæ clarissimæ sunt in se, tamen coram sole continuo tenebrescunt. Et hoc est quod Psalmista ait (*Psalm.* CXLII) : *Non justificatur in conspectu tuo omnis vivens*; et Job. cap. IX : *Vere scio quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo.*

[c] Satis improprie accommodat suo proposito hæc verba Isaiæ. Non enim loquitur Isaias in sua, sed in persona populi, nec de operibus justorum, præsertim Christianorum; sed de operibus impiorum Judæorum, ut patet ex textu, nec de quibusvis eorumdem operibus, quasi omnia essent peccata, sed tantum de operibus illis quæ ipsi justitias reputabant : puta de sacrificiis, neomeniis, aliisque cæremoniis Judaicis, in quibus confidebant, quas e contrario dicit propheta similes esse panno mulieris menstruatæ, quo nihil immundius, eo quod non recta intentione, nec sicut oportebat, *ab illis* fierent; unde et Isaiæ dicit Dominus : *Ne offeratis ultra sacrificium frustra; incensum abominatio est mihi. Calendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea.* Ex his patet quam non solum impie, sed et inepte ex hoc loco colligant Lutherani omne opus hominis Christiani, etiam justi, esse peccatum. Quod si aliquando verba illa per accommodationem de justis et eorum operibus dicuntur, non ita accipienda sunt, quasi omnia opera justorum sint immunda, *et peccata,* ut isti blaterones volunt, sed vel ex comparatione ad divinam justitiam, cui humana justitia collata, panno menstruatæ similis deputatur, ut hic exponitur; vel quia bonis operibus miscentur *subinde* opera quædam mala, et multi defectus, et negligentiæ interveniunt, quæ sunt peccata levia et quotidiana, quæ licet justitiæ laudem et meritum non tollant; minuunt tamen, et nonnihil commaculant, atque ita aliquatenus panno menstruatæ assimilant. Bellarminus ad argumentum hæreticorum ex eodem loco objectum, respondet in hunc modum (*Lib.* II *de Monachis cap.* 13) : *Ad tertium dico cum* Hieronymo *ibidem, prophetam loqui in persona gravissimorum peccatorum, qui si qua opera bona faciebant, saltem moraliter, ea inquinabant admixtione multorum criminum : nos autem non de peccatoribus, sed de justis loquimur, cum dicimus homines posse legem servare* (et sic esse justos) *et etiam amplius facere; nec tamen admittimus omnia opera peccatoris necessario esse peccata. Nam Isaias non comparat opera peccatorum*

tiæ nostræ (*Isaiæ* LXIV). Et ut aliquid adhuc evidentius inferamus, [a] legis quoque ipsius præcepta vitalia, quæ dicitur *ordinata per angelos in manu mediatoris* (*Galat.* III), et de qua idem Apostolus, *Itaque lex*, inquit, *sancta et mandatum sanctum et justum et bonum* (*Rom.* VII), si perfectioni evangelicæ conferantur, minime bona divino pronuntiantur oraculo, ait enim: *Et*[b] *dedi eis præcepta non bona, et justitias in quibus non vivent in eis* (*Ezech.* XX). Apostolus quoque ita novi lumine Testamenti gloriam legis affirmat obtundi, ut eam evangelici comparatione fulgoris nec glorificatam esse pronuntiet, dicens: [c] *Nam nec gloriosum est id quod glorificatum est, propter excellentem gloriam* (II *Cor.* III). [d] Quam comparationem etiam in parte contraria, id est, in peccatorum meritis compensandis Scriptura conservat, ut eos qui multo minus impii sunt, pejorum collatione justificet, dicens: *Justificata est Sodoma ex te.* Et iterum: *Quid enim peccavit soror tua Sodoma? Et justificavit animam suam aversatrix Israel, comparatione prævaricatricis Judæ* (*Ezech.* XVI). Ita igitur et universarum merita virtutum, quæ superius comprehendi, cum per se bona atque pretiosa sint, tamen theoricæ claritatis comparatione fuscantur. Multos etenim sanctos quamvis bonorum operum, terrenis tamen studiis occupatos, a contemplatione summi illius boni retrahunt ac retardant.

CAPUT V.

Neminem summo illi bono intentum esse jugiter posse.

[e] Nam quis eripiens inopem de manu fortiorum ejus, et egenum et pauperem a diripientibus eum; quis conterens molas iniquorum, et de medio dentium eorum rapinas extorquens, in ipso intercessio-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

sordibus, sed panno sordido, in quo sunt partes nitidæ, et partes maculatæ. Hæc ipse, quæ ad intelligentiam illius sententiæ non parum lucis afferunt.

[a] Id est, salutaria quidem, et sancta, sed non per se ad salutem et vitam efficacia, nisi mediante gratia. Illustrat hunc locum D. Hieronymus eisdem et aliis insuper Scripturæ sententiis: *Considerandum*, inquit (*in Is. c.* LXIV), *quod justitia quæ in lege est, ad comparationem Evangelicæ puritatis, immunditia nominetur. Etenim non est glorificatum quod prius glorificatum fuit, propter excellentem gloriam. Unde et Apostolus, qui secundum justitiam quæ in lege est, universa compleverat, dicit se omnia duxisse pro damno, ut Christum lucrifaceret, et propter eminentem scientiam Domini nostri Jesu Christi, propter quem cuncta arbitratur quasi stercora, ut Christum lucrifaciat, et inveniatur non habens suam justitiam, quæ in lege est, sed per fidem Christi, quæ est ex Deo justitia* (I *Cor.* III; *Philip.* III). Et infra: *Si quis igitur post evangelium Christi, et adventum Filii Dei, pædagogæ legis observat cæremonias, audiat populum confitentem quod omnis illa justitia panno sordidissimo comparetur, cui et Esther diadema suum, quod erat regiæ potestatis insigne, comparat, quod nequaquam voluntate, sed necessitate portabat dicens: Tu scis necessitatem meam, quoniam detestor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostensionis meæ abominor illud, sicut pannum menstruum, nec porto in diebus quietis meæ* (*Esther*, XIV).

[b] Habes hanc sententiam alibi nonnihil explicatam (*Collat.* 21, *cap.* 33).

[c] Verba Apostoli in vulgata versione subobscura: *Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentem gloriam* (II *Cor.* III). Sensus est: *quod claruit*, id est, lex quæ glorificata est in legislatore Moyse, non vere glorificata est in hac parte, id est, comparatione legis evangelicæ, propter excellentem ejus gloriam.

[d] Similis plane locus est huic consentiens idemque luculentus apud D. Hieronymum l. 1 adversus Pelagianos (*Cap.* 6): *Quid mirum*, inquit, *in collatione sanctorum alios esse meliores, alios inferiores, cum e contrario in collatione peccatorum hoc intelligi possit? Ad Hierusalem dicitur, quæ multis peccatorum erat confossa vulneribus: Justificata est Sodoma ex te. Non quod Sodoma per se justa sit, quæ in æternos collapsa cineres audit per Ezechielem: Sodoma restituetur in antiquum* (*Ezech.* XVI). *Sed quod comparatione sceleratioris Hierusalem hæc justa videatur. Illa enim Dei Filium trucidavit; hæc propter abundantiam panis et per luxuriæ magnitudinem excessit modum libidinis. Publicanus in Evangelio, qui percutiebat pectus* (*Lucæ* XVIII), *quasi thesaurum cogitationum pessimarum, et conscientia delictorum oculos non audebat attollere, superbientis Pharisæi collatione fit justior. Et Thamar sub specie meretricis fallit Judam, et ipsius sententiam qui deceptus est, meretur audire: Justificata est Thamar magis quam ego* (*Genes.* XXXVIII). *Ex quibus omnibus approbatur non solum ad comparationem divinæ majestatis homines nequaquam esse perfectos, sed ne angelorum quidem et cæterorum hominum qui virtutum culmina conscenderunt*, etc.

[e] In summa: quis exercens opera vitæ activæ potest simul vacare contemplationi? Eodem fere modo percunctatus est Germanus col. 1, c. 12: *Quis potest fragili carne circumdatus, ita esse huic theoriæ semper affixus, ut numquam cogitet de fratris adventu, de visitatione infirmi, de opere manuum, vel certe de humanitate peregrinis vel advenientibus exhibenda? Postremo quis non interpelletur corporis ipsius provisione, vel cura?* Cui abbas Moses ita respondit (*Cap.* 13, *collat* 1): *Inhærere quidem Deo jugiter, et contemplationi ejus, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini istius carnis fragilitate circumdato. Verum oportet nos scire ubi nostræ mentis intentionem debeamus habere defixam, et ad quam destinationem semper animæ nostræ revocemus intuitum*, etc. Porro ad ampliorem hujus loci claritatem necessaria omnino videtur D. Thomæ doctrina (2-2, *q.* 182, *art.* 3), qua quærit, et explicat *utrum vita contemplativa impediatur per vitam activam?* quod est hujus capitis argumentum. *Dicendum*, inquit, *quod vita activa potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad ipsum studium et exercitium exteriorum actionum; et sic manifestum est quod vita activa impedit contemplativam, in quantum impossibile est quod aliquis simul occupetur circa exteriores actiones et divinæ contemplationi vacet. Alio modo potest considerari vita activa quantum ad hoc, quod interiores animæ passiones componit et ordinat. Et quantum ad hoc, vita activa adjuvat ad contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum. Unde Gregorius dicit in sexto Moralium* (*Cap.* 27): *Cum contemplationis arcem aliqui tenere desiderant, prius se in campo per exercitium operis probent, ut sollicite sciant, si nulla jam mala proximis irrogant, si irrogata a proximis æquanimiter portant, si oblatis bonis temporalibus nequaquam mens lætitia solvitur, si subtractis non nimio mœrore sauciatur. Ac deinde perpendant si cum ad semetipsos introrsus redeunt, in eo quod spiritualia rimantur, nequaquam secum rerum temporalium umbras trahant, vel fortasse tractas manu discretionis abigant. Ex hoc ergo exercitium vitæ activæ confert ad contemplativam, quod quietat interiores passiones, ex quibus phantasmata proveniunt, per quæ contemplatio impeditur.* Ita S Thomas.

nis opere, divinæ majestatis gloriam quieta mente suspiciat [*Lips. in marg.* suscipiat]? Quis elimoniam pauperibus administrans, aut advenientium turbas benevola humanitate suscipiens, in eo temporis puncto quo pro necessitatibus fratrum sollicita mente distenditur, immensitatem supernæ beatitudinis speculetur; et cum præsentis vitæ angoribus curisque concutitur, futuri sæculi statum elevato a terrenis contagiis corde prospiciat? Unde beatus David solum hoc bonum homini esse defiiniens, Deo jugiter inhærere desiderat, dicens : *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXII). Quod etiam Ecclesiastes a nemine justorum sine querela perfici posse pronuntians : *Quia non est homo justus,* ait, *in terra qui faciat bonum, et non peccet* (*Eccles.* VII). Quis enim umquam quamvis præcipuus omnium justorum atque sanctorum, hujus corporis vinculis colligatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, ut numquam a divina contemplatione discedens, ne parvo quidem tempore ab eo qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur affectus; qui numquam ullam cibi, ullam indumenti, aliarumve carnalium rerum gesserit curam : numquam de fratrum susceptione, de loci commutatione, de cellulæ structione sollicitus, aut opem aliquam humani concupierit adjumenti, aut inopiæ sterilitate vexatus illam sententiam Dominicæ increpationis incurrerit : *Ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini* (*Matth.* VI)? Denique ipsum illum apostolum Paulum, qui omnium sanctorum laborem passionum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter astruimus, ipso in Actibus Apostolorum discipulis attestante : *Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* (*Actor.* XX). Vel cum Thessalonicensibus scribens, *In labore et fatigatione nocte et die operatum* se fuisse testatur (II *Thess.* III). Quibus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur, tamen mens ejus quamvis sancta atque sublimis, non poterat non ab illa cœlesti theoria intentione terreni operis aliquando divelli. Denique cum se tantis ac talibus ditari fructibus cerneret, et econtrario theoriæ bonum corde pensaret, ac velut in una lance tantorum laborum profectum, in altera delectationem divinæ centemplationis appenderet, diu examine pectoris sui quodammodo castigato, [a] dum illum hinc laborum stipendia *immensa* delectant, illinc desiderium unitatis et inseparabilis Christi societas etiam ad resolutionem carnis invitat, anxius tandem proclamat et dicit : [b] *Quid eligam ignoro, coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi et cum Christo esse, multo enim melius; permanere autem in carne necessarium magis propter vos* (*Philip.* I).

CAPUT VI.

Quantopere Apostolus fratrum salutem sitiverit.

Cum igitur multis modis boni hujus excellentiam, cunctis etiam prædicationis suæ fructibus prætulisset, tamen charitatis, sine qua nemo *Dominum* promeretur, contemplatione submittitur : ac propter illos quibus adhuc lac, velut nutricula, uberibus evangelicis immulgebat, [c] divulsionem a Christo sibi quidem noxiam, sed cæteris necessariam non recusat. Etenim ad electionem hujus potissimum rei illa nimia pietatis virtute compellitur, qua pro [d] salute fratrum suorum, si esset possibile, etiam ultimum anathematis malum optasset incurrere. *Optarem*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Pulchre huic loco quadrat hæc D. Augustini sententia (*Lib.* XIX, *de Civit. c.* 19) : *Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic omnino veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas.* Hæc Augustinus (*Vide S. Th.* 2-2, *q.* 182, *art.* 1). Eodem spectat insignis textus Innocentii tertii in Jure Canonico his verbis expressus (*Extra de Regular. cap. Licet*) : *Illa semper regula inviolabiliter observetur, ut nullus absque licentia Romani pontificis præsumat occasione quacumque deserere præsulatum* (id est, episcopatum); *quoniam sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur. Et in hoc casu recte præponitur doctrina silentio, sollicitudo contemplationi, et labor quieti. Ad quod utique designandum unigenitus Dei filius Jesus Christus non de Rachele secundum carnem natus est, sed de Lia* (*Genes.* XXIX); *nec legitur eum in domum suam Maria recepisse, sed Martha* (*Matth.* I). Hæc pontifex.

[b] Id est, ancipiti desiderio utrimque impellor; et utrum de duobus malim, ignoro, una ex parte cupiens per mortem dissolvi et esse cum Christo, quod (si mea tantum commoda spectem) multo mihi melius est; alia autem ex parte, permanere in carne necessarium propter vos, id est, vitam et præsentiam meam vobis necessariam puto, ad profectum vestrum et gaudium fidei.

[c] Quia *multo melius,* inquit (id est, jucundius et optabilius mihi) *dissolvi et esse cum Christo; permanere autem in carne, necessarium propter vos* (*Philip.* I). *Est autem jure admirandus divinus Apostolus* (ait Theodoretus) *quod vitam cum multis laboribus et periculis conjunctam hominum salutis causa prætulerit.*

[d] Præterea quæ alibi in hanc Apostoli sententiam scripsimus (*Collat.* 9, *cap.* 18), notandum ex D. Thoma (2-2, *q.* 182, *art.* 2) vitam contemplativam secundum se et simpliciter esse majoris meriti quam activam. Unde Gregorius homil. 3 super *Ezechielem* dicit : *Contemplativa est major merito quam activa : quia hæc in usu præsentis operis laborat, in quo necesse est proximis subvenire; illa vero sapore intimo venturam jam requiem degustat,* scilicet in contemplatione Dei. Potest tamen contingere quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur quam *alius* in operibus vitæ contemplativæ : puta si propter abundantiam divini amoris, ut ejus voluntas impleatur, propter ipsius gloriam interdum sustinet a dulcedine divinæ contemplationis ad tempus separari; sicut Apostolus dicebat ad Rom. IX : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Quod exponens Chrysostomus in lib. de Cumpunctione, dicit (*Lib.* I) : *Ita totam mentem ejus demerserat amor Christi, ut etiam quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret.*

enim, inquit, *ipse ego anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ* (*Rom.* IX); hoc est, vellem ego non solum temporalibus, verum etiam perpetuis addici pœnis, dummodo omnes, si fieri posset, homines Christi consortio fruerentur. Certus etenim sum utiliorem Christo et mihi omnium salutem esse, quam meam.

CAPUT VII.

Quod lippis similes sunt, qui se credunt ab omni peccato immunes esse.

Bonum ergo hoc summum (id est, Dei conspectu frui, et Christo jugiter inhærere) ut perfecte Apostolus possit adipisci, dissolvi optat a corpore (*Philip.* I), quod caducum et multis fragilitatis suæ necessitatibus impeditum non potest a Christi consortio non avelli.[a] Impossibile est enim etiam menti quæ tam crebris curis distenditur, tam molestis, tam variis angoribus præpeditur, divino frui semper intuitu. Quod enim tam pertinax sanctorum studium, quod tam arduum potest esse propositum, cui non aliquando ille versutus insidiator illudat? Quis ita solitudinis secreta sectatus, universorum mortalium consortia declinavit, ut numquam cogitationibus superfluis laberetur, et intuitu rerum vel occupatione actuum terrenorum ab illa quæ vere sola et bona est Dei contemplatione deciderit? Quis tantum spiritus umquam potuit retinere fervorem, ut non interdum lubricis cogitationibus in ipsa quoque orationis intentione translatus, repente de cœlestibus ad terrena corruerit? Quis nostrum, ut cætera pervagationum tempora prætermittam, non illo etiam momento quo Deo supplicans ad sublimia erigit mentem, quodam stupore collapsus, etiam per id vel invitus offendat, per quod sperabat veniam delictorum? Quis, inquam, tam exercitus [*Lips. in marg.* exertus] ac vigilans est, ut dum psalmum Deo canit, numquam a Scripturæ sensu ejus animus abducatur? Quis tam familiaris Deo tamque conjunctus, qui Apostolicum illud imperium, quo sine intermissione orare nos præcipit (I *Thess.* V), vel uno die se gaudeat exsecutum? Quæ licet omnia nonnullis qui sunt crassioribus vitiis involuti, levia atque a peccato pene aliena videantur, scientibus tamen perfectionis bonum, etiam minimarum rerum multitudo gravissima est. Velut si in aliquam magnam domum multis instrumentis, vasculis, sarcinis impeditam, unum integra visuum acie perspicacem, alterum cui oculorum lumen obtuderit lippitudo, pariter ponamus ingressos, nonne cum [*Lips. in marg.* et] ille cui ad videnda omnia hebes erit obtutus, nihil illic aliud esse æstimet nisi armaria, lectos, scamna, præsepia, et quidquid non tam oculis speculantis, quam manibus palpantis occurrerit: econtra hic qui clarissimo luminum vigore etiam occulta rimatus est, multa illic minutissima, et quæ vix possint etiam numero comprehendi, inesse pronuntiet, quæ si aliquando in unum cumulum congregentur, paucorum quæ ille palpaverat magnitudinem numerositate compensent, aut etiam fortasse transcendant? Ita igitur[b] sancti atque (ut ita dicam) videntes, quibus perfectionis est studium, etiam illa quæ velut tenebrosus animi nostri non intuetur aspectus, in semetipsis sagaciter deprehendunt, acerrimeque condemnant, usque adeo ut qui, sicut nostræ videtur incuriæ ne tenuis quidem peccati nævo, puræ candorem conscientiæ fuscaverunt, multis sibi maculis videantur aspergi, si non dicam vanæ cogitationis improbitas in atria mentis irrepserit, sed vel psalmi qui dicendus est recordatio orationis tempore intentionem supplicantis averterit: [c] Si enim, inquiunt,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] D. Bernardus serm. 5 de Assumptione B. Mariæ tria impedimenta contemplationis enumerat his verbis: *Tria sunt*, inquit, *quæ oculum intelligentiæ confundunt, atque a contemplatione veri luminis excludunt, tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorumdem, et cura terrenorum actuum. Primo illo modo turbatum se plangebat propheta cum diceret: Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psalm.* XXXVII). *Cum enim luce justitiæ destituimur, nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras invenimus. Item secundo se gravari sentiebat, cum diceret: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina* (*Psal.* XXXI), *peccatorum scilicet recordatio. Tertio occupari se conqueritur, cum dicit: Quia cinerem tamquam panem manducabam* (*Psal.* CI), *cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis. Quicumque ergo mentis oculum divinæ contemplationi vult intendere, profecto necesse est ut eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare, Quod si quis facere contendat, noverit contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per confessionem, secundus per orationem, tertius curatur per quietem.* Ita Bernardus. Aliud porro impedimentum profert S. Thomas (2-2, *q.* 180, *art.* 2), vehementiam passionum: *Duo sunt*, inquit, *quæ impediunt actum contemplationis: vehementia passionis, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia; et tumultus exteriores occupationum.*

[b] Prophetæ olim Videntes appellati. I Reg. IX: *Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum. Venite, et eamus ad Videntem. Qui enim propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Sic ibi. Rationem ejus nomenclaturæ reddit S. Hieronymus his verbis (*Epist.* 103, *ad Paulinum*): *Prophetæ appellabantur Videntes, quia videbant eum quem cæteri non videbant. Abraham vidit diem ejus, et lætatus est* (*Joan.* VIII). *Aperiebantur cœli Ezechieli, qui populo peccatori clausi erant*, etc. (*Ezech.* I). Ad hanc nomenclaturam allusisse videtur Auctor, dum hic viros sanctos et perfectos quasi per antonomasiam *Videntes* nuncupat, quia minimos et levissimos etiam defectus in seipsis observant et discutiunt, quos rudes et imperfecti prætereunt et non animadvertunt. Ita D. Gregorius (*Greg. in* I *Reg.* c. IX): *Videns*, inquit, *est, qui interna etiam respicit, quæ mens carnalium non attendit. Unde et de sanctis animalibus dicitur: In circuitu et intus plena erant oculis* (*Ezech.* I). *Qui in exterioribus circumspecti, et intrinsecus providi sunt; quo contra carnalium doctorum præsumptionem in Evangelio Dominus arguens ait: Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.*

[c] Similiter ratiocinatur D. Benedictus de reverentia orationis agens (*Cap.* 20 *Regulæ*): *Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate et reverentia: quanto*

cum sublimi homini non dicam pro vita ac salute nostra, sed etiam pro alicujus lucri commodo supplicamus, totam in eum et mentis et corporis aciem defigentes, de nutu ejus trepida exspectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod forte ineptum aut incongruum verbum misericordiam audientis avertat; tum deinde si nobis in foro aut judicum sæcularium tribunalibus constitutis, assistente etiam econtra adversario, in media prosecutione atque conflictu, tussis, screatus, risus, oscitatio, somnus obrepserit, quanta in pernicie nostram vigilantissimus inimicus severitatem judicis commovebit invidia? Quanto magis cum illi occultorum omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamus, præsertim cum e diverso callidus seductor pariter et criminator assistat, intenta atque sollicita oratione judicantis pietas imploranda est? Nec injuste non solum levi peccato, sed etiam gravissimo crimine impietatis astringitur, qui precem Domino fundens, subito a conspectu ejus quasi ab oculis non videntis nec audientis, [a] A cogitationis improbæ vanitatem secutus [*Lips. in marg.* cogitationis improbæ vanitate securus] abscesserit. Illi autem qui oculos cordis sui contegunt crasso velamine vitiorum, ac, secundum sententiam Salvatoris, *videntes non vident, et audientes non audiunt, neque intelligunt* (*Matth.* XIII), vix in recessibus pectoris sui etiam illa quæ magna sunt et capitalia crimina contemplantur, nullas autem cogitationum subreptiones, sed neque illos in se lubricos occultosque pruritus qui mentem tenui atque subtili suggestione compungunt, nec captivitates animæ suæ possunt purgatis obtutibus intueri, sed inverecundis semper cogitationibus evagantes, nec dolere norunt, cum ab *illa contemplatione*, quæ singularis est, *distrahuntur*, nec B habent quod se doleant amisisse, quippe qui mentem suam ingruentibus, ut libitum est, cogitationibus expandentes, nihil habent propositum quod principaliter teneant, vel quod omnimodis concupiscant. Hæc sane nos in hunc errorem causa præcipitat quia [b] ἀναμαρτησίας, id est, impeccantiæ

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est! Et non in multiloquio, sed puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus. Ubi vide Turrecrematum.

[a] Evagatione scilicet spontanea et voluntaria, de qua Dominus populum Israeliticum apud Isaiam prophetam acriter reprehendit dicens: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me* (*Is.* XXIX). Qua de re graviter nec minus congruenter huic loco disserit D. Cyprianus lib. de Oratione Dominica: *Quando*, inquit, *stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto* C *corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo et sacerdos ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda, ut dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere: Claudatur contra adversarium pectus, et soli Deo pateat; nec ad se enim hostem Dei, tempore orationis adire patiatur; obrepit frequenter et penetrat; et subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, et aliud in voce, quando intentione sincera debeat non vocis sonus, sed animus et sensus orare. Quæ autem segnitia est alienari et rapi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo postulas, cum te ipse non audias? vis esse Deum memorem tui, cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? hoc est, ab hoste in totum non cavere; hoc est, quando oras* D *Deum, majestatem Dei negligentia offendere; hoc est, vigilare oculis, et corde dormire; cum debeat Christianus et cum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona Ecclesiæ loquentis in Cantico canticorum: Ego dormio, et cor meum vigilat* (*Cant.* V). *Quapropter sollicite et caute Apostolus admonet dicens: Instate orationi vigilantes in ea* (*Col.* IV), *docens scilicet et ostendens eos impetrare quod postulant de Deo posse, quos Deus viderit in oratione vigilare.* Ita S. Cyprianus. In quæ verba sancti doctoris et martyris, a Gratiano citata (*De Consecra. dist.* 1, *cap. Quando*), doctor Navarrus satis amplum et utilem edidit commentarium, qui de oratione et horis canonicis inscribitur.

[b] Ita Cuychius; qua voce usus etiam D. Hieronymus in procemio lib. IV Comment. in Jeremiam, eamque impeccantiam similiter interpretatur. At Ciaconius ἀναμαρτήτου legit: quod fere idem est, si τὸ ἀναμάρτητον substantive sumatur, quemadmodum sumitur cap. 21 et ultimo hujus *collationis*, ubi quæritur, *utrum possibile sit humanæ substantiæ τὸ ἀναμάρτητον possidere.* Sicuti apud Latinos, si rem spectes, eadem sunt innocentia et innocentem esse, aut sine peccato, quod proprie dicitur ἀναμάρτητον. Est enim ἁμαρτία, vel ἁμάρτημα peccatum; unde ἀναμάρτητος, id est, vacuus, aut immunis a culpa et peccato. Cæterum non mihi placet, nec huic loco congruit, quod Ciaconius ἀναμάρτητον vertit impeccabilitatem. Ἀναμάρτητον, inquit, *est impeccabilitas, sive impeccantia*, quasi vero idem sit impeccabilitas et impeccantia; hoc est, non posse peccare, quod est impeccabilitas; et non peccare, vel esse sine peccato, quod est impeccantia: Latinius, innocentia, integritas, aut culpæ vacuitas. Quæ sane multum differre nemo non videt, sicuti multum differunt, non posse peccare, seu impeccabilem esse, et posse non peccare: non posse mori, quod est absolute immortalem esse, et posse non mori, ut poterat Adam in statu innocentiæ. Sed neque Scriptura, neque Patres vocem ἀναμάρτητον ita accipiunt. Scriptura Joannis VIII: Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, id est, *qui sine peccato est vestrum*, uti habemus; non, qui impeccabilis est. D. Hieronymus in epistola ad Ctesiphontem, Pelagianos et eorum fautores redarguens: *Pudeat*, inquit, *principum et sociorum suorum, qui aiunt posse hominem sine peccato esse, si velit, quod Græci dicunt* ἀναμάρτητον, *et quia hoc Ecclesiarum per Orientem aures ferre non possunt, simulant se sine peccato quidem dicere, sed* ἀναμάρτητον *dicere non audere: quasi aliud sit sine peccato, aliud* ἀναμάρτητον; *et non Græcum sermonem, qui apud illos compositus est duobus verbis sermo Latinus expresserit.* Ita D. Hieronymus ἀναμάρτητον, non impeccabilem, sed non peccantem, seu peccati expertem et insontem interpretans, et, ut ipse ait, *duobus verbis*, nempe, sine peccato. Similiter Elias Cretensis, Gregorii Nazianzeni scholiastes Græcus, oratione 3: *Homo*, inquit, ἀναμάρτητος *quidem, hoc est, peccato vacuus creatus est;* ἀναμάρτητος *autem, non quod in eum peccatum non cadat, sed quia ipsum peccare non in natura habet, verum potius in electione, ut qui et in bono manere ac proficere possit, divinæ gratiæ ope accedente; et item, permittente Deo, pro-*

ipsius virtutem penitus ignorantes, existimamus nullam omnino culpam ex istis otiosis ac lubricis cogitationum excursibus nos posse contrahere, sed hebetudine stupefacti et velut oculorum cæcitate percussi, nihil in nobis nisi crimina capitalia contemplamur, eaque tantummodo credimus evitanda, quæ legum quoque sæcularium severitate damnantur, a quibus si nos immunes vel paululum senserimus, nihil nobis inesse peccati protinus arbitramur. Proinde ab illo videntium numero segregati, quia minutias multarum sordium quæ intra nos aggestæ sunt non videmus, nequaquam salubri compunctione mordemur, si sensum nostrum interpellaverit ægritudo tristitiæ, nec dolemus vanæ gloriæ subtili suggestione pulsati, nec de emissa tardius vel tepidius oratione deflemus, nec reputamus ad culpam cur psallentibus vel orantibus nobis aliquid aliud quam ipsa oratio vel psalmus occurrerit; nec illud horremus, quod multa quæ vel loqui vel agere coram hominibus pudet, non erubescimus vel ad horam corde concipere, quod divino patere novimus conspectui, nec pollutionem turpium somniorum larga fletuum ablutione purgamus; nec lugemus quod in ipsa eleemosynæ pietate, cum vel fratrum necessitatibus subvenimus, vel alimoniam pauperibus ministramus, serenitatem nostræ hilaritatis obnubilat avara cunctatio; nec feriri nos ullo credimus detrimento, cum, derelicta memoria Dei, ea quæ sunt temporalia atque corporea cogitamus, ita ut nobis Salomonis illud aptetur eloquium : [a] *Fericrunt me, sed non dolui; et deluserunt me, ego autem nescivi* (*Prov.* XXIII).

CAPUT VIII.

Peccatorum fœditatem et magnitudinem perpauci cognoscunt.

Econtra [b] hi qui summam totius voluptatis et gaudii et beatitudinis suæ, in divinarum ac spiritalium rerum tantum contemplatione constituunt, cum ab ea inviti vel paululum violentis cogitationibus abstrahuntur, velut quoddam in se sacrilegii genus præsenti pœnitudinis puniunt ultione; ac vilissimam creaturam, ad quam sit detortus mentis intuitus, Creatori suo se prætulisse lugentes, pene dixerim impietatis sibi crimen ascribunt; et licet ad conspiciendam divinæ gloriæ claritatem, oculos sui cordis summa alacritate convertant, tamen etiam brevissimas carnalium cogitationum tenebras non ferentes, quidquid ab illo vero lumine mentis aspectum retrahit, exsecrantur. Denique cum hunc beatus apostolus Joannes affectum cunctis vellet infundere : *Filioli,* inquit, *nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : si quis diligit mundum, non est charitas Dei in ipso; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ est; quæ non est ex Patre, sed ex mundo est, et mundus perit et concupiscentia ejus; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum* (I *Joan.* II). Fastidiunt ergo sancti universa in quibus mundus iste versatur, sed impossibile est ut non ad ea vel brevi cogitationum rapiantur excessu, nullusque etiam nunc hominum [c] (excepto Domino et Salvatore nostro) naturalem pervagationem mentis, ita defixus semper in Dei contemplatione continuit, ut numquam ab ea raptus mundanæ cujusquam rei delectatione peccaret, dicente Scriptura : [a] *Sidera ipsa non sunt munda in conspectu ejus* (*Job.* XXV). Et iterum : [e] *Si in sanctis suis non est fides,* vel, ut alii legunt, *non est fidens, et cœlum non est mundum ante eum.* Vulgata editio, quam etiam hic Auctor fatetur emendatiorem : *Ecce, inter sanctos nemo immutabilis; et cœli non sunt mundi in conspectu ejus,* etc. Cui similis sententia legitur Job. IV : *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.* Ubi Græca ita sonant :

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

pter arbitrii libertatem a bono deflectere, etc. Porro manifestum est etiam non hic agi de iis qui se impeccabiles jactarent, sed qui se sanctos et perfectos putarent, eo quod graviora, seu capitalia, ut vocat, crimina non admitterent, minora interim non curantes : quos idcirco dicit virtutem ἀναμαρτησίας, seu ἀναμαρτήτου, id est impeccantiæ, ignorare. Denique et Cassianus ipse τὸ ἀναμάρτητον non aliter interpretatur, quam impeccantiam, non autem impeccabilitatem, ut videre est c. 20 et 21 hujus coll. Esto igitur ut ἀναμάρτητος ex vi vocis non male fortasse verti possit impeccabilis, id est, qui non solum non peccavit, sed qui non peccare quidem potest, ut Christus Dominus, non tamen hoc loco, neque apud D. Hieronymum, ut ei falso tribuit Lexicon Græcum. Sed de his satis, in quibus elucidandis id incommode accidit, quod nihil nobis adjumenti a mss. et antiquioribus excusis accesserit, quod illi Græca vel penitus omittant, ut et Dionysius Paraphrastes; vel ita mendose et corrupte exprimant, ut nihil certi hac in parte inde haberi queat.

[a] Textus Vulgatus : *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me; et ego non sensi* (*Prov.* XXIII). *Quando evigilabo, et rursus vina reperiam?* Vide quæ supra annotavimus ex commentario D. Hieronymi sive Bedæ. Eadem fere habet D. Gregorius in Pastorali (*Part.* III *cap.* 33).

[b] Cum in moribus extrema sunt vitia, et virtus in medio consistat, priori extremo, quod superiori capite exposuit, quo scilicet nonnulli de sua sanctitate et perfectione confidentes, leviora peccata vitare et curare negligunt, alterum nunc extremum opponit, quo quidam nimis scrupulosi et anxii de culice elephantum faciunt, hoc est, de minimis et levissimis defectibus supra modum anguntur et mœrore conficiuntur; et si vel minimum a contemplationis et spiritualis dulcedinis gustu avocentur, animo despondent et se a Deo desertos putant.

[c] Excepta etiam ejus matre sanctissima virgine Maria : magno tamen utriusque discrimine. Nam Christus Dominus natura impeccabilis, ut Deus, et unione hypostatica, ut homo; Maria vero ex speciali gratia et singulari beneficio ab omni peccato sic communita et præservata, ut nullius rei mundanæ dilectione umquam peccarit, ut superius probatum (*Collat.* 22 *cap.* 13).

[d] Vulgata lectio (*Job.* XXV) : *Ecce luna etiam non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis!* In conspectu ejus, id est, in comparatione ejus, ait Augustinus (*In annot. in Job*).

[e] Ita Græci interpretes : Εἰ κατὰ ἁγίων οὐ πιστεύει, οὐρανὸς δὲ οὐ καθαρὸς ἐναντίον αὐτοῦ. Similiter D. Augustinus : *Si in sanctis suis non est fides,* vel, ut alii legunt, *non est fidens, et cœlum non est mundum ante eum.* Vulgata editio, quam etiam hic Auctor fatetur emendatiorem : *Ecce, inter sanctos nemo immutabilis; et cœli non sunt mundi in conspectu ejus,* etc. Cui similis sententia legitur Job. IV : *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce, qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem.* Ubi Græca ita sonant :

ctis suis non confidit, et in angelis suis reperit pravitatem; sive, ut emendatior translatio habet : *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus* (*Job.* XV).

CAPUT XI.

Recedere a Deo, perniciosum et præsens exitium est.

Recte igitur sanctos, qui memoriam Dei stabiliter retinentes, quasi per extensas in sublimi lineas suspenso feruntur incessu, [a] schœnobatis, quos vulgo funambulos vocant, dixerim comparandos, qui summam suæ salutis ac vitæ in angustissimo funiculi illius tramite collocantes, atrocissimam se mortem protinus incursuros esse non ambigunt, si vel exigua pes eorum titubatione deviaverit, aut modum illius salutaris directionis excesserit. Qui dum arte mirifica aereos gressus per inania moliuntur, si illam angustiorem vestigio semitam, non cauta atque sollicita moderatione servaverint, terra quæ omnibus velut naturalis est basis, et solidissimum cunctis ac firmissimum fundamentum, fit illis præsens ac manifesta pernicies, non quia illius natura mutetur, sed quia illi in eam præcipiti carnis pondere dilabuntur. Ita etiam indefessa illa Dei bonitas, immutabilisque substantia ipsa quidem neminem lædit, sed nos declinando a summis atque ad ima tendendo, nobis ipsis consciscimus mortem, immo ipsa declinatio mors efficitur declinanti. *Væ enim*, inquit, *eis, quoniam recesserunt a me. Vastabuntur, quoniam prævaricati sunt in me* (*Oseæ* VII). Et iterum : *Væ eis cum recessero ab eis* (*Oseæ* IX). *Arguet* namque *te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum* (*Jerem.* II). [b] *Funiculis* namque *suorum peccatorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V). Ad quos satis competenter a Domino increpatio ista dirigitur : *Ecce*, inquit, *omnes vos accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis* (*Isaiæ* L). Et iterum : [c] *Qui incendit*, inquit, *malitiam, peribit ab ea* (*Prov.* V).

CAPUT X.

Quod hi qui ad perfectionem tendunt in veritate humilientur, et Dei gratia semper se sentiant indigere.

[d] Cum ergo semetipsos quotidie sentiant sancti terrenæ cogitationis pondere prægravatos, ab illa mentis sublimitate decidere, et invitos, immo vero etiam nescientes in legem peccati mortisque traduci, atque, ut cætera prætermittam, illis saltem quæ superius comprehendi, bonis quidem ac justis, sed tamen terrenis, a conspectu Dei operibus avocari, habent profecto pro quibus ad Deum jugiter *ingemi*scant, habent pro quibus in veritate humiliati atque compuncti, [e] non verbis tantummodo, sed affectu semetipsos pronuntient peccatores, et veniam veraciter pro omnibus quæ quotidie superati fragilitate carnis incurrunt, ac gratiam Domini jugiter postulantes, veras pœnitentiæ lacrymas indesinenter effundant. Quippe qui videant iisdem ipsis se, pro quibus continuo dolore vexati sunt, etiam usque ad ultimum vitæ suæ finem æstibus involutos, etiam ipsas supplicationes suas offerre se sine cogitationum anxietate non posse. Experti igitur se humanis viribus desideratum finem, obsistente carnis sarcina, non posse contingere, neque illi præcipuo summoque bono secundum cordis sui desiderium posse conjungi, sed ab ejus intuitu captivos ad mundana traduci, ad gratiam Dei qui impios justificat convolantes, cum Apostolo protestantur : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei, per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII). Sentiunt enim se bonum istud quod volunt, non

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Si contra pueros suos non credit; contra autem angelos suos obliquum quid excogitavit. Pro quo D. Hieronymus legit : *Et contra angelos suos perversum quid cogitavit*. Augustinus vero : *Si contra servos suos non credit, et adversus angelos pravum quid reperit*. Videtur autem hic abbas duo illa loca confudisse, et e duobus unam conflasse sententiam.

[a] Σχοινοβάτης Latine funambulus, qui per funes extensos (quos hic *extensas in sublimi lineas* vocat) ludendo discurrit aut graditur : quasi funiambulo, σχοῖνος enim, id est, funis ; βαίνω, ambulo. Primus autem Latinorum Messala Corvinus funambulum dixit, quem Græci σχοινοβάτην vocant, ut notat Ciaconius. Juvenalis satira 3 hæc de Nerone ejusque artibus :

> Augur, Schœnobates, medicus, magus, omnia novit.

Cælius epist. ad Ciceronem lib. VIII, *schœnobaticam facere* dixit, id est, artem illam exercere. De elephantis funambulis Plinius lib. VIII Natur. Histor. c. 2, de quibus etiam exstat faceta admodum epistola Lipsii, quam a multis annis me legisse memini.

[b] *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur*, habet vulgata versio (*Prov.* V). D. Hieronymus in Ezechielis c. IV, ad illud : *Ecce circumdedi te vinculis : Alia*, inquit, *sunt Domini vincula, quibus in salutem ligamur ; alia diaboli, quibus decem et octo annis ligaverat mulierem in Evangelio ; unde et funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Quæ solvit Dominus per typum Lazari suscitati, qui fasciolis et institis vinctus jacuerat in sepulcro* (*Luc.* XIII). Vide eumdem in cap. V Isaiæ.

[c] Ita ex Græco textu LXX. Vulgatus autem : *Qui loquitur mendacia, non effugiet* (*Prov.* XIX).

[d] Quod stricte annotatum a Ciaconio, paulo expressius annotare visum est, quatuor capita consequentia (hoc comprehenso) usque ad extremam partem capitis 13, totidem verbis et uno contextu *haberi* nomine D. Augustini inter ejus *sermones de Tempore*, sermone 47. Aut igitur Augustinus a Cassiano, aut, quod verius puto, Cassianus ab Augustino mutuatus, aut ex operibus alterutrius hic vel illic ab aliquo insertum ; e quibus quid verosimillimum sit, aliis judicandum relinquo. Certe Cassianum Augustino synchronon, aut ætate vicinum fuisse constat, tum ex libro D. Prosperi adversus Collatorem, et aliis ejus scriptis ad Augustinum, tum ex ratione temporum et chronologia.

[e] Quomodo viri sancti et perfecti non tantum verbis, sed etiam affectu, id est, sincere et ex animo et sine fictione seipsos pronuntient peccatores, immo et gravissimos peccatores, ut S. Franciscus de se dicere solebat, dictum est ad lib. XII Institut. cap. 15.

posse perficere ; sed illud quod nolunt quodque oderunt malum, id est, cogitationum motus et curam corporalium rerum semper incurrere.

CAPUT XI.

Expositio illius sententiæ : Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, etc.

Et [a] condelectantur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, qui visibilia universa transcendens, conatur Deo soli semper uniri ; sed vident *aliam legem in membris suis* (*Rom.* VII), id est, in natura humanæ conditionis insertam, quæ *repugnat legi mentis* eorum, et captivum pertrahit sensum violenta lege peccati, compellens scilicet eum, relicto illo principali bono, terrena cogitatione submitti. Quæ quamvis necessaria atque corpori utilis videatur, cum dispensatione religiosæ cujuspiam necessitatis impenditur, comparatione tamen illius boni quod sanctorum omnium oblectat intuitum, mala utique ab eis ac fugienda decernitur, qui per eam quoquomodo vel ad modicum tempus ab illius perfectæ beatitudinis gaudio retrahuntur. Vere enim lex peccati est, quam humano generi prævaricatio sui induxit auctoris, per illius noxam in quem lata est æquissimi judicis illa sententia : [b] *Maledicta*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Exemplo et imitatione Apostoli, qui de se et similibus, justis et sanctis, ita pronuntiat : *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem ; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). Ubi notandum distingui ab Apostolo quatuor leges, nempe legem Dei et legem mentis ei respondentem, utramque ad bonum allicientem; præterea legem peccati et legem carnis nostræ, sive membrorum, ex illa emanantem, et mutuo colligatam et pertrahentem ad malum. Et quæ quidem priores ad partem hominis superiorem seu ad hominem interiorem spectant; duæ vero posteriores ad partem hominis exteriorem, seu ad sensum et carnem. Lex Dei et lex mentis magnam inter se habent affinitatem et consensum, nam per legem mentis subjicitur homo legi Dei; sicuti magna est concordia inter duas posteriores : nam per legem carnis sive membrorum (quæ alias dicitur caro, concupiscentia, sensualitas, fomes peccati) subjicitur homo legi peccati (*Vide Hieronymum quæst.* 8 *ad Algasiam; et Damasc. lib.* IV *de Fide Orthod.* c. 23; *et August. serm.* 5 *de Verbis Apostoli*). Porro legi Dei opponitur lex peccati, sicut legi mentis lex carnis sive membrorum : et quamvis lex Dei concurrat cum lege mentis, sicut lex membrorum cum lege peccati, est tamen inter hæc nonnihil discriminis; differunt enim ut causa et effectus. Lex enim Dei est ipsa Dei ordinatio præcipiens bonum et prohibens malum; lex mentis impressio quædam Dei est participatio legis æternæ indita menti humanæ, et veluti scripta in tabulis cordis carnalibus, ut ait Apostolus (II *Cor.* III), quæ et conscientia nostra et synderesis appellatur. *Ita suggestio maligni*, ait Damascenus, *hoc est lex peccati, adveniens membris carnis, per se hanc nobis immittit. Nam semel transgredientes voluntarie legem Dei, et suggestionem maligni admittentes, dedimus illi ingressum, mancipati a nobis ipsis peccato : unde prompte ducitur corpus nostrum ad illud. Dicitur ergo inhærens corpori nostro odor et sensus peccati, id est, concupiscentia et voluptas corporis, lex in membris carnis nostræ. Lex igitur mentis, id est conscientia, condelectatur legi Dei, id est, mandato, quod quidem vult ; lex vero peccati, id est, suggestio diaboli, per legem quæ est in membris, id est, carnis concupiscentiam, et inclinationem, et motum, et per irrationalem animæ partem militat adversus legem mentis meæ, hoc est, conscientiam meam.* Sic Damascenus. Dicitur autem concupiscentia lex duplici ratione, secundum S. Thomam (*In Comment. ejus loci*) : *Primo*, inquit, *propter similes effectus : quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum. Secundo per comparationem ad causam. Cum autem fomes sit quædam pœna peccati, duplicem causam habet. Unam quidem ipsum peccatum, quod in peccante dominium accepit, et ei legem imposuit, sicut dominus servo victo legem imposuit. Alia causa fomitis est Deus, qui hanc pœnam homini peccanti indidit, ut rationi ejus inferiores vires non obedirent* (*Vide D. Aug. l.* XIV *de Civit. c.* 15 *et seq.*). *Et secundum hoc ipsa inobedientia inferiorum virium, quæ dicitur fomes, lex dicitur, in quantum est per legem divinæ justitiæ introducta, sicut justi Judicis sententia, quæ legem habet, secundum illud* I *Reg.* XXX : *Et factum est hoc ex die illa, et deinceps constitutum, et præfinitum, et quasi lex in Israel usque ad diem hanc. Quamvis autem reipsa eadem sit lex carnis et peccati, et utraque in carne et in membris consistat ; tamen Apostolus ita loquitur, quasi de diversis, ob diversas rationes utriusque nomenclaturæ, dum ait : Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII). *Dicitur enim concupiscentia lex peccati, quia ex peccato est, et ad peccatum inducit, ut alias dictum est* (*Collat.* IV); *et sicut lex mentis est regula bene agendi, ita concupiscentia est regula peccandi. Eadem vero dicitur lex carnis vel membrorum, quia in carne seu membris consistit, id est, in appetitu sensitivo ; originaliter quidem*, ait S. Thomas, *sed diffusive in omnibus membris, et ideo dicit : In membris meis. Hinc idem Apostolus Rom.* VI : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem*, etc. *Hæc autem lex duos effectus in homine habet. Primo namque resistit rationi, et quantum ad hoc, dicit : Repugnantem legi mentis meæ, id est, legi Moysis, quæ dicitur lex mentis, in quantum consonat menti, id est, rationi ; vel legi naturali, quæ dicitur lex mentis, quia naturaliter menti indita est, juxta illud Rom.* II : *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Et de hac repugnantia dicitur ad Galat.* V : *Caro concupiscit adversus spiritum. Secundus effectus est quod hominem in servitutem redigit. Unde subdit Apostolus : Et captivantem* (*vel captivum me ducentem, secundum aliam litteram*) *in lege peccati, quæ est in membris meis, id est, in me-ipso. Lex autem peccati captivat hominem dupliciter : uno modo hominem peccatorem per consensum et operationem ; alio modo hominem sub gratia constitutum, quantum ad concupiscentiæ motum. De qua captivitate dicitur in Psalmo : In convertendo Dominus captivitatem Sion.* Ita S. Thomas in Commentario (*Psalm.* CXXV).

[b] Ita D. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis, eodemque modo LXX Interpretes verterunt. Opera autem interpretatur Hieronymus *non ruris colendi, sed peccata, ut in Hebræo*, inquit, *habetur, et Aquila non discordat, dicens : Maledicta humus propter te.* Vulgata autem versio : *Maledicta terra in opere tuo : in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ ; spinas et tribulos germinabit tibi. In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Genes.* III). Quam versionem etiam sequitur D. Hieronymus in Zachariæ cap. III. Est autem hic verborum istorum tropologica simul et allegorica interpretatio. Nam tropologia est in spinis et tribulis malarum cogitationum ex maledicta terra, id est, natura nostra corrupta, pullulantium : itemque in sudore vultus, id est, labore et sollicita mentis intentione, ut infra exponitur. Allegoria in pane, quem de pane cœlesti et spiritali interpretatur. Sic enim ratiocinatur cap. seq., quasi illud *In*

terra in operibus tuis; spinas et tribulos germinabit tibi, et in sudore vultus tui edes panem tuum (*Genes.* III). Hæc, inquam, est lex membris omnium inserta mortalium, quæ repugnat legi mentis nostræ, eamque a divino arcet intuitu; quæ maledicta terra in operibus nostris, post agnitionem boni et mali cogitationum spinas cœpit ac tribulos germinare, quarum aculei natalia virtutum semina præfocant, ne illum[a] panem nostrum, qui de cœlo descendit, quique confortat cor hominis, edere absque vultus nostri sudore possimus.

CAPUT XII.

Expositio illius, Scimus autem quoniam lex spiritalis est, et reliqua.

Omne igitur humanum genus huic generaliter *sudore vultus tui vesceris pane tuo,* non de communi pane, sed de pane cœlesti debeat intelligi : *Quia,* inquit, *pane illo communi divites, ut videmus, sine ullo vultus sui sudore vescuntur.* Verum hoc argumentum plus habet subtilitatis quam soliditatis. Nam verba illa non referuntur ad singulos quosque homines, sed ad multos, et præcipue ad ipsum Adamum, vel ad ipsum genus humanum in communi.

[a] Ambiguum videtur num de pane sacramentali et eucharistico, hoc est, de corpore Christi in Sacramento, intelligat, de quo ipse ait : *Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo* (*Joan.* VI). De cujus etiam digna et frequenti perceptione et communione tam in hac quam in præcedenti collatione agitur (*Collat.* 22, c. 7, *et infra* c. 21); an vero de pane spiritali, hoc est, de doctrina sacra, quæ est cibus animæ, de cujus assidua meditatione ac memoria, quæ est quædam spiritalis manducatio et refectio, passim in hac collatione disseritur. Nam et de utroque isto pane agitur in illo sermone Joan. VI, secundum Augustini sententiam (*Lib.* III *de Doct. Christiana* c. 16), et de eodem proprie intelligitur illud : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI). Uterque etiam panis cœlestis, et uterque in sudore vultus, hoc est *sollicita cordis intentione,* ut Auctor exponit, percipiendus. Nam ille quidem in agno paschali præfiguratus (*Exod.* XII), cum lactucis agrestibus manducari jubetur. Lactucæ vero agrestes valde amaræ sunt, ait D. Gregorius (*Hom.* 22 *in Evang.*). Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ; ut cum corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus, quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat a mentis stomacho perversæ humorem vitæ. Ita Gregorius de pane sacramentali. Panis vero sacræ doctrinæ et cœlestium mysteriorum intelligentia non sine magno labore, studio et difficultate percipitur : de quo etiam D. Augustinus sententiam illam Domini interpretatur in psalmum LXXVII commentans : Ita, inquit, obtecta et clausa sunt omnia, ut etiamsi ad aliquid, ipso adjuvante, unde salubriter pascamur, pervenire possimus, in sudore tamen vultus nostri panem edamus, et pœnam diffinitionis antiquæ, non corporis tantum, sed et cordis labore pendamus.

[b] Quæ scilicet jubet ut in sudore vultus nostri, id est, sollicita cordis intentione comedamus panem illum verum, sive sacramentalem, sive spiritualem, qui de cœlo descendit. Ubi legem accipit pro sententia illa maledictionis divinæ, qua dictum est Adamo et posteris ejus : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo,* quam dicit ab Apostolo vocari spiritalem. Qua quidem interpretatione parum apta et probabili confundit verba Apostoli cum verbis Geneseos, ut *ad suum* sensum et scopum utraque accommodet. A legi[b] sine ulla exceptione subjicitur. Nullus enim est, quamvis sanctus, qui supra dictum panem non cum sudore vultus sui et sollicita cordis intentione percipiat. Cæterum communi isto pane multi, ut videmus, divites sine ullo vultus sui sudore vescuntur. Quam etiam legem beatus Apostolus spiritalem asserit, dicens: *Scimus autem quia lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato* (*Rom.* VII). Spiritalis enim est lex hæc quæ jubet nobis ut in sudore vultus nostri comedamus illum panem verum qui de cœlo descendit; sed nos carnales fecit[c] venumdatio illa peccati. Quod ergo istud, cujusve peccatum est? Sine dubio Adæ, cujus prævaricatione et (ut ita dicam) negotiatione damnosa *fraudulento*que commercio venditi sumus. Omnem enim prolem

B Non enim loquitur Apostolus de sententia illa divina, multo minus de lege peccati et membrorum, cum dicit : *Scimus enim quia lex spiritalis est* (*Rom.* VII); sed peculiariter de illa lege Dei et præcepto Decalogi : *Non concupisces.* Vel de lege mentis, quæ legi divinæ congruit et concordat, ut dictum est.

[c] De qua Apostolus in persona humani generis in Adamo lapsi : *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato,* id est, sub tyrannide peccati redactus, servus sum, tamquam servus emptitius peccati; quia *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII). Vel si ad personam ipsius *Apostoli et justorum* referatur, ut superius dictum est posse referri : *Ego carnalis sum,* id est, secundum naturam in Adamo corruptam, proclivis ad concupiscendum ea quæ carnis sunt. *Venumdatus sub peccato,* id est, venditus ab Adamo dulcedine voluptatis temporalis, tamquam pretio, sub servitutem et jugum peccati, *id* est, concupiscentiæ, quæ, me licet invito, ebullire facit in me motus iniquos et vitiosos. Non enim se carC nalem vocat Apostolus, quod secundum carnem ambulet, nam id paulo infra aperte negat; sed quod non sit totus spiritalis, qualis post resurrectionem futurus sit, et qualis esse optabat. Quod pulcherrime explicat. D. Augustinus his verbis (*Serm. 5 de Verb. Apost.*) : *Ergo carnalis Apostolus, qui aliis dicebat : Vos qui spiritales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* (*Galat.* VI); *alios tamquam spiritales alloquitur, et ipse carnalis est?* Et infra ita respondet : *Et si non ex mente, utique ex carne. Spiritalis enim, quia secundum spiritum vivit; adhuc autem ex parte mortalis carnis, idem spiritalis, idemque carnalis. Ecce spiritalis : Mente servio legi Dei. Ecce carnalis : Carne autem legi peccati. Idem ergo ipse et spiritalis et carnalis? Idem plane, quamdiu hic vivit, ita est. Noli mirari, quisquis es, quicumque carnalibus concupiscentiis cedis et consentis, qui eas vel bonas putas ad explendum libidinis saturitatem; vel certe sic jam vides malas, ut eis tamen cedendo consentias, et quo ducunt* D *sequaris, et ea quæ male suggerunt perpetres, totus carnalis es tu, quisquis talis es, totus carnalis es. Si autem concupiscis quidem quod lex vetat, cum dicit: Non concupisces, servas tamen aliud quod item lex jubet : Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccles.* XVIII), *mente spiritalis es, carne carnalis. Aliud est enim non concupiscere, aliud post concupiscentias suas non ire. Non concupiscere omnino perfecti est; post concupiscentias suas non ire, pugnantis est, luctantis est, laborantis est. Quando erit victoria? Quando absorbebitur mors in victoria* (I *Cor.* XV); *tunc enim vox erit triumphantis, non sudor pugnantis. Quando futura est vox illa triumphantis? Cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem.* Hæc et alia D. Augustinus eodem spectantia.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

suam, serpentis persuasione seductus, illiciti cibi perceptione distractam, jugo perpetuæ servitutis addixit. Hic namque mos solet inter vendentem ementemque servari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretii pro jactura propriæ libertatis et addictione perpetuæ servitutis a suo consequatur emptore. Quod etiam inter Adam atque serpentem manifestissime videmus impletum. Ille enim a serpente pretium libertatis suæ esu interdictæ arboris capiens, a naturali libertate discessit, illique maluit semetipsum perpetua dedere servitute, a quo vetiti pomi lethale pretium fuerat assecutus: qua deinceps conditione constrictus, non immerito omnem posteritatis suæ progeniem perpetuo eidem, cujus effectus est servus, subdidit famulatu. Quid enim aliud servile conjugium potest procreare quam ser- A vos? Quid ergo? Numquid emptor iste versutus et callidus Domino vero atque legitimo jus dominationis eripuit? Non ita. Neque enim sic ille omne [a] peculium Dei unius fraudis dolositate pervasit, ut potentiam dominii sui verus dominator amitteret, qui ipsum quoque emptorem [b], quamvis refugam atque rebellem, tamen jugo reprimit servitutis; sed quia qui omnibus rationabilibus creaturis arbitrii libertatem Creator indulserat, eos qui se contra fas edacis concupiscentiæ transgressione vendiderant, invitos ad ingenitam libertatem revocare non debuit. Abhorret siquidem ab illo justitiæ et pietatis auctore quidquid bonitati æquitatique contrarium est. Malum enim fuerat si concessæ libertatis beneficium revocasset; injustum si liberum hominem B potentia sua opprimens atque captivans, [c] libertatis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Peculium Dei dicit hominem ad imaginem Dei conditum, et velut peculiari ejus sorti et thesauro destinatum ac reservatum. Porro illustrabit hunc locum S. Thomas (III *part. q.* 48 *art.* 4) argumento a se proposito, ejusque solutione, ut intelligatur quatenus homo per peccatum diabolo sit traditus et quodammodo venumdatus, et per Christi passionem a diaboli jure et dominio redemptus ac liberatus. *Nullus,* inquit, *emit vel redimit quod suum esse non desiit; sed homines numquam desierunt esse Dei, secundum illud Ps.* XXIII: *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Ergo videtur quod Christus non redemerit nos sua passione.* Respondet: *Ad hoc dicendum quod homo dicitur esse Dei dupliciter: uno modo in quantum subjicitur potestati ejus; et hoc modo numquam desiit homo Dei esse, secundum illud Dan.* IV: *Dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicumque voluerit, dabit illud. Alio modo per unionem charitatis ad eum, secundum quod dicitur Rom.* VIII: *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Primo ergo modo numquam homo desiit esse Dei. Secundo vero modo desiit esse Dei per peccatum, et ideo in quantum fuit a peccato liberatus, Christo passo satisfaciente, dicitur per passionem Christi esse redemptus.* Quod si ulterius objicias nulla opus fuisse redemptione, quandoquidem diabolus hominem fraude seduxerat, ideoque injuste possidebat, a quo proinde homo non pretio redimendus, sed vi eripiendus erat, cum nemini sua fraus dolusve patrocinari debeat, respondet S. Thomas quod *quamvis diabolus, quantum in ipso erat, injuste hominem sua fraude deceptum sub servitute teneret, justum tamen erat hoc hominem pati, Deo permittente quantum ad culpam, et ordinante quantum ad pœnam; et ideo ex parte Dei justitia exigebat ut homo redimeretur, non autem ex parte diaboli.* In eamdem sententiam D. Bernardus adversus Petrum Abailardum disputans (*Epist.* 190): *Discant,* inquit, *diabolum non solum potestatem, sed et justam habuisse in homines; ut consequenter et hoc videant, venisse utique in carne Dei Filium, propter liberandos homines. Cæterum etsi justam dicimus diaboli potestatem, non tamen et voluntatem. Unde non diabolus, qui invasit; non homo, qui meruit; sed justus Dominus, qui exposuit. Non enim a potestate, sed a voluntate justus injustusve quis dicitur. Hoc ergo diaboli quoddam in hominem jus, etsi non jure acquisitum, sed nequiter usurpatum, juste tamen permissum. Sic itaque homo juste captivus tenebatur, ut tamen nec in homine nec in diabolo illa esset justitia, sed in Deo.* Hæc Bernardus.

[b] Scilicet diabolum. Refugam dixit pro transfuga seu apostata, ut et Tertullianus sæpe (*Tertul. l.* I *et* II *in Marcion. ad c.* 10), et Prudentius περὶ Στεφάν., ut Ulpianus L. *Aut Dominum*, de Pœnis: *Quique refuga ex opere metalli in metallum damnantur.* Refugum tamen habet sermo ille D. Augustini, de quo supra. Porro emptorem figurate dixit diabolum, quod is veluti contractum quemdam emptionis cum homine inierit, dum, oblato cibo vetito, quasi pretio, salutem ejus mercatus est, eumque in suam potestatem ac dominium redegit; unde venumdatus homo dicitur, non ab alio, sed a seipso; et non alii quam diabolo, velut emptori, sed infido et fraudulento.

[c] Ita Cuychius ex mss. quibus admodum fisus est. Augustinus in sermone illo ita habet: *Libertatis acceptæ privilegium exsequi non sivisset.* Ciaconius vero: *Libertatis acceptæ pontificium exsequi non sivisset.* Qua occasione hæc de pontificio annotavit: *Pontificium pro potestate frequens est in Constitutionibus principum, uti c. Theodosiano l.* XV, *tit. de Fide Catholica c.* 3. *Neque his penitus posthac obtinendarum Ecclesiarum pontificium facultatemque permitti,* etc., *et eodem lib. tit. de Hæreticis cap.* 13: *Omnes igitur qui harum professionum vel pontificium vel ministerium vindicarunt. Gellius lib.* I *cap.* 13: *Sunt enim non pauci qui cum sententiam suam una in parte defixerint, et re semel statuta deliberataque ab eo cujus negotium id pontificiumque esset, nequaquam putaverint contra dictum ejus esse faciendum. Apud Arnobium etiam lib.* II *contra Gentes in V.C. sic legitur: Ut enim dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod ejus non sit potestatis ac licentiæ postulatis, ita unius pontificium Christi est dare animis salutem, et spiritum perpetuitatis apponere. Et alter Arnobius in expositione Psalm.* LXVIII, *ad illos qui sedebant in porta: In portis ergo, inquit, hi accipiunt pontificium judicandi et corripiendi. Sic etiam de S. Petro canit Ecclesia: Deus qui beato Petro apostolo tuo collatis clavibus regni cœlestis animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti,* etc. His Ciaconii notis addere libet et quæ sequuntur ex Baronio (*In Martyrol. 9 april.*) excerpta: *Pontificium dictum est jus ac facultas quædam aliquid agendi. Hanc etenim proprium esse ejus vocis significationem, compluribus antiquarum scriptionum monumentis facile demonstratur; ut lib.* I *de Bonis maternis Cod. Theodos., ubi leguntur hæc verba: Sint in parentum potestate ac dominio, ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia denegetur. Sic et in lib.* I, *c. Quæ res export. non deb., secundum antiquam lectionem legit Cælius Rhodig. lib.* VI: *Ad barbaricum transferendi vini, olei et liquaminis nullum quisquam habeat pontificium. Gelasius papa ad episcopos Dardaniæ: Satis, inquit, constat Acatium nullum habuisse pontificium, sententiam sedis apostolicæ, sine ejus notione, solvendi. Complura alia loca tum ex epistolis Symmachi, tum etiam ex aliis diversisque imperatorum rescriptis colligit Juretus in not. ad epist.*

acceptæ privilegium assequi non sivisset, cujus salutem in futura tunc sæcula reservavit, ut recto ordine compleretur statuti temporis plenitudo. Oportebat enim ejus sobolem tamdiu sub habita conditione durare, quousque eamdem originalibus vinculis liberatam in antiquum libertatis statum prioris Domini gratia pretio sui sanguinis reformaret, quam pietatis instinctu potuit etiam tunc salvare, sed noluit, quia eum decreti [a] sui irrumpere sanctionem æquitas non sinebat. Vis nosse causam venditioni[s] tuæ? Audi ipsum Redemptorem tuum per Isaiam prophetam apertissime proclamantem : *Quis est iste liber repudii matris vestræ quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram* (*Isaiæ* L). Vis etiam evidenter agnoscere cur te jugo servitutis addictum redimere potentiæ suæ virtute noluerit? Audi quid ad superiora, quibus eisdem famulis peccatorum causam voluntariæ venditionis exprobrat, adjecerit : *Numquid abbreviata et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere, aut non est in me virtus ad liberandum* (*Ibid.*)? Sed quid huic potentissimæ misericordiæ ejus semper obstiterit, idem propheta demonstrat : *Ecce,* inquit, *non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat, sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra abscondunt faciem ejus a vobis ne exaudiret* (*Isaiæ* LIX).

CAPUT XIII.

Expositio illius : Scio autem quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.

Quia ergo carnales nos fecit, et spinis ac tribulis condemnavit illa Dei prima maledictio, nosque ita iniquo Pater noster venumdedit commercio, ut bonum quod volumus agere nequeamus, dum divulsi a memoria summi Dei, ea quæ fragilitatis humanæ sunt, cogitare compellimur; dum puritatis amore [natura] flagrantes, incentivis naturalibus, quæ penitus ignorare velimus, etiam inviti plerumque compungimur, [b] *Scimus quia non habitat in carne nostra bonum* (*Rom.* VII), id est, hujus quam diximus theoriæ atque puritatis perpetua jugisque tranquillitas. Sed factum est in nobis istud pessimum ac lugubre divortium, ut cum mente legi Dei servire velimus, numquam scilicet volentes a claritate divina dimovere conspectum, tamen carnalibus tenebris circumfusi, quadam lege peccati ab eo quod bonum esse novimus, cogamur avelli, scilicet ad curas cogitationesque terrenas, ab illas mentis celsitudine decidentes, ad quas nos lex peccati, id est, illa sententia Dei non immerito condemnavit, quam primus peccator excepit, et inde est quod beatus Apostolus, cum apertissime fateatur inevitabili se vel omnes sanctos [c] peccati hujus necessitate constringi, tamen neminem eorum ob hoc esse damnandum audenter

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Symmachi 27, *lib.* VII. *Congruit ergo his omnibus, ut pontifex a posse facere, et pontificium ab agendi facultate jus ipsum sit appellatum. Transiit autem cum proprietate sui sensus utrumque nomen in usum Christianæ religionis, ut episcopi sint dicti pontifices, jusque ipsum divinitus concessum pontificium appelletur.*

[a] Illius nempe decreti quo Deus ab æterno statuerat hominem liberare per viam justitiæ et satisfactionis, non per viam solius potentiæ aut misericordiæ : hoc enim decreto supposito intelliguntur illæ sententiæ Scripturæ : *Oportebat Christum pati, et ita intrare in gloriam suam* (*Luc.* XXIV). *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (*Joan.* XII). *Si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI). Et Petrus apostolus ait (*Act.* II), *Christum definito consilio et præscientia Dei traditum,* etc. At secluso hoc decreto, qua potentia Deus hominem creavit justum et liberum, eadem vel solo mox nutu lapsum et deformatum in integrum restituere poterat, diabolo ejus hoste procul depulso; et cum supremus esset Dominus, nulliusque superioris legibus teneretur astrictus, poterat, prætermissa justitiæ severitate, solius misericordiæ suæ consilium amplecti : in iis præsertim peccatis abolendis, quæ in ipsius erant commissa majestatem : quippe hoc quisque in sua potestate habet, ut ea peccata remittat, quæ proprie in ipsum designata sunt; qua de re vide S. Thomam (*part.* III *q.* 46, *art.* 6). Verum fixo illo decreto, quo justitiæ volebat esse satisfactum, alterum erat necesse, ut vel homo reus damnaretur, vel æquivalens pretium, aut pœna pro eo liberando solveretur; et quemadmodum ait D. Ambrosius (*lib.* IV *in Luc.* c. 14), *quia non queunt divina decreta solvi, persona magis quam sententia mutaretur. Hujus ergo decreti divini sanctionem irrumpere æquitas non sinebat,* id est, decretum justitiæ de pœna ob peccatum subeunda solvi non poterat; sed potuerat Deus decretum facere, non secundum justitiam, sed secundum misericordiam. Neque tamen solius justitiæ rationem habuit in opere redemptionis humanæ; sed utramque pariter, et justitiam et misericordiam mirabiliter conciliavit : justitiam quidem, eo quod peccatum non reliquit impunitum; misericordiam, ex eo quod judex ipse peccati pœnam a reo transtulit in seipsum, sicque pulcherrimo congressu *misericordia et veritas,* ut scriptum est, *obviaverunt sibi; justitia et pax osculatæ sunt* (*Psalm.* LXXXIV). Pœnam enim inflixit per justitiam, sed personam mutavit per misericordiam. *Justitia dixit : Ego supplicium pro peccato requiro; misericordia dixit : Ego pœnam non abnuo, sed muto personam, et pœnam in me suscipio.* Ita factum est, ut in opere redemptionis et reconciliationis humanæ misericordia et veritas, sive (quod idem est) justitia et pax, quæ contrariæ primo aspectu videri possunt, cum una ignoscat, altera puniat, mirabiliter conciliatæ concurrerint, sibique quodammodo obviarint, et velut mutuis sese osculis salutarint. Qua de re pulcherrime disserit D. Bernardus *serm.* 1 de Annuntiatione. Vide locum.

[b] Scio, inquit Apostolus, *quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum* (*Rom.* VII). Ubi carnem accepit, non pro altera parte hominis, quam corpus vel carnem dicere solemus, quæque ab anima distinguitur, sed accipit carnem pro anima carnali, sive pro toto homine, quatenus carnalis est, id est, quatenus ab Adamo propagatus et peccati contagio aspersus : et est similis sententia cum illa Geneseos : *Sensus et cogitatio cordis humani ad malum prona sunt* (*Genes.* VI).

[c] Peccatum hic accipit pro fomite peccati, id est, concupiscentia, vel, ut superius dixit, pro lege peccati vel incentivis naturalibus, quibus a contemplatione ad curas et cogitationes terrenas abstrahimur inviti.

enuntiat, dicens : *Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Jesu. Lex enim vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis* (*Rom.* VI) : id est, quotidiana gratia Christi omnes sanctos suos ab hac lege peccati et mortis (in quam jugiter vel nolentes coguntur incurrere), cum remissionem debitorum suorum a Domino [a] precantur, absolvit. Videtis [b] ergo non ex persona peccatorum, sed ex illorum qui vere sancti atque perfecti sunt, hanc beatum Apostolum prompsisse sententiam, [c] *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum hoc ago* (*Rom.* VII). Et, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Ibid.*).

CAPUT XIV.

Objectio quod neque infidelibus, neque sanctis, competere videatur illud Apostoli : Non enim quod volo, facio bonum.

Germanus : Neque eorum qui capitalibus criminibus implicantur, neque Apostoli vel illorum qui ad ejus profecere mensuram, hoc dicimus congruere posse personis, sed de his proprie hoc intelligi debere censemus qui post Dei gratiam agnitionemque veritatis a carnalibus se vitiis abstinere cupientes, antiqua adhuc consuetudine velut naturali lege in membris suis violentissime dominante, ad inolitam passionum concupiscentiam pertrahuntur. Usus enim ac frequentia delinquendi, velut lex efficitur naturalis, quæ membris humanæ infirmitatis inserta, affectu animæ necdum plenis virtutum studiis eruditæ, sed adhuc rudis ac teneræ (ut ita dixerim) castitatis, captivos rapit ad vitia, ac morti eos antiqua lege subjiciens, jugo peccati dominantis addicit, non sinens eos bonum quod diligunt puritatis adipisci, sed potius malum quod exsecrantur exercere compellens.

CAPUT XV.

Responsio ad objectionem propositam.

Theonas : Non parum vestra proficit opinio. Siquidem etiam vos ipsi astruere jam cœpistis in illorum persona qui omnino peccatores sunt hoc penitus stare non posse, illis autem qui se a vitiis carnalibus abstinere contendunt proprie convenire. Quos quoniam a peccatorum jam numero segregastis, consequens est ut etiam fidelium atque sanctorum paulatim cœtibus inseratis. Quæ enim genera peccatorum istos dicitis posse committere, quibus si fuerint post gratiam baptismatis involuti, rursum per

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita emendatum a Ciaconio, cum antea legeretur : *Cum remissionem debitorum suorum a Domino precatur absolvi* (*Vide cap.* 10 *sub finem notat.*). Porro hucusque sermo ille D. Augustino ascriptus extenditur, quatuor capita jam decursa complexus.

[b] Istud *ergo* supponit syllogismum, qui sic formari potest : Hactenus probatum est Apostolum loqui in persona sua et sui similium ; atqui tales non sunt peccatores seu homines injusti et impii ; ergo non ex persona peccatorum (ut volebat Germanus), sed ex persona justorum ista locutus est Apostolus. Quam sententiam sibi magis placuisse docet D. Augustinus lib. adversus Julianum cap. 11, quamvis prius aliter sensisset, ut superius dictum est : *Quod autem*, inquit, *verba apostolica, ubi dicit : Scio quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum ; et cætera usque ad illud, ubi ait : Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? me affirmas aliter intelligere quam totum ipsum caput debet intelligi, nesciens mihi plurimum tribuis. Non enim ego solus aut primus sic istum locum intellexi, quo evertitur hæresis vestra, quemadmodum vere intelligendus est : immo vero ego prius aliter intellexeram ; quod mea quædam illius temporis etiam scripta testantur. Non mihi enim videbatur Apostolus de seipso dicere potuisse : Ego autem carnalis sum, cum esset spiritalis, et quod captivus duceretur sub lege peccati, quæ in membris ejus erat. Sed postea melioribus et intelligentioribus cessi, vel potius ipsi, quod fatendum est, veritati, ut viderem in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium. Qui cum mente sint spiritales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggravat animam, recte intelliguntur esse carnales : qui erunt et corpore spiritales, quando seminatum fuerit corpus animale, et resurget corpus spirituale* (I Cor. XV) ; *et recte adhuc intelliguntur illa parte captivi sub lege peccati, quæ desideriorum quibus non consentiunt motibus subjaceret. Hinc factum est ut sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius et cæteri Ecclesiæ sancti notique doctores, qui et ipsum Apostolum adversus carnales concupiscentias, quas habere nolebat, et tamen habebat, strenue conflixisse ; eum denique conflictum suum illis suis verbis contestatum fuisse senserunt.* Hæc Augustinus ; quibus nihil ad hujus loci et totius collat. et disputationis elucidationem aptius et congruentius afferri potuit.

[c] Audiendus hic rursum D. Augustinus (*De Verb. Apost. serm.* 5), cum in hac Apostoli sententia tota hujus collationis disceptatio versetur. Sic ipse in persona Apostoli : *Modo quando fervet mortis contentio, non quod volo, ago, ex parte spiritalis, ex parte carnalis. Ex parte meliori spiritalis, ex parte inferiori carnalis. Adhuc confligo, nondum vici ; magnum mihi est, non vinci. Non quod volo, ago ; sed quod odi, illud facio. Quid facis? Concupisco : etsi concupiscentiæ non consentio, etsi post concupiscentias meas non eo, tamen adhuc concupisco, et utique etiam in ipsa parte ego sum. Non enim ego alius in mente, et alius in carne. Sed quid igitur ipse ego? Quia ego in mente, ego in carne. Non enim duæ naturæ contrariæ, sed ex utraque unus homo, quia unus Deus a quo factus est homo. Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati : mente non consentio legi peccati, sed tamen nollem esset in membris meis lex ulla peccati. Quia ergo nollem, et tamen est, non quod volo ago, quia concupisco et nolo ; non quod volo ago, sed quod odi, illud facio. Quid odi? Concupiscere. Odi concupiscere, et tamen ago illud carne, non mente. Quod odi, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quia bona est. Consentires legi, si quod velles faceres : si facis quod lex odit, quomodo consentis legi? Prorsus si quod nolo, hoc facio, consentio legi, quoniam bona est. Quomodo? Quid jubet lex? Non concupisces. Quid volo ego? Non concupiscere. Volendo quod vult lex, consentio legi, quoniam bona est. Si diceret lex : Non concupisces, et ego vellem concupiscere, non consentirem legi, et omnino ab illa voluntatis perversitate diversus existerem. Quid modo? Quid dicis, o lex? Non concupisces. Et ego nolo concupiscere ; et ita nolo quod non vis : ideo consentio, quia quod non vis nolo. Non implet legem infirmitas mea, sed legem laudat voluntas mea.* Hucusque eleganter et acute D. Augustinus, in persona Apostoli, ejusque similium justorum contra carnis motus in hac vita confligentium, ut dictum est.

quotidianam Christi gratiam liberentur? Aut de quo mortis corpore Apostolus dixisse credendus est, *Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII)? Nonne manifestum est, sicut vos quoque ipsos veritas compulit confiteri, non de illis capitalium criminum membris, per quæ stipendium æternæ mortis acquiritur, id est, homicidii, fornicationis, adulteriorum, ebrietatis, furtorum atque rapinarum; sed de illo prædicto, cui gratia Christi quotidiana succurrit, corpore memorari? Quisquis enim post baptismum et scientiam Dei, in illud mortis [a] corpus irruerit, sciat se non quotidiana gratia Dei, id est, facili remissione, quam momentis singulis exoratus Dominus noster erroribus nostris donare consuevit, sed aut diuturna afflictione pœnitudinis ac pœnali dolore purgandum, aut certe pro his in futurum æterni ignis suppliciis addicendum, ita eodem Apostolo pronuntiante : *Nolite falli, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt* (I *Cor.* VI). Aut quæ est ista lex militans in membris nostris quæ repugnat legi mentis nostræ, cumque nos resistentes atque captivos in legem peccati ac mortis abduxerit, eique nos fecerit carne servire, nihilominus mente legi Dei servire permittit? Nec enim hic puto legem peccati flagitia designare, aut hoc de his supra dictis intelligi posse criminibus, quæ si quis facit, legi Dei mente non servit, a qua necesse est eum animo ante djscedere, quam aliquid eorum carne committat. Quid est enim servire legi peccati, nisi ea quæ a peccato imperantur, implere? Quod ergo peccati genus est, quo cum se tanta sanctitas atque perfectio sentiat captivari, gratia tamen Christi non ambigat liberandum, dicens : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII)? Quam, inquam, legem membris nostris inesse firmabitis quæ abstrahat nos a lege Dei, et captivans lege peccati, infelices nos potius faciat quam nocentes, ut non æternis suppliciis addicamur, sed quasi de interrupto beatitudinis gaudio suspiremus, et auxiliatorem qui nos ad id retrahat inquirentes, cum Apostolo proclamemus, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Abduci namque captivum in legem peccati, quid est aliud quam in effectu peccati atque opere permanere? Aut quod aliud principale dabitur bonum, quod sancti explere non possint, nisi id ad cujus comparationem, ut supra diximus, universa nec bona sunt? [b] Et quidem novimus multa esse in hoc mundo bona, præcipueque pudicitiam, continentiam, misericordiam, temperantiam, pietatem; sed hæc omnia et summo illi bono paria esse non possunt, et perfici non dicam ab apostolis, sed etiam a mediocribus possunt; a quibus impleta non fuerint, aut æterno supplicio puniuntur, aut grandi, ut supra dictum est, labore pœnitentiæ, non quotidiana Christi gratia liberantur. Superest igitur ut hanc Apostoli sententiam soli sanctorum personæ recte fateamur aptari, qui in hanc quam prædiximus incurrentes quotidie peccati, non criminum, legem, de statu salutis suæ certi, non præcipitantur in facinus, sed, ut sæpe dictum est, de contemplatione divina ad miseriam cogitationum devoluti corporalium, veræ illius beatitudinis bono plerumque fraudantur. Si enim se in *hanc membrorum* suorum legem quotidianis sentirent sceleribus illigari, non utique de felicitatis amissione, sed de innocentia causarentur; nec diceret Apostolus Paulus, *Infelix ego homo,* sed impurus aut scelestus ego homo; nec de corpore mortis hujus, hoc est de conditione mortali, sed a flagitiis atque criminibus carnis hujus vellet absolvi. Sed quia se pro conditione fragilitatis humanæ senserat captivatum, id est, abductum ad sollicitudines curasque carnales quæ lex peccati et mortis operatur, ingemiscens super hac, quam invitus incurrerat, lege peccati, confestim recurrit ad Christum, et præsentissima *gratiæ ejus* redemptione salvatur. Quod ergo lex illa peccati, quæ spinas ac tribulos cogitationum curarumque mortalium naturaliter gignit, etiam in Apostolici pectoris terra sollicitudinis germinarit, ista lex gratiæ mox avellit. *Lex enim,* inquit, *spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis* (*Rom.* VIII).

CAPUT XVI.

Quid sit corpus peccati et mortis.

Hoc ergo inevitabile corpus est mortis, in quod perfecti quique, qui gustaverunt quam suavis est Dominus, quotidie revoluti, sentiunt cum propheta *quam malum sibi et amarum sit discedere a Domino Deo suo* (*Jerem.* II). Hoc est corpus mortis quod a cœlesti eos intuitu retrahens ad terrena deducit; quod psallentes eos atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negotia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, quod æmulantes angelicam sanctitatem, et volentes Domino jugiter inhærere, perfectionem tamen hujus boni, quia mortis corpus obsistit, invenire non possunt, sed faciunt malum quod nolunt, id est, traducuntur mente etiam ad illa quæ ad profectum virtutum perfectionemque non pertinent. Denique, ut hoc de sanctis atque perfectis sibique similibus se dixisse beatus Apostolus evidenter exprimeret, digito quodammodo semetipsum tactuque designans, continuo infert : *Itaque ego ipse* (*Rom.*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Corpus mortis hic intelligit statum peccati, qui multis capitalium criminum veluti membris constat, ut ex antecedentibus liquet. De quo corpore mortis docet Apostolum non esset locutum, cum ait : *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII) sed de lege peccati et mortis, id est, pronitate peccandi seu fomite peccati, ut sæpius dictum est (*Vide collat.* 12 *cap.* 1), qui etiam justis inest, eisque negotium facessit; unde ab eo liberari expetunt. Itaque duplex corpus, mortis et peccati, in hoc et sequenti cap. distinguit.

[b] Idem supra cap. 2.

VII), id est, qui hæc pronuntio, meæ, non alterius, conscientiæ latebras pando. Hoc sane locutionis genere familiariter uti Apostolus solet, si quando vult se specialiter designare, sicut ibi : *Ego ipse Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi* (II *Cor.* X); et rursum : *Nisi quod ego ipse non gravavi vos* (*Ibid.* XII); et iterum, *Sed esto, ego ipse non gravavi vos* (*Ibid.*); et alibi : *Ego ipse Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit* (*Galat.* V). Et ad Romanos, *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* (*Rom.* IX). Potest autem non absurde etiam sic accipi, ut expressius cum emphasi pronuntiet : *Itaque ego ipse* (*Rom.* VII), id est, quem nostis esse apostolum Christi, quem tota suspicientia [a] veneramini, quem creditis summum atque perfectum esse, et in quo loquitur Christus, cum mente serviam legi Dei, carne tamen legi peccati servire me fateor, hoc est, distentione conditionibus humanæ interdum de cœlestibus ad terrena devolvor et ad curas humilium rerum mentis meæ altitudo prolabitur, per quam peccati legem ita momentis singulis me sentio captivari, ut quamvis immobili circa legem Dei desiderio perseverem, nullo tamen modo vim hujus captivitatis evadere me posse sentio, nisi confugero semper ad gratiam Salvatoris.

CAPUT XVII.

Quod sancti omnes veraciter immundos se et peccatores esse confessi sunt.

Et idcirco quotidianis suspiriis sancti omnes pro hac substantiæ suæ fragilitate compuncti, dum cogitationum varietates et conscientiæ suæ latebras ac penetralia perscrutantur, suppliciter clamant : *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII). Et illud : [b] *Quis gloriabitur castum habere cor, aut quis fiduciam habebit se mundum esse a peccato* (*Prov.* XX)? Et iterum : *Non est justus* [c] *homo in terra qui faciat bonum et non peccet* (*Eccles.* VII). Et ita infirmam hominum imperfectamque justitiam ac misericordia Dei semper indignam esse senserunt, ut unus ex his, cujus iniquitates et peccata Deus misso de altari ignito verbi sui carbone purgavit, post illam mirificam contemplationem Dei, post intuitum sublimium seraphim et revelationem sacramentorum cœlestium, dicat : [d] *Væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (*Isaiæ* VI). Qui, sicut arbitror, labiorum suorum immunditiam nec tunc quidem fortasse sensisset, nisi veram perfectionis et integram puritatem contemplatione Dei meruisset agnoscere, cujus intuitu pollutionem suam sibi ante incognitam repente cognovit. Cum enim ait, *Væ mihi quia vir pollutus labiis ego sum,* de suorum hoc labiorum, non de populi pollutione, confessum, id quod sequitur manifesta : *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Sed etiam cum orans peccatorum quasi universalium immunditiam confitetur, non iniquorum tantum, sed etiam justorum plebem generali supplicatione complectitur dicens, *Ecce*[e] *tu iratus es et nos peccavimus, in ipsis fuimus semper et salvabimur,* [e] *facti sumus ut immundus omnes nos; tamquam pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ* (*Isaiæ* LXIV). Rogo quid evidentius hac potest esse sententia, qua non unam tantum, sed universas justitias nostras propheta complexus, et circumspiciens omnia quæ

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] *Suspicientia,* id est, reverentia et admiratione; a verbo suspicio, quod est sursum aspicio. Illum enim suspicimus, quem quasi supra nos positum aspicientes admiramur.

[b] Vulgata editio : *Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato* (*Prov.* XX)? *Ubi notandum,* inquit D. Hieronymus, *quod non ait : Quis potest mundum habere cor, et purus esse a peccato? sed, Quis potest dicere,* inquit : *Mundum est cor meum, purus sum a peccato? Quia sunt qui, largiente divina gratia, possunt, juxta humanum modum, et cordis et operis habere munditiam. Unde est illud Dominicum : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). *Et in psalmo : Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde* (*Psalm.* XXIII). *Si enim nemo mundum habet cor, neque ullus purus est a peccato, consequens est profecto, ut nullus ascendat in montem Domini, nullus hominum stet in loco sancto ejus. Quia vero constat multos ascensuros in montem Domini, staturosque in loco sancto ejus; restat utique ut sint multi mundo corde et, juxta humanæ possibilitatis modum, puri a peccato; nec tamen seipsum quisquam mundum corde et immunem esse a peccato absque temeritate pronuntiat. Stulta est namque propriæ laudis jactantia, temerarium de sua quemque innocentia vel justitia gloriari.*

[c] Id est, qui sic semper faciat bonum, ut numquam peccet, vel, ut infra exponit, *Nemo in hac terra tam sanctus, tam diligens, tam intentus, vel potuit umquam, vel poterit inveniri; qui vero illi ac singulari bono ita jugiter valeat inhærere, ut non quotidie ab eo distractum sentiat deliquisse.*

[d] Integra sententia prophetæ : *Væ mihi, quia tacui; quia vir pollutus labiis ego sum,* etc. Quæ verba D. Hieronymus duobus modis exponit : *Isaias,* inquit, *juxta LXX Interpretes, compunctum se esse testatur dicens : O miser ego, quoniam compunctus sum; non ob alia crimina, sed quia labia haberet immunda. Felix conscientia quæ tantum in sermone peccavit, non suo vitio, sed societate populi habentis polluta labia, cum quo loqui sæpissime cogebatur. Ex quo ostenditur noxium esse vivere cum peccatoribus. Qui enim tangit picem, inquinabitur ab ea* (*Eccles.* XIII). *Sed quia in Hebræo legimus : Væ mihi quia tacui, plangit se propheta, quia non fuerit dignus laudare Dominum Sabaoth cum seraphim, quos angelicas fortitudines intelligimus. Non fuit autem ausus laudare Dominum, quia labia habebat immunda, quia cum peccatore populo versabatur. Vel certe ita intelligendum : Quia tacui, et non audacter Oziam impium regem corripui, ideo labia mea immunda sunt, et laudes Domini cum angelis cantare non audeo, ne mihi dicatur : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psalm.* XLIX)? *non est enim pulchra laudatio in ore peccatoris* (*Eccles.* XV). *Hoc autem dicimus non quod Isaiam talem fuisse doceamus, sed quod ipse pro humilitate et immundis tantum labiis indignum se Dei laude fateatur.*

[e] In hanc sententiam vide quæ supra notavimus, quam hic Auctor ad suum sensum trahit, cum juxta mentem prophetæ ad solos impios et sceleratos Judæos referenda sit, ut dictum est (*Cap.* 4).

vel immunda vel horrenda judicantur, quia nihil in hominum conversatione sordidius neque impurius potuit reperire, panno menstruatæ eas comparare maluit ?

CAPUT XVIII.

Etiam justos et sanctos sine peccato non esse.

Frustra ergo manifestissimæ veritati spinosæ objectionis acumen opponitur, sicut paulo ante dixistis : Si nemo sine peccato, nullus est sanctus ; et si nemo sanctus, nullus ergo salvabitur. Hoc enim prophetæ testimonio potest nodus hujus quæstionis absolvi. *Ecce,* inquit, *tu iratus es, et nos peccavimus* (*Isaiæ* LXIV), id est, cum elatione nostri cordis vel negligentia adversatus tuo nos auxilio denudasti, confestim nos vorago absorbuit peccatorum ; velut si quis splendidissimo solis diceret elemento, Ecce tu occubuisti, et nos illico tenebrosa contexit obscuritas. Et tamen hic cum sanctus peccasse se dicat, et non solum peccasse, sed etiam in ipsis semper permansisse peccatis, non desperat penitus de salute, sed subjicit : *In ipsis fuimus semper et salvabimur.* Hanc ego sententiam, *Ecce tu iratus es et nos peccavimus,* illi Apostolicæ comparabo : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII) ? Rursum id quod propheta subjungit, *In ipsis fuimus semper et salvabimur,* consequentibus Apostoli congruit verbis, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Similiter etiam illud ejusdem prophetæ : *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito* (*Isaiæ* VI), videtur supra dictos sapere sermones, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Itemque quod sequitur in propheta, *Et ecce volavit ad me unus de seraphim, et in manu ejus carbunculus sive calculus, quem forcipe tulerat de altari, et tetigit os meum, et dixit : Ecce hoc tetigi labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur* (*Ibid.*) ; tale est ut Pauli videatur ore prolatum, qui ait, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Videtis ergo quemadmodum omnes sancti non tam ex persona populi quam ex sua, et peccatores se veraciter fateantur, et tamen nequaquam de sua salute desperent, sed justificationis plenitudinem, quam pro conditione fragilitatis humanæ consequi se posse diffidunt, de gratia Domini et miseratione præsumunt.

CAPUT XIX.

Ex Dominicæ precationis formula ostendit neminem sine peccato vivere.

Neminem [a] vero in hac vita, quamvis sanctum, immunem esse a debitis peccatorum, etiam magisterium nos docet Salvatoris, qui discipulis suis perfectæ orationis formulam tradens, inter reliqua illa sublimia sacratissimaque mandata quæ, quoniam non nisi sanctis perfectisque sunt tradita, malis et infidelibus convenire non possunt, hoc jussit interseri : *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI). [b] Si ergo vera hæc et a sanctis profertur oratio, sicut indubitanter credere nos oportet, quis tam contumax et præsumptor, tam superbia diabolici furoris elatus poterit inveniri, qui sine peccato se esse pronuntians, non solum majorem se apostolis credat, verum etiam ipsum quasi ignorantiæ aut vanitatis arguat Salvatorem, ut scilicet aut nescierit esse posse aliquos immunes a debitis, aut frustra docuerit eos quos scierit orationis istius remedio non egere ? Sed cum regis sui præcepta servantes, omnes omnino sancti quotidie dicant : *Dimitte nobis debita nostra ;* si verum dicunt, vere nemo est immunis a culpa ; si autem fallunt, æque verum est eos mendacii non carere peccato. Unde etiam ille sapientissimus *Ecclesiastes* universos actus et humana studia mente percurrens, sine ulla exceptione pronuntiat, *Quia non est justus homo in terra qui faciat bonum et non peccet* (*Eccle.* VII) ; id est, nemo in hac terra tam sanctus, tam diligens, tam intentus, vel potuit umquam vel poterit inveniri, qui vero illi ac singulari bono ita jugiter valeat inhærere, ut non quotidie ab eo distractus se sentiat delinquere. Qui tamen cum pronuntietur immunis a noxa esse non posse, justus esse nihilominus non negatur.

CAPUT XX.

Quod in ipso quoque orationis tempore peccatum declinari vix possit.

Quisquis itaque [c] τό ἀναμάρτητον, id est, impeccantiam naturæ ascribit humanæ, non inanibus verbis, sed conscientiæ suæ testimonio nobiscum ac probatione confligat, et tunc demum se absque peccato esse pronuntiet, cum se ab hoc summo bono senserit non avulsum : immo vero quisquis considerans conscientiam suam, ut non dicam amplius, [d] unam saltem synaxim sine ulla verbi, vel facti, vel cogita-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Intellige cum exceptione supradicta, videlicet Christi Salvatoris et Deiparæ Virginis, quam sicuti Patres excipiunt a generalibus sententiis Scripturæ, quæ negant hominem vivere sine peccato, ita etiam exceptam fuisse dicendum est ab obligatione recitandi illa Dominicæ orationis verba in propria persona ; sed ea recitasse pro toto fidelium cœtu, in quo multi, immo, præter illam, omnes erant peccatores, atque hoc fuisse singulare ejus privilegium.

[b] Ex illa petitione orationis Dominicæ duo a Patribus colliguntur dogmata ecclesiastica huic loco consentanea. Primum est omnes homines quantumvis justos et sanctos in hac vita non carere peccatis ; cum omnes quotidie dicere habeant Deo : *Dimitte nobis debita nostra.* Ita præter cæteros Tertullianus et Cyprianus lib. de Oratione. Secundum, quod ex priore sequitur, esse quædam peccata venialia, quæ natura sua non faciant hominem inimicum Dei, et cum gratia, charitate et justitia consistere possint : a quibus proinde justi, licet non sint immunes, justi esse nihilominus non negantur, ut in fine hujus capitis dicitur.

[c] Impeccantiam dixit, non impeccabilitatem, ut Ciaconius supra exposuit (*Cap.* 7).

[d] Id est, conventum, orationem, communionem, ut alias notatum.

tionis interpellatione se deprehenderit celebrasse, absque peccato se esse pronuntiet. Proinde quia his omnibus otiosis ac superfluis rebus [a] volucrem humanæ mentis excursum fatemur carere non posse, per hoc utique consequenter sine peccato nos non esse veraciter confitemur. Nam quantavis circumspectione unusquisque cor suum servare contendat, numquam id secundum desiderium spiritus sui, repugnante carnis conditione, custodiet. Quanto enim magis profecerit mens humana, et ad sinceriorem contemplationis pervenerit puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet, quia necesse est ut dum animus ad sublimiorem se extendit intuitum, et majora quam agit prospiciens concupiscit, illa in quibus est ut inferiora semper ac viliora despiciat.

CAPUT XXI.

Quod licet agnoscamus nos sine peccato non esse, non debeamus tamen nos a Dominica communione suspendere.

Plurima siquidem denotat sincerior obtutus, paritque sibi majorem reprehensionis dolorem irreprehensibilis vita, et multiplicat gemitus atque suspiria emendatio morum et æmulatio attenta virtutum. Nemo enim illo in quo profecerit gradu potest esse contentus; et quanto quis fuerit mente purgatior, tanto, se sordidiorem videns, magis humilitatis quam elationis invenit causas; quantoque pernicius ad sublimiora contenderit, tanto amplius prævidet sibi superesse quo tendat. Denique ille apostolorum eximius, quem diligebat Jesus, recumbens supra pectus ejus, hanc quasi ex Dominico protulit corde sententiam : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I). Itaque dicentes nos non habere peccatum, veritatem, id est, Christum non habentes in nobis, quid aliud proficimus, nisi ut nos hac ipsa professione ex peccatoribus sceleratos atque impios approbemus? Postremo si cordi est verius explorare utrum possibile sit humanæ substantiæ τὸ ἀναμάρτητον, id est, impeccantiam possidere, a quibus manifestius discere poterimus, quam ab his qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, et quibus vere crucifixus est mundus (*Galat.* V, VI)? Qui cum de cordibus suis non solum radicitus vitia universa convulserint, verum etiam peccatorum memoriam ac cogitationes conentur excludere, nihilominus tamen quotidie fideliter profitentur, ne una quidem hora macula se carere peccati. [b] Nec tamen ex eo debemus nos a Dominica communione suspendere,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vide collationem septimam quæ est *de mobilitate animæ* quam hic vocat *volucrem humanæ mentis excursum. Alibi* (*Collat.* 24 *cap.* 24) *multivolam animi vanitatem et lubricos discursus*; de quibus D. Bernardus de interiori domo cap. 54 et seq.

[b] Ex hoc loco et iis quæ sequuntur aperte discimus veteres monachos etiam in desertis agentes, et laicos, id est, sacris ordinibus minime initiatos, ut erant plerique ejus temporis, ut sæpe dictum est, singulis, ut minimum, dominicis communicare solitos. Quod ex multis aliis Cassiani locis colligitur (*Lib.* III *Instit. c.* 2, *collat.* 7 *cap.ult.*, *collat.* 18 *cap.* 15, *collat.* 22 *cap.* 15), quibus illi diebus sabbatinis et dominicis more Orientalium ad ecclesiam convenisse, et sacra mysteria peregisse et consummasse, uno ex illis sacerdote celebrante, et aliis ministrante, leguntur. Sed et Palladius in Pachomio (*Lausia.* 38), inter alia Tabennensium monachorum instituta, ab angelo dictata, etiam hoc præscriptum refert : *Ingredientes ad Christi communionem sabbato et dominica zonas solvant, et pellem ovillam deponant, et cum sola cuculla ingrediantur.* Quod et Sozomenus (*Lib.* III *cap.* 13) et Nicephorus (*Lib.* IX *c.* 14) attestantur. Regula ejusdem Pachomii a D. Hieronymo Latinitate donata art. 5 sic habet : *In die dominica in collecta, in qua offerenda est oblatio.* Ubi collecta dicitur conventus ad orandum et sacrificandum in ecclesia, alias synaxis. Item apud Palladium (*Lausia.* 59) : *Accessit aliquando abbas Helles, vel Hellen, ad quosdam monachos, cum esset dies dominicus, et dixit eis : Cur hodie non egistis synaxim? Ii autem responderunt : Eo quod non venerit presbyter,* etc. Unde colligitur præter morem consuetum id eis contigisse : adeo quidem, ut ea re offensus Helles magnum flumen a crocodilo vectus magno miraculo transmearit, ut ex alia regione sacerdotem accerseret (*Sozom. l.* VI *cap.* 28, *Cassiodor. Histor. Trip. lib.* VIII *cap.* 1, *Nicephor. lib.* XI *cap.* 34). Solere tamen subinde anachoretas seu monachos in solitudine et seorsim ab aliis agentes, cum ad ecclesiam convenire non possent, absente sacerdote aut ministro, in privatis cellulis sacram eucharistiam certis diebus propria manu sumendam apud se servare (quod et aliis Christianis etiam laicis permissum fuisse, tempore persecutionum maxime, quod non esset liberum, cum vellent, ad Ecclesiam convenire, ac synaxin celebrare, ex Tertulliano (*Lib.* I *ad Uxorem*), Cypriano (*Ubi de lapsis*) aliisque, constat (*Greg. Naz. orat. in laude Gorgoniæ; Hieronym. in Apologia pro libris adversus Jovinian.*) : immo etiam reddita Ecclesiæ pace sub Christianis et catholicis imperatoribus eumdem usum aliquamdiu permansisse a SS. Patribus traditum est) testatur D. Basilius ad hujus rei fidem faciendam a Baronio citatus (*In Martyrol.* 15 *Augusti*), in epist. ad Cæsaream Patriciam de perceptione Sacramentorum, his verbis : *Omnes qui per solitudines monasticam vitam agunt, cum non adest sacerdos, cum domi communionem habeant, per seipsos accipiunt,* etc. Et suppetunt de eadem re complura exempla tum in Vitis Patrum, tum in Prato Spirituali Sophronii. Sed quod ad monachos cœnobitas attinet, D. etiam Benedictus in Regula (*Cap.* 38) haud obscure significat eos singulis diebus dominicis sacram communionem percipere consuevisse, dum de lectore hebdomadario agens : *Lecturus*, inquit, *tota hebdomada ingrediatur* (scilicet ad legendum). *Qui ingrediens post Missas et communionem, petat ab omnibus pro se orari,* etc. *Post communionem scilicet fratrum,* ait Turrecrematus (*Ibid.*), *quæ communiter fiebat post Missam, sive ad Missam majorem* (*Vide etiam declarationem Cassinen.*). Et infra addit D. Benedictus : *Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum* (id est, panem cum potu, ut idem Turrecrematus exponit) *priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam.* Ubi Smaragdus interpres : *Propter communionem sanctam dicit, ne aliquid inde sumptum exscreans projiciat in sputo.* Sic ipse. Ubi magna elucet cautela et providentia pii Patris Benedicti, ob reverentiam nimirum sanctissimi Sacramenti eo die, nempe dominico, percepti; ne quid forte ex eo, ut ait Smaragdus, per exscreationem et spuitionem, quæ jejuno stomacho crebrior esse solet, inter legendum exspuatur. Sed jam ulterius videndum quid posterioribus sæculis de hac Missarum celebratione et com-

quia nos agnoscimus peccatores; sed ad eam magis ac magis est, et propter animæ medicinam et purificationem spiritus, avide festinandum : verumtamen ea humilitate mentis ac fide, ut indignos nos perceptione tantæ gratiæ judicantes, remedia potius nostris vulneribus expetamus. Alioquin nec anniversaria quidem digne est præsumenda communio ut quidam faciunt qui in monasteriis consistentes, ita sacramentorum cœlestium dignitatem et sanctificationem ac meritum metiuntur, ut æstiment ea non nisi sanctos atque immaculatos debere præsumere, et non potius ut sanctos mundosque nos sua participatione perficiant. Qui profecto majorem arrogantiæ præsumptionem, quam declinare sibi videntur, incurrunt; quia vel tunc cum ea percipiunt, dignos se ejus perceptione dijudicant. Multo enim justius est ut cum hac cordis humilitate, qua credimus et fatemur illa sacrosancta mysteria numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea dominicis diebus ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam ut vana persuasione cordis elati, vel post annum dignos eorum[a] participio nos esse credamus. Quapropter ut hæc intelligere et fructuose tenere possimus, misericordiam Domini, ut nos ad perficienda hæc adjuvet, attentius imploremus, quæ nequaquam ita ut cæteræ humanæ artes, præcedente quadam ratione verborum, sed actu potius et experientia præeunte discuntur; quæque rursum, nisi tam collationibus spiritualium virorum frequenter examinata fuerint et polita, quam documentis et quotidiana experientia sollicite ventilata, aut obsolescunt incuria, aut otiosa oblivione depereunt.

munione monachorum a summis pontificibus decretum sit. In primis Clemens V, in concilio Viennensi, solemni decreto sanxit (*Clement. Ne in agro, de statu monach.*), *ut singulis mensibus, tam in monasteriis quam extra, sublata occasione quacumque, ad confessionem semel saltem accedant omnes et singuli monachi, et in prima dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent; nisi ex causa forte, quam abbati, priori aut pœnitentiariis monasteriorum non differant intimare; eorumque judicio vel abstineant, vel accedant.* Hæc Clemens pontifex, cujus vestigiis insistens successor Benedictus XII, eamdem constitutionem quod Benedictinos, tam sacerdotes quam non sacerdotes, roboravit et ampliavit his verbis (*Constitutio Benedictina cap.* 27) : *Monemus insuper universos priores, administratores et monachos ipsius ordinis, seu religionis, in sacerdotio constitutos, intra ecclesias, monasteria et alia loca eorum conventualia residentes, ut eorum quilibet bis vel ter; qui vero in prioratibus, vel aliis locis non conventualibus, aut in scholis, sive alibi fuerint, si non frequentius, saltem semel in septimana* (*salva honestate et debita devotione*) *Missas studeant celebrare : et nihilominus, qui locis conventualibus præsidebunt, in festis solemnibus Missas majores conventuales celebrent in eisdem. Alii vero non sacerdotes, et si non sæpius, saltem singulis septimanis confiteantur, et singulis mensibus, juxta constitutionem sæpe dicti Clementis prædecessoris editam in præfato concilio Viennensi, ad communionem accedant : illi videlicet, qui infra ecclesias, monasteria, seu alia loca conventualia erunt in altari majori; qui vero extra illa fuerint, ubi magis visum fuerit honestum eisdem; nisi abstineant ex causa rationabili et de licentia superioris aut confessorum suorum. Quod si negligenter omiserint, per eosdem superiores suos graviter arguantur, et nihilominus debite puniantur. Per hoc autem statutis vel consuetudinibus Ecclesiarum, monasteriorum, seu locorum prædictorum, in quibus observaretur, ut confiteri, vel celebrare, seu communicare frequentius habeant, non intendimus in aliquo derogare* (*Vide conc. Trident. sess.* 25, *c.* 10, *de Regularibus*). Hæc pontifex. Quibus etsi non nisi menstruam communionem, nempe in prima dominica cujuslibet mensis, monachis non sacerdotibus præscribat; tamen satis aperte insinuat optare se et hortari ad frequentiorem communionem, sicut ad confessionem, utpote hebdomadariam in plerisque monasteriis bene institutis consuetam, et ordinariam; tum illis verbis *si non sæpius, aut frequentius*, tum illa præmissæ constitutionis clausula, qua declarat se statutis et consuetudinibus monasteriorum, in quibus scilicet solent monachi non sacerdotes singulis dominicis communicare, nolle in aliquo derogare. Unde consequenter intelligitur ea omnino approbare, et in suo robore ac *firmitate* relinquere. His demum accedit sacri concilii Tridentini auctoritas (*Sess.* 23, *c.* 13 *de Reform.*) qua subdiaconos et diaconos admonet *ut saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram communionem percipiant.* Quod si a clericis sæcularibus, multo magis a regularibus et religiosis observandum.

[a] *Participio*, id est, participatione, ut supra. Porro tales, qui se dignius et devotius communicaturos putabant si in annum differrent, notasse videtur D. Ambrosius illis verbis (*Lib.* LI *de Sacrament. cap.* 4): *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt. Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie mereari accipere.* Quæ verba si ad alios fideles, multo maxime ad religiosos, sacerdotes aut prælatos spectant; quibus nihil decentius et congruentius esse potest, quam quotidianum Deo offerre sacrificium. Quod ex D. Gregorio discere licet, qui homil. 37, et lib. IV Dialog. capite 56, inter laudes episcopi cujusdam, Cassii nomine, hoc præcipue commendat, quod *quotidianas Deo hostias offerret; ita ut pene nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret.* Ubi deinde subdit quanta animi præparatione et devotione id ab eo factum fuerit. Fertur etiam S. Thomas Aquinas, memorando posteris exemplo, quotidie missam celebrasse, et celebranti astitisse (*Garzon. in ejus Vita*). Alia exempla vide apud Anton. Democharem in lib. de Sacrificio missæ.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

COLLATIO VIGESIMA QUARTA,

Quæ est tertia abbatis Abrahæ.

DE MORTIFICATIONE.

CAPUT PRIMUM.

Quarta atque vicesima ista collatio [a] abbatis Abrahæ, Christo favente, producitur, omnium seniorum traditiones concludens, qua vestris orationibus con-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Hunc illum abbatem Abraham esse existimo, cujus insigne encomium habetur collatione 15 cap.

summata, illorum viginti quatuor seniorum, qui in sancta Apocalypsi (*Apoc.* III) coronas suas Agno offerre dicuntur, numero mystice congruente, cunctarum promissionum nostrarum debitis nos credimus liberandos. Si qua proinde gloria [a] hi viginti quatuor seniores nostri ob institutionis suæ meritum fuerint coronati, illi qui pro salute mundi immolatus est Agno subjectis sunt capitibus oblaturi; ipse enim et illis tam eximium sensum, et nobis qualemcumque sermonem, quo tanta profunditas promeretur, propter honorem nominis sui donare dignatus est. Et necesse est ut ad auctorem bonorum omnium muneris sui merita referantur, cui hoc ipso debetur amplius, quo magis solvitur. Igitur ad hunc Abraham cogitationum nostrarum impugnationem anxia confessione detulimus, quia ad repetendam provinciam nostram, atque [b] ad revisendos parentes quotidianis animi æstibus urgebamur. Hinc etenim nobis maxima

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

4 et 5, ubi duo miracula curationum ab eo patrata narrantur; qui et παῖς, id est, puer, pro simplicitate et innocentia cognominatus ibidem dicitur; quem quidem alium esse ab illo S. Abraham, sive Abramio Syro, cujus vitam et res gestas B. Ephrem conscripsit, multis indiciis et argumentis ibidem ostendi. Porro anceps et ambigua mihi conjectura est num ille sit Abraham, vel Abramius etiam Ægyptius, de quo Palladius hæc tantum refert (*Lausia.* 105): *Fuit quidam Abramius genere Ægyptius, qui vitam asperrimam et maxime agrestem egit in solitudine. Is animo sauciatus ab intempestiva persuasione, veniens in ecclesiam contendit cum presbyteris dicens: Noctu a Christo ordinatus sum presbyter, suscipite me ut sacerdotem. Patres cum abduxissent eum a solitudine, et ad vitam deduxissent crassiorem et magis indifferentem, curarunt eum a superbia, deducentes eum ad cognitionem suæ imbecillitatis, illusum a dæmonibus.* Hæc Palladius. Fuit alius quidam S. Abraham Arvernas, de quo Sidonius Apollinaris insigne carmen edidit (*Lib.* VII *cap.* 17); et meminit Gregorius Turonensis l. II Histor. c. 21, et Martyrologium Rom. 17 kalend. Julii. Denique Theodoretus duos alios anachoretas Abrahamos dictos commemorat (*Histor. lib.* IV *cap.* 26, *et in Hist. Reg. cap.* 17). At de his hic non agitur.

[a] Harum scilicet 24 collationum auctores, sive collatores, aut collocutores. Dicuntur autem viginti quatuor senes (allusione quadam ad illos 24 seniores quos vidit Joannes in Apocalypsi), non numero personarum, sed collationum. Non enim singulis singulæ, sed aliquibus duæ, aliis etiam tres collationes attribuuntur. Unde quod ad numerum personarum attinet, non nisi quindecim numero anachoretæ in his collationibus nominantur: Primus abbas Moyses, cui prima collatio, *de monachi destinatione vel fine*, et secunda, *de discretione*. Secundus Paphnutius, cui tertia, *de tribus abrenuntiationibus*. Tertius Daniel, cui quarta, *de concupiscentia carnis et spiritu*. Quartus Serapion, cui quinta, *de octo principalibus vitiis*. Quintus Theodorus, cui sexta, *de nece sanctorum*. Sextus Serenus, cui septima, *de animæ mobilitate, et spiritalibus nequitiis*, et octava, *de principatibus, seu potestatibus*. Septimus Isaac, cui nona, *de oratione*, et decima, *de orationis jugitate*. Octavus Chæremon, cui undecima, *de perfectione*, et duodecima, *de castitate*, et decima tertia, *de protectione Dei*. Nonus Nesteros, cui decima quarta, *de spiritali scientia*, et decima quinta, *de charismatibus divinis*. Decimus Joseph, cui decima sexta, *de amicitia*, et decima septima, *de definiendo*. Undecimus Piammon, cui decima octava, *de tribus generibus monachorum*. Duodecimus Joannes, cui decima nona, *de fine cœnobitæ et eremitæ*. Decimus tertius Pinufius, cui vigesima, *de pœnitentiæ fine et satisfactionis indicio*. Decimus quartus Theonas, cui vigesima prima, *de remissione Quinquagesimæ, et* vigesima secunda, *de nocturnis illusionibus*, et vigesima tertia, *de eo quod dicit Apostolus: Non enim quod volo, facio bonum*, etc. Decimus quintus abbas Abraham, cui vigesima quarta et postrema collatio, *de mortificatione* ascribitur. Unde patet multo plures esse collationes quam collatores.

[b] Parentum nomine, quamvis proprie pater et mater significentur, apud jurisconsultos tamen, teste Festo, etiam avus et proavus, aliique superiores utriusque sexus intelliguntur. Immo etiam ad quoslibet consanguineos hoc vocabulum extensum invenimus; sed hoc apud eos dumtaxat qui jam labescente linguæ Latinæ puritate minus terse locuti sunt, quod et Galli in sua vernacula observant, quo etiam modo nihil vetat hic accipi. Porro quam periculosum sit monachis ad parentes aut amicos carnales invisendos temere aut citra necessitatem excurrere, suo damno et experimento didicit Malchus ille monachus, cujus vitam D. Hieronymus scriptis consignavit, qui de monasterio, dissuadente licet abbate, egressus, ut patriam et parentes inviseret, in barbarorum manus incidit, a quibus raptus et abductus multas deinde ærumnas et difficultates perpessus est. Trita est et lectu digna historia (*Tomo* I *Operum D. Hier.*). Contrarium vero ac memorabile exemplum abbatis Pioris refert Sozomenus his verbis (*Lib.* VI *cap.* 29): *Pior cum statuisset ab ineunte adolescentia vitæ monasticæ se consecrare, eo ipso temporis vestigio quo ea de causa paternis ædibus egressus sit, spopondit Deo se de cætero neminem ex suis aliquando oculis aspecturum. Post annos quinquaginta soror accepit eum adhuc vivere. Quæ cum præ immenso gaudio nuntii tam insperati esset pene obstupefacta, quiescere non potuit nisi fratrem oculis intueretur. Quam ætate provectam, lamentantem, et implorantem in hac re auxilium episcopus illius loci commiseratus, scripsit ad præsides monachorum in solitudine degentium ut Piorem ad se mitterent. Qui jussus eo profectus est, quippe eum non posset illis contradicere. Ille igitur, uno secum assumpto, venit in patriam, atque stans pro foribus domus paternæ, signum dedit se venisse. Ubi vero fores crepare sensit, oculis occlusis sororem nomine compellavit, dixitque: Ego Pior frater tuus; age, me contuere, quantum lubet. Illa igitur mire hac de re oblectata gratias Deo egit. Ille autem cum prope foi es precatus esset, revertitur ad locum in quo habitabat.* Hæc ille, in quibus multa suppetunt antiquitatis et monasticæ disciplinæ documenta. Primum, monachi et anachoretæ in solitudine agentes, eorumdemque patres et abbates, seu præsides, episcopo loci illius præcipienti obediunt et subditos se ostendunt; quod multis canonibus et decretis a Gratiano collectis sancitum legitur (16, *q.* 1; *et* 18, *q.* 2). 2° Iidem anachoretæ, quamvis solitarii et separatim in remotis cellulis et locis viventes, suos tamen habebant præsides et præfectos, certis limitibus et locorum spatiis distinctos (sicut modo habent religiosi suos provinciales et visitatores), quibus obedientiam præstabant, ad quos sæpe conveniebant, et de rebus dubiis consulebant, concionantes, aut disputantes audiebant, et ab eis, si sacerdotes erant, sacramenta statis temporibus percipiebant. Id quod ex multis locis Cassiani et ex Vitis Patrum notissimum est. 3° Pior solitarius, et vitam agens maxime austeram, post annos quinquaginta jussus in patriam ire, et sororis desiderio satisfacere, suis superioribus obtemperans, eo proficiscitur. Nec tamen solus iter arripit, sed uno socio assumpto, quod monachis Tabennensibus seu Pachomianis solemne fuit, ut non nisi bini foras

desideriorum nascebatur occasio, quod tanta religione atque pietate parentes nostros præditos recordabamur, ut eis nequaquam nostrum propositum præponeremus, hoc jugiter mente volventes, quod profectum magis ex illorum essemus assiduitate capturi, nullaque nos corporalium rerum sollicitudine nullisque prospiciendi victus distentionibus occupandos, [a] illis affatim omnem cum gaudio præbitionem nostræ necessitatis explentibus. Insuper etiam spe inanium gaudiorum animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conversione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo ac monitis dirigendi; tum præterea ipsorum locorum situs, in quibus erat majoribus nostris habita [*Lips. in marg.* avita] possessio, ipsarumque amœnitas regionum jucunda ante oculos pingebatur, quam gratæ et congruæ solitudinis spatiis tenderetur, ita ut non solum delectare monachum possint secreta silvarum, sed etiam magna victus præbere compendia. Quæ omnia prædicto seni cum secundum fidem conscientiæ nostræ simpliciter panderemus, nec jam A impugnationum vim tolerare nos posse, nisi nobis per illius medicinam Dei gratia subvenisset, profusis lacrymis testaremur, tacitus ille diuque cunctatus, atque ad extremum graviter ingemiscens, ita respondit.

CAPUT II.

Quomodo nostros senex patefecerit errores.

Necdum vos desideriis renuntiasse mundanis, [b] nec mortificasse concupiscentias pristinas, cogitationum vestrarum prodit infirmitas. Nam sicut desidiam cordis vestri desideriorum vestrorum pervagatio protestatur, hanc peregrinationem ac parentum absentiam, quam mente potius suscipere debuistis, carne tantummodo sustinetis. *Sepulta* enim hæc omnia ac de cordibus vestris evulsa penitus B jam fuissent, si vel rationem ipsius abrenuntiationis, vel principalem solitudinis causam, in qua consistimus, cœpissetis. Ideoque vos illa otii ægritudine sentio laborare quæ in Proverbiis ita notatur, [c] *In desideriis est omnis otiosus*, et iterum: *Deside-*

procederent, Regula sic præcipiente: *Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.* Idemque suis clericis regularibus præscripsit D. Augustinus in sua Regula his verbis (*Cap.* 28 *et* 29 *Regulæ*): *Nec eant quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo vel tres. Et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit ire debebit.* 4° Pior sorori ita se visendum præbet, ut tamen eam non aspiciat, alienum a monacho judicans vel parentum aspectu oblectari; et oratione facta statim inde discedit: tantum abest ut paternam domum ingressus paululum conquiesceret et vel corpus saltem refocillaret. Porro his addere etiam libet C illud D. Hieronymi scite dictum, et his consentaneum (*Epist.* 1, *ad Heliodorum*): *In patria sua neminem prophetam acceptum* (*Luc.* IV), *nec monachum posse esse perfectum; perfectum autem esse nolle, delinquere est.*

[a] Id est, omnia nobis necessaria suppeditantibus, Vide infra cap. 11 et seq.

[b] Ex his verbis elicitur ratio cur hanc collationem de mortificatione Cassianus inscripserit, quod nimirum de mortificandis affectibus et desideriis, quibus adhuc se teneri et vehementer laborare superius patefecerant, arrepta hac occasione sermonem instituerit abbas Abraham, et hanc eis mortificationem passionum, seu affectuum, præsertim erga parentes, et propinquos carnales, et mundanos, gravi oratione commendarit. De qua mortificatione egregie inter alios tractat Joann. Buzæus societatis Jesu theologus in suo Panario, et vitiorum Antidoto lectissimo et utilissimo; ex quo hæc pauca depromere visum D est lectori commodum. et huic loco necessarium: *Primo*, inquit (*Verbo Immortificatio*), *considera quid sit proprie mortificare passiones animi, et facile intelliges quid sit immortificatio earum. Mortificas siquidem illas, cum perturbationes animi, v. g. iræ, vel odii, simul atque exortæ fuerint domas; cum carnis cupiditatem ad cibum vel potum immoderatum pronæ coerces; cum judicium voluntatemque propriam sponte subjicis alienæ. Nam sicut homo occisus, vel mortuus, etiamsi contumeliis laudibusve afficiatur, nullum mœroris vel gaudii judicium præbet; ita homo vere mortificatus, etiamsi multis incommodis injuriisve afficiatur, nullum signum iræ vel impatientiæ prodit, immo magnam aliquando ex illis capit voluptatem. Perfectissime autem mortificabis passiones illas, si non modo cupiditates carnis et sensuum coerceas in illicitis, hoc est, in iis quæ lege divina vel humana sunt vetita, sed etiam in licitis; ut si a licitis cibis, potu, somno, lecto, recreatione, aliisque corporis commodis, quod est omnium religiosorum aliorumque Dei servorum proprium, aliquid tibi subtraxeris. De quibus B. Fulgentius in libro de Fide ad Petrum ita scripsit* (*Cap.* 3, 14, 42): *Humiles servi Christi, qui cupiunt* Domino suo sine impedimento absque animi noxia cogitatione servire, conjugia omnino non appetunt, et a carnibus et vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit; non quia peccatum est aut conjugem habere aut vinum carnesve percipere, sed quia mundioris vitæ instituta sectantur, et corpora castigare volunt. Et S. Gregorius in quarto Dialog.* (*Cap.* 11) *agens de sancto quodam presbytero, qui ad tuendam castitatem etiam piis et religiosis feminis aditum ad se negabat: Habent quippe*, inquit, *sancti viri hoc proprium, quo semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindant. Immortificationis itaque morbo laborat qui suis passionibus animi cupiditatibusque carnis, sive in illicitis, sive licitis, facile obsequitur et indulget.* Hæc ille. Cætera, si mihi credit pius lector, apud ipsum viderit, et vidisse non pigebit. Porro de mortificatione affectuum carnalium erga parentes et consanguineos, de qua proprie ac peculiariter agitur in hac collatione, habes insigne exemplum apud Cassianum lib. V Institut. cap. 29, in Machete sene monacho, cui *cum aliquando epistolæ patris ejus ac matris, amicorumque multorum de provincia Ponti transmissæ fuissent, accipiens grandem fasciculum litterarum, diuque apud semetipsum volvens, dixit: Quantarum cogitationum causa erit mihi istarum lectio, quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent! Quantis diebus horum recordatione, qui scripserunt, intentionem pectoris mei a proposita contemplatione revocabunt! et hæc volvens in suo pectore, non solum nullam resolvere epistolam definivit, sed ne ipsum quidem fasciculum resignare: ne scilicet eorum qui scripserant, vel nomina recensendo, vel vultus recordando, a spiritus sui intentione cessaret. Itaque ut eum constrictum acceperat, igni tradidit cremandum: Ite*, inquiens, *cogitationes patriæ, pariter concremamini, nec me ulterius ad ea quæ fugi revocare tentetis.* Hæc ibi.

[c] Citatur eadem sententia ex versione LXX lib. X Instit. cap. 21. Pro qua in Vulgata editione habemus: *Vult, et non vult piger* (*Prov.* XXIII). Ubi D. Hieronymus, vel Beda, apposite ad hunc locum: *Recte pigri*

ria occidunt pigrum (*Proverb.* XXI). Nam et nobis poterant hæc quæ commendastis carnalium commodorum non deesse compendia, si credidissemus ea nostro convenire proposito, aut talem ex illis amœnitatum voluptatibus fructum nobis judicassemus posse conferri, qualis iste est qui de hoc locorum squalore et corporis contritione conquiritur. Nec sumus ita parentum solatio destituti, ut desint qui de suis substantiis sustentare nos gaudeant, nisi nobis illa sententia Salvatoris occurrens, quidquid ad fotum hujus pertinet carnis excluderet, qua dicitur, *Qui non reliquerit* sive oderit *patrem, et matrem, et filios, et fratres, non potest meus esse discipulus Lucæ* XIV). Quod si parentum quoque essemus præsidio destituti, certe vel potentum mundi istius obsequia deesse non possent, qui promptissima largitate necessitatibus nostris cum omni gratiarum actione subministrare gauderent, quorum munificentia sustentati, parandi victus sollicitudine caremus, nisi nos vehementer illa prophetica maledictio deterreret : nam *Maledictus*, inquit, *homo qui ponit spem suam in homine* (*Jerem.* XVII); et, *Nolite confidere in principibus* (*Psal.* CXLV). Potuimus etiam cellulas saltem nostras super Nili fluminis alveum collocantes, aquam habere pro foribus [a], ne eam a quatuor millibus passuum nostris cogeremur deferre cervicibus, nisi nos ad tolerantiam laboris istius indefessos beatus Apostolus reddens, hoc jugiter animaret eloquio : *Unusquisque*, inquiens, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* (I *Cor.* III). Nec ignoramus esse nonnulla in regionibus nostris amœna secreta, in quibus pomorum copia, et hortorum gratia, vel ubertas, necessitatem victus nostri minimo labore corporis expedirent; nisi impingendam nobis illam exprobrationem quæ ad illum in Evangelio directa est divitem, vereremur : *Quia recepisti consolationem tuam in vita tua* (*Lucæ* XVI). [b] Sed despectis illis omnibus et cum universa mundi hujus voluptate contemptis, his tantum squaloribus delectamur, universisque deliciis horrendam solitudinis istius præferimus vastitatem, neque huic arenarum amaritudini quantasvis uberis

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

vocabulo denotatur qui vult regnare cum domino, et non pati cum eo : delectant præmia, cum pollicentur, deterrent certamina cum jubentur. De quo Jacobus ait : Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis (*Jac.* I). *Et filius Sirach : Væ peccatori terram ingredienti duabus viis* (*Eccles.* II).

[a] Ita illi sancti eremitæ et monachi Ægyptii, cum possent vel ad Nili ripas, vel aliis in locis commodioribus sedes figere, ubi e proximo aquam suis usibus necessariam haurirent; tamen macerandi et castigandi corporis studio, loca potius arida, inaquosa et a fluminibus remotiora sibi ad habitandum deligebant, unde aquam longius petere et suis humeris ad suas cellulas aut monasteria deferre cogerentur. Sic Palladius inter alias abbatis Moysis austeritates : *Post hæc*, inquit, *aliam sibi suggessit rationem asperæ vitæ agendæ. Egrediens hic pugil Satanæ* (*varie enim cum eo decertavit*) *noctibus abibat ad cellas monachorum qui se exercendo consenuerant in laboribus, et per se aquam non poterant amplius importare; et accipiens hydrias, eis nescientibus, illas aqua implebat. Habent enim in illis locis aquam certa distantem longitudine; alii quidem ad duos lapides, alii vero ad quinque, alii vero ad dimidium.* Sozomenus idem narrans hæc postrema verba sic exponit (*Lib.* VI *cap.* 29) : *Res erat valde laboriosa; nam locus unde aquam hauriebant ab aliis decem stadia, viginti ab aliis, ab aliis amplius triginta abfuit.* Cassianus denique lib. V Institut. cap. 36 : *Tanta*, inquit, *ipsius aquæ penuria constringuntur, ut tali eam diligentia scrupuloque dispensent, quali nemo frugalissimorum speciem pretiossimi vini conservat et parcit. Tribus namque millibus, vel eo amplius, eam de prædicti fluminis alveo necessariis usibus advehunt; quod tantum intervallum arenosis divisum montibus, laboris difficultate gravissima duplicatur.* Sic ipse. Quantum vero meriti ac mercedis apud Deum hoc labore spontaneo sibi compararint, in Vitis Patrum hoc exemplo declaratur (*Lib.* V *libello* 7) : *Senex quidam sedebat in eremo, qui longe habebat aquam a cella sua per duodecim millia; ubi dum semel iret haurire aquam, defecit, et dixit : Quid necesse est ut hunc laborem patiar? Venio, et habito circa aquam hanc. Et cum hoc dixisset, conversus vidit quemdam sequentem se et numerantem vestigia sua. Interrogavit autem eum, dicens : Quis es tu? Et ille dixit : Angelus Domini sum, et missus sum numerare vestigia tua, et dare tibi mercedem. Quod cum audisset senex, forti animo factus promptior, et adhuc longius posuit cellam suam ab aqua illa.* Hæc ibi.

[b] Sic D. Hieronymus lib. II in Jovinianum (*Cap.* 7), postquam multis ostendit solitudinem contemplationi magis consentaneam et necessariam : *His*, inquit, *rationibus invitati multi philosophorum reliquerunt frequentias urbium, et hortulos suburbanos, ubi ager irriguus et arborum comæ, et susurrus avium, fontis speculum, rivus immurmurans, et multæ oculorum auriumque illecebræ; ne per luxum et abundantiam copiarum animæ fortitudo mollesceret, et ejus pudicitia constupraretur. Inutile quippe est crebro videre per quæ aliquando captus sis, et eorum te experimento committere quibus difficulter careas. Nam et Pythagorei hujuscemodi frequentiam declinantes, in solitudine et desertis locis habitare consueverant. Platonici quoque et Stoici in templorum locis et porticibus versabantur, ut admoniti augustioris habitaculi sanctitate, nihil aliud quam de virtutibus cogitarent. Sed et ipse Plato cum esset dives, et thoros ejus Diogenes lutatis pedibus conculcaret, ut posset vacare philosophiæ, elegit Academitam villam ab urbe procul non solum desertam, sed et pestilentem; ut cura et assiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Quosdam legimus effodisse sibi oculos, ne per eorum visum a contemplatione philosophiæ avocarentur. Unde et Crates ille Thebanus projecto in mare non parvo auri pondere : Abite*, inquit, *pessum, malæ cupiditates : ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Quod si quis existimat et abundantia ciborum, potionumque se perfrui, et vacare posse sapientiæ, hoc est, et versari in deliciis, et deliciarum vitiis non teneri, seipsum decipit; cum enim ab his remoti sæpe capiamur naturæ illecebris, et cogamur ea cupere quorum copiam non habemus, quanto magis si circumdati retibus voluptatum esse nos liberos arbitremur! Sensus noster illud cogitat quod videt, audit, odoratur, gustat, attrectat; et ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur voluptate : quod mens videat, et mens audiat, et quod nec audire quidpiam, nec videre possimus, nisi sensus in ea quæ cernimus et audimus fuerit intentus.* Hæc eleganter et aptissime D. Hieronymus, religiosis omnibus et contemplativis apprime consideranda.

glebæ divitias comparamus, non temporalia hujus corporis lucra, sed æterna spiritus emolumenta sectantes. Parum est enim renuntiasse monachum semel, id est, in primordio conversionis suæ contempsisse præsentia, nisi eis quotidie renuntiare perstiterit. Usque in finem namque hujus vitæ illud nobis dicendum est cum propheta, *Et diem hominis non desideravi, tu scis* (*Jerem.* XVII). Unde et Dominus in Evangelio: *Si quis vult,* inquit, *post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quodie, et sequatur me* (*Lucæ* IX).

CAPUT III.

De qualitate locorum quæ ab anachoretis expeti debeant.

Et idcirco ei qui de interioris hominis puritate pervigilem sollicitudinem gerit, [a] expetenda sunt loca quæ mentem ejus nulla ad culturæ distentionem ubertatis suæ fecunditate sollicitent, nec de cellulæ fixa atque immobili statione perturbent, atque ad aliquod [b] subdivale opus prodire compellant, et ita, velut in apertum effusis cogitationibus, omnem mentis directionem ac subtilissimum certe illius destinationis intuitum per diversa dispergat, quæ a nemine prorsus, quamvis sollicito ac vigilanti, vel caveri poterunt, vel videri, nisi qui animum suum atque corpus jugiter intra parietum septa concluserit; ut ita quis, velut piscator egregius, victum sibi apostolica arte prospiciens in tranquillissimi cordis sui profundo, agmina cogitationum natantia intentus atque immobilis captet; et tamquam de prominenti scopulo curiose profunda prospectans, quas ad se homo attrahere debeat, salutari, quas vero tamquam malos ac noxios pisces negligat ac refutet, sagaci discretione dijudicet.

CAPUT IV.

Quæ a solitariis operationum genera debeant eligi.

In hac ergo unusquisque custodia jugiter perseverans, efficaciter illud implebit, quod per Habacuc prophetam satis evidenter exprimitur: [c] *Super custodiam meam,* inquit, *stabo, et ascendam super petram et speculabor ut videam quid loquatur in me, et quid respondeam ad arguentem me* (*Habacuc* II). Quod quanti laboris ac difficultatis sit, experimentis illorum qui [d] in illa Calami sive Porphyrionis eremo commorantur manifestissime comprobatur. Nam cum longiore solitudinis intervallo ab universis urbibus et habitaculis hominum, quam eremus Scythi, dividantur (septem [e] siquidem vel octo mansionibus vastissimæ solitudinis deserta penetrantes vix ad cellularum suarum secreta perveniunt), tamen quia illi agriculturæ dediti, [f] claustris minime cohibentur, cum ad

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Docet cujusmodi loca solitariis et contemplativis sint deligenda, nempe solitaria et ab hominum frequentatione remota (*Vide Bell. l.* II *de Monachis cap.* 39). Cum enim finis solitariæ vitæ sit contemplatio Dei rerumque cœlestium, ut patet collat. 10, quæ est de fine vitæ anachoreticæ et cœnobiticæ; medium autem ad contemplationem omnium optimum sit habere animum collectum et quietum; certe huic potissimum deservit solitudo, quæ strepitum omnem rerum, quibus animus distrahi possit, procul arcet. Hinc Dominus et Salvator noster oraturus in montes et desertum secedere solebat, teste evangelista (*Luc.* V). Moysi quoque cum Deus loqui vellet, jussit ut solus ascenderet in montis verticem et caliginem intraret (*Exod.* XXIV), nimirum ut nihil videre posset quod animum ejus a Deo avocaret. Immo hoc adeo verum esse scribit. D. Hieronymus ubi supra, ut ea de causa multi philosophi naturæ ductu loca deserta, inculta, immo et corporibus noxia et insalubria sibi ad philosophandum et contemplandum delegerint, et nonnulli etiam oculos sibi effoderint. Et alibi scribit (*In locis Hebr.*) cellulas eremitarum in planis vallium arduis et præruptis montibus vallatarum collocari solitas; *ut quo corpora deprimerentur humilius, eo altius animi attollerentur.* Huc etiam spectat illud Poetæ:

Carmina secessum scribentis et otia quærunt.

Quod de omni studio et theoria dici potest.

[b] Id est, quod sub dio, vel, ut infra exponit, *sub aerea inanitate* fieri debeat. Sic collat. 19 (*Cap.* 1) atrium dixit subdivale, id est, sine tecto, nudoque sub aere.

[c] Vulgata versio: *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam quid dicatur mihi, et quid respondeam ad arguentem me.*

[d] Calamus, sive Porphyrio locus fuit solitudinis in Ægypto, in quo Paulus Eremita habitavit. Meminit ejusdem Cassianus lib. X Institut. cap. 24. Rursus collat. 3 cap. 5, et collat. 7 cap. 26.

[e] Id est, itinere septem vel octo dierum, ut alibi explicatum (*Ad lib.* X *Instit.* c. 24). Sic Athanasius in Vita S. Antonii (*Cap.* 54): *Ad primam,* inquit, *mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum.*

[f] Quo magis agnoscant religiosi claustrales, sui claustri et clausuræ monasticæ antiquitatem et sanctitatem, visum est operæ pretium et nostro instituto perquam consentaneum ex hujus loci occasione nonnulla scitu digna de his annotare. Primum: utuntur Patres Latini (præter Cassianum hoc loco) necnon concilia frequentissime his vocibus claustri et clausuræ in eadem significatione et usu qui nunc est monachorum, e quibus selectiora quædam et ad morum instructionem spectantia breviter attingam. Eugenius, puto, secundus hujus nominis pontifex a Gratiano citatur (16, *q.* 1, *cap. Placuit,* 2): *Placuit nostro communi concilio ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire ausu nefandissimo præsumat. Sit monachus claustro suo contentus,* et cætera inferius citanda. Alexander secundus itidem apud Gratianum (*Ibid., c. Juxta*): *Juxta Chalcedonensis tenorem optimi concilii, monachis ad normam* S. *Benedicti* (*Cap.* 8) *intra claustrum morari præcipimus; vicos, castella, civitates peragrare prohibemus, et a populorum prædicatione omnino cessare decernimus; nisi forte quis de salute animæ suæ sollicitus, ut eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit* (*Vide notata ad collat.* 24, *cap.* 14). Innocentius III, in solemni illo decreto (*Lib.,* III *Decretal. tit.* 10, *Cum ad monasterium,* de statu monachorum: *In oratorio,* inquit, *refectorio et dormitorio continuum semper silentium observetur. In claustro quoque certis horis et locis, secundum antiquam consuetudinem monasterii laudabiliter observatam.* Meminit et Clemens quintus in sua Clementina: *Ne in agro.* Concilium Moguntiacum cap. 20: *Monasterium ita debet constitui, ut omnia necessaria intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis, vel clericis, vel puellis, vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædificia monasteriorum supra dicti, missi (id est,* delegati *vel* visitatores), *et cum eis episcospi*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

per diversa loca prævideant, si apta sint et congruenter sanctæ professioni composita; vel si claustrum firmum habeant, in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica vel regulari. Regula monacharum apud S. Hieronymum (*Cap.* 22) : *In choro ecclesiæ ad divinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, claustro, ac capitulo, omni tempore loqui non deceat, nisi ea ad quæ ordinata sunt loca in laudibus Dei, ut et tempus et locus religionis vestræ prædicent sanctitatem.* S. Eucherius Lugdunensis in quadam homilia ad monachos : *Id professio nostra in claustris a nobis requirit, ut contra proprias concupiscentias et reprobas voluntates, sed et contra omnen animositatem carnalitatis atque acediam jugiter repugnemus; certumque est, quod nisi quotidie hæc implere, universasque passiones et inobedientias quotidie viriliter eradicare conemur, multo pejores in claustro efficimur, quam eramus in sæculo, et fiunt novissima nostra pejora prioribus.* S. Bernard. in sermone quodam (*In festo S. Nicolai, tomo* I) : *Vere claustrum,* inquit, *paradisus est. Hic prata virentia Scripturarum, præterfluens lacrymarum undositas, quas ex purissimis affectibus amor ille cœlestis eliquat; hic sunt arbores erectissimæ, chori sanctorum, nullaque est quæ non multa gaudeat fructus ubertate,* etc. Apud Petrum Venerabilem (*Lib.* I *Mirac. cap.* 13), monachus quidam diabolo ad fugam sub specie cujusdam abbatis sollicitanti ita respondit : *Ego hinc exire nullo modo possum, quia et claustri prærogativa et clausura monasterii prohibet, et fratrum me multitudo circumdat. Tunc diabolus, Nec ego,* inquit, *quamdiu hic fueris, te in aliquo juvare potero. Sed fac qualibet arte ut septa monasterii transgrediaris; quod postquam feceris, ego statim adero,* etc. Item alibi (*Cap.* 17) duplex claustrum in monasterio Cluniacensi fuisse commemorat, majus et minus. Et rursus alio capite (*Cap.* 15), inter officinas monasterii, quas diabolus ingredi non potuit, sua grossitudine, uti videbatur, præpeditus, nominat capitulum (quod in claustro esse solet), deinde refectorium et dormitorium. His accedit Hugo Victorinus (*Tomo* II), cujus est insignis tractatus de claustro animæ, ubi ex occasione refert duodecim abusiones claustri monachalis, quas hic ascribere non alienum ab instituto visum est : *Duodecim,* inquit, *sunt abusiones claustri, quibus tota religionis massa corrumpitur, prælatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, monachus causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, et irreverentia circa altare.* Ita Hugo ad imitationem D. Cypriani martyris, seu cujusvis auctoris, cui ascribitur liber de Duodecim Abusionibus hujus sæculi, ut notat Glossa dictæ Clementinæ : *Ne in agro.* Porro non tantum monachorum, sed et canonicorum seu clericorum regularium claustra in sacris canonibus memorantur, quippe qui instar monachorum communi claustro, communi refectorio et dormitorio uterentur, et tam regulariter viverent, ut eorum vitæ ratio monachali non videretur inferior (*Vide Petr. Damian. l.* I *epist.* 16). Sic enim in concilio Moguntino (*Cap.* 9, *t.* III *Concil., et apud Gratian. dist.* 32), quod sub Carolo Magno habitum est, statutum legitur : *In omnibus, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus, ut canonici clerici canonice vivant, observantes Scripturæ divinæ doctrinam, et documenta SS. Patrum, et nihil sine licentia episcopi sui, vel magistri eorum, incomposite agere præsumant. In unoquoque episcopatu simul manducent et dormiant, in suo claustro maneant : et singulis diebus, mane, prima hora ad lectionem veniant, et audiant quid eis imperetur* (*Vide Joan. Molanum l.* I *de Canon. c.* 13), etc. Eodem pertinet decretum synodi Turonensis (*Cap.* 23) : *Canonici et clerici civitatum qui in episcopiis conversantur, consideravimus ut in claustris habitantes, simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno refectorio reficiantur, quo facilius possint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita et conversatione sua admoneri et doceri.* Synodus item Aquisgranensis (*Cap.* 117) exigit a præposito cleri ut claustra in quibus canonice vivendum est firmis undique circumdet munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus; sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, et cæteræ habitationes usibus fratrum in una societate necessariæ. Postremo his adjungitur apud Gratianum Leonis noni decretum in hæc verba (*Causa* 12, *q.* 1) : *Necessaria res existit, ut juxta ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici ecclesiasticis disciplinis vacent. Itaque omnibus unum sit refectorium, ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad usus clericorum necessariæ.* Hactenus SS. Patres et concilia antiquiora in commendationem claustri et clausuræ monasticæ in medium producti, præter quos plura alia testimonia ex concilio Tridentino et aliunde afferri possent. Ex quibus omnibus manifeste liquet claustrum de quo agimus duobus modis accipi, uno modo pro toto monasterio, ex eo nimirum tempore quo monasteria muris aut maceria cingi et circumcludi cœpere, et clausura monachis indicta; qua de re infra. *Sunt enim claustra ab eo quod claudantur dicta,* ait Isidorus (*Lib.* XV *Etymol. c.* 6). Atque eadem ratione septa monasterii dicuntur, quibus monasterium circumsepitur et vallatur. Altero modo pro parte monasterii, quadrangulari (ut solet) ambitu murorum circumcincta, etiam feminarum accessu prohibita, et peculiari clausuræ ac silentio subjecta, necnon quieti et contemplationi fratrum dicata, quæ ab oratorio, sive templo, et a refectorio et dormitorio distinguitur, ut notum est. Secundo loco non prætereunda videtur Guilielmi Durandi Mimatensis episcopi de claustro ejusque ratione et institutione egregia notatio his verbis concepta : *Claustrum* (*sicut ait Richardus Cremonensis episcopus in Mitrali*) *ab excubiis et custodiis Levitarum circa tabernaculum, vel ab atrio sacerdotum, vel a porticu Salomonis ad templum sumpsit exordium. Præcepit enim Dominus Moysi ne Levitas cum plebeia multitudine numeraret, sed constitueret eos super tabernaculum testimonii ad portandum et custodiendum* (*Durand. in Ration. lib.* I *cap.* 1). *Propter quod Domini præceptum, dum divina peraguntur mysteria, clerici debent in ecclesia stare a laicis segregati. Unde statuit concilium Moguntinum, extra de vit. et honestat. Cleric. c.* 1, *quod pars illa quæ cancellis dividitur ab altari, psallentibus tantum pateat clericis. Porro sicut templum triumphantem designat Ecclesiam, sic claustrum cœlestem significat paradisum, ubi erit cor unum et idem in Dei dilectione et voluntate, ubi omnia communiter possidebuntur; quia quæ quis minus habebit in se, in alio se gaudebit habere, quia Deus erit omnia in omnibus* (I *Cor.* VI). *Ideoque regulares unanimiter in claustro degentes ad servitium Dei surgunt, et sæcularia relinquentes, in omnibus vitam communem ducunt. Diversitas autem officinarum et officiorum in claustro, diversitas est mansionum cum diversitate præmiorum in regno : Quoniam in regno Patris mei mansiones multæ sunt, dicit Dominus* (*Joan.* IV). *Moraliter vero claustrum est animæ contemplatio, ubi se recipit, a turba cogitationum carnalium separatur, et sola cœlestia meditatur. In hoc claustro sunt quatuor latera, scilicet contemptus sui, contemptus mundi, amor Dei, et amor proximi. Unumquodque autem latus suum habet, ordinem columnarum. Contemptus sui habet mentis humiliationem, carnis afflictionem, humilem sermonem, et similia. Basis omnium columnarum est patientia. In hoc claustro diversitas officinarum est diversitas virtutum; capitulum est cordis secretum, refectorium dilectio sanctæ meditationis, cellarium sacra Scriptura, dormitorium munda conscientia, oratorium vita immaculata. Hortus arborum et herbarum, congeries virtutum. Puteus aquarum viventium, irrigatio donorum,*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

quæ hic sitim mitigant, et in futuro penitus exstinguent: Hæc ille vir pius et doctus, et de claustralibus optime meritus, quibus tam præclara de claustro ejusque partibus tradidit documenta; quæ utinam, Deo dante, sectentur. Postremo circa hunc locum annotanda et paucis explicanda occurrunt quæ de clausura regularium Doctor Navarrus latius tradit in præclaro illo Commentario de Regularibus, id est, religiosis inscripto, quorum primum est, *clausuram religionum non naturali aut divino, ut quidem existimant, sed humano et positivo tantum jure esse inductam et indictam.* Non naturali jure, quia nullo præcepto per se noto vel ex notis illato ad id obligantur. Non divino, quia nullum in tota Scriptura exstat præceptum de clausura monasterii; non etiam utroque mixto, tum quia sic nulla umquam esset facultas exeundi, tum quod omnes regulares sic essent pares Carthusianis, et ad æqualem omnes tenerentur clausuram, quod constat esse falsum. Neque obstat quod omnis regularis expresse aut implicite vovet stabilitatem loci, ut expresse habetur in Regula S. Benedicti (*Cap.* 58). Nam aliud est vovere stabilitatem, aliud vovere clausuram sive inclusionem. Stabilitas enim nihil aliud significat quam perseverantiam in suâ professione et statu religionis sub obedientia superioribus debita secundum Regulam; non autem necessario includit clausuram perpetuam, aut promissionem de non exeundo septa monasterii, nisi ex speciali instituto alicujus religionis. Secundum Navarri documentum, *clausuram monasticam, sive religiosam, habuisse originem ab ipsis primis monachis, sive anachoretis, ante institutores quatuor principalium Regularum, quæ vulgo dicuntur Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci; postea vero fuisse plenius et expressius præscriptam et roboratam a Nicæna synodo generali,* de qua Eugenius pontifex, c. *Placuit* superius allegato, et a Chalcedonensi, de qua Alexander Secundus in cap. *Juxta*, eadem causa et quæst. apud Gratianum, et a Tarraconensi in cap. *Monachi*, ibidem relato, *quo prohibentur monachi egredi monasterio, etiam pro utilitate ipsius, absque facultate aut jussione abbatis.* Quod autem a primis monachis et anachoretis hujusmodi clausura initium et originem habuerit, etiam ante Regulas SS. Patrum jam dictas, probari potest, 1° ex Philone Judæo (*Lib. de Vita Contempl.*), et Eusebio Cæsariensi (*Lib.* II *Hist. c.* 116), qui de Therapeutis Alexandrinis, sive primis monachis a S. Marco evangelista apud Alexandriam institutis, inter alia commemorant, *singulos, in suis cellulis, sive ædiculis, quas* σεμνεῖα *sive* μοναστήρια *nuncupabant, per dies sex hebdomadæ lectioni et contemplationi assidue vacare solitos, non progredientes foras, immo ne prospicientes quidem; septima autem die* (*hoc est, dominica*) *convenire in cœtum communem, et juxta ætatis ordinem considere decenti habitu,* etc. 2° Ex Regula S. Pachomii (*Art.* 3, 30, 31, 32, 33, 34, 36, 82), quem constat etiam Basilio antiquiorem fuisse, in qua complures de hac monachorum et monialium Tabennensium clausura continentur articuli (quam tamen Regulam non videtur Navarrus inter quatuor principales censuisse, uti nec apud alios canonistas nominatur), præcipue art. 47, ubi dicitur : *Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii procedendi habeat facultatem, nisi interrogaverit præpositum, et ille concesserit.* Et art. 72 : *Nemo exeat foras, nemo loquatur* (supple foris), *nemo remaneat* (foris), *excepto majoris imperio.* Quibus verbis exprimitur verissima clausuræ monasticæ definitio, et descriptio, etiam secundum Navarrum. 3° Ab exemplo Isidori abbatis, et aliorum antiquorum Patrum (*Sozom. lib.* VI *c.* 28; *Pall. cap.* 71). De Isidoro Rufinus (*Lib.* II *de Vitis Patrum c.* 17) : *Vidimus,* inquit, *et apud Thebaidam etiam Isidori nominatissimum monasterium, amplissimis spatiis circumseptum, muroque circumdutum, in quo habitantibus viris larga præbebantur habitacula. Intrinsecus A putei plures, horti irrigui, omnium quoque pomorum arborumque paradisi, et quæcumque necessaria usibus erant, sufficienter immo et abundanter provisa, ob hoc ut nulli monachorum habitantium intrinsecus necessitas ulla fieret exeundi foras ad aliquid requirendum. Senior quidam vir gravis, et de primis electus, ad januam sedens, hoc habebat officii, ut adventantes ea lege suscipiat, qua ingressi ultra non exeant. Si ergo semel ingredi placuerit, stat immobilis lex; sed, quod est admirabilius, ingressos non jam legis necessitas, sed vitæ beatitudo retinet ac perfectio.* Hæc ille copiosius, et accuratius, quam alii idem referentes (*Sozom. l.* VI *cap.* 21, *Nicephor. l.* XI *c.* 34, *Cassiodor. Hist. Tripart. l.* VIII *cap.* 1 *seq.*) 4° Denique, ut alia exempla prætream, satis ex hoc Cassiani loco colligitur etiam apud anachoretas et monachos Ægyptios ex antiquo usu et majorum instituto aliquod genus claustri et clausuræ observatum fuisse, dum ex illis quosdam asserit intra cellulas perpetuo latuisse; alios claustris B hujusmodi minime cohibitos et conclusos fuisse, ut infra magis patebit. Tertium documentum : *hanc clausuram communem, et jure communi statutam, et confirmatam, etiam a Patribus illis quatuor Regularum principalium, aliarumque institutoribus deinceps receptam, approbatam, et propriis sanctionibus et institutis stabilitatem in omnibus religionum ordinibus permansisse, non tamen apud omnes æqualem, sed id quibusdam arctiorem,* ut apud Carthusianos, quorum clausura videtur quidam carcer perpetuus, ut non immerito conferri possit cum monasterio illo pœnitentium qui carcer appellabatur, de quo Joannes Climacus gradu 5 suæ Scalæ. Unde illud Baptistæ *Mantuani* :

> Hinc Carthusiacis æterna silentia claustris;
> In aliis vero minus arcta.

Nam præter illa quæ superius de claustro ejusque antiquitate protulimus testimonia, ut e singulis etiam Regulis id comprobemus, stabilitatem et clausuram monasticam frequenter inculcat et commendat D. Basilius Græcorum monachorum Pater, primum in Regulis fusius disputatis cap. 36, ubi *de iis qui a reliquorum fratrum societate secedunt.* Item cap. 44, ubi *quibus permitti debeat ut domo peregre proficiscantur.* In Regulis Brevioribus, interrog. 120 : *Numquid aliquo discedendum sit, non petita ab antistite venia?* R. Negative, *et hoc esse magnæ elationis, et præsumptionis indicium.* In Constitutionibus Monasticis, cap. 8, cui titulus : *Quod neque frequenter, neque temere extra monasterium exire monachus debet.* Et cap. sequenti, ubi docet devitandos esse monachos illos gyrovagos et vagabundos, qui instabiles identidem locum demutant, et modo ad hos, modo ad illos fratres se conferunt, etc. Eamdem clausuram etiam clericis seu canonicis regularibus a D. Augustino impositam probat Navarrus, quia, inquit, id aperte significat Regula ejusdem Augustini, licet omnium laxissima sit, juxta cap. *Quod Dei timorem,* de stat. monach. tam in principio, dum præsupponit suos canonicos debere constitui in D monasterio, congregari in unum, et esse in una domo; quam appellando octies eorum habitationem monasterium, quam etiam præcipiendo in hæc verba cap. 10 : *Nec eant ad balnea, sive quocumque ire necesse fuerit, minus quam duo, vel tres : et ille qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus præpositus jusserit ire debebit.* Tum per illud ejusdem cap. 8 : *Quando proceditis, simul ambulate; cum veneritis, quo itis, simul state;* tum per illud Hugonis in prædictum cap. 10 bene ait, *cum quibus præpositus ire jusserit ire debebit, scilicet ut a prælato provideatur securitas personæ, et subdito servetur virtus obedientiæ.* Ita Navarrus de Regula sancti Augustini. Porro non minora sunt nec pauciora in Regula sanctissimi Patris nostri Benedicti clausuræ monachalis auctoramenta. Primo quidem, dum stabilitatem in ipsa professione expresse profitendam præscribit (*Cap.* 58) : *Susci-*

hæc squalida in quibus degimus, vel ad illa Scythiotica [a], venerint loca, tantis cogitationum æstibus, tanta animi anxietate vexantur, ut quasi rudes et qui solitudinis exercitia ne leviter quidem aliquando contigerint, commorationem cellæ et quietis silentia tolerare non possint; atque ex eis statim excussi, tamquam expertes et novitii perturbentur. Non enim sedare interioris hominis motus et cogitationum suarum tempestatibus obviare, jugi sollicitudine ac perseveranti intentione didicerunt, qui subdivalibus quotidie operibus desudantes, tota die sub aerea inanitate, non solum corpore, verum etiam mente pervolitant, et cogitationes suas cum mobilitate corporea passim in aperta diffundunt. Et idcirco multivolam animi sui sentiunt vanitatem, nec ejus lubricos possunt coercere discursus; nec contritionem spiritus ferentes, intolerabilem sibi ipsam silentii sui æstimant jugitatem, ac laboriosis ruris operibus indefessi, vincuntur otio, et quietis suæ diuturnitate lassantur.

CAPUT V.

Quod evagatione corporis gravetur magis quam relevetur cordis anxietas.

Nec mirum si in cella quis residens quasi intra arctissimum claustrum, cogitationibus congregatis, anxietatum multitudine suffocetur, quæ de carceribus habitaculi cum homine prorumpentes, continuo velut equi effrenes in diversa pervolitant. Sed cum ad præsens de suis velut stabulis evagentur, capitur statim aliquod vel breve vel triste solatium. Cum vero, corpore ad cellam propriam remeante, rursus quasi ad sedem suam cuncta cogitationum caterva recurrerit, graviores excitat stimulos ipsa inveteratæ licentiæ consuetudo. Hi ergo qui necdum possunt vel nolunt voluntatum suarum instigationibus reluctari, cum, acedia pectus insolitum vehementius impugnante, intra cellam fuerint anxiati, si progrediendi sæpius libertatem sibi remissa districtionis lege concesserint, acriorem adversum se pestem hoc ut putant, remedio suscitabunt, sicut gelidissimæ aquæ haustu vim internarum febrium quidam restinguere posse se credunt, cum utique accindi ex hoc, ignem illum constet potius quam sedari, siquidem momentaneam illam relevationem multo gravior consequetur afflictio.

CAPUT VI.

Quo pacto monachus cogitationes custodire debeat, similitudine demonstrat.

Quamobrem ita monachi omnis intentio in unum semper est defigenda, cunctarumque cogitationum ejus ortus ac circumitus in idipsum, id est, ad memoriam Dei strenue revocandi; velut si quis [b] absidis cameram volens in sublime concludere, subtilis-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

piendus, inquit, *in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, sciens lege constitutum, quod ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulæ*, etc. Quamvis enim clausura in ratione stabilitatis non necessario includatur, ut dictum est, tamen ad eam reducitur, quatenus sub obedientia religiosa continetur, sive quatenus legitime et secundum Regulam imponitur ac præscribitur. Unde D. Bernardus epist. 7 : *Sic te stabilem*, inquit, *in loco exhibeas, ut abbati subjici non contemnas : sic obedias subditus abbati, ut stabilitatem loci non amittas*. Et Turrecrematus in eum locum Regulæ : *Per stabilitatem*, inquit, *astringi intelligitur monachus, quod nullo modo deserat monachatum, nec sine necessitate et superioris auctoritate exeat monasterium*. Secundo, dum de ostiario sive portario monasterii ita sollicite disponit cap. 67 : *Ad portam monasterii ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum et reddere. Qui cellam debet habere juxta portam, ut venientes semper præsentem inveniant*, etc. Tertio, dum ibidem subdit, imitatus haud dubie Isidorum illum, de quo supra : *Monasterium autem, si fieri possit, ita debet construi, ut omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum*. Quarto, dum capite sequenti de fratribus aliquo profecturis agens : *Dirigendi*, inquit, *fratres in viam, omnium fratrum vel abbatis se orationi commendent*. Et infra : *Nec præsumat quisquam aliis referre quæcumque foris monasterium viderit vel audierit, quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subjaceat. Similiter et qui præsumpserit claustra monasterii egredi, vel quocumque ire, vel quidpiam* (*quamvis parum*) *sine jussione abbatis facere*. Eodem spectat et illud, quod c. 51 Regulæ statuitur de fratribus qui non satis longe proficiscuntur : *Fratres, qui pro quovis responso proficiscuntur, et ea die se sperant reverti ad monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omnino a quovis rogentur, nisi forte ab abbate suo eis præcipiatur*, etc. His accedit D. Bernardus D. Benedicti æmulator egregius, cujus est illud præclarum elogium : *Merito comparantur stagnis monasteria, ubi quodammodo incarcerati pisces evagandi non habeant libertatem* (*Serm. de S. Andrea*). Postrema denique Regula S. Francisci ab Honorio III confirmata, et inter approbatas annumerata hanc clausuræ legem et præscriptum non prætermisit, dum etiam prædicandi et ad infideles convertendos exeundi licentiam a ministris et superioribus petendam decernit (*Cap.* 9, 12). Sed hactenus de claustro et clausura monachorum satis dictum videtur. De clausura autem monialium vide Navarrum ubi supra.

[a] Designantur hic tres celebriores eremi sive solitudines ab anachoretis illis frequentatæ, Calamus, alio nomine Porphyrio; Thebais, sive Thebaida; et Sceti, sive Scetica, vel Scythiotica, ut hic vocatur, et in his varia anachoretarum et monachorum instituta et vivendi rationes diversæ. Nam alii intra cellulas suas fere assidui et inclusi, exceptis diebus quibus ad synaxim vel ad Ecclesiam procedendum erat, perpetuum silentium servabant, orationi, meditationi, lectioni et operi manuum statis horis et temporibus privatim vacantes. Alii licet in desertis et abditis locis degentes, tamen non ita stricte et assidue suis claustris et cellulis cohibebantur, ut hic dicitur, quin sæpius etiam ad urbes et alia loca excurrerent, immo et agriculturæ, et colligendis fructibus, ac metendis frugibus suo tempore operam dabant, quo tum sibi, tum aliis, victum pararent, utpote laici plerique, et non aliis functionibus occupati, ut alias dictum est, et patet tum ex hoc loco, tum ex aliis sæpe notatis.

[b] De abside seu apside mihi placet Ciaconii annotatio, quam nec suo honore fraudare velim, nec lectori invidere, additurus tamen si quid præterea aliunde occurrerit. *Absis*, inquit, ἁψὶς *Græce formicem, sive arcum significat. Dio.* : ἁψῖστε τροπαιοφόρος ᾠκοδομήθη, *id est, fornix, sive arcus triumphalis erectus*

simi illius centri lineam jugiter circumducat, ac secundum certissimam normam omnem rotunditatis parilitatem et structuræ colligat disciplinam. Qui vero eam absque illius medietatis examine consummare, quamvis summa artis aut ingenii præsumptione, tentaverit, impossibile est ut æqualitatem circumitus illius sine errore custodiat; aut quantum veræ rotunditatis pulchritudini errando subtraxerit, solo deprehendat aspectu, nisi ad illum indicem veritatis semper recurrens, atque ejus arbitrio interiorem operis sui ambitum exterioremque castigans, tam excelsæ magnitudinis molem unius puncti lege concludat. Ita etiam mens nostra nisi solam Domini charitatem, velut centrum immobiliter fixum, per universa operum molitionumque nostrarum momenta circumagens, probabili (ut ita dixerim) circino charitatis omnium cogitationum vel aptaverit vel repulerit qualitatem, nequaquam structuram illius artificii spiritalis, [a] cujus Paulus est architectus (I *Cor.* III), probabili arte molietur, nec pulchritudinem domus illius possidebit, quam beatus David in corde suo Domino cupiens exhibere, *Domine,* inquit, *dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psalm.* XXV); sed indecoram in corde suo atque indignam Spiritu sancto domum, continuoque lapsuram, imprudenter attollet, non glorificandus beati cohabitatoris hospitio, sed ruina constructionis suæ lugubriter opprimendus.

CAPUT VII.

Interrogatio cur obesse nobis parentum vicina habitatio putaretur, quæ in Ægypto consistentibus non obesset?

Germanus : Satis utili ac necessario præcipitur instituto hoc operum genus quod intra cellam exerceri potest. Etenim non solum exemplo beatitudinis vestræ apostolicarum virtutum imitatione fundata, verum etiam experientiæ nostræ testimoniis commoditas hujus rei nobis sæpe comperta est. Sed parentum vicinia quam nec vos nimium respuistis, cur tantopere a nobis debeat vitari, non satis claret. Cum enim vos in omni perfectionis via irreprehensibiliter incedentes, non solum propriis residere regionibus, sed nec longe a viculis suis quosdam recessisse cernamus; cur id quod vobis noxium non est, nobis putetur adversum?

CAPUT VIII.

Responsio quomodo non omnibus conveniant omnia.

Abraham : Nonnumquam mala ex bonis rebus sumi videmus exempla. Nam si eadem quis agere non eodem affectu atque proposito aut dissimili virtute præsumpserit, profecto exinde laqueum deceptionis et mortis incurrit, unde aliis æternæ vitæ fructus acquiritur. Quod ille quoque manu fortis puer, bellicosissimo illi giganti in certamine comparatus, haud dubie pertulisset, si virilibus [*Lips. in marg.* viribus] atque fortissimis Saulis armis *fuisset* indutus: et quibus ætas robustior innumerabiles catervas hostium prostravisset, hæc indubitatam primævo potuerunt inferre perniciem, nisi prudenti discretione congrua adolescentiæ suæ armorum genera delegisset, et [b] adversus hostem teterrimum non lorica et clypeo, quibus cæteros videbat instructos, sed illis quibus ipse dimicare poterat, telis fuisset armatus (I *Reg.* XVII). Quamobrem mensuram virium suarum convenit unumquemque nostrum diligentius ante pensare, atque ad ejus modulum arripere quam libuerit disciplinam; quia quamvis omnes utiles sint, tamen aptæ cunctis cunctæ *esse non possunt*. Non enim quia bona est ἀναχώρησις, universis eam congruam comprobamus. A multis enim non solum infructuosa, sed etiam perniciosa sentitur. Nec quia institutionem cœnobiorum vel curam fratrum sanctam atque laudabilem merito profitemur, idcirco ab universis eam expetendam esse censemus. Ita etiam xenodochii uberrimus fructus est, sed ab omnibus expeti sine patientiæ non potest detrimento. Proinde primum regionis vestræ atque hujus inter se pensanda sunt instituta; deinde vires *hominum jugi* vel virtutum vel vitiorum assiduitate collectæ, diversa invicem lance trutinandæ. Fieri etenim potest ut quod alterius gentis homini arduum atque impossibile videatur, alii non solum facile, sed etiam

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

fuit. D. Hieronymus in epist. ad Ephes. lib. II : *Numquid cœlorum circulos, quos philosophi sphæras vocant, transiens atque transcendens stetit in summo cœli fornice, et ut ipso verbo utar, apside? Significat etiam testudinem, aut cameram in hemispherii formam constructam. Hesichius namque et Suidas* ἀψῖδας *esse* καμάρας *tradunt. Plinius pro planetarum orbibus aliquoties usurpat lib.* II. *Porro ita Cassianus hoc loco absidis cameram dixit, ut alibi* (*Lib.* V *Inst. cap.* 24, *et collat.* 21 *cap.* 29) *stationem jejunii, cum statio idem sit quod jejunium, ut absis et camera.* Hæc Ciaconius. Isidorus absidam vocat (*Etym. lib.* XV *cap.* 8) : *Absida,* inquit, *Græco sermone, Latine interpretatur lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat. Sed utrum absidam an absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam doctorum existimant.* Cælius Rhodig. lib. XXVIII : *Absidas Græci dicunt, quos Latini arcus surrigi imperatoribus solitos. Sed et pontium fornices eodem censentur nomine.* Onuphrius (*Antiq. Lect. cap.* 10) in interpretatione vocum eccles. : *Absis,* inquit, *sive apsis est curvatura rotæ, id est, lignum super rotas tenens scalas, vel in quo figuntur radii, vel ligneus rotæ* circulus; quo significatu alii *primam aspirant, sic, hapsis ab* ἅπτειν, *id est, a tangendo, quod ea pars, cum rota volvitur, terram contingat. Hoc etiam nomine significatur fornicis curvatura, et aliquando integra fornix. Hinc ecclesiastici scriptores, quam nos ecclesiarum tribunam vocamus, hapsidem vocant.* Ita Onuphrius.

[a] *Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui,* ait Apostolus. Vide S. Thomam in Commentario.

[b] Verba historiæ sacræ (I *Reg.* XVII) : *Induit Saul David vestimentis suis, et imposuit galeam æream super caput ejus, et vestivit eum lorica. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere, non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul : Non possum sic incedere, quia non usum habeo. Et deposuit ea, et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus,* etc. Hoc exemplo, aliisque rationibus et comparationibus pulcherrimis docet hic Auctor non omnia omnibus convenire, et unicuique metiendas suas vires, ne quid temere et inconsulto aggrediatur quod præstare non valeat.

bile est, hoc aliis insita consuetudo quodammodo verterit in naturam : sicut nationes quædam ingenti plagarum diversitate disjunctæ magnam vim frigoris vel ardorem solis absque corporis perferunt tegumento, quæ utique alii illam cœli inclementiam non experti, quantivis roboris fuerint, sustentare non possunt. Ita etiam vos qui summo animi et corporis nisu, in hac regione dumtaxat, quasi naturam patriæ vestræ in multis impugnare conamini, diligenter expendite, utrum in illis torpidis [*Lips. in marg.* turbidis] (ut fama est) regionibus, et velut frigore nimiæ infidelitatis obstrictis, hanc (ut ita dixerim) nuditatem sustentare possitis. Nostris enim istam propositi fortitudinem naturaliter quodammodo indidit sanctæ conversationis antiquitas, quorum si constantiæ atque virtuti pares esse vos cernitis, viciniam parentum fratrumque vestrorum similiter fugere non debetis.

CAPUT IX.

Abbatis Apollo mortificatio.

Ut vero ad certum districtionis examen vestrarum virium quantitatem metiri congrua æstimatione possitis, cujusdam vobis senis, id est, [a] abbatis Apollo factum breviter indicabo, ut si vos intimum vestri cordis examen hujus proposito atque virtuti haud inferiores esse censuerit, absque jactura profectus vestri professionisque periculo, patriæ inhabitationem ac parentum viciniam præsumatis : certi quod districtionem humilitatis hujus, quam vobis in hac provincia non solum voluntas, sed etiam necessitas peregrinationis, extorquet, propinquitatis affectus aut locorum oblectatio non possit evincere. Ad hunc igitur quem prædiximus senem, cum germanus suus intempesta nocte venisset, implorans ut, de monasterio suo paulisper egressus, ad evellendum bovem, quem cœno palustri eminus inhærere flebiliter querebatur, ei esset auxilio, quia eum solus nequaquam posset eruere, abbas Apollo pertinaciter obsecranti : A Cur, ait, juniorem fratrem nostrum, quem præteriens propiorem quam me habueras, non rogasti ? Cumque ille, eum mortem olim sepulti fratris oblitum et ex nimia continentiæ ac solitudinis jugitate velut impotem mentis existimans, respondisset : Quemadmodum poteram de sepulcro eum qui ante annos quindecim obiit, invocare ? Abbas Apollo : [b] Ignoras ergo, ait, me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaque jam posse de hujus cellæ sepulcro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia ? quem in tantum Christus ab intentione mortificationis arreptæ vel modicum ad extrahendum bovem tuum non patitur relaxari, ut ne brevissimi quidem momenti inducias pro patris indulserit sepultura (*Luc.* VII), quæ multo B utique celerius, honestius et religiosius fuerat exhibenda. Rimamini itaque nunc arcana pectoris vestri, prudenterque conjicite an talem etiam vos juxta parentes vestros districtionem mentis jugiter retentare possitis. Cumque vos in hac animi mortificatione consimiles eidem senseritis, tum demum scitote parentum fratrumque viciniam vobis quoque similiter noxiam non futuram ; ut scilicet eis, quamvis in proximo constitutis, velut mortuos vos esse credatis, ita ut nec illos vestris foveri solatiis nec vos illorum sinatis obsequiis relaxari.

CAPUT X.

Interrogatio, an obsit monacho si a parentibus necessaria ipsi suggerantur ?

Germanus : Super hoc plane jam nullum ambiguiC tatis locum ulterius reliquisti. Certi etenim sumus tam præsentis hujus habitus vilitatem quam quotidiana hæc [c] nudipedalia in illorum vicinia nullatenus exercere nos posse ; sed ne labore quidem illic simili ea quæ sunt ad victum necessaria, provisuros, sicut hic etiam aquam cervicibus nostris ex tribus millibus exhibere compellimur : nec nostra enim, nec illorum verecundia, hæc nos coram illis agere omnino pa-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De hoc alias dictum (*Collat.* 2 *cap.* 13). Palladius eodem vocabulo utitur, ut indeclinabili : *Vidimus*, inquit, *in solitudine virum, Apollo nomine, qui monasteria habebat super montem ; erat enim Pater monachorum circiter quingentorum, qui erat valde clarus et celebratus in Thebaide, erantque ejus magna opera, et magnas virtutes per eum faciebat Dominus ; et plurima* D *signa, et admirabilia per eum efficiebantur*, etc. Sozomenus de monachis in Thebaide degentibus agens : *In istorum*, inquit, *numero Apollo quoque fuit, qui vixit in Thebaide. Hic cum pubescere inciperet, vitæ monasticæ se dicavit. Qui cum in solitudine ad quadraginta annos vixisset, divino oraculo jussus, speluncam ad radices montis cujusdam locis ab hominibus habitatis vicini occupavit. Qui etiam præ miraculorum multitudine, brevi magnam nominis celebritatem est consecutus, et quamplurimis præfuit monachis. Nam tam utilibus ad vitam disciplinis utebatur, ut multos alliceret*, etc. (*Sozom. l.* VI *cap.* 29, *Niceph. lib.* XI *cap.* 34, *Pallad. in Lausiac. c.* 25).

[b] Celebre dictum etiam in jure canonico : *Monachos mundo mortuos esse* ; præsertim in decreto Eugenii papæ apud Gratianum (1, *q.* 7, *cap. Placuit, et c. Nullus, et* 26, *q.* 1, *c. Placuit, et cap. Sunt nonnulli*), ubi ait : *Monachus sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita monachus sine monasterio. Sedeat itaque solitarius, et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit.* Sed et Cassianus idipsum sub hominis crucifixi similitudine confirmans lib. IV Iustitut. cap. 34 : *Abrenuntiatio*, inquit, *nihil est aliud quam crucis ac mortificationis indicium. Ideoque noveris* (professum monachum alloquitur) *hodierno die te huic mundo, et actibus ejus ac desideriis esse defunctum ; teque, secundum Apostolum, mundo huic esse crucifixum, tibique hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cujus te deinceps sacramento oportet in hac luce versari ; quia jam tu non vivis, sed ille vivit in te qui est crucifixus pro te*, etc. Et c. seq. : *Ita nos*, inquit, *timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse.* Vide Palladium Lausiaca 83, ubi abbas Serapion probavit monialem quamdam non esse vere mortuam mundo, ut ipsa jactabat ; sed mirabili, nescio an imitabili exemplo.

[c] Nudipedalia quid sint vide collat. 17 cap. 20 (*Vide Molanum l. de Picturis c.* 82). Colligitur item ex hoc loco monachos illos nudipedes fuisse, et nudipedalia exercuisse ; qua de re etiam alibi egimus (*Lib.* I *Instit. c.* 10).

tietur. Sane quid proposito nostro oberit, si, illis subministrantibus universa, nos, sollicitudine paranda victus penitus absoluti, lectioni tantum et orationi operam dederimus, ut, isto quo nunc distrahimur labore sublato, spiritalibus tantum studiis intentius excubemus?

CAPUT XI.

Responsio ex D. Antonii sententia desumpta.

Abraham : Non meam contra hoc vobis, sed beati Antonii sententiam proferam, qua ille ita cujusdam fratris, hoc quo dicitis tepore torpentis segnitiem confutavit, ut etiam nodum vestræ propositionis abscinderet : nam cum ad prædictum virum quidam, ut dixi, veniens, anachoreticam disciplinam minime diceret admirandam; majoris pronuntians esse virtutis, si ea quæ perfectionis sunt, inter homines quispiam, quam in eremo positus, exerceret; beatus Antonius ubinam ipse consisteret, percunctatur. Cumque ille se juxta parentes suos habitare dixisset, et eorum præbitione ab omni cura et sollicitudine diurni [*Lips. in marg.* diuturni] operis absolutum, lectioni tantum et orationi, absque illa distentione spiritus indesinenter gloriaretur insistere. Rursum beatus Antonius : Dic, inquit, fili, utrum in eorum damnis vel adversis casibus contristeris, parique etiam modo super eorum prosperitate congaudeas. Ille utriusque rei se participem esse confessus est. Cui senex : Noveris te, inquit, etiam in futuro sæculo eorum sorte censendum, cum quibus in hac vita in lucri detrimentive consortio, vel gaudio vel mœrore concuteris. Nec hac contentus sententia beatus Antonius, majorem insuper campum disputationis ingressus est : Hæc, inquiens, conversatio atque hic tepidissimus status, non hoc solo, quo dixi, te feriunt detrimento (licet id tu ipse non sentias, dicens quodammodo secundum illam Proverbiorum parabolam [*Prov.* XXIII), [a] *Ferierunt me, sed non dolui, et deluserunt me, ego autem nescivi;* vel illud quod dicitur in propheta (*Oseæ* VII), *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit*), quod scilicet diebus singulis mentem tuam pro casuum varietate mutantes, indesinenter ad terrena demergunt; verum etiam quod fructum manuum tuarum, et justa laboris proprii mercede defraudent, non permittentes te horum præbitione suffultum, secundum beati Apostoli regulam, quotidianum tibi victum tuis manibus præparare, quem ille ultima Ephesiorum Ecclesiæ principibus præcepta promulgans, se etiam sanctis Evangelicæ prædicationis studiis occupatum, non solum sibi, verum etiam his qui erant erga ministerium suum necessariis obsequiis præpediti, præbuisse se memorat, dicens : *Ipsi scitis quoniam ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ* Actor. XX. Quod tamen ut se fecisse pro forma nostræ utilitatis ostenderet, alibi ait : *Non otiosi fuimus inter vos, neque gratis panem ab aliquo manducavimus, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus : non quia non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos* (II *Thes.* III).

CAPUT XII.

De utilitate operationis, et otii detrimento.

Et ideo cum etiam nobis parentum præsidia non deessent, tamen hanc cunctis opibus prætulimus nuditatem, et quotidiana corporis alimenta nostris maluimus sudoribus præparare quam *secura parentum* præbitione fulciri, laboriosissimæ huic penuriæ illam quam prædicas otiosam Scripturarum meditationem atque infructuosam lectionis instantiam postponentes; quam procul dubio libentissime sectaremur, si hoc esse utilius vel exemplis suis Apostolica tradidisset auctoritas, vel instituta seniorum salubriter præfinissent. Noveris autem te etiam ex hoc non devius quam illo quo supra diximus affici detrimento : quia cum sis sani corporis ac robusti, stipe sustentaris aliena, quæ juste solis est *debilibus attributa*. Nam utique omne hominum genus absque illo tantum genere monachorum, quod secundum præceptum Apostoli quotidianis manuum suarum laboribus vivit, [b] agapen alienæ operationis exspectat. Unde dicerent simul charitatem facere, pro eo, quod est simul cibum capere : qui loquendi motus etiam Italis aliisque nationibus et linguis usurpatur. Atque hoc modo sumitur agape hoc loco, cum dicitur *agapen alienæ opis, seu operationis exspectare,* quisquis non, secundum Apostoli præceptum (de quo alias [*Lib.* X *Instit.*] dictum est), quotidianis manuum suarum laboribus vivit. Nam idem est, agapen alienæ operationis exspectare, ac stipe aliena sustentari, ut superius dixit : quo quidem modo dicit ipsos etiam reges agape, id est, ope et subsidio aliorum sustentari. Alias vero strictius sumitur agape pro cœnula, seu conviviolo sancto, quod Christiani divites in primitiva Ecclesia, diebus præsertim solemnioribus, ex charitate pauperibus exhibebant : quod et apostolorum cœpisse tempore testatur D. Clemens in epistola ad Jacobum fratrem Domini. Unde et Judas apostolus in sua Canonica, eadem voce usus est : pro qua Latinus interpres reddidit epulas ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν, *in charitatibus vestris* (*Tertul. in Apol.* c. 39), id est, in conviviis quæ pauperibus refocillandis exhibetis. Hoc vero cœnæ seu convivii genus latius describit Tertullianus his verbis : *De solo Christiano-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vide supra collat. 23, cap. 7.

[b] Agape a charitate nomen habet. Ἀγάπη enim Græcis dilectio sive charitas dicitur, a verbo ἀγαπάω, quod est amo, diligo. Sumitur autem hoc vocabulum apud veteres et Christianos scriptores duplici modo, generatim et speciatim : generatim pro charitatis officio seu eleemosyna aut subventione in proximos, præsertim pauperes, impensa, ut apud Tertullianum in lib. ad Martyres : *Ipsam conversationem sæculi et carceris comparemus : si non plus in carcere spiritus acquirit quam caro amittit, immo, et quæ justa sunt, caro non amittit per curam Ecclesiæ et agapen fratrum,* id est, non desunt etiam martyribus in carcere constitutis quæ necessaria sunt ad sustentationem corporis per curam et sollicitudinem Ecclesiæ et agapen fratrum, id est, eleemosynas fidelium. Ita D. Cyprianus lib. III Testimon. cap. 3 : *Agapen,* inquit, *et dilectionem fraternam religiose et firmiter exercendam.* Et abbas Joseph collat. 16, c. 14 : *Hanc charitatem, quæ ἀγάπη dicitur, possibile est omnibus exhibere.* Hinc apud S. Ephrem frequens illa locutio ἀγάπας ποιεῖν. Erat enim phrasis priscorum Christianorum, cum alii alios convivio excipiebant, ut

non solum eos, qui semetipsos, vel parentum facultatibus, vel famulorum laboribus, vel fundorum suorum fructibus gloriantur, sed ipsos etiam reges mundi hujus, agape certum est sustentari. Hoc denique majorum nostrorum definitio habet : Quidquid ad necessitatem quotidiani victus insumitur, quod opere manuum nostrarum effectum partumque non fuerit, ad agapen referri debere sanxerunt, secundum Apostolum, qui otiosis penitus interdicens opem largitatis alienæ, *Qui,* inquit, *non operatur nec manducet* (II *Thess.* III). His beatus Antonius adversus quemdam usus verbis, etiam nos magisterii sui informavit exemplo, ut parentum perniciosissima blandimenta, et omnium qui victui necessariam submistrant agapen, insuper etiam omnem amœnæ habitationis gratiam devitemus; squalentesque naturali amaritudine arenas, et perustas salsa inundatione regiones, nullique ob idipsum hominum juri dominioque subjectas, cunctis mundi hujus opibus præponamus, ut non solum frequentias hominum obtentu inviæ solitudinis declinemus, sed etiam nequaquam nos ad qualiscumque culturæ distintionem uberis soli natura sollicitet, per quam mens ab illa principali observatione cordis distracta, spiritualibus studiis redderetur effeta.

CAPUT XIII.

Abbatis Macarii fabula de tonsoris mercede composita, ad illusiones diaboli cognoscendas.

Nam quod alios quoque salvare vos posse confiditis, et spe majoris lucri an revisendam patriam festinatis, audite etiam super hoc quamdam [a] abbatis Macarii fabulam, jucundissime atque aptissime figuratam, quam et ille cuidam similibus desideriis æstuanti, medicinam opportunissimæ narrationis ingessit. Erat, inquit, in civitate quadam peritissimus tonsor qui, [b] denariis ternis unumquemque detondens, tenuem vilemque mercedem sui operis acquirendo, ex hac eadem quantitate necessaria suo victui quotidie comparabat; centumque denarios, expleta omni corporis cura, marsupio suo diebus singulis inferebat. Sed cum indesinenter hunc conderet quæstum, audivit A in quadam longe posita civitate, singulorum solidorum singulos homines tonsori præbere mercedem. Quo ille comperto, Quamdiu ero, inquit, hac mendicitate contentus, ut trium denariorum stipem cum labore conquiram, cum possim illo pergens ingenti solidorum quæstu divitias congregare? Itaque, sumens artis suæ protinus instrumenta, expensis in sumptu omnibus quæ hic multo tempore collecta servarat, ad urbem illam quæstuosissimam cum summo labore pervenit. Ubi cum, ea qua ingressus est die, secundum id quod compererat, ab unoquoque mercedem sui operis recepisset, ad vesperam se videns grandem solidorum numerum conquisisse, ad macellum lætus intendit, escas refectioni suæ necessarias coempturus. Quas cum cœpisset magno B solidorum pretio comparare, expensis in perexiguo victu universis quos acquisierat solidis, ne unius quidem denarii intulit lucrum. Cumque ita singulis diebus acquisitionem suam vidisset insumi, ut non solum nihil redigeret, sed vix ipsam quotidianæ substantiæ necessitatem posset explere, apud semetipsum recogitans, Revertar, inquit, ad civitatem meam, illumque repetam tenuissimum quæstum, ex quo mihi expleta omni corporis cura, quod ad sustentationem senectutis accresceret, quotidiana exuberantia conferebat. Quod quamvis parvum videretur et tenue, non mediocrem tamen summam jugi pariebat augmento. Quæstuosior quippe mihi fuit ille nummorum quam iste solidorum imaginarius quæstus, ex quo non solum nihil exuberat quod recon- C dam, sed etiam vix ipsa quotidiani victus necessitas sustinetur. Et idcirco rectius nobis est, hunc solitudinis hujus tenuissimum fructum indirupta jugitate sectari, quem nullæ sæculares curæ, nullæ mundanæ distentiones, nulla cenodoxiæ ac vanitatis arrodat elatio, nullæ sollicitudines diurnæ necessitatis imminuant. *Melius est enim modicum justo, super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVI), quam affectare lucra illa majora, quæ etiamsi parata fuerint quæstuosissima conversione multorum, necessitate tamen mundanæ conversationis et quotidianis distentionum diminutionibus absumentur. [c] *Melior* namque *est,*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

rum triclinio retractatur; cœna nostra de nomine rationem suam ostendit : vocatur ἀγάπη id quod penes Græcos dilectio est; quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum : siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate, quid sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non prius discumbiturquam oratio prægustetur. Editurquantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile; ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse; ita fabulantur, ut qui sciant Deum audire, etc. In concilio Gangrensi temporibus Constantini habito adversus hujusmodi agaparum contemptores legitur hoc decretum : *Si quis despicit eos, qui fideliter agapes, id est, convivia pauperibus exhibent et propter honorem Dei convocant fratres, et noluerit communicare hujusmodi vocationibus, anathema sit.* D. Augustinus lib. XX contra Faustum cap. 50 : *Agapes,* inquit, *nostræ pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus.* Porro cum tempore D. Hieponymi nonnullæ viduæ divites jactantiæ potius et ostentationis quam charitatis et pietatis causa hæc facerent, idcirco eas reprehendens Hieronymus in epistola ad Eustochium scribit : *Cum manum egenti porrexerint, buccinant; cum ad agapen vocaverint, præco conducitur.* Ita D. Hieronymus, nimirum alludens ad illud Matthæi VI : *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis.* Verum de his plura apud Baronium videre est tomo primo Annalium (*Anno* 57), ubi docet triplici ex causa solere hujusmodi agapas celebrari : in quarum locum successit, quam hodie mensam pauperum dicimus : quam et alio nomine diaconiam olim nuncupatam fuisse superius annotavimus (*Collat.* 21, *cap.* 1 *et* 8).

[a] De Macariis dictum hactenus.

[b] De denario et solido, quorum hic mentio, vide l. IV Instit. c. 14, et l. V c. 38.

[c] Textus vulgatæ edit : *Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore et affli-*

secundum sententiam Salomonis, *pugillus unus cum requie, quam duo pugilli cum labore et præsumptione spiritus* (*Eccles.* IV). Quibus illusionibus atque dispen- A diis omnes admodum infirmos necesse est implicari qui cum etiam de sua salute sint dubii, ipsique adhuc magisterio atque institutione egeant aliena, [a] ad

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

ctione animi. Cui simile illud Proverb. XVI : *Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate.*

[a] Respicit illud, quod superius (*Cap.* 1) dixerat Germanus : *Insuper etiam spe inanium gaudiorum animum pascebamus, credentes fructum nos maximum percepturos de conversione multorum, qui velut nostro essent ad viam salutis exemplo, ac monitis dirigendi.* Quam hic abbas vocat illusionem diabolicam, et merito. Nam et D. Bernardus serm. 64 in Cantica ad illa verba, *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineam* (*Cantic.* II), docet hanc periculosissimam esse tentationem, quæ instar vulpeculæ monachos, alioqui proficientes, subinde decipit et spiritualem eorum profectum demolitur et evertit, quam his verbis egregie depingit : *Jam vero proficientium sanctioribus studiis minime quidem se opponere contrariæ virtutes* (id est, dæmones) *aperte audent, sed solent ex occulto insidiari, quasi quædam fraudulentæ vulpeculæ ; specie quidem virtutes, re autem vitia. Quantos,* B *verbi gratia, ingressos vias vitæ, progressos ad meliora, super semitas justitiæ bene secureque proficiscentes et proficientes, fraude* (*proh dolor !*) *vulpium harum turpiter supplantatos expertus sum, et sero in se virtutum suffocatos plangere fructus ! Vidi ego hominem currentem bene : ecce cogitatio : (quidni vulpecula fuit ?) Quantum, inquit, bonum, quo solus fruor ! Si essem in patria, possem utique impartiri fratribus, et cognatis, notis et amicis. Amant me, et facile acquiescerent suadenti. Utquid perditio hæc ? Vado illuc, et salvo multos ex illis, et me pariter. Nec verendum in loci mutatione. Etenim dum bene faciam, quid interest ubi ? nisi quod illic procul dubio satius, ubi fructuosius degam ? Quid plura ? It, et perit miser, non tam exsul ad patriam, quam canis reversus ad vomitum. Et se perdidit infelix, et suorum acquisivit neminem. En una vulpecula, ista videlicet frustratoria spes, quam habuit in acquisitione suorum. Potes tu quoque per teipsum in teipso alias atque alias similes huic invenire seu advertere, si non* C *negligas ; vis tamen ut unam adhuc ostendam tibi ? Interdum bene proficientis cujuspiam cum sibi profusius aliquid supernæ gratiæ senserit irrorari, subit animum desiderium prædicandi, non quidem ad parentes et propinquos, juxta illud : Continuo non acquievi carni et sanguini* (*Galat.* I). *Sed quasi purius, fructuosius, fortiusque, passim ad extraneos et ad omnes. Caute omnino. Sane timet propheticum incurrere maledictum : Si quæ abscondito accepit frumenta, abscondat in populis* (*Proverb.* IX) ; *et contra Evangelium facere : Nisi quæ in aure audivit, prædicaverit super tecta* (*Matth.* X). *Vulpes est, atque illa priore eo nocivior, quo occultior veniens. Sed capio tibi eam. Primus Moyses dicit : Non arabis in primogenito bovis* (*Deuter.* XV). *Hoc Paulus interpretans : Non Neophytum, inquit, ne in superbiam elatus incidat in judicium diaboli* (I *Tim.* III). *Et rursum : Nec quisquam, inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (*Hebr.* V). *Item ipse : Quomodo prædicabunt, inquit, nisi mittantur* (*Rom.* X) ? *Et scimus monachi officium esse non* D *docere, sed lugere. Ex his similibusque collectis mihi texo rete, et capio vulpem, ne demoliatur vineam. Ex his nempe claret et certum est, quod publice prædicare, nec monacho convenit, nec novitio expedit, nec non misso licet. Porro contra hæc tria venire, quanta conscientiæ demolitio est ! Ergo quidquid tale animo suggeratur, sive sit illud tua cogitatio, sive immissio per Angelum malum, dolosam agnosce vulpeculam, id est, malum sub specie boni.* Hæc D. Bernardus. Quibus consentanea videre est apud Cassianum lib. XI Instit. c. 14 et 15, ubi de vitio cenodoxiæ agitur, quo monachi subinde ad prædicandum instigantur. Quibus accedit illa D. Hieronymi vulgata sententia quam et D. Bernardus spectavit : *Monachus non doctoris, sed plangentis habet officium, ut vel se, vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum* (*Apud Gratian.* 16, *q.* 1). Cæterum hæc omnia non eo dicta sunt, neque sic accipienda, quasi monachis vel illicitum sit, vel ab eorum instituto alienum (modo rite ac legitime suscipiatur et exerceatur), sanctæ prædicationis officium. Nam ut recte Gratianus ad hæc et similia SS. Patrum testimonia respondet, vel loquuntur Patres de monachis qui non erant clerici, sed laici, ut sæpe dictum est, quibus jure interdicitur prædicare ; vel distinguunt inter clericos et monachos ratione proprii officii, et status cujusque, et *ostendunt quid cuique ex proprio officio conveniat. Aliud enim convenit monacho ex eo quod monachus est, aliud ex eo quod clericus est : ex eo quod monachus est, sua et aliorum peccata deflendi habet officium ; ex eo quod clericus est, docendi et pascendi populum.* Ita Gratianus (*Dist.* 23, *cap. Mulier ; et* 16, *q.* 1, *cap. Adjicimus*). Vel secundum alios prohibent monachos propria auctoritate vel potius temeritate, extra monasteria vagari, prætextu prædicationis aut alterius officii, aut sine auctoritate episcoporum et legitima institutione, vel commissione ecclesiastica, vel alia juris concessione prædicandi munus aut alia ministeria ad curam animarum pertinentia affectare vel usurpare ; vel denique eo spectant, ut docant prædicandi officium monacho non esse appetendum *aut ambiendum*, et non nisi superioris jussione et legitima vocatione seu missione suscipiendum, et tam in ejus susceptione quam exercitio, vulpeculam illam cenodoxiæ summopere cavendam ; cujus proprium est, teste D. Augustino (*Reg. cap.* 4), bonis quibusque operibus, præsertim honorariis et in publico exhibitis, insidiari, ut pereant ; cum alia quæcumque iniquitas in malis operibus exerceatur, ut fiant (*Vide D. Gregor. in Pastor. part.* I, *cap.* 7, *et part.* III, *cap.* 26, *et hom.* 2 *in Ezech.*). Ita D. Bernardus seipsum exponit, cum ait : *Publice prædicare monacho non convenit* (scilicet ratione sui status et monachatus) ; *novitio sive neophyto* (nimirum ætate, doctrina, perfectione) *non expedit* (ob periculum vanæ præsumptionis et cenodoxiæ) ; *nec licet non misso*, id est, non legitime vocato, et ad id muneris instituto (*Bernard. ubi supra*). In quam sententiam multa congerit Gratianus SS. Patrum elogia ac summorum pontificum et conciliorum decreta. E quibus est illud Bonifacii papæ (*Causa* 16, *q.* 1, *c. Sunt nonnulli*), quod Benedictinos præcipue spectat : *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati, asserentes monachos, quia mundo mortui sunt, et Deo vivunt, sacerdotalis officii potestate indignos ; sed omnino labuntur. Neque enim B. Benedictus, monachorum præceptor almificus, hujus rei aliquo modo fuit interdictor ; sed eos sæcularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem apostolicis documentis et SS. Patrum institutis non solum monachis, sed etiam canonicis maximopere imperatur. Nos vero tantorum Patrum exemplis edocti credimus a sacerdotibus monachis ligandi solvendique officium, Deo operante, digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari.* Hæc Pontifex. Ex quibus concludit D. Thomas (2-2, *q.* 187, *art.* 1) non licere monachis et aliis religiosis, ratione sui status, prædicare, docere, baptizare, absolvere et alia hujusmodi facere : *quia*, inquit, *status religionis non dat eis potestatem ista faciendi : posse tamen ista facere, si ordinem recipiant et jurisdictionem ordinariam, vel ex commissione aut privilegio*, quale concessum est ordinibus mendicantium, quoad confessiones et prædicationem.

convertendos alios et regendos, diabolicis illusionibus instigantur; quique etiamsi potuerint lucri aliquid ex quorumdam conversione conquirere, impatientia sua atque inconditis moribus quidquid acquisierint perdunt. Illud namque eis quod Aggæus propheta describit, eveniet : *Et qui mercedes congregat, mittet eas in sacculum pertusum* (*Aggæi* I). Vere enim lucra sua in pertusum sacculum condit, qui quidquid per aliorum conversionem videtur acquirere, intemperantia cordis sui, et quotidiana animi distentione disperdit. Itaque fiet, ut dum uberiora lucra per aliorum credunt institutionem parare se posse, etiam sua correctione priventur. [a] Sunt enim qui se divites ferunt, nihil habentes, et sunt qui se humiliant in multis divitiis (*Prov.* XIII), et [b] Melior est vir in ignobilitate serviens sibi, quam qui dignitatem sibi acquirit, et indiget pane (*Prov.* XII).

CAPUT XIV.

Interrogatio, unde nobis talium cogitationum error irrepserit?

Germanus : Satis congrue nobis comparationibus disputatio tua cogitationum nostrarum manifestavit errores, quorum causas et curationes similiter optamus agnoscere; et unde acciderit nobis ista deceptio, pariter cupimus edoceri. Nulli etenim dubium est neminem admodum posse remedia malis valetudinibus adhibere, nisi eum qui ipsas morborum origines ante prædixerit.

CAPUT XV.

Responsio de tripartito animæ motu.

Abraham : Omnium vitiorum unus fons atque principium est; secundum qualitatem vero partis illius, et (ut ita dixerim) membri quod in animo fuerit vitiatum, diversa vocabula passionum corruptionumque sortitur. Quod nonnumquam etiam morborum corporalium probatur exemplo, quorum cum una sit causa, in diversa tamen ægritudinum genera pro qualitate membrorum quæ fuerint occupata, distinguitur. Etenim cum arcem corporis, id est, caput, vis noxii humoris obsederit, [c] cephalalgiæ procreat passionem; cum vero aures oculosve pervaserit, [d] in otalgicum, sive in ophthalmicum vertitur morbum : cum se in articulos quosque ad manuum summa transfuderit, articularis atque [e] chiragrica dicitur valetudo : cum autem ad pedum ima defluxerit, [f] podagra mutato nomine nuncupatur : totque vocabulis una atque eadem noxii humoris origo distinguitur, quot membrorum ceperit portiones. Eodem modo de visibilibus ad invisibilia transeuntes, animæ nostræ partibus, atque (ut ita dixerim) membris vim cujusque vitii inesse credamus. Quam cum sapientissimi quique [g] tripartitæ definiant esse virtutis, necesse est ut aut [h] λογικόν,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Vulgata editio : *Est quasi dives, cum nihil habeat; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.*

[b] Textus vulg. : *Melior est pauper et sufficiens sibi, quam gloriosus et indigens pane.* Quod sic exponit Beda : *Melior est idiota, et simplex idiota, qui, bona quæ novit operans, vitam meritur in cœlis, quam qui, clarus eruditione Scripturarum vel etiam doctoris functus officio, indiget pane dilectionis, id est charitate.*

[c] Cephalalgia dolor capitis est : κεφαλὴ enim caput dicitur; ἀλγέω, doleo. Aristoteles in Problematibus : κεφαλαλγία, τὸ κεφαλῆς ἄλγημα.

[d] *In otalgicum,* ex Vaticanis restituit Ciaconius, in editione etiam Plantiniana omissum, quod et ratio et textus exigebant, et Dionysius etiam non omisit, cum de auribus oculisque facta esset mentio. Nam otalgicus morbus ad aures, ophthalmicus ad oculos spectat. Est enim otalgicus morbus, qui auribus dolorem affert. Nam ὦτα aures sunt; ἀλγέω doleo : inde ὠταλγικός. Ophthalmicus vero, morbus, seu dolor oculorum.

[e] Chiragra dolor manuum, qui et morbus articularis dicitur, quod manum articulos infestet. Unde chirager vel chiragricus, qui chiragram patitur.

[f] Morbus pedum satis notus, senes aut divites et otiosos præcipue infestans, et curatione admodum difficilis. Unde Ovidius II de Ponto :

Solvere nodosam nescit medicina podagram.

Podagra, inquit Plinius (*Lib.* XXVI *c.* 10), *morbus peregrinus est. Num si Italiæ fuisset antiquitus, Latinum nomen invenisset. Non enim Roma, cum sudando, et laborando, et vires exercendo, homines vivebant, hoc malum cognovit* (*Vide Cassiodor. Var. l.* X *epist.* 29; *et Sidon. l.* III *epist.* 13, *et l.* X *epist.* 29). D. etiam Hieronymus in morbis et incommodis senectutis podagram recenset (*Proœm. lib.* II *Com. in Amos*), ut Aristot. lib. VIII Animal. cap. 22.

[g] *Pythagoras,* teste Suida, *hominis animam in tres partes dividi dixit,* νοῦν, φρενάς, καὶ θυμόν. Plato in Timæo duas animæ facultates rationis expertes, hoc est, iram et cupiditatem bigæ comparabat; rationem autem aurigæ. Aristotelem secuti veteres theologi Gregorius Nyssenus, et Joannes Damascenus, et secundum eos S. Thomas, præter rationalem et superiorem animæ partem, quæ ratione et voluntate constat, duplicem in homine ponunt appetitum : alterum quem vocant concupiscibilem, alterum irascibilem (*Arist.* I *Polit., Greg. Nyss. lib.* IV *Philos. c.* 81, *Damasc. lib.* II *Fide orthod. c.* 12, *S. Thom.* I *part. q.* 81 *art.* 2 *et* 3). Qui quidem etsi homini cum brutis communes sint, multum tamen differunt in homine et in brutis. Siquidem in homine etsi per se rationales non sint, rationi tamen obtemperant, et ab ea regi possunt et debent, non quidem despotico, ut illi loquuntur, et absoluto dominatu, sed politico et civili. Quare vitia quæ hic Auctor eisdem tribuit, non tam vitia dicenda sunt, quam naturales quædam passiones aut inclinationes, quibus bene vel male uti possumus, nisi quatenus vel rationi recalcitrant, aut eam ad sua objecta oblique trahunt. Sed de his vide S. Thomam 1-2 q. 22 et seq.

[h] Tripartitam animæ rationalis virtutem seu facultatem Ciaconius Græce in Vaticanis cod. ita inventam reposuit. Quem libenter secuti sumus, atque eo libentius quod D. Hieronymus easdem facultates seu potentias (addita tamen quarta) iisdem vocabulis Græcis expressas reliquerit, dum inter alias expositiones quatuor animalium apud Ezechielem (*Cap.* I) a diversis auctoribus traditas, hanc etiam refert. *Plerique juxta Platonem rationale animæ et irascitivum et concupiscitivum, quod ille* λογικόν *et* θυμικόν *et* ἐπιθυμητικόν *vocat, ad hominem et leonem ac vitulum referunt; rationem, et cognitionem, et mentem, et consilium, eamdemque virtutem atque sapientiam in cerebri arce ponentes : feritatem vero, et iracundiam atque violentiam in leone, quæ consistat in felle; porro libidinem, luxuriam et omnium voluptatum cupidinem in jecore, id est, in vitulo, qui terræ operibus inhæreat. Quartamque ponunt, quæ super hæc, et extra hæc tria est, quam Græci vocant* συντήρησιν, *quæ scintilla conscientiæ in*

id est, rationabile, aut θυμικόν, id est, irascibile, aut ἐπιθυμητικόν, id est, concupiscibile ejus, aliquo corrumpatur incursu. Cum ergo aliquem ex his affectibus vis noxiæ obsederit passionis, pro illius causis etiam vitio nomen imponitur. Nam si rationabilem ejus partem vitiorum pestis infecerit, cenodoxiæ, elationis, invidiæ, superbiæ, præsumptionis, contentionis, hæreseos vitia procreabit. Si irascibilem vulneraverit sensum, furorem, impatientiam, tristitiam, acediam, pusillanimitatem, crudelitatem parturiet. Si concupiscibilem corruperit portionem, gastrimargiam, fornicationem, phylargyriam, avaritiam et desideria noxia terrenaque germinabit.

CAPUT XVI.

Corruptam rationalem animæ partem principio curandam esse.

Et idcirco si fontem vitii hujus et originem vultis agnoscere, rationabilem mentis vestræ atque animæ portionem noveritis esse corruptam, ex qua vel præsumptionum, vel cenodoxiæ solent vitia pullulare. Proinde hoc primum animæ vobis (ut ita dixerim) membrum rectæ discretionis judicio et humilitatis virtute curandum est, quo vitiato dum non solum ad perfectionis jam pervenisse fastigia, sed etiam docere alios posse vos creditis, et ad eruditionem cæterorum sufficientes atque idoneos judicatis, per elationem cenodoxiæ quam patefecit vestra confessio pervagationem vanitati [*Lips. in marg.* vanitate] raptamini; quas amputare deinceps absque difficultate poteritis, si veræ discretionis, ut dixi, humilitate fundati, quam laboriosum, quamque difficile sit unicuique nostrum salvare animam suam, mentis vestræ contritione discatis; et intimo cordis affectu, non modo longe vos ab illa docendi præsumptione submotos, verum etiam adhuc egere doctoris agnoscatis auxilio.

CAPUT XVII.

Quod infirmior pars animæ diabolicis tentationibus prima succumbat.

Adhibete ergo [a] huic membro vel parti animæ veræ, quam specialiter diximus vulneratam, veræ humilitatis medelam; quæ quoniam cæteris animæ virtutibus in vobis, quantum apparet, infirmior est, necesse est ut diabolicæ infestationi prima succumbat. Quemadmodum ingruentibus quibusdam injuriis, quæ vel ex accidenti labore, vel de aeris corruptione gignuntur, fieri etiam in corporibus humanis solet, ut illa quæ fuerint infirma, casibus istis prima consentiant atque succumbant; cumque peculiarius in eis morbus insederit, reliquas quoque partes corporis eadem peste tabefaciat : ita et animam uniuscujusque nostrum, flante quodammodo pestilenti halitu vitiorum illa maxime passione necesse est attentari, in qua tenerior atque *infirmior* ejus portio, validis inimici non tam fortiter resistit impulsibus, et ex illis periculum captivitatis incurrere, in quibus faciliori proditioni aditum reserat incauta custodia. Sic namque [b] Balaam populum Dei posse decipi, certa ratione collegit, dans consilium ut ex illa parte qua infirmari noverat filios Israel, perniciosi eis laquei tenderentur, non dubitans eos oblata copia feminarum, fornicationis ruina protinus collapsuros, quia concupiscibiles animæ eorum partes sciebat esse corruptas (*Num.* XXIV *et* XXXI). Ita ergo unumquemque nostrum nequitiæ spiritales versuta malignitate pertentant, illis præcipue affectibus animæ *insidiosos laqueos* perstruentes, quibus eam senserint ægrotare : ut, verbi gratia, cum viderint rationabiles animæ nostræ partes esse vitiatas, illo nos ordine decipere moliuntur, quo Achab regem ab illis Syris deceptum Scriptura commemorat, qui dixerunt : *Scimus quoniam reges Israel misericordes sunt; ponamus itaque saccos in lumbis nostris et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel, et dicemus : Servus tuus Benadab dicit : Vivificetur anima mea.* Quibus ille non vera pietate, sed vana misericordiæ *laude permotus, Si adhuc,* inquit, *vivit, frater meus* est (III Reg. XX). Et hoc exemplo, etiam nos rationabilis illius partis errore deceptos, inde incurrere offensam Dei faciunt,

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Cain quoque pectore, postquam ejectus est de paradiso, non exstinguitur, etc. Ita Hieronymus et Platonicorum doctrina; unde illa vocabula prodiere.

[a] Parti nimirum superiori et rationali, de qua superius (*C. præced.*) dixit : *Rationabilem mentis vestræ, atque animæ portionem noveritis esse corruptam*; vitio scilicet cenodoxiæ et inanis gloriæ, quo ad docendum alios aspirabant.

[b] Balaam propheta avarus, de quo D. Hieronymus in Q. Hebr. (*Super Gen.* c. 22) : *Balaam ille divinus, ut Hebræi tradunt, qui in libro Job dicitur Eliu, primum vir sanctus et prophetes Dei, postea per inobedientiam et desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, divini vocabulo nuncupatur. Hic nempe Balaam a Balaac rege Moab mercede conductus ut Israelitis malediceret, cum contra voluntatem suam, spiritu Dei impellente, eis benedixisset, avaritia nihilominus instigante, hoc regi Balaac consilium dedit, ut pulcherrimas feminas Moabitidas in Israelis castra immitteret; quæ ad lasciviam et idololatriam populum Dei provocarent.* Sic enim fore dicebat ut Deus, populo suo iratus, regi Balaac faveret, et Israelitas perderet. Unde Moyses Num. XXXI vehementer iratus, quod Israelitæ devictis Madianitis feminas servassent incolumes : *Cur,* ait, *feminas reservastis? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam : et prævaricari eos fecerunt in Domino super peccato Phogor, et percussus est populus?* Et Apocal. II angelo, id est, episcopo Pergami inter alia objicitur : *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, et fornicari. Cæterum hoc malignum consilium* ait Augustinus (*Quæst.* 63 *super Num.*), *ut ad illecebram feminæ supponerentur, per quas non solum corporaliter, sed etiam spiritaliter, in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam, Scriptura non dixit : et tamen apparet factum esse, cum hic commemoratur.* Ita Augustinus perquam probabiliter. Cum enim videret Balaam quod Israelitis maledicere non posset, ut saltem aliqua ratione regi Balaac gratificaretur, ei valedicens ait : *Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quod populus tuus populo huic faciat extremo tempore* (*Num.* XXIV). Atqui hoc consilium Moyses ibidem tacuit, quod postea expressit, simile occasione et periculo occurrente.

unde consecuturos mercedem ac recepturos nos pietatis præmia credebamus, similique nobis etiam increpatione dicatur : *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus* (*Ibid.*). Sive cum immundus spiritus dicit, *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus* (III *Reg.* XXII); per rationabilem procul dubio affectum, quem lethalibus apertum norat insidiis, laqueum deceptionis ac mortis intendit. Sic etiam Herodem per irascibilem animæ portionem, ad illam tantorum infantium necem callidissimus hostis impegit, eo quod istam propensius in eo norat esse vitiatam (*Matth.* II). Quod etiam de Domino nostro idem spiritus opinatus, [a] cum in his eum tribus animæ affectibus tentasset, in quibus omne hominum genus noverat captivari, nihil tamem versutis profecit insidiis. Nam concupiscibilem mentis ejus aggressus est partem, dicens : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth.* IV). Irascibilem, cum eum ad expetendam præsentis sæculi potestatem, et regna mundi hujus instigare conatus est. Rationabilem, cum ait : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum* (*Ibid.*). In quibus idcirco nihil ejus profecit illusio, quia nihil secundum conjecturam suam, quam falsa opinatione conceperat, reperit in eo esse vitiatum. Unde etiam nulla pars animæ ejus, inimici insidiis attentata consensit. *Ecce enim,* inquit, *venit princeps mundi hujus, et in me veniet nihil* (*Joan.* XIV).

CAPUT XVIII.

Interrogatio, an utili desiderio secretioris solitudinis [*Al.* desiderio majoris silentii] *retraheremur ad patriam?*

Germanus : Inter cætera illusionum errorumque nostrorum genera, quæ nos ad desiderium patriæ nostræ, sicut beatitudo tua solerti mentis perspicit intuitu, vana spiritalium commodorum pollicitatione flammaverant, etiam hæc vel maxima exstitit causa, quod [*Lips. in marg.* ut] interdum a fratribus frequentati, jugi secreto, ac diuturno silentio, secundum desiderium nostrum nequaquam possimus inhærere. Per quod necesse est cursum atque mensuram quotidianæ continentiæ, quam pro castigatione corporis indiruptam perpetuo cupimus retentare, nonnullis fratribus supervenientibus, intercidi. Quod sine dubio nullatenus in nostra provincia credimus eventurum, in qua aut nullum, aut certe rarissimum professionis hujus virum inveniri possibile est.

CAPUT XIX.

Responsio, quod perfectos viros etiam in remotissimis solitudinibus latentes ab hominibus Deus velit frequentari.

Abraham : Irrationabilis atque inconsideratæ districtionis, immo potius summi teporis indicium est, nequaquam ab hominibus [b] velle frequentari. [c] Qui enim in hac quam arripuit via nimium tardis passibus graditur, ac secundum anteriorem hominem conversatur, æquum est ut ad eum, non dicam sanctorum, sed ne hominum quidem ullus adveniat. Vos autem si vera atque perfecta Domini nostri dilectione flagratis, et Deum qui utique charitas est (I *Joan.* IV), pleno spiritus fervore sectamini, ad quælibet loca inaccessibilia fugeritis, necesse est ea ab hominibus frequentari : quantoque vos propiores Deo amoris divini ardor effecerit, tanto ad vos major sanctorum fratrum confluet multitudo. Non enim potest, secundum sententiam Domini, civitas abscondi supra montem posita : [d] Quia diligentes me, inquit Dominus, glorificabo, qui autem me contemnunt, erunt ignobiles (I *Reg.* II; *Matth.* V). Verumtamen nosse debetis hanc esse subtilissimam diaboli calliditatem, hanc occultissimam foveam, in quam miserabiles et incautos quosque præcipitat, ut dum eis majora promittit, necessaria quotidiani fructus emolumenta subripiat, abstrusiores scilicet et vastiores solitudines expeti debere persuadens, easque velut miris amœnitatibus consitas in eorum corde depingens; ignota etiam quædam, et quæ penitus nusquam sunt loca, velut cognita ac præparata, nostræque potestati jam debita, et absque ulla difficultate possidenda confingit. Homines quoque regionis illius tractabiles et ad viam salutis sequa-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] De his collat. 5 cap. 4 et 6, et rursus collat. 22 cap. 10. Agit de eisdem D. Bernardus serm. 6 in psalmum *Qui habitat.*

[b] *Velle* omnino reponendum duximus ex Dionysii paraphrasi : quo sensus facilior et intellectu promptior redditur. Hæc enim est irrationabilis et indiscreta districtio, et magni teporis, sive tepiditatis potius quam fervoris et perfectionis indicium, cum quis ita suæ quieti et solitudini est addictus, ut neminem videre, a nemine videri velit aut visitari, charitate licet postulante aut suadente, et ne quidem sanctorum fratrum aut religiosorum virorum accessum aut colloquium admittat, ut sunt nonnulli morosi aut nimium scrupulosi.

[c] Locus per se subobscurus, et varia lectione magis obscuratus. Nam alii : *secundum interiorem hominem*, legunt, ubi nullus est sensus (*Ita Ciaconius*). Quomodo enim qui tardis passibus in via salutis graditur, secundum interiorem hominem conversatur? Melius itaque Cuychius ex mss. legendum censuit, *secundum anteriorem hominem*, pro quo Dionysius, *secundum pristinum seu veterem hominem*. Sensus autem est : Qui in hac vita religiosa et austera quam elegit et suscepit, nimis tardis passibus graditur, id est, negligenter et tepide se gerit, parum aut nihil proficit : et secundum anteriorem hominem conversatur, id est, secundum morem pristinæ et mundanæ conversationis vivit, ut illi de quibus D. Hieronymus ait (*Epist.* 14) : *Vidi ego quosdam qui postquam renuntiavere sæculo, vestimentis dumtaxat, et vocis professione, non rebus, nihil de pristina conversatione mutarunt.* Talis, inquam, non meretur non solum a sanctis, sed nec ab aliis hominibus frequentari, quia nemini suo exemplo et colloquio utilis esse potest. Qui autem vera charitate fervet, is omnibus prodesse, omnium saluti consulere, eamque promovere, quantum in se est, desiderat, et ubicumque data occasione procurat : ideoque ab omnibus adiri et frequentari meretur.

[d] Vulgatus textus : *Quicumque glorificabit me, glorificabo eum. Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

ces esse mentitur, ut dum illic uberiores fructus animæ pollicetur, præsentia lucra fraudulenter avertat. Nam cum unusquisque hac vana spe a seniorum salutari contubernio separatus, atque omnibus quæ sibimet frustra in suo corde depinxerat, fuerit destitutus, velut de profundissimo sopore consurgens, nihil ex his quæ somniaverat expergefactus inveniet. Itaque eum diabolus majoribus vitæ hujus necessitatibus et inextricabilibus laqueis irretitum ne respirare quidem ad hæc quæ sibi ipse promiserat, aliquando permittit, eumque non jam illis, quas ante vitaverat, raris ac spiritalibus fratrum visitationibus, sed quotidianis sæcularium incursionibus obligatum, ne ad mediocrem quidem anachoreseos quietem ac disciplinam umquam redire patietur.

CAPUT XX

Quod utilis sit remissio in adventu fratrum.

Illa quoque remissionis atque humanitatis intercapedo gratissima, quæ nonnumquam pro adventu fratrum intervenire consuevit, licet molesta vobis ac fugienda videatur, tamen quam sit utilis ac salubris tam corpori quam spiritui vestro paucis patienter attendite. [a] Sæpe accidit, non dicam novitiis et infirmis, sed etiam experientissimis atque perfectis, ut nisi mentis eorum directio atque censura quibusdam mollita fuerit vicissitudinum laxamentis, aut in teporem spiritus, aut certe in perniciosam corporis valetudinem collabatur. Et idcirco a prudentibus atque perfectis, cum intercesserit etiam fratrum crebra visitatio, non solum toleranda patienter, sed etiam gratanter est amplectenda. Primum quod provocat nos avidius semper solitudinis desiderare secreta; nam quodammodo cursum nostrum dum interpolare creditur, infatigabilem jugemque conservat : qui si nullo interdum obice tardaretur, usque ad finem contendere indefessa pernicitate non posset. Deinde quod necessitatem reficiendi corpusculi *cum fructu* humanitatis indulget, majora nobis conferens lucra cum jucundissimo corporis laxamento, quam illa sunt quæ per abstinentiæ fatigationem fuerant acquirenda. Super qua re aptissimam comparationem antiqua narratione vulgatam breviter indicabo.

CAPUT XXI.

Idem demonstrat D. Joannis evangelistæ auctoritate.

Fertur [b] beatissimus evangelista Joannes cum per-

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Ita Cassianus l. III Instit. c. 11 : *Semper enim æquanimiusquælibet fatigatiosustinetur, et sine fastidio labor impenditur, si interjecta ei vicissitudo quædam, vel operis immutatio qualiscumque succedat.* Et infra cap. 21 : *Parva brevisque laxatio, nisi remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum relevet ac relaxet, irremisso rigore lentescens, virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit.* His plane consonant et alii Patres. D. Ambrosius, severus alioqui morum censor, l. III de Virginitate : *Quod prolixe,* inquit, *facere vis, aliquando ne feceris.* Additque imitandos agricolas, qui nec uno semine agrum suum semper conserunt; et aliquando etiam, ut feracior evadat, sinunt quiescere. Augustinus l. II de Musica (*Cap.* 4) : *Volo,* ait, *tandem tibi parcas, et apertum ire per auras animum permittas; nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam.* Gregorius XXVIII Moralium (*Cap.* 10) : *Plerumque virtus cum indiscrete tenetur, amittitur; cumque discrete intermittitur, plus tenetur. Nec mirum si in incorporeis id intelligimus, quod agi et in corporeis videmus. Ex studio namque arcus distenditur, ut in suo tempore cum utilitate tendatur. Qui si otium relaxationis non accipit, feriendi virtutem ipso usu tensionis perdit. Sic aliquando in exercitatione virtus cum per discretionem prætermittitur, reservantur, ut tanto post vitia valenter feriat, quanto a percussione interim prudenter cessat.*

[b] Mirum quod de hac historia seu apophthegmate Baronius et alii antiquiores historici (*Metaphrastes, Abdias, Prochorus, Bar. t.* I *et* II *Ann. Euseb. lib.* III *cap.* 13), cum de Joanne evangelista scribunt, ne verbum quidem faciunt. Sed quod magis mireris, lector, cum idem Baronius historiam illam sive fabulam, non fabulam, id est, non inanem aut falsam fabulam, sed veram de juvene perdito per Joannem ad pœnitentiam revocato historiam referat sub anno Christi 98, post Joan. item Chrysostomi testimonium de eadem historia productum, continuo subjicit : *Citat eamdem historiam Cassianus, et alii plures,* ubi in margine annotatur hic locus Cassiani collat. 24 cap. 21, quasi eadem sit historia in hoc cap. a Cassiano relata cum illa quæ nihil habet simile, nec hujus loci argumento ullatenus convenit. Ita hic bonus dormitavit Homerus, alteram pro altera historiam usurpans; ut mirum non sit tanto scriptore longe inferiores aliquando dormitare. At ecce tibi, lector benevole, hanc ipsam historiam a fratre meo chariss. P. Angelino Gazæo societ. Jesu presbytero, inter alia sua vere pia, vere hilaria, eleganti carmine nuper expressam et editam, quam et ipsius dignæ memoriæ, et tuæ pariter voluptatis et exhilarationis a rebus adeo seriis et gravibus hactenus decursis percommodæ gratiæ hic attexere visum est operæ pretium. Sic igitur ipse, non alium quam Cassianum secutus auctorem

Quod agere diu vis, id aliquando non agas.
Enervis animus reptat in negotia,
Nisi a sodale fulciatur otio.
Interque danda sunt jocosa seriis,
Sed honesta, sed decora. Multo est optima
Intercapedo, qua laborem post quies
Et post quietem fit reciprocus labos.
Id ore clarum, id opere festivum dedit
Evangelista, pectoris promus sacri,
Cui totus innatarat, accubuus Deo.
Dum regeret Epheson præsul, alita huic domi,
Cicur a tenellis unguibus perdix fuit;
Ubi se negotiis explicarat grandibus,
Leniter adulans evocatæ, nunc cibo,
Nunc ille potum porrigebat aliti,
Tergique leniebat æquor plumeum.
Si somnus olli adreperet, caldo in sinu
Sinebat indormire pacatissimam.

Et nonnullis interpositis, quæ ad leporem et venustatem poeticam magis quam ad historiam spectant :

Fors ergo de volucre Joannes bona
Meridianas exigebat ferias,
Quando leviculus quispiam e silva recens
Venator astat, fœdus etiam tum luto;
Spinosus illi ramus ora pinxerat
Vibice multa; pendulus tergo lepus,
Et pharetra lateri est, gestat arcum dextera,
Cui jam remissis cornibus, nervus velut
Dormire jussus, liber a crenis fuit.
Erat ille dudum Zebedæidem Patrem
Avidus tueri, et, si liceret, alloqui.
Videt ergo, quod videre non adeo juvat,
Et turpe ringens, instar iratæ suis,
Quid video? mox inclamat : Id famæ virum!
Id sanctitatis! cum volucre! venimus
Illius ergo? tam facile perit seni
Senique tanto non reversurus dies?
Neque pluris ille tempus aureum facit?

dicem manibus molliter demulceret, quemdam ad se habitu venatorio venientem subito conspexisse. Qui miratus quod vir tantæ opinionis ac famæ ad tam parva et humilia se oblectamenta submitteret : Tune es, inquit, ille Joannes, cujus fama insignis atque celeberrima, me quoque summo desiderio tuæ agnitionis illexit? Cur ergo oblectamentis tam vilibus occuparis? Cui beatus Joannes : Quid est quod manus tua gestat? At ille : Arcus, inquit. Et cur, ait, A non eum tensum ubique semper circumfers? Cui ille respondit :[a] Non oportet, ne jugi curvamine rigoris fortitudo laxata mollescat atque depereat; et cum oportuerit ut fortiora in aliquam feram spicula dirigantur, rigore per nimietatem continuæ tensionis amisso, violentior ictus non possit emitti. Nec nostri, inquit beatus Joannes, animi te offendat, o juvenis, tam parva hæc brevisque laxatio; quæ nisi remissione quadam rigorem intentionis suæ interdum

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Compesce, fili, verba (Joannes ait),
Dic, age, solutum dextra cur arcum gerit?
Cur? inquit ille : Luna si jugis foret
Minacis arcus, perbrevi nervus suo
Nervo careret, et vigoris impetu
Egenus iret; nec sagittam mittere,
Nec, quo libido est, destinare fas foret.
Hic divus illum cassibus stringit suis.
Et unde tanta nunc tibi miratio est,
Quod feriantem videris senem, cui
Post alta rerum, et gravia curarum domi
Forisque gesta, mens habet torpescere,
Nisi requietis in sinu vires novas
Haurire liceat, utque cernis, haurio.
Si te volente detur aliquando otium,
Quiesque fessis arcubus, quidni otium
Quiesque fessis artubus detur sua?
Hæc senior : arcu rite doctus e suo
Venator abiit. Usus et res id volunt,
Nervo rigoris irremissi torpidus
Lentescit animus; hinc per auras ludere
Et apertus ire gestit, ut catuli solent,
Vertiginosum qui volutarunt veru
Seu carnis assæ, seu volucrium ferax,
Diu rotantes, et rotati : liberas
Jam nacti habenas et patens pomarium,
Læta per herbam saltitatiuncula
Novos resorbent spiritus, mentem novam.
Quod semper audes agere, semper non ages.

Hucusque frater meus, suis iambis Cassianum aptissime imitatus. Porro S. Thomas hoc exemplo suam conclusionem confirmat (2-2 *q.* 168 *art.* 2), qua docet etiam viris gravibus actiones ludicras interdum convenire. Est enim species quædam modestiæ, quam Philosophus εὐτραπελίαν vocat (Latine jucunditatem dicere possumus), quæ ludis et jocis rationis modum imponit; sive quæ in ludicris decorum servat. Unde εὐτράπελος dicitur qui dicta et facta quædam opportuno tempore et cum debita moderatione ad animi recreationem convertere novit (*Leonar. Less. de Just. lib.* IV *cap.* 4; *Arist.* IV *Ethic. cap.* 8). Quod autem etiam viris gravibus et religiosis hujusmodi actiones interdum licitæ sint, probat S. Thomas, quia *sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continue laborare, propterea quod habeat finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur; ita etiam est ex parte animæ, cujus etiam est* D *virtus finita, ad determinatas operationes proportionata. Sicut autem fatigatio corporis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quod fatigatio animalis solvatur per animæ quietem. Quies autem animæ est delectatio : et ideo remedium contra fatigationem animalem adhibetur per aliquam delectationem intermissa intentione ad insistendum studio rationis. Sicut in collationibus Patrum legitur, quod B. Joannes evangelista, cum quidam scandalizarentur quod eum cum discipulis suis ludentem invenerant, dicitur mandasse uni eorum qui arcum gerebat ut sagittam traheret. Quod cum pluries fecisset, quæsivit utrum hoc continue facere posset? qui respondit quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde B. Joannes subintulit quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam a sua intentione relaxaretur. Hujusmodi autem dicta, vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animæ, vocantur ludicra, vel jocosa. Et ideo necesse est talibus interdum uti, quasi ad quamdum animæ quietem. Et hoc est quod Philosophus dicit in quarto Ethicorum, quod in hujus vitæ conversatione quædam requies eum ludo habetur.* Sic S. Thomæ hunc Cassiani locum mirifice illustrans, licet paulo aliter illud B. Joan- B nis documentum referat; sed res est eadem. Subdit tamen tres conditiones in hujusmodi jocis et ludis observandas, quæ etiam ad hunc locum elucidandum pertinent. *Prima est ut prædicta delectatio non quæratur in aliquibus actibus aut verbis turpibus vel nocivis. Unde Cicero l.* I *Officiorum : Ut pueris*, inquit, *non omnem licentiam ludendi damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena; sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Deinde explicans quales joci vitandi, addit : *Duplex omnino est jocandi genus, alterum illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. Secunda conditio : ne nimium in ludicra simus profusi, ne totaliter*, inquit, *gravitas animæ resolvatur. Unde Ambrosius lib.* I *Offic. cap.* 20 : *Caveamus ne dum relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam et omnem concentum bonorum operum. Et Cicero : Ipsum genus jocandi non profusum nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet.* Et rursus : *Ludo et* C *joco uti quidem licet, sed sicut somno et quiete, tum cum gravibus seriisque rebus satisfecerimus. Tertia, ut, sicut in omnibus actibus humanis, habeatur ratio circumstantiarum, ut ludus congruat personæ, tempori, et loco, et secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit tempore et homine dignus, ut Tullius dicit ibidem.* Hactenus ex S. Thoma. Porro ejusdem apophthegmatis B. Joannis evangelistæ meminit Hincmarus in Vita S. Remigii apud Surium; eodemque usus est S. Antonius in simili occasione, ut in Vitis Patrum (*Lib.* V *l.* 10) refertur : *Cum enim venissent ad eum fratres quidam, ut de suis phantasiis et visionibus consulerent, supervenit quidam venator, et vidit abbatem gaudentem cum fratribus, et displicuit ei. Volens autem senex ei ostendere quia oportet aliquando condescendere fratribus, dicit ei : Pone sagittam in arcu tuo, et trahe. Et fecit sic. Et dixit : Iterum trahe, et traxit. Et rursus dixit ei : Trahe adhuc, et traxit. Dicit ei venator : Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Dicit ei abbas Antonius : Ita est et in opere Dei, ac* D *plus a mensura tendimus, fratres cito deficiunt. Expedit ergo una et una relaxare rigorem eorum. Hæc audiens venator compunctus est, et multum proficiens in sermone senis discessit, et fratres confirmati reversi sunt in locum suum.* Hæc ibi. Huc pertinet quod de Macario Alexandrino scribit Nicephorus (*Lib.* IX *c.* 14) post alios historicos (*Suidas in Macario*), his verbis : *Macarius Alexandrinus, cum in aliis omnibus par Ægyptio esset, in hoc tantum ab illo variavit, quod in colloquiis hilaris et jucundus, urbanus, salibus utens, juvenes ad studium et exercitationem pietatis adduceret.*

[a] Hinc illud Horatii (*Carm. l.* II) :

. . . . . Neque semper arcum
Tendit Apollo.

Vide superius sententiam D. Gregorii huc maxime spectantem (*In notat. ad cap.* 20).

relevet ac relaxet, irremisso vigore lentescens, virtuti spiritus, cum necessitas poscit, obsecundare non poterit.

CAPUT XXII.

Interrogatio qualiter intelligendum sit quod in Evangelio dicitur, Jugum meum suave, et onus meum leve est.

Germanus : Quoniam nobis illusionum cunctarum remedia contulisti, et diabolicæ quibus quatiebamur insidiæ per doctrinam tuam, Domino donante, detectæ sunt, [a] hoc quoque nobis similiter precamur edisseri quod in Evangelio dicitur, *Jugum meum suave, et onus meum leve est* (*Matth.* XI). Satis enim propheticæ illi sententiæ videtur adversum qua dicitur : *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI). Quippe cum etiam Apostolus dicat, *Omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutionem patientur* (II *Tim.* III). Quidquid autem durum et persecutionibus est refertum, nec leve potest esse nec suave.

CAPUT XXIII.

Responsio cum expositione sententiæ.

Abraham : Verissimam Domini ac Salvatoris nostri esse sententiam experientiæ ipsius facili probabimus documento, si perfectionis viam legitime et secundum voluntatem Christi fuerimus aggressi, et mortificantes omnia desideria nostra ac voluntates noxia abscindentes, non solum nihil residere nobis de mundi hujus substantia siverimus [*Lips. in marg.* noverimus], per quam utique cum libitum fuerit vastandi nos ac dilacerandi potestatem inimicus inveniet, sed etiam nostri ipsius non esse nos dominos senserimus, illud Apostolicum in veritate complentes : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II). Quid enim grave poterit esse, quid durum ei qui jugum Christi tota mente susceperit; qui vera humilitate fundatus, semper ad Dominum respiciens, in omnibus quæ sibi fuerint irrogatæ lætatur injuriis, dicens : *Propter quod complaceo mihi in infirmitatibus, in passionibus, in angustiis pro Christo; cum enim infirmor, tunc potens sum* (II *Cor.* XII)? Quo, inquam, familiaris rei cruciabitur damno, qui, perfecta nuditate gloriosus, voluntarie pro Christo universas hujus mundi respuit facultates, omnesque ejus concupiscentias generaliter arbitratur ut stercora, ut Christum lucrifaciat (*Philip.* III), evangelici illius præcepti meditatione cunctorum dispendiorum æstus despiciens et excludens : *Quid enim prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua* (Matth. XVI)? Super cujus rei privatione tristabitur, qui omnia quæ ab aliis auferri possunt, sua non esse cognoscit, illud invicta virtute proclamans : *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus* (I *Tim.* VI)? Cujus autem inopiæ necessitate ejus superabitur fortitudo, qui peram in via, æs in zona, vestem in tempora habere non novit (*Matth.* X), sed cum Apostolo gloriatur *in jejuniis multis in fame et siti, in frigore et nuditate* (II *Cor.* XII)? Quis labor, quodve tam arduum senioris præceptum, tranquillitatem pectoris ejus poterit perturbare, *qui nullam* habens propriam voluntatem, omnibus quæ sibi fuerint imperata, non solum patienter, sed etiam gratanter occurrit, nostrique Salvatoris exemplo non quærit suam, sed Patris facere voluntatem, dicens et ipse ad Patrem suum : *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI)? Quibus etiam injuriis, qua persecutione terrebitur, immo quod ei non etiam jucundum potest esse supplicium, qui in

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Eamdem quæstionem et difficultatem movent, aut certe insinuant, eamque varie solvunt et explicant Patres. D. Hieronymus ad illum locum Matthæi XI : *Jugum enim meum suave est*, etc. D. Augustinus serm. 9 de Verbis Domini : *Mirum*, ait, *quibusdam videtur, fratres charissimi, cum audiunt Dominum dicentem : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI); *Tollite jugum meum super vos*, etc.; *et considerant eos qui jugum ipsum intrepida cervice subierunt, et illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari et exerceri difficultatibus hujus sæculi, ut non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad laborem vocati videantur; cum et Apostolus dicat : Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur* (II *Tim.* III). *Ait ergo aliquis : Quomodo jugum leve est, et sarcina levis, quandoquidem illud jugum et sarcinam ferre nihil est aliud quam pie vivere in Christo? Et quomodo dicitur : Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos? Ac non potius dicitur : Venite, qui vacatis, ut laboretis? Nam et vacantes invenit, quos conduxit in vineam, ut ferrent æstum diei.* Et infra respondet : *Sed profecto adest Spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione renovat de die in diem, et gustata requie spirituali in affluentia deliciarum Dei, in spe futuræ beatitudinis, omnia præsentia delinit, aspera et omnia gravia relevat. Secari et uri se homines patiuntur, ut dolores non æterni, sed aliquando diuturniores ulceris acriorum dolorum pretio redimantur. Quibus temperamentibus vel pœnis importuni sunt mercatores, ut divitias venturas acquirant? Sed qui has non amant, eadem gravia patiuntur; qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia patiuntur. Omnia enim sæva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor. Quanto ergo facilius ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit!* Gregorius homil. 17 super Ezechielem : *Si per charitatem pertingitur ad Deum, et per semetipsam Veritas dicit : Intrate per angustam portam* (*Matth.* VI); *et rursum Psalmistam audio dicentem : Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI); *atque in Evangelio Dominus dicit : Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI); *quomodo ergo aut lata charitas, si angusta porta? aut quomodo jugum suave est et onus leve, si in præceptis Dei viæ duræ sunt, quæ custodiuntur? Sed hanc nobis quæstionem citius ipsa Veritas solvit, quia via Dei et inchoantibus angusta est, et perfecte jam viventibus lata. Et dura sunt quæ contra usum spiritaliter animo proponimus; et tamen onus Dei leve est, postquam hoc ferre cœperimus, ita ut pro amore ejus etiam persecutio placeat, et omnis pro eo affectio* [Al. *afflictio*] *in mentis dulcedine veniat : sicut sancti quoque apostoli gaudebant, cum pro Domino flagella tolerabant. Ipsa ergo angusta porta amantibus lata fit; ipsæ viæ duræ spiritaliter currentibus molles et planæ fiunt, dum scit animus se pro temporalibus doloribus gaudia æterna recipere : et hoc incipit, quod affligitur, amare.*

omnibus plagis cum apostolis semper exsultans, optat ut dignus habeatur pro nomine Christi contumeliam pati (*Actor.* v) ?

CAPUT XXIV.

Cur amarum jugum et grave onus Domini sentiatur ?

Ut autem nobis econtrario jugum Christi non leve nec suave videatur, contumaciæ nostræ est justius ascribendum, qui diffidentia atque incredulitate dejecti contra illius imperium, immo consilium, qui ait : *Si vis perfectus esse, vade, vende,* sive dimitte, *omnia tua, et veni, sequere me* (*Matth.* XIX), inepta perversitate pugnamus, terrenarum scilicet facultatum materias retentantes ; quarum cum nexibus animum nostrum diabolus teneat illigatum, quid superest nisi ut cum voluerit nos a spiritalibus gaudiis separare, earumdem imminutione ac privatione mœstificet? Id versutis fraudibus elaborans, ut cum jugi illius suavitas et oneris levitas vitiosæ concupiscentiæ pravitate nobis fuerit aggravata, ipsius facultatis atque substantiæ, quam nobis pro requie ac solatio reservamus, vinculis irretitos, sæcularium curarum flagris semper excruciet, ex nobismetipsis quo dilaceremur exsculpens. [a] *Funiculis* namque *peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Proverb.* v), audiens per prophetam, *Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis* (*Isaiæ* L). *Per hæc* siquidem, ut Salomon testis est, *unusquisque per quæ peccaverit et punietur* (*Sapient.* XI). Ipsæ enim nobis tormento sunt quibus utimur voluptates : et oblectamenta hujus carnis atque deliciæ, carnificum vice in suum retorquentur auctorem : quia necesse est eum qui facultatibus pristinis opibusque suffultus est, nec integram humilitatem cordis, nec mortificationem plenam noxiarum suscipere voluntatum [*Lips. in marg.* voluptatum]. His autem virtutum patrocinantibus instrumentis, omnes vitæ præsentis angustiæ et cuncta quæ inimicus potest inferre dispendia, non modo patientissime, verum etiam jucundissime sustinentur, quibus rursum exsultantibus elatio tam perniciosa succrescit, ut etiam pro levissima contumelia mortiferis impatientiæ ictibus vulneremur, dicaturque nobis per Jeremiam prophetam : *Et nunc quid tibi vis cum via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Et nunc quid tibi vis cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, et aversio tua increpabit te. Scito et vide quam malum et amarum est te dereliquisse Dominum Deum tuum, et non esse timorem meum apud te, dicit Dominus* (*Jerem.* II). Quod ergo jugi Dominici mirifica suavitas amara sentiatur, quid est, nisi quia eum aversionis nostræ amaritudo corrumpit? Quod divini oneris tam jucunda levitas ingravescit, quid est nisi quia eum a quo sustinebamur contumaci præsumptione contemnimus, quippe cum evidenter idipsum Scriptura testetur, dicens : [b] *Nam si ambularent semitas rectas, invenissent utique semitas justitiæ leves* (*Prov.* II, *sec.* LXX). Nos, inquam, nos esse manifestum est, qui semitas Domini rectas ac leves pravis durisque desideriorum cautibus asperamus, qui viam regiam apostolicis ac propheticis silicibus communitam sanctorumque omnium atque ipsius Domini vestigiis complanatam, amentissime deserentes, devia quæque ac dumosa sectamur, et præsentium oblectationum illecebris obcæcati, per obscuros impeditosque vitiorum sentibus calles, laceratis cruribus, et dirupta illa nuptiali veste, reptamus, non modo acutissimis veprium aculeis configendi, sed etiam virulentorum serpentum vel scorpionum illic latentium ictibus vulnerandi. [c] *Tribuli* enim *et laqueit in viis pravis ; qui autem timet Dominum, abstinebitse ab eis* (*Prov.* XXII). De talibus et alibi Dominus per prophetam : *Oblitus est mei,* inquit, *populus meus, frustra libantes et impingentes in viis suis, in semitis sæculi, ut ambularent per eas in itinere non trito* (*Jerem.* XVIII). [d] *Viæ* enim, secundum sententiam Salomonis, *nihil operantium, stratæ sunt spinis, fortium vero tritæ sunt* (*Prov.* XV) ; et ita ab itinere regio deviantes, ad illam metropolim civitatem, ubi noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt pervenire. Quod etiam Ecclesiastes satis significanter expressite, [e] *Labor*, inquiens, *stultorum*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Noster Interpres : *Iniquitates suæ capiunt impium, et funibus peccatorum suorum contringitur.*

[b] Sic restitutus a Ciaconio locus iste, qui vitiosa distinctione antea legebatur : *Nam si ambularent semitas rectas, invenissent utique semitas justitiæ. Leves nos* etc. Nam Græca ita sonant : *Si enim ambularent vias bonas, invenissent utique vias justitiæ leves.* Sed Cassianus pro τριβοὺς ἀγαθὰς, videtur legisse τριβοὺς ὀρθὰς, vel εὐθείας. Ita Ciaconius. Cui suffragatur S. Hieronymus in epistola ad Cælantiam, ubi hunc locum ita respicit et citat : *Invenitur, sicut Scriptura dicit, semita justitiæ levis* (*Prov.* II). Porro in Vulgata editione nihil tale habetur.

[c] Vulgata editio : *Arma et gladii in via perversi ; custos autem animæ suæ longe recedit ab eis* (*Prov.* XXII). Ubi Venerab. Beda : *Dupliciter,* inquit, *hoc intelligendum : quia perversi, armati semper ad nocendum proximis verbo, vel opere scelesto, et ipsos parata semper exspectat ultio divini examinis. Qui vero animam suam in æternum salvari procurat, longe refugit ab hujusmodi armis et gladiis, quia et mentem manumque suam a proximorum læsione refrenat, et ne animadversione districti judicis feriatur, intenta mente præcavet.*

[d] Vulg. textus : *Viæ pigrorum, quasi sepes spinarum ; via justorum absque offendiculo* (*Prov.* XV). *Pigros dicit eos quos piget operari justitiam ; qui cum viam Domini appetunt, eos velut obsistentium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt.* Beda.

[e] Vulg. *Labor stultorum affliget eos qui nesciuntire in civitatem* (*Eccles.* XV). *Lege Platonem,* ait Hieronymus, *Aristotelis revolve versutias, Zenonem et Carneadem diligentius intuere, et probabis verum esse quod dicitur : Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt ; sed quia non habuerunt ducem et prævium itineris, et humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam, ad civitatem minime pervenerunt, de qua in psalmo dicitur : Domine, in civitate tua imaginem ipsorum dissipabis* (*Psalm.* LXXII).

affliget eos qui non cognoverunt ire in civitatem (*Eccle.* XV), *illam* scilicet *Jerusalem cœlestem, quæ est mater omnium nostrum* (*Galat.* IV).

CAPUT XXV.

Quid nobis utilitatis conferant tentationes.

Quisque autem si veritate huic munde renuntians super se tulerit jugum Christi, et didicerit ab eo, quotidianis injuriarum exercitiis eruditus, *quia mitis* est *et humilis corde* (*Matth.* XI), in cunctis tentationibus manebit semper immobilis, *omnia* que illi *cooperabuntur in bonum* (*Rom.* VIII). *Verba* enim Dei, secundum Abdiam prophetam, *bona sunt cum eo qui recte graditur* (*Mich.* II). Et iterum : *Quia rectæ viæ Domini, et justi incedunt in eis, prævaricatores vero corruent in eis* (*Ose.* XIV). Majora igitur nobis per colluctationem tentationum, laudis contulit præmia, benigua B erga nos gratia Salvatoris, quam si omnem a nobis necessitatem certaminis abstulisset. Etenim sublimioris præstantiorisque virtutis est, passionibus ærumnisque vallatum, manere semper immobilem, et, adversum se sævientibus cunctis, certum de præsidio Dei atque intrepidum perdurare ; humanisque incursibus velut armis invictæ virtutis accinctum gloriosissime de impatienta triumphare, et acquirere quodammodo de infirmitate virtutum, quia *virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII). *Ecce enim dedi te,* inquit Dominus, *in columnam ferream, et in murum æreum super omnem terram, regibus Juda, et principibus, et omni populo terræ, et belligerabunt adversum te, et non prævalebunt, quia ego tecum sum, ut eruam te, dicit Dominus* (*Jerem.* I). Ergo secundum C veram Domini traditionem, via regia suavis ac levis est, licet dura et aspera sentiatur. Pie enim ac fideliter servientes, cum tulerint jugum Domini super se, et didicerint ab eo quia mitis est et humilis corde (*Matth.* XI), jam quodammodo terrenarum passionum deponentes sarcinam, non laborem, sed requiem animabus suis Domino præstante reperient, sicut per Jeremiam prophetam ipse testatus est, dicens : *State super vias et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris* (*Jerem.* VI) ; A fient namque eis continuo prava in directa, et aspera in vias planas (*Isaiæ* XL) ; et gustantes videbunt quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII) ; audientesque Christum in Evangelio proclamantem : *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI) ; depositis ponderibus vitiorum, quæ sequuntur intelligent, *Quia jugum meum suave est, et onus meum leve* (*Ibid.*). [a] Habet ergo refrigerium via Domini, si secundum legem ipsius teneatur. Sed nos sumus qui dolores nobis atque tormenta turbulentis distentionibus procuramus, dum malumus vias sæculi hujus pravas atque perversas etiam cum summo discrimine ac difficultate sectari. Cum vero hoc modo grave nobis ac durum *jugum Domini* feceri- B mus blasphemo jam spiritu, vel de ipsius jugi, vel de Christi qui illud imponit, duritia atque asperitate causamur, secundum illud, [b] *Insipientia viri corrumpit vias ejus. Deum autem causatur corde suo.* Et secundum Aggæum prophetam, cum dixerimus, *Quia via Domini non dirigit*, congrue respondetur nobis a Domino : *Numquid via mea non dirigit ? Nonne magis viæ vestræ sunt pravæ* (*Ezech.* XVIII)? Et revera si comparare volueris splendentem virginitatis florem et suave olentem castimoniæ puritatem tetris ac fetidis libidinum volutabris, quietem securitatemque monachorum periculis et ærumnis quibus mundi hujus homines implicantur, paupertatis nostræ requiem edacibus divitum tristitiis ac pervigilibus curis, in quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac C noctibus consumuntur, suavissimum jugum Christi onusque levissimum facillime comprobabis.

CAPUT XXVI.

Quomodo perfecte abrenuntiantibus centuplum in hoc mundo repromittatur.

Proinde etiam illa retributio præmiorum, qua perfecte renuntiantibus in hac vita centuplum Dominus repromisit, dicens : [c] *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum,* [d] *centuplum accipiet in præsenti, et vitam æter-*

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Facilis et brevis solutio illius difficultatis : Quomodo jugum Domini suave et onus leve ? nimirum si secundum ejus legem teneatur et portetur ; grave vero ac difficile, si secus : quod non ex ipsius natura et conditione, sed nostro vitio accidit, ut hic explicatur.

[b] De hac sententia vide collat. 12 cap. 8.

[c] Præclare D. Bernardus de hac Christi promissione : *Hæc sunt verba,* inquit (*In declamat. super : Ecce, nos reliquimus omnia*), *quæ contemptum mundi universo mundo, et voluntariam persuasere hominibus paupertatem. Hæc sunt quæ monachis claustra replent, deserta anachoretis. Hæc, inquam, sunt verba, quæ Ægyptum spoliant, et optima quæque ejus vasa diripiunt ; hic sermo vivus et efficax, convertens animas felici æmulatione sanctitatis et veritatis promissione fideli.*

[d] Duo promisit Christus relinquentibus sua vel suos propter regnum Dei, centuplum videlicet, et vitam æternam. Hæc enim esse diversa, et ad idem non posse referri, ut posterior pars prioris sit exposi- D tio et declaratio, patet ex Marco et Luca (*Marc.* X, *Luc.* XVIII), qui priorem partem significant pertinere ad præsens sæculum, posteriorem vero ad futurum, quemadmodum et hic abbas exponit, quæ tamen distinctio apud Matthæum non habetur. Sic enim Marcus sub duplici negatione eamdem sententiam plenius expressit : *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc, in tempore hoc ; et in sæculo futuro vitam æternam.* Similiter et Lucas, nisi quod pro *centies tantum,* aut *centuplum,* habet *multo plura* ; ut significaret centenarium numerum pro infinito positum esse, quemadmodum numerus finitus sæpe in Scriptura pro indefinito ponitur. Porro centuplum istud duobus modis potest intelligi : 1° in quantitate et numero, 2° in æstimatione et valore ; et utramque expositionem probat et amplectitur hic abbas, et utroque modo centuplum retribuendum iis asserit qui pro Christo suos vel sua reliquerint ; quia non solum meliora, pretiosiora, subli-

nam possidebit (*Matth.* XIX). Recte atque verissime eodem sensu absque ulla fidei perturbatione susci- A pitur. Multi enim occasionem [*Lips. in marg.* occasione] hujus sententiæ nacti crasso intellectu, [a] hæc

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

miora, sed et centies tantum, ut habet Marcus, id est, infinitis partibus plura et numero multiplicata, et usque ad centenarium et amplius aucta, et iisdem in rebus, sint accepturi. Priorem tamen expositionem excludere videtur D. Hieronymus dum in illum Matthæi locum ita scribit : *Ex occasione hujus sententiæ quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes tunc nobis centuplum omnium rerum, quas dimisimus, et vitam æternam esse reddendam; non intelligentes quod si in cæteris digna sit retributio, in uxoribus appareat turpitudo, ut qui unam pro Domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus ergo iste est : Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, spiritualia recipiet; quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur. Unde dicit Apostolus, qui unam tantum domum et unius provinciæ parvos agros dimiserat : Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* (II *Cor.* VI). Ita D. Hieronymus; cujus expositio sic vera est, ut tamen B alteram non excludat. Nam Marcus evangelista dicit non solum centuplum in hoc tempore accepturum qui sua dimiserit, sed etiam explicat quibus in rebus accepturus sit : *Domos,* inquit, *et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros* (*Marc.* X). Quare non male hic abbas Origenem et alios interpretes veteres secutus, interpretatur centuplum in hoc sæculo accepturum, hoc est, pro uno patre, matre, fratre, centum, et sic de cæteris : sive quia charitas inter Christianos omnia quodammodo communia facit, ut hic declaratur; sive quia Christus instar omnium nobis esse debet, idemque pater, mater, frater, et soror, et conjux, et domus, et possessio, et ut nos ipsi, sicut ipsemet docuit, *dum extendens manus in discipulos suos dixit : Ecce mater mea, et fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, et soror, et mater est* (*Matth.* XII). Porro aliam expositionem paulo diversam affert D. Gregorius homilia 18 super Ezechielem in hæc verba : *Per centenarium magna perfectio designatur,* C *sicut de electis dicitur : Omnis qui relinquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Neque enim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit; quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit, sed appetit; nec qui unam uxorem deserit, centum recepturus est; sed per centenarium numerum perfectio designatur : quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, et hic perfectionem mentis recipit, ut jam ea non appetat quæ contemnit, et in sequenti sæculo ad æternæ vitæ gloriam pervenit. Centies itaque recipit quod dedit, qui perfectionis spiritum accipiens, terrenis non indiget, etiam si hæc non habet. Ille autem qui pauper est, eget eo quod non habet. Nam et qui non habens, habere non appetit, dives est. Paupertas quippe in inopia mentis est, non in quantitate possessionis. Nam cui in paupertate bene convenit, non* D *est pauper.* Ita D. Gregorius.

[a] Jam paulo superius audivimus ex Hieronymo olim ex occasione illius sententiæ evangelicæ (ut hic etiam habetur) quosdam introduxisse mille annos post resurrectionem, dicentes, centuplum omnium rerum quas dimiserimus esse reddendum. Verum illam ejus erroris occasionem indicat D. Augustinus (*Lib.* X *de Civit. c.* 7) eis subortam fuisse ex verbis Apocalypsis male intellectis, ubi dicuntur sancti regnaturi cum Christo mille annis post primam resurrectionem (*Apoc.* XX). Ex quibus colligebant illi Christum post resurrectionem corporum rediturum in hunc mundum, et cum sanctis regnaturum hic annos mille, in summa pace et felicitate, et tamquam aureo sæculo, quale a poetis descriptum, aut etiam ab Isaia et Sibylla prædictum; a quo mille annorum commento χιλιασταί, Latine Milliarii, sive Millenarii, sunt appellati. Cujus opinionis auctor fertur Papias Hieropolitanus episcopus, qui vixit temporibus apostolorum. De quo D. Hieronymus in Catalogo (*Catal. Script. Eccles.*) : *Papias* inquit, *dicitur mille annorum Judaicam edidisse* δευτέρωσιν : *quem secuti sunt Irenæus, et Apollinarius, et cæteri qui post resurrectionem aiunt in carne in sanctis Dominum regnaturum. Tertullianus quoque in lib. de Spe fidelium, et Victorinus Pictabronensis, et Lactantius hac opinione ducuntur.* Addit idem Hieronymus Justinum martyrem et Sulpitium Severum in Dialogo, cui Gallo nomen imposuit. Porro Tertulliani verba, quibus hanc sententiam plenius explicat, hæc sunt : *Confitemur in terra nobis regnum repromissum; sed ante cœlum, sed alio statu, utpote post resurrectionem in mille annos, et civitate divini operis Jerusalem cœlo delata, quam et Apostolus matrem nostram sursum designat* (*Galat.* IV). *et* πολίτευμα *nostrum, id est, municipatum in cœlo esse pronuntians* (*Philip.* III) *alicui utique cœlesti civitati eum deputat. Hanc et Ezechiel novit* (*Ezech.* LXVIII), *et Apostolus Joannes vidit* (*Apoc.* XXI). Hæc ille. Fuit autem hæc sententia aliquamdiu ab Ecclesia tolerata ob reverentiam et auctoritatem tantorum virorum, qui et sanctissimi et doctissimi eam tenuerant. Unde D. Hieronymus (*In Isa. c.* LIX, *et in proœmio lib.* XVIII *in Isa., et in Ezech. cap.* XXXVI) quamvis eam ut inanem et fabulosam sæpenumero suggillet et irrideat, immo acriter subinde insectetur; tamen non audere se damnare ait : *Quia multi,* inquit, *ecclesiasticorum virorum et martyrum ista dixerunt; et unusquisque in suo sensu abundet; et Domini cuncta judicio reserventur.* Hæc D. Hieronymus, quo tempore nihil adhuc ab Ecclesia ea de re fuisse definitum apparet. At paulo post cum Apollinaris hæresiarcha hanc de millenario opinionem astruere totisque viribus propugnare conaretur, atque ut dogma catholicum stabilire; mox in eum atque in alios Millenarios zelus Ecclesiæ et SS. Patrum exarsit, ut in hæresim et patronum ejus acrius inveherentur : cum præsertim ille ad eam opinionem alias impietates adjiceret, diceretque homines resurrecturos ad circumcisionem, et sabbata servanda, ut olim, et templum materiale constructuros, et sacrificia Judaica oblaturos; immo et fœdis voluptatibus operam daturos. Unde sub id tempus, sicut cæteræ pravæ opiniones Apollinaris, ita hæc quoque de millenario a Damaso Papa, teste Baronio (*In Martyrol. ad* 22 *Februarii*), creditur fuisse damnata. Porro quod ad locum illum Apocalypsis attinet, unde hujus erroris suborta occasio est, S. Augustinus (XX *de Civit. cap.* 7) primam illam resurrectionem interpretatur animarum resurrectionem, etiam in Scripturis agnitam, secundam corporum : *Mille autem anni,* inquit, *duobus modis possunt, quantum mihi occurrit, intelligi : aut quia in ultimis annis mille, ista res agitur, id est, sexto annorum milliario, tamquam sexto die, cujus nunc spatia posteriora volvuntur; secuturo deinde sabbato quod non habet vesperam, requie scilicet sanctorum, quæ non habet finem; ut hujus milliarii tamquam diei novissimam partem, quæ remanebit usque ad terminum sæculi, mille annos appellaverit; eo loquendi modo, quo pars significatur a toto. Aut certe mille annos pro annis omnibus hujus sæculi posuit, ut perfecto numero notaretur ipse temporis plenitudo. Millenarius enim numerus denarii numeri quadratum numerum reddit. Decem quippe decies ducta fiunt centum; quæ jam figura quadrata, sed plana est. Ut autem in altitudinem surgat et solida fiat, rursus decem decies multiplicantur, et mille fiunt. Porro si centum ipsa aliquo modo pro universitate aliquando ponantur, quale illud est quod Dominus omnia sua dimittenti et cum sequenti promisit dicens :*

in illo mille annorum tempore carnaliter sanctis restituenda confirmant, cum utique illud sæculum, quod post resurrectionem futurum dicunt, præsens intelligi non posse fateantur. Multo ergo credibilius multoque manifestius est eum qui aliquid sæcularium vel affectuum vel bonorum Christo suadente contempserit, a fratribus atque consortibus propositi sui, qui ei spiritali glutino colligantur, centuplo gratiorem etiam in hac vita recipere charitatem. Hanc siquidem quam inter parentes ac filios atque germanos, conjuges vel propinquos, sive societas copulæ seu consanguinitatis necessitudo conjungit, satis brevem esse constat ac fragilem. Denique etiam boni ac pii cum adoleverint filii, a parentum domibus nonnumquam ac substantiis excluduntur, communio quoque consortii conjugalis interdum etiam honesta causa interveniente divellitur, fratrum dirimit charitatem contentiosa divisio. Monachi soli perpetuæ conjunctionis retinent unitatem, atque indiscrete possident universa, qui omnia sua esse quæ fratrum, omnia fratrum credunt esse quæ sua sunt. Si ergo istis quibus carnalis charitas copulatur affectibus, dilectionis nostræ gratia conferatur, profecto centuplo hæc dulcior atque sublimior est. [a] Recipietur sane etiam de continentia conjugali major centuplo suavitas ab illa quæ eis invicem per commixtionem sexuum præbebatur. Pro lætitia quoque illa quam in unius agri ac domus possessione quis habuit, centuplo majore divitiarum gaudio perfruetur, qui in adoptionem transiens filiorum Dei, universa quæ æterni sunt Patris, ut propria possidebit, et affectu atque virtute ad imitationem veri illius Filii proclamabit : *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (*Joan.* XV) : nec jam cum illa pœnali distentionis ac sollicitudinis cura, sed securus ac lætus velut in propriis ubique succedet, audiens quotidie sibimet ab Apostolo prædicari, *Omnia vestra sunt, sive mundus, sive præsentia, sive futura* (II *Cor.* III). Et a Salomone : [b] *Fidelis viri totus mundus divitiarum* (*Prov.* I *sec.* LXX). Habes ergo istam centupli retributionem, in magnitudine meriti et in discretione tam incomparabilis qualitatis expressam. Neque enim si pro æris, aut ferri, aut vilioris cujusquam metalli certo pondere, tantumdem ponderis, sed auri quispiam reddidisset, non etiam amplius quam centuplum restituisse videretur; ita cum pro contemptu voluptatum atque affectuum terrenorum, spiritale gaudium et pretiosissimæ charitatis *jucunditas* repensatur, etiamsi ipse sit numerus, centuplo tamen hæc major atque præclarior est. Et ut hoc evidentius crebra repetitione reddatur, uxorem antea in passione fragilis desiderii possidebam; hanc eamdem in honore sanctificationis et vera Christi dilectione possideo. Una est mulier, sed centuplum crevit meritum charitatis. Si autem et pro iræ et furoris perturbatione jugem lenitatem patientiæ, pro sollicitudinis ac distentionis angore securitatis quietem, pro infructuosa hujus sæculi pœnalique tristitia salutaris tristitiæ fructum, pro vanitate lætitiæ temporalis gaudii spiritalis appenderis ubertatem; *retributionem* in horum affectuum commutatione [Lips. *in marg.* ad horum affectuum comparationem] centuplam pervidebis. Et si uniuscujusque vitii brevi ac lubricæ voluptati contrariarum virtutum merita conferantur, centuplo hæc esse meliora multiplicata jucunditas approbabit. [c] Centenarius enim numerus

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

Accipiet in hoc sæculo centuplum; quod exponens quodammodo Apostolus ait: Quasi nihil habentes, et omnia possidentes (II *Cor.* VI); *quia et ante jam dictum erat: Fidelis hominis totus mundus divitiarum est; quanto magis mille pro universitate ponuntur, ubi est soliditas ipsius denariæ quadraturæ? Unde nec illud melius intelligitur, quod in psalmo legitur: Memor fuit in sæculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes* (*Psalm.* CIV), *id est, in omnes.* Hactenus Augustinus.

[a] Continentia conjugalis non hic accipitur pro castitate conjugali, prout distinguitur a castitate virginali et viduali, qua nimirum se continent conjuges intra limites et leges matrimonii; sed pro abstinentia conjugum ab actu conjugii, quod ex verbis sequentibus patet (opponitur enim hæc continentia commixtioni sexuum) quales multi conjuges sive ante, sive post consummationem matrimonii. Priorum exempla (qui scilicet continentiam voverint et servaverint post contractum matrimonium) vide apud Bellarminum lib. II de Monachis cap. 38. Posteriorum (qui post consummationem matrimonii continentiam ex consensu voverint) apud eumdem cap. 37, ut illud omittam quod Apostolus monet conjugatos (I *Cor.* VII), ut ad tempus saltem abstineant ex consensu, *ut vacent orationi et jejunio.* Sensus igitur istorum verborum est, majorem animi suavitatem et voluptatem percepturos conjuges abstinentes ab actu conjugii, quam eodem fruentes. *Hoc enim distare*, inquit D. Gregorius (*Homil.* 36 *in Evang.*), *inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciæ cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero avide eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciæ cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio; tantoque a comedente amplius esuriuntur, quanto et ab esuriente amplius comeduntur.*

[b] Ita Græci : Τοῦ πιστοῦ ὅλος ὁ κόσμος τῶν χρημάτων. D. Hieronymus ad Paulinum (*Epist.* 105) : *Credenti totus mundus divitiarum est.* Citatur eadem sententia frequenter a Patribus. ex c. XVII Proverbiorum, ubi tamen in Vulgata editione modo non habetur.

[c] Verba sunt D. Hieronymi lib. I in Jovinianum (*Cap.* 1), ubi virginitatem cum nuptiis et viduitate componens, simulque evangelicam illam sententiam de triplici fructu explanans : *Centesimus*, inquit, *et sexagesimus, et tricesimus fructus quamdam de una terra et de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias, nam et ipsa digitorum conjunctio, quasi molli se complexus consortio et federans, maritum pingit et conjugem; sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sint positæ; unde et superiori digito deprimuntur. Porro centesimus numerus* (*diligenter, quæso, lector, attende*) *de sinistra transfertur ad dextram, et eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur et viduæ, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.* Hæc Hieronymus alludens ad consuetudinem veterum, qui vario digitorum flexu numerabant et numeros exprimebant, quod etiam ex Plutarcho in Problematibus const. t. Unde supputatorios digitorum gesticulos appellat Tertullianus. Porro huic expositioni apte respondet quod in hymno ecclesiastico de S. Joanne Baptista canitur, ubi tres

de sinistra transfertur in dexteram ; et licet eamdem in supputatione digitorum figuram tenere videatur, nimium tamen quantitatis magnitudin supercrescit. Fiet enim ut qui hædi formam genere videbamur in læva, ovis meritum translati consequamur ad dexteram. Nunc ad quantitatem earum rerum quas pro contemptu mundi et aliorum commodorum nobis in hoc sæculo Christus restituit, transeamus, præcipue secundum Evangelium Marci ita dicentis : *Nemo est qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, fratres et sorores, et matres, et filios, et agros* [a] *cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam* (*Marc.* x). Centuplam namque fratrum parentumve recipiet quantitatem quisquis patris unius, vel matris, seu filii, pro Christi nomine, charitate contempta, in omnium qui Christo deserviunt dilectionem sincerissimam transit, pro uno scilicet tot inveniens patres, fratresque, ferventiore ac præstantiore sibi affectione devinctos. Multiplicata etiam A domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi dilectione rejecta, innumera monachorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suæ domus jure succedens. Quomodo enim non centuplum, et, si Domini nostri sententiæ superadjici aliquid fas est, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida et coacticia derelinquens, tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus matribusque ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresque innumeros, domos quoque et agros, servosque fidelissimos, absque ullo sollicitudinis labore conquiri- B tis, qui vos ut proprios dominos submisse suscipiunt, amplectuntur, fovent, venerantur officiis. Sed hoc, inquam, sancti ministerio merito ac fiducialiter perfruentur, qui prius in servitutem fraternitatis semetipsos suaque omnia voluntaria devotione subdiderint. Recipient enim secundum sententiam Domini libere

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

coronæ, et tres fructus evangelici tribus hominum generibus, sive gradibus, jam expositis aptantur his versibus :

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis.

Alios, nempe conjugatos, caste viventes. Nam prima corona, et primus fructus evangelicus, nempe trigesimus, est castitatis conjugalis. Sequitur eodem versu :

Duplicata quosdam :

Serta nempe duplicata, quosdam, scilicet viduos, et viduas continentes coronant : quia secunda corona, et secundus fructus, nempe sexagesimus, ex trigesimo duplicato, castitati viduali assignatus. Mox subjicitur :

Trina centeno cumulata fructu
Te, sacer, ornant.

Te, o Joannes Baptista, et virgo, tuique similes virgines, ornant : quia tertia et suprema corona, et fructus centesimus, castitati virginali retribuitur. Sed neque prætereunda hic D. Gregorii commentatio (*Apologet. cap.* 19), qui parabolam illam seminantis aliter interpretans, eadem tamen allusione et similitudine qua D. Hieronymus (*Hom.* 17 *super Ezech.*) usus est in hunc modum : *Quoniam Deus homini peccatori legem dedit, quæ in decem præceptis scripta est, et sexdecies ducta in sexagenarium surgunt, recte per sexaginta cubitos bonorum operum perfectio designatur. Quod aperte etiam Dominus in Evangelio designat, qui cum parabolam seminantis exponeret, dixit : Aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem, et excrescentem; et afferebat unum triginta, et unum sexaginta, et unum centum* (*Marci* IV). *Fructus enim terræ bonæ triginta affert, cum mens perfectionem fidei quæ est in Trinitate conceperit. Sexaginta affert, cum bonæ vitæ opera perfecte protulerit. Centum vero affert, cum ad æternæ vitæ contemplationem profecerit. Sinistra enim nostra est vita præsens : dextera vero est vita ventura. Et recte per centenarium numerum æternæ vitæ contemplatio designatur, quia cum post triginta ac sexaginta ad centesimum numerum computandum pervenimus, idem centenarius numerus in dexteram transit. Fides atque operatio adhuc in sinistra est : quia hic adhuc positi et credimus quod non videmus et operamur ut videamus. Cum vero jam se animus in contemplationem æternæ vitæ suspenderit, quasi ad dexteram manum computus pervenit.* Ita D. Gregorius. Porro totam hanc artem supputandi per digitos inter Venerabilis Bedæ opera complectitur libellus qui *De computo vel loquela per gestum digitorum* inscribitur : ex quo hæc tantum notasse sufficerit, quæ ad hujus loci et eorum quæ dicta sunt intelligentiam proprie spectant : sic igitur Beda suum computum a sinistra exorsus usque ad decem, subdit : *Cum dicis decem, unguem indicis in medio figes actu pollicis; cum dicis triginta, ungues indicis et pollicis blando conjunges amplexu; cum sexaginta, pollicem curvatum indice circumflexo diligenter a fronte præcinges.* C Deinde postquam cæteros numeros cardinales, qui in sinistra varie exprimebantur, usque ad nonaginta exposuit; deinceps conversus ad dexteram subjicit : *Cum centum significas, eodem utaris gestu, quo in læva decem monstrabas.* Ex quibus verbis colligi debet, qua ratione centenarius numerus sive centesimus de sinistra aut læva transferretur in dexteram : quia nimirum lævæ digitis usque ad centum numerabant : in centesimo ad dextram transibant : qua item ratione, *triginta,* ut ait Hieronymus, *referuntur ad nuptias; sexaginta ad viduas;* centum (qui numerus primus est in dextra) ad virginitatem. Nam matrimonium ideo per triginta significari dicitur, quod eo numero, leni, mollique contactu pollicis, indicisque, conjuges velut exosculantes se conjungantur : sicut viduitas viduarumque afflictio exprimitur ex indicis supra pollicem deflexione : virginum autem corona, quæ centenario numero significatur, ex circulo, qui indicis ungue in medio pollicis defixo in dextra exprimitur, instar coronæ. D Centum vero et qui deinceps sequuntur numeri in dextra numerari solitos docet etiam illa poetæ satirici carmina (*Juvenal. Satir.* 10), ubi de Nestore, quem trecentos annos, hoc est, tria hominum sæcula vixisse Homerus prodit, ita canit :

Felix nimirum, qui per tot sæcula mortem
Distulit, atque suos jam dextra computat annos.

Quem imitatus Sidonius Fausto applaudens, et grandævum significans, velut centenarium : *Quandoquidem,* ait, *tuos annos jam dextera numeraverit* (*Libr.* IX, *epist.* 9).

[a] Ita apud Marcum in verbis supra citatis. Ex quibus etiam intelligitur illam centupli retributionem ad præsens sæculum esse referendam; non ad futurum, in quo nulla erit persecutio.

id quod ipsi aliis dependerunt. Qui enim hæc humilitate sincera consortibus suis ante non detulerit, quomodo deferri sibi ab aliis patienter admittet, cum gravari se eorum obsequiis intelligat potius quam foveri, qui accipere mavult fratrum quam deferre famulatum? Hæc tamen omnia non cum remissa securitate nec cum inerti oblectatione percipiet, sed, secundum verbum Domini, cum persecutionibus, id est, cum pressuris sæculi hujus ac summis angoribus passionum, quia sicut ille sapientissimus contestatur : [a] *Qui suavis, et sine dolore est, in egestate erit* (*Prov.* XIV *sec.* LXX). Regnum etenim cœlorum non desides, non remissi, non delicati, non teneri, sed violenti diripiunt. Qui ergo hi violenti sunt? Nempe illi qui non aliis, sed voluntatibus [*Lips. in marg.* voluptatibus] suis præclaram inferunt violentiam, qui direptione laudabili omni se præsentium rerum voluptate fraudantes, voce Dominica egregii direptores pronuntiantur, et per hujuscemodi rapinam regnum cœlorum violenter invadunt. *Regnum* enim *cœlorum*, secundum sententiam Domini, *vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* XI). Isti profecto sunt laudabiles violenti, qui vim faciunt perditioni suæ. [b] *Homo* enim, ut scriptum est, *in doloribus laborat sibi, et vim facit perditioni suæ* (*Prov.* XVI). Perditio nostra est oblectatio vitæ præsentis, et ut expressius dicam) exsecutio desideriorum voluntatumque nostrarum : quas si quis ab anima sua subtraxerit ac mortificaverit, gloriosam profecto et utilem perditioni suæ vim facit, abnegans dumtaxat ei jucundissimas voluntates, quas per prophetam sermo divinus frequenter incusat, dicens : *Quia in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra* (*Isaiæ* LVIII). Et iterum : *Si averteris a sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, et glorificaveris eum dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem* (*Ibid.*). Cui etiam quanta beatitudo promittatur, confestim Propheta subjungit : *Tunc*, inquiens, *delectaberis super Dominum, et sustollam te super altitudinem terræ, et citabo te hæreditate Jacob patris tui : os enim Domini locutum est* (*Ibid.*). Et idcirco Dominus noster atque Salvator, ut nobis amputandarum voluntatum nostrarum formam traderet. *Non veni*, inquit, *facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Et iterum : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XVI). Quam virtutem illi specialiter exercent, qui in cœnobiis commorantes, senioris reguntur imperio, qui nihil omnino arbitrio suo agunt, sed voluntas eorum ex voluntate pendet abbatis. Postremo ut jam disputationis hujus sermo claudatur, nonne, obsecro, etiam in hoc centuplum gratiam evidentissime qui fideliter Christo deserviunt consequuntur, dum pro nomine ejus a summis principibus honorantur; ac licet ipsi humanam gloriam non requirant, venerabiles tamen etiam in persecutionum angustiis judicibus cunctis ac potestatibus fiunt, quorum vilitas etiam mediocribus forsitan despicabilis esse potuisset, vel pro obscuritate natalium, vel pro conditione servili, si in sæculari conversatione mansissent? Per Christi autem militiam nobilitatis, nemo status contumeliam commovere, nemo obscuritatem generis audebit opponere : quin potius illis ipsis vilissimæ conditionis opprobriis quibus confundi et dehonestari cæteri solent Christi famuli gloriosius nobilitantur. [c] Quod evidentius in abbate Joanne, qui in illa eremo quæ Lyco oppido adjacet, commoratur, possumus approbare. Qui perobscuris majoribus natus ita *pro Christi* nomine universo pene humano generi admirabilis factus est, ut eum ipsi quoque rerum præsentium domini, qui mundi hujus atque imperii gubernacula retinentes, etiam potentibus cunctis regibusque terrori sunt, velut dominum venerarentur, et oracula ejus de tam longinquis regionibus expetentes, imperii sui apicem et statum salutis, bellorumque proventus, illius orationibus meritisque committerent. Talia beatus Abraham de illusionis nostræ vel origine, vel medela, disputatione disseruit; atque oculis quodammodo nostris cogitationum quas diabolus auctor ingesserat propalavit insidias, nosque ad desiderium veræ mortificationis accendit, quo etiam multos, licet incompto hæc omnia sermone digesta sint, credimus inflammandos. Nam licet summorum patrum flagrantissimos sensus tepida eloquii *nostri* favilla contexerit, plurimorum *tamen* algorem, qui remotis verborum cineribus vivacitate latentium sensuum suscitare voluerint, calefaciendum putamus. Sed ad vos, o sancti fratres, non utique hunc ignem quem Dominus venit mittere in terram, et quem nimium ardere desiderat (*Luc.* XII), ita spiritu præsumptionis elatus emisi, ut quasi ferventissimum propositum vestrum caloris hujus adjectione succenderem, sed ut vobis major apud filios esset auctoritas, si id, quod ipsi non mortuo verborum sono sed vivo docetis exemplo, etiam summorum atque antiquissimorum patrum præcepta confirment. Superest ut me periculosissima hactenus tempestate jactatum,[d] nunc ad tutissimum silentii *portum spiritalis* orationum vestrarum aura comitetur.

ALARDI GAZÆI COMMENTARIUS.

[a] Integra sententia apud LXX ita Latine redditur : *In omni sollicito inest abundantia : at dulcis et carens dolore in egestate erit.* Pro qua vulgata versio habet : *In omni opere erit abundantia : ubi autem sunt verba plurima, ibi frequenter egestas* (*Proverb.* XIV).

[b] Vide Collat. 7 cap. 6, et Collat. 12 cap. 5.

[c] Conferenda sunt hæc cum iis quæ de hoc Joanne consentanee scribit Cassianus libr. IV Institution. cap. 23, ubi inter alios anachoretas et seniores, quorum virtutes commemorat et commendat, primum hunc ponit abbatem Joannem, qui, ut ait, *commoratus est juxta Lycon* (*quod est oppidum Thebaidis*), *quique propter obedientiæ virtutem ad prophetiæ gratiam sublimatus sic universo orbi claruit, ut etiam regibus mundi hujus merito suo redderetur illustris. Nam cum in extremis ut diximus, Thebaidis partibus commaneret, non ante præsumebat imperator ad præpotentium tyrannorum bella procedere, quam oraculis illius animaretur, atque responsis. Quibus confidens velut cœlitus sibi delatis, tropæa de bellis desperatis atque hostibus reportabat.* Hæc ibi.

[d] Alii codices habent : *Nunc in tutissimo silentii portu orationum vestrarum tutela conservet. Quod utinam et mihi contingat. Amen.*

B. N. *Huc afferuntur in editione Lipsiensi opuscula quædam ad Collationes Cassiani pertinentia* : liber *scilicet.* Prosperi contra Collatorem, ejusdem epistola ad Augustinum, Cœlestini papæ epistola pro Prospero, Canones secundi concilii Arausicani circa tempora Leonis Magni. *Cum autem in nostra universali Bibliotheca laudatorum scriptorum quodque propriori loco producendum sit, satis erit te, benevole lector, admonere, ut Prosperi Aquitanici, Cœlestini et Leonis Magni opera infra cudenda, si libuerit, adeas.* EDD.



Fundamentum Humilitatis et principium.

SCALA SUPERBIÆ, QUA IN INFERNUM DESCENDITUR.



Patres Hispal. apud. M.